



14.21. f. 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORES, ET FRVCTVS

PHILOSOPHICI

EX SERAPHICO PARADISO EXCERPTI,


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SEV

CURSUS PHILOSOPHICI

AD MENTEM

SANCTI BONAVENTVRÆ

SERAPHICI DOCTORIS

Per R. P. F. BARTHOLOMÆUM DE BARBERIS

à CASTRO-VETRO MVTINENSEM, Provinciæ Bononiensis Ordinis Capucinorum Sacræ Theologiæ Lectorem:

PARS TERTIA.

Continens Tractatus de Generatione, & Corruptione, de Anima, & Physiognomia hominis, de Metaphysica, & de Maximis, seu propositionibus vniuersalibus cum suis expositionibus.









LVGDVNI,

Sumpt. LAVR. ARNAVD, & PET. BORDE, IOAN. & PET. ARNAVD,

M. DC. LXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.




Capuccinorum ✝ Rome

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



AD R. P. F. BARTHOLOMÆVM

DE BARBERIS

CAPVCINVM

AVTHOREM CVRSVS PHILOSOPHICI
ex Seraphico Paradiso excerpti.

Serenissimo Francisco II. Estensi Mutinæ, Regij, &c. Duci X. dicati.

EPIGRAMMA.

DVM Seraphim nobis, Barbere, recondita pandis;
Tu Seraphim dotes pectore, & ore refers.
Sub cinere occulto diuinis ignibus ardes,
Vt Seraphim scribis, diligis, atque doces.
Qui calamo in Seraphim videt te scribere fixum,
Scribere Gregorium videt, & Ambrosium.

I. C.

Aliud

AD LECTOREM.

Hic ille est Seraphim Doctorum maxima libris
Promere, quo melius nullus in orbe potest.
De calamo quid verba sonent, cùm scripta loquantur
De Bonauentura scripta suo calamo.
Hic Seraphim pandit nodos, hic voce perenni
Dicit, quod verè dixit in orbe Seraph.

Idem.

Digitized by Google

Facultas Reuerendissimi Patris Generalis.

NOS F. STEPHANVS A CÆSENA totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum Generalis Minister, licèt immeritus, Opus, cui Titulus est, *Flores,& Fructus Philosophici ex Seraphico Paradiso excerpti, seu Logica, & Philosophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctissimi Doctrina excerpta*, & in moderniorem vsum in tres Partes ad trium Annorum curriculum distributa ab Admodum Venerando Patre F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinensi nostri Ordinis Concionatore, ac Lectore compositum, à quibusdam Theologis dicti nostri Ordinis, quibus id commisimus, relectum,& approbatum, vt Typis mandari possit, seruatis seruandis Tenore præsentium facultatem concedimus, in quorum fidem his solito nostro sigillo firmatis manu propria subscripsimus. Datum in Conuentu nostro Immaculatæ Conceptionis Romæ die 26. Iunij 1675.

F. STEPHANVS A CÆSENA Minister Generalis.

APPROBATIONES THEOLOGORVM ORDINIS.

EX Commissione Reuerendissimi Patris F. BONAVENTVRÆ A RECINETO Religionis Capucinorum Commissarij Generalis, necnon in vrbe Procuratoris Generalis, & à Sacris Concionibus Sanctissimi Domini nostri Clem. X. lubens vidi, hilaris legi, & jucundissima cum voluptate, & vberrima vtilitate, & accuratè introspectum iterum, iterumque Ego infrascriptus relegi Opus in tres Partes diuisum, cui Titulus, *Flores, & Fructus Philosophici ex multiplici Seraphici Doctoris S. Bonauenturæ Doctrina excerpti*, Authore R. P. F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinensi Lectore in Conuentu Capucinorum S. Francisci Ferrariæ. Huic enim Operi censuram metuere non debet Author, *Censuræ enim causam,& sententiam exponit* (ait D. Ennodius huius Regiæ Ticinensis Ecclesiæ Antistes, ac Orthodoxæ fidei decus amplissimum) *quisquis, quod eligit, Antiquorum Fulcris non tuetur*: Opus enim suum non Recentioris, sed Antiquioris, non indeuoti, & curiosi, sed sanctissimi, & Classici Doctoris sapientia tuetur, admirabili Methodo, amabili modestia, perspicaci, ac perspicua doctrina, consilio Sydonij vtens in Epist. ad Claud. *potius implet causam Seraphicam, quàm paginas*; quin etiam iuxta effatum Eccles. *Sapiens Pater seipsum prodit, dum spiritu*, & Bonauenturæ doctrina imbutus, Bonauenturam à lumine Theologico ad Philosophicum lumen producit. Quapropter cùm nihil in hoc opere à S. R. E. decretis, ac Orthodoxæ regulæ fidei regulis, aut à vitæ probitate alienum repererim, Scholastico in prælio prælo dignum censeo: sic enim teste Idelberto scientia huius Patris distributa suscipiet incrementum auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur, sic enim censeo, vt typis gaudeat dictum Opus. Datum Papiæ in Conuentu Capucinorum S. Antonij de Padua die 18. May 1675.

F. Alexander à Grabedona Guardianus Capucinorum Papiæ, & Prou. Mediolani Definitor, olim Sacræ Theologiæ Lector, ac pro R. P. Inquisitore Papiæ Librorum Reuisor, ac venientium ad sanctam Fidem Instructor omnium Minimus.

Digitized by Google

EX Commissione R. P. F. BONAVENTURÆ A RECINETO, nostri Ordinis Definitoris, Procuratoris, & Commissarij Generalis, necnon Sanctissimi D. N. Clem. X. in Palatio Apostolico à Concionibus, Ego F. Ignatius à Cremona Ordinis Capucinorum Prædicator, atque in nostro Conuentu Ticinensi Sacræ Theologiæ Lector, ea maiori, qua potui, diligentia, vidi Opus mihi valdè eximium, atque laboriosum, cui Titulus est, *Flores & Fructus Philosophici ex Seraphico Paradiso excerpti, seu Logica, & Philosophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctissimi Doctrina selecta*, & in moderniorem vsum in tres Partes ad trium annorum curriculum distributa à R.P.F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinensi nostri Ordinis Lectore in Conuentu S. Francisci Ferrariæ, & non solùm nihil in eo obseruaui, quod esset contra fidem, & bonos mores, sed adeò pulchrum, solidum, & ita benè ordinatum mihi visum fuit, necnon Author in eo suis subtilissimis obseruationibus, & clarissimis explicationibus ità mentem Sancti Bonauenturæ assequutus est, vt ad decorem nostræ Religionis, atque ad cupientes faciliori via sequi doctrinam eiusdem Seraphici Doctoris, quam primum Typis mandetur, iudicem, & affirmem. In quorum fidem has mea propria manu subscripsi. Datum Ticini Regij quinto Kal. Iunij 1675.

Fr. Ignatius à Cremona Capucinus Prædicator, & Lector Sacræ Theologiæ.

OPus, cuius inscriptio est, *Flores, & Fructus Philosophici ex Seraphico Paradiso excerpti, seu Logica, & Philosophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ SS. Doctrina excerpta*, ad moderniorem vsum in tres Partes ad commodum studentium distributa, & maximè illorum, qui cupiunt Seraphicæ Doctrinæ operam dare, à R.P.F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinensi nostri Ordinis Lectore, elaboratum, omnia maiori diligentia, quapotui, legi, & vidi de mandato R.P.F. Bonauenturæ à Recineto nostri Ordinis Definitoris, Procuratoris, & Commissarij Generalis, necnon sanctissimi D. N. Clem. PP. X. in Palatio Apostolico Concionatoris: Nihilque, quod fidei, bonorumque morum candorem denigret, in eo meis sese oculis obiecit, immò singulare Authoris ingenium, & studium in Seraphica Doctrina sum admiratus, & quia non nisi in magnam tam studentium vtilitatem, quàm decorem Religionis esse aspexi, dignum censui, vt typis quam primùm mandetur. Datum Ferrariæ in Conuentu Capucinorum S. Francisci die 25. Nouembris 1675.

F. Bartholomæus à Zibello Guardianus Conuentus Capucinorum Placentiæ, & olim Sacræ Theologiæ Lector.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum Sacræ Theologiæ Facultatis Parisiensis.

Librum, cui Titulus est, *Flores, & Fructus Philosophici ex Seraphico Paradiso excerpti, seu Logica, & Philosophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctissimi Doctrina Seelecta*, à R. P. F. BARTHOLOMÆO DE BARBERIS A CASTRO-VETRO Murinensi Ordinis Capucinorum, Sacræ Theologiæ Lectore, accuratè, & non sine magna animi voluptate legi, eumque vtpotè sanam doctrinam redolentem, fidei Orthodoxæ conformem, bonosque mores fouentem luce dignum censeo. Datum Parisiis die 26. Martij 1677.

M. GRANDIN pro Illustrissimo
Domino Cancellario Franciæ.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

CAutum est Authoritate Regis, ne quis in suo Regno, aliisvè locis suæ Ditioni subditis intra decem proximos annos, librum, qui inscribitur, *Flores, & Fructus Philosophici ex Seraphico Paradiso excerpti, seu Logica, & Philosophia Peripatetica* ad mentem S. Bonauenturæ Doctoris Seraphici, Authore R. P. F. BARTHOLOMÆO DE BARBERIS DE CASTRO-VETRO Mutinensi, Bononiensis Prouinciæ Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Lectore absque LAVRENTIJ ARNAVD, PETRI BORDE, IOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, pœna indicta, provt ampliùs in Regio diplomate continetur, mulctabitur. Datum ad sanctum Germanum in Laya die 13. Aprilis anno Domini 1677. De mandato Regis. Signatum BOVCHARD.


Prima editionis prælum cessauit die prima Augusti anno 1677.

INDEX



INDEX

TRACTATVVM, TEXTVVM, & Quæstionum, Quæ in hac tertia parte Cursus Philosophici Ad mentem Sancti Bonauenturæ continentur.



TRACTATVS I.

De Generatione, & Corruptione.



TRACTATVS II.

De Alteratione.

TRACTA

TRACTATVS III.

De Actione, & Passione.

TRACTATVS IV.

De Elementis, & Mixtione, ipsorumque Qualitatibus.

TRACTATVS V.

DE ANIMA.

PARS PRIMA.

TRACTATVS I.

De Anima in Communi.

Digitized by Google

TRACTATVS II.

De Potentiis animæ in communi.

TRACTATVS III.

De Anima, & potentiis vegetatiuis

TRACTATVS IV.

De Potentia nutritiua, & augmentatiua.

Digitized by Google

PARS SECVNDA.

De Anima.

TRACTATVS I.

De Anima, & potentiis sensitiuis in communi.

TRACTATVS II.

De sensibus externis.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS III.

De sensibus internis.

PARS TERTIA.

De Anima Rationali.

TRACTATVS I.

De Anima rationali in communi.

TRACTATVS II.

De Potentiis intellectiuis.

Digitized by Google

TRACTATVS III.

De Voluntate.

TRACTATVS IV.

De Anima separata.

TRACTATVS V.

De Homine in communi, eiusque corpore in particulari, & de hominis Physiognomia.

Digitized by Google

De Physiognomia hominis.

EPITHOME METAPHYSICÆ.

De Ente.



ELENCHVS

Digitized by Google



ELENCHVS AVTHORVM,

QVI IN HAC TERTIA PARTE Curſus Philoſophici citantur.

A

ACADEMIA Pariſienſis.
Achillinus.
Albertinus.
B. Albertus Magnus.
Albertus de Sax.
Alexander Alenſis.
S. Ambroſius.
Ammonius.
Anglicus.
Antonius Ruuius.
Apollonius.
Aquilonius.
Areſius.
Argentina.
Arriaga.
Ariſtoteles.
S. Auguſtinus.
Auicenna.
Auicembron.
Aureolus.
Auerroës.
Auerſa.
Amicus.

B

BAcconus.
Bannez.
Bargius.
Baudunus.
Baſſolius.
Baſſonus.
Benedictus à S. Iacobo.
S. Bernardus.
Boëtius.
Brulefer.
S. Bonauentura.
Blancus.
Bonetus.

C

CAbæus.
Caietanus.
Calculator.
Cameratius.
Cannonicus.
Capreolus.
Capulius.
Cardanus.
Carpinetulus.
Cauellus.
Celſus.
S. Clemens Alexandr.
Commentator.
Compluten ſes.
Concilium Trident.
Conimbricenſes.
Contarenus.
Cottonius.
Cremoninus.

D

DAndinus.
Democritus.
Durandus.

E

EMpedocles.
Epicurus.

F

FAber Fauentinus.
Ferchius Velienſis.
Ferrarienſis.
Fernelius.
Ficinus.
Flandria.
Fonſeca.
Franciſcus Mairon.
Franciſcus Toletus.
Franciſcus Suarez.

G

GAbriel Nominal.
Gabriel Vaſquez.
Gadius.
Galenus.
Gallicius.
Gilbertus.
Gofredus.
Gratian. Brie.
Gregorius Nyſſenus.
Gregorius Arim.
Gulielmus Vorril.
Gulielmus delamare.

Henricus

Digitized by Google

H

HEnricus.
Hipocrates.
Hurtadus.
Hieronymus Florentin.

I

IAndunus.
Iauellus.
Ioannes Andr.
Ioannes de Lugo.
Ioannes de Magistris.
Ioannes à S.Thoma.

L

LIcetus.
Lugus.

M

MAior.
Mairon.
Mancinus.
Marcus Baudunus.
Marcus Ant.Gallicius.
Marsil. Ficinus.
Mastrius, seu Meldula.
Molina.
Morandus.
Morisanus.
Murcia.

N

NEmesius.
Niger.
Niphus de Nisse.
Nominales.

O

OCham.
Ouiedus.

P

SAnctus Paulus.
Parisienses D. D.
Patauius.
Pererius.
Picolominus.
Picus Mirandulanus.
Pythagoras.
Pomponatius.

R

RAbesanus.
Recupitus.
Richard. de Med.Villa.
Richard. Suisset. Calcul.
Rochus.
Rubion.
Ruuius.

S

SAlmaticenses.
Scaliger.
Scotellus.
Scotus.
Serbellonus.
Sotus.
Suarez.

T

TAssonus.
Tataretus.
Themistius.
S.Thomas.
Tiennensis.
Titelmanus.
Toletus.
Trombeta.


V

VAlentia.
Vallesius.
Varro.
Vasquez.
Verulanus.
Vgo Senensis.
Vorrilon.
Vulpes.

Z

ZAbarella.
Zerbius
Zimara.
Zanardus.

PROOE



PROOEMIVM IN TERTIAM PARTEM HVIVS CVRSVS PHILOSOPHICI.

E Cœlo ad terram nempè à corporibus cœlestibus incorruptibilibus ad sublunaria corruptibilia post enauigatum flumen Gehon ad tertium nempè ad Tygrim ducens in Theologiæ Paradisum vocati sumus hoc tertio curriculi nostri Philosophici anno. Et hæc est tertia Pars, quam proposuimus in principio huius cursus explicandam, vt tandem hac, & sequenti enodata possimus attingere, ingredique in Paradisum Seraphicæ Theologiæ, & degustare optatissimos fructus scientiæ boni, & mali, & vitæ. Hæc tertia Pars Philosophiæ iure merito explicatur nomine Tygris è Paradiso terrestri exeuntis, & per consequens ad ipsum ducentis: Tygris enim interpretatur sagitta, quæ acutè, & velociter volat, omniaque penetrat, sic & doctrina Philosophica huius tertiæ partis innititur tota virtuti substantiali elementorum corporum, quæ & ipsa disponit ad mixtionis formam, hæcque successiuè ad viuentium formam acutissimam, & penetratiuam, & in cuius

Digitized by Google

virtute tot genera animantium, & mixtorum ornant hoc vniuersum, simulque nostram mentem acuit, & disponit ad percipiendos fructus dulcissimos Seraphici viridarij scientiæ rerum naturalium. Hinc in duo membra præcipua diuidenda est hæc materia. In quorum primo agitur de Generatione, & Corruptione, cæterisque ad ipsam spectantibus. In secundo de Anima.




DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

POSTQVAM in libris Physicorum egit Aristoteles de ente naturali in communi, in libris de Mundo, & Cœlo disseruit de prima specie huius entis, scilicet corporis naturalis, nempè de corpore simplici. Nunc aggreditur tractationem de corporibus mixtis, & quia ipsis commune est generari, corrumpi, alterari, hinc primò de Generatione, & Corruptione: deinde de Alteratione disserit, & posteà ad ipsa elementa in particulari, & tandem ad mixta ex elementis composita descendit consideranda: Quem ordinem secundùm doctrinam Seraphici Doctoris S. Bonauenturæ & nos sequemur, primò de more nostro Textum ex multiplici genere scriptorum eiusdem Seraph. Doct. excerptum præmittendo, & deinde proponendò, & soluendo Quæstiones ad quamlibet materiam spectantes.

TRACTA

Digitized by Google



TRACTATVS PRIMVS.

De Generatione, & Corruptione in communi.

1. QVIA Generatio est finis per se mixtionis, & alterationis præcipuus, & naturalis, obidque & tenens primum locum in hac materia: hinc primò de generatione in communi iure merito agit Aristoteles, & nos itidem ipsum imitabimur, & quia Corruptio est generationi opposita, & de ipsa hîc pariter agemus.



TEXTVS SERAPHICVS.

A. GENERATIO potest sumi communissimè, diuiditurque in plura capita: & primò in tria, quodlibet ipsorum autem in alia quatuor: Primum dicitur per diffusionem: Secundum per expressionem: Tertium per propagationem: Primum est vt splendoris à luce, caloris ab igne, fluuij à fonte, imbris à nube plena, & rorida: In quibus tamen adest cum aliquali similitudini etiam aliqua deficientia respectu generationis Diuinæ: nam in splendore deficit æqualitas, in calore intimitas, seu identitas, in fluuio simultas, quia fons diffundit se per partes, in imbre integritas: Secundum per expressionem est vt speciei ab obiecto, imaginis à sigillo, sermonis à loquente, cogitatus à mente, sed in specie deficit veritas rei, in imagine simplicitas, in sermone stabilitas, in cogitatu substantialitas: Tertium per propa-

gationem eſt vt germinis à ſemine, arboris à radice, prolis conceptæ à ventre, filij à Patre principiante: ſed in creatis in germine deficit formoſitas, cùm in ſemine ſit forma occulta, & confuſa: In arbore conformitas formæ: in prole actualitas: mater enim eſt potiùs principium paſſiuum parùm habens de actiuitate: In Patre creato deficit coæuitas: Si verò auferantur iſtæ deficientiæ, intellectus aliqualiter poterit intelligere generationem Verbi æterni. *Serm.* 11. *Hexaëm. & lib.*1. *diſt.*13. *dub.*8. *& quæſt.*1. *& lib.*1. *diſt.*9. *per totam, & diſt.*7. *art.*1. *quæſt.* 2.

B. QVARE generatio poteſt ſumi, provt eſt quid commune increatæ, & creatæ: ſicque præcisè nullam importat mutationem: ſi verò tantùm ſumitur, vt eſt in creatis, ſic diuiditur in dicta duodecim capita, includitque in omnibus imperfectionem, & mutationem: Omnis enim generatio vel dicit eductionem rei ab alio: vel productionem ex alio: Prima eſt formarum non viuentium, quæ educuntur ab agente, & generante æquiuoco: Secunda eſt rerum viuentium, & hæc eſt duplex: vel qua generans impartitur totum ſeipſum genito, vt in Diuinis; vel partem tantùm, vt in creatis. *Ibidem loc. cit.*

C. GENERATIO verò primo modo ſumpta, ſcilicet provt eſt communis increatæ, & creatæ, ſic poteſt definiri. *Productio ſubſtantiæ ſimilis in natura ex ſimili:* Generatio verò creata. *Productio ſubſtantiæ cum mutatione, ſeu dependentia ſubiecti:* per primam partem differt à productione accidentali: per ſecundam à creatione, & à generatione Diuina: & hæc eſt vel vniuoca, ſcilicet ſimilis ex ſimili, vel æquiuoca, ſcilicet rei ex diſſimili. *Lib.*3. *diſt.*8. *art.*2. *quæſt.*3. *& lib.* 1. *diſt.*9. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *& lib.* 1. *diſt.*13. *cit. & lib.*1. *diſt.*37. *part.* 1. *dub.* 5. *& lib.* 3. *diſt.* 34. *part.*2. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 4.

D. CVM igitur generatio creata ſit cum mutatione, neceſſariò exigit ſubiectum mutabile, quod tranſit de non eſſe tali ad eſſe tale; ita quod priuatio præcedat vel natura, vel tempore: vtroque enim modo poteſt eſſe: ſic & in principio Mundi, quando Deus eduxit formas concreatas in materia cum ſola prioritate naturæ, talis eductio inter generationes reputanda eſt. *Lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.*1. *art.* 3. *quæſt.*1. *& lib.*3. *diſt.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *& quæſt.* 3. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſt.*12. *art.*1. *quæſt.*2. *&* 3.

E. GENERA

Digitized by Google

E. GENERATIONIS terminus intentus à natura eſt forma communis, licèt ex conſequenti ſit indiuiduata. *Lib. 1. diſt. 5. art. 2. q. 1. & lib. 2. diſt. 1. part. 1. art. 3. quæſt. 1. & lib. 3. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. in corp. & lib. 3. diſt. 5. art. 2. quæſt. 2. ad vlt. & quæſt. 3. ad 6. & quæſt. 5. in corp. & ad argum. & lib. 2. diſt. 7. part. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 4.*

F. CORRVPTIO, quæ eſt oppoſita generationi, definitur *mutatio ab ente ſimpliciter, ſeu in actu, in ens ſecundum quid, ſeu in potentia:* Vnde ſequitur, quod cùm in corruptione remaneat ſubiectum cum priuatione formæ corruptæ, corruptio differt eſſentialiter à generatione, quæ eſt tranſitus ab ente in potentia ad ens ſimpliciter, & à creatione, quæ eſt tranſitus à non ente ſimpliciter ad ens ſimpliciter, & totale, & ab annihilatione, quæ eſt tranſitus ab ente ſimpliciter ad non ens ſimpliciter, & à conuerſione, quæ eſt tranſitus ab ente ſimpliciter ad aliud ens ſimpliciter. Poteſt etiam definiri corruptio ſic: *Actio cum defectu. Lib. 1. diſt. 8. p. 1. art. 2. q. 2. in corp. & lib. 4. diſt. 11. part. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 2. & lib. 2. diſt. 35. art. 1. quæſt. 1. ad 2.*

G. CORRVPTIO rebus competit naturaliter, quatenùs ſunt ex principiis defectiuis, & inter ſe pugnantibus: non provt important inclinationem ad bonum ſibi conueniens; ſic enim dicitur eſſe contra naturam. *Lib. 1. diſtinct. 8. part. 1. artic. 2. quæſt. 2. ad 5. & lib. 2. diſtinct. 7. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 1. & lib. 2. diſt. 19. art. 2. & 3. & lib. 4. diſtinct. 49. part. 2. artic. 4. quæſt. 1. & lib. 2. diſtinct. 15. art. 1. quæſt. 2. & 3. & lib. 4. diſt. 1. part. 2. art. 3. quæſt. 3. fund. 2. & lib. 2. diſt. 26. art. 1. quæſt. 4.*

H. ET quia generatio, & corruptio poſſunt ſumi, vt ſunt actiones, & vt mutationes: Primo modo non differunt: ſunt enim vnamet actio: Secundo modo differunt inter ſe: Actio enim neceſſariò terminatur ad aliquid: at Corruptio, cùm ſit deſtructiua, non habet propriè terminum poſitiuum, ſicut actio: mutationes verò differunt penes terminos. *Lib. 1. diſt. 13. art. 1. q. 3. & ad 3. & lib. 4. diſt. 2. part. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 2.*

I. AN verò in corruptione remaneat aliquod accidens, quod in corrupto erat, antequam corrumperetur: Dicendum, quod cùm in materia adſit quantitas interminata, (vt dictum eſt in Phyſica) item & forma corporeitatis ab ipſa inſeparabilis (vt itidem dictum eſt in eadem Phyſica) item & cùm reperiantur quædam accidentia, quæ reſpiciunt ipſam materiam, & alia, quæ ſunt conformia ipſi enti de

nouo genito, per consequens respondendum est affirmatiuè. *In locis citatis in Textu ad 1. lib. Phys. de materia, & de forma.*

K. Et quia generatio vnius est corruptio alterius, & è conuerso: hinc sequitur, quod necessariò inter ipsas debet dari ordo nempè primò intelligi debet formam, quæ generatur, exire per agentis actionem: secundò formam veterem, quæ per aduentum nouæ expellitur: & tertiò subiectum perficitur per informationem: Vnde priùs natura est generatio nouæ formæ, & posteriùs natura expulsio veteris, ad quam expulsionem forma noua coagit, seu concurrit cum agente, & ideò forma noua, & vetus opponuntur in genere formali. *Lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1. & Serm. 3. de Apostol. & lib. 4. dist. 17. part. 1. art. 2. quæst. 1. & lib. 1. dist. 14. quæst. vlt. ad 4. & lib. 3. dist. 31. art. 1. quæst. 1. ad 2.*

L. Generatio cùm alia sit substantialium formarum, quæ propriè est generatio, & alia accidentalium, dicendum est, quod prima fit in instanti: statim enim ac materia vltimò est disposita, generatur in illo vltimo instanti substantia: Secunda verò formarum accidentalium, & maximè habentium contrarium fit successiuè. *Lib. 4. dist. 11. part. 1. art. 1. quæst. 5. ad 4. & lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1. & aliis loc. cit. in Phys. lib. 3. tract. 1. quæst. 7.*

M. Quæritur, an id, quod corruptum est, possit idem numero reparari: Ad quod breuiter respondetur, quod loquendo de potentia naturali id est impossibile: & ratio est, quia cùm vnitas indiuidualis pendeat ab hoc influxu à tali agente, & ob id etiam ab hac numero actione, cùm iam præterita sit, & cesserit in nihil, agens naturale non potest eandem actionem reproducere, & per consequens nec idem numero: Deus verò, qui est independens à quacunque re creata, & cùm sit virtutis infinitæ, cùm effectus de se dicat indifferentiam ad quamcunque causam de se valentem ipsum producere: hinc ab agente infinito poterit reproduci, & eò maximè, quia cùm adsint inesse principia substantialia compositorum, poterit Deus ea denuò vnire, vt eueniet in Resurrectione mortuorum.

Et quoad præteritum distinguendum est de præterito sumpto secundùm propriam entitatem, vel secundùm rationem præteritionis: Primo modo dicendum Deum posse reproducere eandem rem præteritam: Secundo modo nequaquam: non enim potest facere, quod præteritum non fuerit præteritum: faceret enim de non ente non

non ens, sicque nihil. *Lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. *&* *lib.*1. *dist.* 41. *art.*1. *quæst.*3.

Notationes super Textum.

Primò Nota, quod, vt aliàs dictum est, in positione Textus non adamussim semper eadem verba S. Doct. à nobis sumpta sunt, sed habuimus respectum ad sensum ipsius, & secundùm eundem sensum conformia verba adaptauimus, & hoc maioris breuitatis gratia, quod & in aliis sequentibus practicabimus: sicut & idem Seraph. Doct. facit multoties in referendo aliorum opiniones.

Secvndò Nota, quod *in tract. de Anima* plura hîc de generatione omissa fusiùs tradentur, reliqua spectantia ad dictum Textum aperientur in sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit, quid sit, & quotuplex sit Generatio.

2. Vt pateat sensus tituli quæstionis, & vt fundamentaliter soluatur, primò explicandum est, quot modis sumatur generatio, vt meliùs possit definiri.

Generatio igitur multis modis potest sumi: est enim nomen æquiuocum: hinc primò latissimè dicitur generatio, provt est quid commune cuicunque productioni siue substantiali, siue accidentali, siue cum dependentia à subiecto, siue absque ipsa, siue ex aliquo, siue ex nihilo: & hæc ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 13. *dub.* 8. diuiditur in duodecim capita, quorum plura impropriissimè spectant ad generationem, vt in Textu dictum est: Secundò sumitur minùs latè, provt dicit productionem ex aliquo sibi similis in natura: & hoc potest esse tripliciter: Primo per impressionem suæ similitudinis in alio, vt generatur character à sigillo, lumen à corpore luminoso, species ab obiecto: quæ generatio licèt sit accidentalis, habet tamen secundùm Seraph. Doct. aliquid ampliùs, quàm cæteræ formæ accidentales, quæ educuntur de potentia subiecti, quarum productio est generatio accidentalis, & impropria. Illæ autem formæ, cùm producantur non per eductionem ex potentia subiecti, sed per meram productionem, & cùm sint similitudines suæ originis, spectant reductiuè ad idem prædicamentum, ac suum ipsarum principium. Sic *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *corp. in fine:* Secundo per eductionem speciei consimilis ab alio, sic generatur elementum ab elemento: Tertio modo consimilis de consimili, idest de seipso, & de sua substantia.

Aliam diuisionem assignat S. Bonauent. *in Serm.* 11. *Hexaëm.* diuidens generationem in eam, quæ est per diffusionem, & quæ est per expressionem, & quæ est per propagationem: Prima est verbi gratiâ, splendoris à luce, caloris ab igne:

Secunda

Digitized by Google

Secunda speciei ab obiecto, imaginis à sigillo, sermonis à loquente: hæ omnes sunt magis impropriè generationes: Tertia est per propagationem, & hæc est duplex, vel per eductionem formæ à subiecto ab alio, vt dictum est, sic ignis generat ignem: vel per productionem ex seipso, scilicet per communicationem suæ substantiæ, & hæc vel est increata, qua generans totum seipsum communicat genito, sic Pater seipsum totum communicat filio in Diuinis, vel est creata, qua generans partem sui impertitur genito. De increata agitur in Theologia; hîc verò tantùm est sermo de substantiali creata, prout est communis vtrique, scilicet vel ab alio, vel ex alio: Sicque sit

3. Prima Conclusio: dari generationem substantialem euidens est. Probatur ex duobus principiis Philosophiæ: Primum est, quia ex nihilo nihil fit viribus naturæ: Secundum est, quia dantur mutationes substantiales euidentes, ex quibus sic efformatur argumentum: dantur mutationes substantiales, vt de se patet, sed non sunt ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit, ergo per productionem differentem à creatione sed illæ sunt generationes, quæ sunt cum dependentia à subiecto, ergo.

4. Secunda Conclusio: Generatio ab Arist. *hîc cap.* 4. *t.* 23. Sic definitur: *mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem.* Explicatur, & simul probatur tali pacto: Dicitur (*mutatio*) loco generis, per quod conuenit cum alteratione, & augmentatione: Dicitur (*totius*) idest compositi, quæ particula debet sano modo intelligi: nam mutatio non denominat præcisè totum, sed tantùm subiectum, quod mutatur de vna forma ad aliam formam, sed quia ex hoc transitu compositum corrumpitur, quod simpliciter dicitur totum, & ex eadem materia fit aliud totum: hinc mutatio dicitur generatio, qua ex vno toto in materia fit transitus ad aliud totum ad differentiam alterationis: nam forma accidentalis cum subiecto non facit simpliciter vnum totum: Dicitur (*nullo sensibili remanente vt eodem subiecto*) vt denotetur nihil remanere accidentale, quod sit in illo toto, licèt possit remanere aliquid accidentale in parte, idest in materia, quod dicitur accidens posteà noui compositi: quod infrà fusiùs examinabitur, & explicabitur: Sed quia hæc definitio patitur multas, & graues difficultates; vt, verbi gratiâ, an essentialiter generatio sit mutatio, & quomodò verè possit dici mutatio: quod enim mutatur, remanet licèt sub diuersa forma, sed totum non remanet: & an in corruptione remaneat aliquid, quod erat in genito. Tum etiam quia generatio in Diuinis non est vera mutatio, & tamen verè est generatio. Hinc alia definitio aptior à DD. assignatur, & à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 9. *quæst.* 1. & *lib.* 3. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 3. & *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. tali pacto: *Generatio est productio substantiæ similis in natura:* quæ definitio est communis generationi creatæ, & increatæ: Generatio verò creata sic habet definiri: *Generatio est productio substantiæ cum mutatione subiecti:* Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. Dicitur (*productio*) loco generis: Dicitur (*substantiæ*) vt differat ab accidentali: Dicitur (*cum mutatione*) *seu dependentia à subiecto,* vt.

vt differat à creatione, & à generatione increata.

Dices: Si omnis generatio est productio similis in natura: ergo in quacunque generatione generans poterit dici Pater, & genitum dici Filius.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 13. & 31. *q.* 2. negando consequentiam: nam licèt adsit aliqualis similitudo in omni generatione, tamen ad rationem filij requiritur imago repræsentans genitum quoad potentiam cognitiuam, quod & explicabitur in libris de Anima.

5. Tertia Conclusio: Generatio, prout præscindit à creata, & increata, dicit tantùm productionem substantialem ex alio: creata verò vt talis dicit necessariò, & intrinsecè mutationem, obidque priuationem antecedentem: Illa quidem emanationem entis ab ente: Ista mutationem ex non ente in ens. Sic S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 9. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1.

Hæc conclusio tangit illam difficultatem celebrem, an necessariò generatio creata sit inter duos terminos positiuos, an solùm sufficiat, vt sit inter terminum priuatiuum, & positiuum, ita quod non esse debeat præcedere duratione ad esse nouum, quam licèt soluerimus *in Phys. in lib.* 1. & 2. *Phys.* sustinendo hanc secundam partem, vt videre est *ibid.* 182. *seq.* & 382. attamen quia hic est proprius locus, aliqua superaddenda sunt ad maiorem huius veritatis Confirmationem.

Probatvr igitur conclusio ex Seraph. Doct. quoad primam partem: Generatio in Diuinis est vera generatio; sed hæc est sine mutatione: ergo intrinsecè vt sic non dicit mutationem.

Probatvr Secunda pars: Generatio creata vt creata est actio: ergo est mutatio: omnis enim actio creata est in motu, & in subiecto, & ad terminum ex S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 9. *q.* 1. & *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 1. & *lib.* 3. *dist.* 11. *art.* 2. *q.* 2. *fund.* 2. & communi DD. Tum quia per id differt generatio à creatione, quòd creatio est ex nihilo absolutè, generatio non est ex nihilo absolutè, sed tantùm secundùm quid, idest ex subiecto, quatenùs mutatur de vno esse ad aliud esse: ergo. Tum quia, vt arguit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 9. *cit.* generatio increata, & creata per id differunt, quòd illa est tantùm relatio inter producens, & productum, & est communicatio essentiæ generantis secundùm totum: creata verò est secundùm partem tantùm: ergo ista necessariò est cum mutatione annexa. Tum quia, quod accipit esse de nouo in subiecto, etiam si priùs tempore non caruerit esse, verè mutatur in subiecto, quia transit de non esse sui in subiecto ad esse: ergo.

6. Obiicies primò: In Diuinis est generatio verè, & non adest mutatio: ergo generatio de se non est mutatio: Sed iam suprà responsum est, nempè generationem, prout dicit productionem puram, sic conceditur non dicere mutationem, sed prout est creata, negatur consequentia: nam generatio creata dicit productionem substantialem: Sed quia actio creata dependet à subiecto, hinc necessariò est mutatio. Tum quia, vt aliàs in Physica probatum est, creatura non habet vim productiuam immediatam substantiæ, sed tantùm vim tribuendi illi modum substantialem nouum.

Instat Meldul. *de gen. disput.* 5. *num.* 19.

num. 19. Dantur generationes creatæ absque eo, quod præcedat priuatio, obidque absque mutatione: sic enim in principio Mundi non præcessit priuatio formarum, anima rationalis in eodem instanti, ac formatur corpus, infunditur absque præcedentia priuationis: Item cùm ex speciebus Eucharistiæ generatur substantia, quæ omnes sunt veræ generationes absque mutatione: Ruuius *hîc quæst.* 2. ait, istas non esse veras generationes naturales, obidque instantiæ non vrgent: quod & aliqualiter etiam admittit Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4. Sed tamen directè

RESPONDETVR primæ instantiæ de productione formarum ex S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 12. *art.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. quòd verè materia per aliquod tempus præcessit productionem formarum, quia concreata fuit cum ipsa forma corporea imperfecta, & deinde eductæ fuerunt aliæ formæ completæ.

RESPONDETVR secundò ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 1. *cit. ad* 2. priuationem præcedere tempore in generationibus, quæ fiunt cursu naturali, at quæ extraordinario modo fiunt, sufficit, vt habeant priùs natura tantùm priuationem: Sic *ibidem ad* 1. *& in corp.*

INSTAT primò Meld. Priuatio debet mensurari saltem per instans temporis, aliàs non præcedit priuatio, sed tantùm potest dici, quod præcederet, si non fuisset impedita: ergo.

RESPONDETVR negando antecedens: duplex enim priuatio scilicet vel est ab vna forma ad aliam, & hæc præëxigit tempus: vel est transitus à non esse ipsius formæ ad esse eiusdem, & hic transitus potest fieri in vnico instanti temporis per duo instantia naturæ: Sic etiam Morandus *quæst.* 2. *num.* 3.

INSTAT secundò Meld. Quia si hoc est verum: ergo creatio erit generatio: quia forma in vnico instanti temporis transit à priuatione sui ad esse.

RESPONDETVR ex S. Bonau. negando consequentiam; non enim differunt creatio, & generatio per mutationem, sed quia creatio est à non esse puro, generatio est ab esse in potentia in subiecto, obidque quia & subiectum concurrit per modum principij materialis.

ADDIMVS tamen in talibus casibus non posse dici tales generationes plenè naturales, vt dictum est: Vnde præcedit in his priuatio incompleta.

7. QVARTA CONCLVSIO: Generatio viuentium est *origo, seu processus viuentis à viuente in similitudinem naturæ:* Dicitur (*origo*) ad explicandum concursum actiuum generantis, & per id excluditur formatio Euæ ex costa Adæ, aliarumque rerum, quæ fiunt per potentiam obedientialem, quia principium debet esse viuens, vt vitam influat in genitum: Dicitur (*in similitudinem naturæ*) idest intentam à generante, & per id excluditur nascentia ouorum diuersæ speciei in cubatione volucris, qui est tantùm causa dispositiua, causa autem generans est illa, quæ produxit oua, & si Deus produceret arborem, vt aliquando factum est miraculosè ex baculo arido, hæc actio non esset generatio viuentis propriè, quia esset ordinata non naturaliter, sed potiùs materialiter ad talem effectum: Sed de hac materia agetur fusè in libris de anima.

8. Ex

Digitized by Google

8. Ex quibus infertur, quiſnam ſit terminus proprius generationis ſubſtantialis, quia enim generatio eſt mutatio ratione eductionis formæ de potentia ſubiecti, & quia eſt actio, ideò terminat non præcisè ad ipſam formam vt ſic, niſi vt quo, ſed ad formam vt vnitam materiæ, ſeu ad compoſitum, ſeu ad naturam: Sed quia in creatis actio eſt circa ſingulare, & forma communis numeratur in ſuppoſitis, ideò in illis forma communis producitur, & corrumpitur. Hinc ſequitur, quod terminus ſecundùm intentionem naturæ eſt forma communis, ſeu ſubſtantia ſimilis in natura reſultans ex vnione materiæ, & formæ, licèt ex conſequenti poſteà ſit contracta, & ſingularis, vel ſuppoſitata. Sic S. Bonau. *lib. 1. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1.* & *lib. 2. diſt. 1. part. 1. art. 3. quæſt. 1.* & *lib. 3. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. in corp.* & *diſt. 5. art. 2. q. 2. ad vlt.* & *quæſt. 3. ad 6.* & *q. 5. in corp. & ad argum.* & *lib. 2. diſt. 7. part. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 4.* vbi ait, quòd propriè forma non generatur, ſed compoſitum: cùm enim producitur forma, non producitur in ſe, nec per ſe, ſed vt in materia, & ſic facit compoſitum, & ad illud terminatur generatio, ſed quia generatio reſpicit compoſitum gratia formæ, ideò forma ſe habet vt quo. Dicimus igitur terminum generationis vt quo eſſe non formam præcisè, ſed eſſe formam, prout recipitur in materia per vnionem: terminum verò vt quod, & totalem eſſe ipſum compoſitum.

PROBATVR autem, quia forma vt ſic non eſt ad aliud, ſed terminus formalis vt quo eſt ad aliud: At forma vt vnita materiæ eſt ad compoſitum: ergo eſt terminus formalis, vt quo: Subſumo, ſed compoſitum reſultans eſt id, quod intenditur à natura in generatione: ergo erit terminus totalis.

OBIICIES primò ex Ariſt. forma eſt finis generationis: ergo forma eſt, quæ intenditur in generatione vt quod.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. eſſe formam partis, & formam totius: Prima eſt finis quo: Secunda finis qui.

OBIICIES ſecundò: Id, quod verè, & totaliter attingitur ab actione generatiua, eſt terminus vt quod, ſed res vt ſubſiſtens eſt huiuſmodi, cùm ſit id, quod totaliter complet compoſitum, & hæc eſt ſubſiſtentia: ergo.

RESPONDETVR negando Minorem: licèt enim ſubſiſtentia vltimatè reſultet, tamen illa non eſt per ſe terminus generationis intentus à natura, ſed eſt ipſa forma totius vt exiſtens, quæ intelligitur vltimatè completa per indiuidualitatem, & ſuppoſitalitatem, tanquam conſequentem ſecundùm curſum naturalem.

9. OBIICIES tertiò: Forma educitur per eandem actionem, ac vnitur materiæ, & ſit compoſitum: ergo & iſti termini ſunt vnum, & idem, vnicæ enim actionis eſt vnus terminus.

RESPONDET P. Baudunius hîc *ſect. 2.* cum aliis Thomiſtis concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ſic etiam Morandus, idem enim terminus ſecundùm vnum modum poteſt eſſe formalis vt quo, & totalis vt quod ſecundùm alium modum.

NOS reſpondemus ex S. Bonau. negando Antecedens: nam, vt ait

Digitized by Google

lib. 4. *dist.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. eductio præcedit vnionem actionem, & vnionem passionem, quæ ordinantur ad totalem terminum: hinc negatur consequentia.

INSTANT: Vbi vnum est propter alterum, ibi est vnum tantùm: ergo nulla responsio.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad* 5. & *quæst.* 5. *in corp.* & *distinct.* 21. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* & *ad* 3. & *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 3. & 4. quòd aliud est dicere vnum per alterum; aliud est propter alterum: primo modo duo distincta ponuntur, vt est in casu nostro, & si intelligeretur etiam secundo modo, id tamen non officeret nostræ conclusioni, quia verificatur illud axioma in rebus eiusdem generis simul coordinatis, vt sunt gradus metaphysici, non verò in entibus habentibus inter se distinctionem, & diuersitatem, vt est in casu nostro.

QVÆSTIO II.

Quid sit Corruptio, & qualis.

10. ADVERTENDVM est, quod corruptio potest sumi primò latissimè pro quacunque desitione esse rei, sicque est quid commune annihilationi, & corruptioni naturali: Secundò propriè, & strictè pro corruptione substantiali, quæ est mutatio, in qua destruitur forma, & remanet subiectum, & de hac procedit quæstio: nempè quid sit, & an sit naturalis, an violenta.

RESPONDETVR primæ parti tituli quæstionis, Corruptionem esse desitionem totius remanente subiecto: A Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.* meliùs definitur, *mutatio ab ente simpliciter, seu in actu in ens potentia, siue secundùm quid:* Dicitur (*mutatio*) loco generis: Dicitur *(ab ente in actu in ens potentia)* vt distinguatur à generatione, & annihilatione: nam generatio est mutatio in ens simpliciter: & annihilatio est in non ens simpliciter: corruptio verò est in ens in potentia, quia remanet subiectum, in cuius potentia adest forma corrupta, per id etiam discernitur à conuersione, vt quando vna forma transit per conuersionem in aliam, vt in conuersione substantiæ in Corpus Christi. Sic *lib.* 4. *distinct.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. hæc enim est transitio, non corruptio formaliter: Sed quia in corruptione adest & mutatio formæ, seu subiecti, & adest etiam actio: hinc Seraph. Doct. tradit etiam aliam definitionem *lib.* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. Corruptio *est actio cum defectu, scilicet destructiua formæ.*

Quoad secundam partem tituli quæstionis.

11. RESPONDETVR secundò, quòd si naturale sumitur, provt opponitur supernaturali, corruptio est naturalis, & viribus naturæ facta: Si naturale sumitur pro eo, quod competit rei ex suis principiis defectiuis, sic est naturalis: quia enim res sunt ex nihilo, ideò naturaliter ipsis competit variatio, corruptio, & annihilatio, idque secundùm maiorem, vel minorem perfectionem rerum: Et hoc pacto Adam in statu innocentiæ erat mortalis. Sic S.Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5. & *lib.* 2. *dist.* 7.

Digitized by Google

dist. 7. part. 1. art. 2. quaest. 1. ad 1. & *lib. 2. dist. 19. art. 2. & 3.* Si verò sumitur, provt natura dicit inclinationem ad aliquid, quia hæc inclinatio est ad bonum sibi conueniens: hinc corruptio non est naturalis, sed contranaturalis, & violenta.

Dices: Natura appetit nouam, & nouam formam, sed id non potest esse sine corruptione antecedentis: ergo appetit corruptionem.

Respondetvr concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, quia non appetit corruptionem, sed id est ex consequenti, & per accidens, nec per se intentum à natura.

12. Qværes, an generatio, & corruptio sint vnica mutatio, an plures.

Respondetvr ex Seraph. Doct. quod corruptio potest sumi, vt est mutatio, & vt est actio: Primo modo differt à generatione: mutationes enim (ait *lib. 1. dist. 13. art. 1. quaest. 3. ad 3.*) differunt penes terminos, ad quos sunt: Generatio autem est ab ente secundùm quid ad ens simpliciter: corruptio est ab ente simpliciter ad ens secundùm quid, scilicet in potentia: Provt verò est actio, sunt vnum, & idem realiter, differunt tamen formaliter, corruptio enim est eadem actio, quatenùs est corruptiua, ac generatio, quatenùs productiua, scilicet continuatur à contrario in contrarium, & ab vna forma destructa ad aliam productam: Vnde ratione terminorum eadem actio habet diuersas formalitates. Quod verò sint vnum, & idem realiter, patet, quia, vt dicit Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 12. part. 1. art. 3. quaest. 2. ad 2.* omnis actio terminatur ad aliquid, non ad non ens: ergo actio destructiua, cùm vt talis habeat pro termino non ens vt sic, non est actio distincta à generatione, quæ habet pro termino aliquid scilicet genitum.

Obicies cum Zabar. Fab. Aliisque: Actiones diuersificantur penes terminos; sed corruptio, & generatio habent diuersos terminos: ergo.

Respondetvr concedendo Maior. quando sunt capaces terminorum, sed corruptio vt actio non est capax termini, sed tantùm negationis termini: igitur licèt habeat diuersam formalitatem, non tamen diuersa est entitas à generatione.

QVÆSTIO III.

An in Corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam.

13. Sensvs quæstionis est, an dum corrumpitur compositum substantiale, omnes formæ tam substantiales, quàm accidentales ita corrumpantur, vt remaneat materia nuda, ita quòd dum induitur noua forma, nihil adsit in ipsa, seu in composito, quod erat priùs in corrupto.

Prima opinio est D. Thomæ, & sequacium sustinentium fieri resolutionem vsque ad materiam primam, & nudam: Ad hanc pertrahitur, licèt inuitus S. Doct. ab ipsis Thomistis, & quod mirum est, ab ipsis Bonauenturistis P. Gallicio *hic quaest.* 1. P. Baudunio *hic disp.* 1. *sect.* 6. quod tamen est alienissimum à Seraphica mente, vt mox patebit.

SECVNDA opinio est Scoti, & his temporibus communior tuentium partem oppositam: In qua sententia est Seraph. Doct. sed diuersimodè, & ex diuersis principiis: Nam Scotus tantùm admittit hanc permanentiam accidentium in subiectis formatum viuentium ratione formæ corporeitatis, quæ permanent discedente anima, non verò in non viuentibus: At Seraph. Doct. vniuersaliter id admittit: Pro solutione

14. PRIMÒ Notandum, & supponendum ea, quæ *in lib. 1. Phys.* tradita fuere de quantitate interminata, & forma corporeitatis, vbi ex Seraph. Doct. probauimus, quòd tam quantitas interminata, quàm forma corporeitatis fuerunt coëuæ cum materia, & in materia vel concreatæ, vel congenitæ, & ab ea inseparabiles: hinc enim ottum habet, ait Seraph. Doct. quòd materia, quæ in principio mundi fuit affecta corporeitate, nunquam ipsa exuta fuit, nec est agens naturale valens ipsam priuare, & è conuerso idem dicendum est de materia affecta forma spirituali, quæ omnia fusè, & authoritatibus pluribus Seraph. Doct. probata fuere à nobis *in lib. 1. tract. 2. quæst. 11.* & *tract. 4. quæst. 3.* Item & *in libris de Cœlo tract. 2. quæst. 3. à num.844.* Ex quibus sequitur, quòd cùm subiectum quantitatis immediatum sit materia simul cum forma corporeitatis, sed principaliùs, & immediatiùs materia, quantitas enim se tenet ex parte materiæ, quæ cùm sit incompleta, completur posteà per aduentum formarum complentium: hincque secundùm illud esse imperfectum dicitur esse in materia, sed secundùm esse completum in toto composito, quod afficit, & ob id nunquàm deueniri potest in corruptione ad materiam nudam.

15. SECVNDÒ Notandum, quod accidens corrumpi potest multis de causis, nempè vel per destructionem subiecti, vel ob inductionem contrarij, vel ex defectu conseruantis. Sic Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 1. part. 2. art. 3. quæst. 3. fund. 2.* & *lib. 2. dist. 26. art. 1. quæst. 4.* Primo modo corrumpitur calor ad destructionem ignis, febris ad mortem febricitantis: Secundo modo calor à frigore adueniente: Tertio modo lumen à remotione corporis luminosi: Subdit Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 31. art. 3. quæst. 1.* quòd quædam sunt dispositiones, & accidentia antecedentia in subiecto, quæ non solùm non sunt opposita formæ de nouo aduenienti: immò sunt conformia ex hoc, quòd forma de nouo adueniens est eiusdem rationis, vel etiam actuosior, & virtuosior in conseruatione illorum accidentium, in quo casu sequitur, quod si remanet inesse idem subiectum radicale, poterunt remanere eadem accidentia, quæ erant in corrupto, ex hoc quod ipsis non aduenit contrarium destruens, nec deficit causa conseruans tum materialis, tum formalis, tum effectiua, nempè noua forma, cui conformia sunt, quod & manifestè docet S. Doct. *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 1. quæst. 3. fund. 3.* licèt P. Gallicius conetur trahere S. Doct. ad oppositum sensum, sed malè (quodque dictum sit pace, & reuerentia debita tanto viro) fundat enim suum assertum in hoc textu Seraphico, quandocunque in aliqua mutatione saluatur accidens secundùm esse, quod habet in subiecto, necesse est, quòd sit conueniens ei, quod mutatur, & in quod mutatur,

Digitized by Google

tur, vt si de aëre fiat ignis, manet calidum: P. Gallicius rectè notat in hoc textu irrepsisse errorem in illo termino, *inconueniens*, debet enim legi conueniens, qui textus est conformis & cæteris à P. Gallicio allatis pro opposita sententia, qui omnes sunt indicantes accidentia non subiectari in materia nuda, sed prout est cum forma: Ex quibus infert corrumpi omnia accidentia, sed non bona est illatio, vt suprà diximus; quia Seraph. Doct. recognoscit in materia formam corpoream, & formam lucis substantialem, & quantitatem interminatam coëuas materiæ, vt patet in locis proximè citatis, &c. & ideò omnes textus Seraph. Doct. sunt vniformissimi nostræ assertioni: Affert P. Gallicius alium textum *ex lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 2. quæst. 3. ad 1.* vbi dicit S. Doct. hoc est supra naturam nempè eandem quantitatem remanere sublatâ substantia per consecrationem, in qua priùs erat, quia hoc est proprium solius substantiæ, ex quo infert, si ergo remanet idem accidens per miraculum, sequitur, quod naturaliter non remanet: Quæ illatio rectè ponderanti textum, & sensum Seraph. Doct. non est rectè facta: nam ibi docet per miraculum fieri, quòd quantitas eadem remaneat subiectum aliorum accidentium, cùm hoc sit officium solius substantiæ: Immò ex hoc textu apparet sensus Seraph. Doct. admittentis idem accidens posse esse in eodem subiecto, vt dictum est, licèt sine miraculo non possit esse immutatum idest per transitum in alteram substantiam.

16. Tertiò Notandum, quòd præcipuum fundamentum Aduersariorum negantium idem accidens posse esse in vtroque subiecto & corrupto, & genito, innititur sequenti axiomati Philosophico: Accidens non potest naturaliter transmigrare de subiecto in subiectum, quod & habet S. Doct. *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 1. quæst. 3. in corp.* hinc inferunt, quòd tale axioma redderetur falsum, si idem accidens posset esse modò in vno subiecto, modò in altero: Ad quod respondent Scotistæ verum esse axioma de subiecto inhæsionis, non de subiecto denominationis: quæ doctrina tamen habet altiores radices, quàm ad oculum apparent, & ideò à Seraph. Doct. acutissimè enucleatur: Notat autem S. Doct. quòd hoc axioma verificatur tantùm de illis accidentibus, quæ habent idem pro subiecto inhæsionis, & pro causa, verbi gratiâ, albedo educta ex hoc pariete impossibile est naturaliter, quod transeat de subiecto in subiectum: At non est verum de illis accidentibus, quæ habent aliud pro subiecto, aliud pro causa, vt patet in lumine diffuso per aërem: mouetur, & mutatur aër, & remanet immotum idem lumen: sic & species intentionales diffusæ per medium. Sic S. Doct. *lib. 2. dist. 26. art. 1. quæst. 3. & 4. ad 2.* & *dist. 13. art. 3. quæst. 2.* modò accidentia, quæ insunt in composito, sunt in duplici discrimine: alia enim insunt ei vt subiecto, & vt causæ, competuntque ipsi, vt tale est, verbi gratiâ, albedo, & alia accidentia sensibilia: alia sunt, quæ ipsi competunt vt subiecto tantùm, non vt causæ proximæ, sed competunt ei, quatenùs insunt; & competunt subiecto primo scilicet materiei corporeæ, scilicet vt affectæ forma corporeitatis substantiali, & quantitatiua: Hinc S. Doct.

Doct. hanc doctrinam ad rem tradit *lib.* 1. *dist.* 26. *dub.* 5. & *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *fund.* 3. dicens; dum aër fit ignis, remanet calidum, & idem replicat *lib.* 4. *dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. dicens, quòd sunt quædam accidentia, quæ insunt in composito ratione materiæ: alia ratione formæ: alia ratione coniuncti: Addo ex eodem & alia ratione variarum formarum in composito existentium, & *lib.* 4. *dist.* 43. *q.* 5. *in fine* docet in pulueribus corporis humani redactis in Elementum inesse quandam qualitatem, quæ erat in corpore, dum erat viuum, ordinantem eas ad suam animam: & *lib.* 2. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* ait tempus intrinsecum oriri à materia, vt tendente ad formam: ergo aliqua accidentia transeunt de subiecto in subiectum: Et ratio est (ait ipse *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 2.) quia omnimodè tale accidens non dependet à composito, à quo ortum non habet, sed à primo suo subiecto, scilicet ab illa materia, (vt dictum est) & in hoc sensu verificari potest distinctio Scotistica accidens non posse variare subiectum inhæsionis, sed benè subiectum denominationis: quam distinctionem tradidit etiam priùs Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* vbi dicit, quod beatitudo est in aliquo vt in subiecto primo per inhærentiam, & sic est in anima, & in aliquo sicut in coniuncto per quandam redundantiam: Idemque & diximus *in Phys. loc. cit.* de accidentibus, quæ prouentunt ex materia cum tali, vel tali forma, quæ competunt etiam toti coniuncto per redundantiam, & vnionem, sic est quantitas, &c. His positis

17. **Vnica Conclusio**: In Corruptione non fit de facto, immò nec posset fieri naturaliter resolutio vsque ad materiam primam; sed remanent & formæ, & plura accidentia in de nouo genito, quæ erant in corrupto, antequàm corrumperentur. Est Seraph. Doct. vt suprà probatum est, qui vult remanere in materia formas substantiales corporis, & lucis, & quantitatem interminatam, & consequenter etiam aliqua alia accidentia, Auerroist. Achilin. Picolom. Nomin. Contar. pluriumque aliorum apud Meldul. *disput.* 5. *num.* 77. ex parte etiam est Scoti, & plurium scilicet in viuentibus non verò in cæteris, in quibus admittunt resolutionem vsque ad materiam primam, & in hac parte dissentiunt à Seraph. Doct. vniuersaliter id negante in quacunque generatione, & corruptione: Sed P. Mastrius *cit.* hîc aduertit, Arriagam inuehere contra hanc opinionem Scoti, & Scotist. dicendo ipsam esse sine solido fundamento: obidque obsoletam in scholis Hispaniæ, Germaniæ, & Italiæ exceptis aliquibus paucis, nec vllum ferè in schola Iesuitarum ipsam tenere exceptis PP. Dandino, & Coninch. contra quem rectè dictus P. Mastrius notat verè Arriagam, aliosque recentiores Societatis deficere non solùm in re, sed etiam in modo: Videaturque cit. Meldul. dignus sanè, vt legatur.

18. **Probatvr** igitur primò opinio Scoti, & S. Bonauent. quoad viuentia authoritatibus pluribus Arist. allatis à Zabarella *de Gener. & Interitu cap.* 2. à Contareno, Raguf. Picolom. aliisque interpretibus Peripatheticis, & hanc esse mentem expressam ipsius probant dicti Authores,

res, vt videre est apud citat. Mast. quas breuitatis causa omitto: sum enim totus in adstruendo sensum S. Doct.

Probatvr secundò omnibus rationibus allatis *in Physic. libro 1. tract. 4. quæst. 3.* desumptis tum ex mysterio Eucharistiæ, in qua vi verborum terminus conuersionis est Corpus, non anima, & ideò si in triduo mortis Christi consecrata fuisset hostia, ibi tantùm corpus idem fuisset absque anima: ergo corpus dicit aliud præter animam: ergo datur aliquid in genito, quod erat in corrupto, tum ex accidentibus sensibilibus, quæ apparent in cadauere post separationem animæ, vt sunt vulnera, figura, quantitas, & plura alia accidentia.

Nec valet dicere esse tantùm apparenter eadem numero, verè autem tantùm esse idem specie, diuersa numero, non valet, quia non potest afferri causa tam citò ipsa producens, nisi fiat recursus ad causam vniuersalem, scilicet ad Deum absque fundamento tamen, & contra rationem Philosophi, qui recurrere debet ad causas speciales, natura enim non deficit in necessariis. Sed vide Meldul. *citat.* qui fusè contra Arriag. & alios probat hanc veritatem, notatque varietatem responsionum, vt euitent hanc insolubilem difficultatem esse signum falsitatis opinionis Aduersariorum.

Probatvr tertiò in sententia Seraphica vniuersaliter de omni generatione, & corruptione, & quoad non viuentia contra Thomistas, & Scotistas apud Mastrium, quia hæc est expressa sententia Arist. vt pluribus probant citati Authores Interpretes Arist. vt videre est apud Conimbricenses, Zabarellam, &c. Tum quia rationes desumptæ ex sensibilitate accidentium in viuentibus corruptis æquè militant in cæteris compositis, patet enim ad sensum in corruptione remanere eundem calorem, frigus, quantitatem, & alias qualitates.

Respondet Mastrius *cit. num.* 94. negando paritatem, quia in corruptione animatorum tota collectio accidentium, quæ erant in viuente, sensibiliter remanet in exanimi, quod non apparet in non viuentibus, in quibus mutatur perspicuitas, calor, & similia. Quæ responsio quidem est sine fundamento: nam primò falsum est totam collectionem accidentium remanere in corrupto viuente; vt patet ad sensum de colore, de calore, & pluribus aliis. Tum quia hoc dato, hinc tamen non infertur non posse aliqua remanere in non viuente. Probatur, quia si remanent in viuente facto exanimi, & corrupto, id est, quia in corrupto non adsunt dispositiones in illa forma organizationis contrariæ illis accidentibus: at eadem ratio currit in non viuentibus, vt dicit S.Bonau. *lib.4.dist.12.cit.* vt si de aëre fiat ignis, & de aqua aër, remanent calor, & humiditas ob easdem rationes.

Probatvr quartò, quia si dispositiones ante instans generationis nouæ formæ corrumperentur, id esset, vel quia forma adueniens est illis contraria, & ob id ipsas destruit, vel materia remanebit in illo instanti nuda dispositionibus, sicque indeterminata, & indifferens ad quamcunque formam: Sed neutrum potest dici: ergo.

Probatvr Minor, quia multoties forma adueniens, eiusque dispositiones

tiones non sunt contrariæ : immò conformes, vt patet in symboleitate elementorum : immò multoties forma adueniens habet maiorem vim conseruatiuam ipsarum, ac forma desinens : non enim est semper necesse, vt causa producens accidentia ipsa conseruet : vt patet in igne, in sole, in lumine, &c. Tum etiam quia potest dari in illo instanti, quod ignis, verbi gratiâ, adueniens relictis in materia dispositionibus suis desinat, vt aduenit in virtute seminis relicta à generante, qui multoties moritur ante generationem filij. Tum etiam quia materia non potest remanere nuda : ergo, &c.

Probatvr tandem ex traditis in Physica, quia forma corporeitatis, & quantitas interminata cum suis dispositionibus sunt materiæ coëuæ, & ab ea inseparabiles ex Seraph. Doct. & aliis DD. de quo videantur, quæ tradita sunt in quæstione citat.

Obiicies primò ex Arist. *cap. de subst.* corruptis primis substantiis nihil remanet : ergo, & hoc est præcipuum fundamentum, quod ex Seraph. Doct. conantur afferre PP. Gallicius, & Baudunus ad trahendum Seraph. Doct. ad opinionem Thomistarum, sed verè debile; nam ex traditis ex S. Doct. *in Notab.* 2. & 3.

19. Respondetvr, quod accidentia, quæ respiciunt primam substantiam nempè compositum, & suppositum, verè destruuntur ad destructionem ipsius, cùm ab ipso dependeant, & ad ipsum spectent tanquam ad subiectum, & causam ipsorum: Non verò destruuntur ea, quæ ab ipso originaliter non dependent, sed respiciunt aliam causam originalem nempè primum subiectum, scilicet materiam, & formam corporeitatis, vel mixtionis, vel organizationis, quæ aliud pro causa habent, aliud pro subiecto saltem totali, & denominato, cùm redundent, & afficiant etiam ipsum compositum : Videatur S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 26. *dub.* 5. *aliisque loc. cit. suprà.*

Instant ex Aristot. priorem esse substantiam accidentibus, & in corruptione nihil sensibile remanere, & materiam recipere priùs formas substantiales, quàm accidentales. Sic 7. *Met. t.* 8 & 1. *de gener. t.* 24. Et P. Gallicius affert textus Seraph. Doct. plures, in quibus docet materiam de se non esse subiectum accidentium, sed simul cum forma : idque præcipuè *lib.* 4. *dist.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.*

Respondetvr ex doctrina suprà traditâ esse verum totum de accidentibus, quæ respiciunt coniunctum, tum etiam quia cùm accidentia, quæ subiectantur in materia, afficiant totum compositum, ipsumque denominent, sic quoad hanc partem, & officium, seu vltimatam terminationem desinunt: vnde nihil concludunt contra nos. Et ad id de Seraph. Doct. iam suprà ablata est hæc difficultas : nam verum est materiam nudam non esse subiectum accidentium, sed simul cum forma illa coporeitatis, cum hoc tamen stat, quod aliqua respiciunt materiam immediatè, vt quantitas interminata existens in materia, simulque forma, & alia respiciunt formam. Et in hoc sensu verificatur dictum Arist. priorem esse generationem substantiæ, quàm accidentium, qua doctrina satisfit omnibus, & variis Authoritatibus desumptis, tum ex Arist. tum ex Seraph. Doct.

Hic non subiiciuntur obiectiones desumptæ à ratione, quia Aduersarij

Digitized by Google

rij in hac ſecunda parte arguunt ab Authoritate vt plurimùm: ſic Meldul.

QVÆSTIO IV.

An generatio vnius ſit corruptio alterius; & è contra: Vbi de earum connexione, & ordine ſecundùm prius, & poſterius.

20. MELDVL. *diſp. 5. de gen. q. 4.* notat triplicem quæſtionem poſſe fieri ſuper hanc propoſitionem: Primò de ſenſu formali, & identico: Secundò de ſenſu concomitante: Tertiò cauſali. Et quoad primum ſenſum: Reſpondetur ex traditis, quod ſi generatio, & corruptio ſumantur vt mutationes, certum eſſe diuerſas: Si in ratione actionis, ſic ſunt vnum, & idem realiter: non enim ſunt diuerſæ actiones. Quoad ſecundum ſenſum ſcilicet concomitantiam, & connexionem iſtarum duarum mutationum: Reſpondetur eſſe connexas in generationibus, quæ fiunt modo naturali, & ſunt completæ: idque infertur tum ex incompoſſibilitate formarum in eodem ſubiecto, tum quia agentia naturalia cùm intendant producere varias ſubſtantias, vt conſeruetur hic mundus ſublunaris (ait Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 3. part. 2. art. 1. q. 1. in argum.*) neceſſariò ex conſequenti licèt per accidens intendant corruptionem alterius.

DICES: Dantur corruptiones abſque noua generatione, & generationes abſque corruptione: ergo falſa Concluſio. Probatur antecedens, quia dum moritur homo, remanet corpus, quod prius erat, & in principio mundi generatæ fuerunt plures res abſque corruptione illius formæ corporeitatis, quæ inerat in materia, tum & in generatione viuentis forma corporeitatis antecedens non corrumpitur: ergo.

HVIC obiectioni varij variè reſpondent: ſed meliùs Meldul. dicens hanc propoſitionem ſemper eſſe veram vel mediatè, vel immediatè, & in viuentibus licèt forma corporeitatis diſcedente anima non ſtatim corrumpitur, tamen paulatim reſoluitur. Trombeta reſpondet illam propoſitionem eſſe veram de generatione, & corruptione completa, non de incompleta ſemper: vnde ſi remanet ad diſceſſum animæ corpus, illa non eſt corruptio completa, cùm forma corporeitatis remanens ſit de eſſentiali ratione hominis. Et ad illud de rebus productis in principio mundi reſpondetur non fuiſſe factas curſu naturali, ſecundùm quem tantùm verificatur illa propoſitio, nempè ſecundùm actionem paſſiuam agentis naturalis, &c. Raguſæus reſpondet id dixiſſe Ariſtot. vt oſtenderet materiam non poſſe vnquam eſſe ſine forma: Vnde generatio ſubſequens eſt neceſſaria, quotieſcunque imminet periculum, ne materia maneat ſine forma, quando verò non adeſt hoc periculum, non eſt neceſſaria generatio noua, vt euenit in caſu propoſito de interitu animalis, quæ cùm ſint vera; Attamen clariùs reſpondetur ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 9. quæſt. 1.* quòd hæc propoſitio potiſſimè eſt vera in omni generatione perfecta creata: nam ſemper fit cum deciſione, mutatione, & corruptione antecedente partis deciſæ à generatione:

Digitized by Google

Et hæc quoad primum, & secundum sensum.

21. Difficvltas maior est circa tertium: nempè quo ordine procedant generatio, & corruptio, an scilicet prior saltem natura sit generatio, & introductio nouæ formæ, quàm corruptio veteris, ita quod expellatur vetus forma, quia introducitur noua, an è conuerso: ideò generatur noua, quia expellitur vetus: In primo sensu generatio est causa corruptionis: In secundo sensu è contra. Hanc quæstionem sub aliis terminis proponit Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. loquens de iustificatione peccatoris tali pacto: An gratiæ infusio necessariò præcedat peccati expulsionem, qua occasione tractat etiam de mutationibus naturalibus.

Prima opinio est Fabri *Theor.* 40. *& de Pœnit. disp.* 17. *cap.* 3. Aresij *de gener. lib.* 1. *quæst.* 22. Item est & opinio Rubionis, aliorumque absolutè sustinentium semper expulsionem veteris formæ præcedere introductionem nouæ: (Hîc autem est Sermo de prioritate naturæ, non temporis) ideò verificatur hæc propositio: Noua forma accedit, quia vetus, & prior recedit: sicque corruptio est ratio generationis.

Secvnda opinio est Suarez *in Metaph. disput.* 27. *sect.* 11. *num.* 21. Hurtad. *disp.* 1. *de Gen. sect.* 9. Auers. *quæst.* 10. *sect.* 5. & *quæst.* 37. *sect.* 7. Arriag. *Phys. disput.* 8. *sect.* 1. & Thomist. communiter. Ruu. *lib.* 1. *de Gen. quæst.* 5. cum Complut. *disputat.* 3. *de gen. quæst.* 5. cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 8. qui distinguunt de diuerso genere causarum: nam in genere causæ efficientis, finalis, & formalis volunt generationem nouæ formæ præcedere expulsionem veteris, in genere causæ materialis volunt consequi, & esse posterius: Hanc inter Scotistas sequuntur aliqui.

Tertia opinio concedit absolutè generationem esse priorem in quocunque genere. Sic Meldul. *disputat.* 5.

S. Doct. sustinet hanc vltimam opinionem, sed cum limitatione mox addenda: Pro solutione quæstionis

22. Primò Notandum ex traditis generationem, & corruptionem esse duas mutationes diuersas, cùm habeant diuersos terminos, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. corruptio enim est ab esse ad non esse, & generatio à non esse ad esse, seu, vt loquitur Seraph. Doct. ab esse simpliciter, & in actu ad esse secundùm quid, & ab esse secundùm quid, seu in potentia ad esse simpliciter, quæ licèt sint diuersæ, tamen vnica actione fiunt ab agente, in qua terminus à quo est corruptio, & ad quem est generatio.

Secvndò Notandum ex aliàs traditis ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 11. *part.* 1. *articul.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4. & *distinct.* 17. *cit.* quòd licèt non possint dari duo instantia immediata in continuo: dantur tamen in contiguis mutationibus, quæ ambo sunt instantia temporis intrinseci, & respondent vnico instanti temporis communis, & extrinseci, quod fusè probatum est *in lib.* 3. *Phys. tract.* 1. *quæst.* 7.

23. Tertiò Notandum ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 17. *cit.* quod forma, quæ de nouo generatur ab agente, & quæ habet incompossi

compossibilitatem cum antiqua, quæ ob id à subiecto corrumpenda, & expellenda est, habet triplicem comparationem: Primò ad principium, à quo exit: nempè & ab agente educente illam, & à subiecto, ex quo educitur: Secundò ad formam oppositam, quam expellit: Tertiò ad subiectum, quod habet perficere informando, quæ tria munera procedunt eodem ordine in essendo, & existendo formæ generatæ, generans enim generando agere debet, & ob id primò intelligitur agere, idest educere formam, & hinc primò intelligitur forma noua oriti, & recipere esse (ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. *in corp. in fine*, & *lib.* 1. *distinct.* 26. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fine corp.* & *dist.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.*) & quia forma educitur, vt subiectum informet, & informando compleat, simulque generetur compositum, cùm sint incompossibiles duæ formæ disparatæ: hinc primò debet expurgari subiectum forma antiqua: sicque secundariò intelligitur forma prior expelli, & tertiò subiectum perfici, & ratio licèt videatur euidens ex traditis, tamen potest desumi ex ratione mutationis secundùm suam entitatem intrinsecam sumptæ, quæ exigit terminum à quo, & ad quem, terminus à quo est ipsius formæ eductio, & ortus, supposita tamen priuatione ipsius formæ transeuntis à non esse ad esse: terminus ad quem non vltimatus est expulsio formæ prioris, quæ etiam potest dici terminus à quo extrinsecus, & vltimatus est completio subiecti.

24. QVARTÒ Notandum, quod hæc expulsio formæ antiquæ exigit causam expellentem: hæc autem in genere causæ efficientis est ipsum generans introducens dispositiones contrarias, in genere causæ formalis est ipsa forma noua, quæ coagendo cum efficiente formaliter expellit priorem formam, qui concursus formæ licèt non sit rigorosè actio in genere efficientis, tamen est consimilis, concurrit enim vt principium intrinsecum ad productionem compositi. Et si quæras, quænam est differentia inter expulsionem factam ab agente, & factam à forma noua? Respondeo illam propriè esse per causalitatem extrinsecam, & ob id per productionem effectus extrinseci: at causalitas formæ est per exhibitionem sui in subiecto, vt ipsum informet: sicque ratione consistentiæ eiusdem formæ in subiecto incompossibilis fit existentia alterius formæ, & ob id expellitur etiam à forma noua ad modum virtutis prouenientis ab existentia, & consistentia eiusdem formæ nouæ in subiecto. Hinc patet hanc expulsionem non fieri per aliquem contactum, vel concursum physicum, vel influxum, quem exerceat noua forma in priorem, vt cùm clauus clauum trudit, & vnus miles pugnat cum altero: Sed consistit in hoc, quod productis ab agente dispositionibus contrariis in subiecto, & educendo in vltimo ipsarum instanti formam ex subiecto in ipsum subiectum eam generando in eodem instanti temporis, cùm sit altera incompossibilis, statim expellitur. Et hinc Seraph. Doct. semper appellat hanc oppositionem formalem, & expulsionem in genere causæ formalis *lib.* 1. *dist.* 14. *quæst. vltim. ad* 4. & *lib.* 3. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. & *ad rem lib.* 4. *dist.* 17. *citat. ad vlt.*

& *alibi sæpè.* Addit Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 11. & 17. *citat.* quòd cùm in hoc processu ordinatè facto interueniant duæ mutationes: nempè generatio formæ nouæ, & corruptio veteris, non est credendum ambas fieri in vnico instanti, cùm enim sint diuersæ mutationes licèt instantaneæ: obidque habent quælibet propriam mensuram, sequitur, quòd eductio formæ nouæ habeat suum instans intrinsecum, in quo exit in esse, & in quo est idem fieri, & factum esse, & expulsio, siue corruptio prioris habeat & suum instans intrinsecum, in quo desinit: Quæ duo instantia temporis intrinseci sunt immediata, ita quòd ex parte expulsionis intelligitur etiam simul informatio, & completio subiecti, vel forsan vt facta in alio instanti intrinseco, quæ omnia tamen respondent vnico instanti temporis communis, & per ordinem ad hoc instans extrinsecum verificatur dictum commune, quod primum esse formæ nouæ est primum non esse antiquæ: nempè admittitur tantùm secundùm modum loquendi, & per accidens, non verò propriè, cùm formæ antiquæ desitio sit realis, obidque separari nequit à propria mensura intrinseca, est enim mutatio à positiuo ad positiuum, quæ cùm sit instantanea, debet recedere à termino ad quem in eodem instanti, obidque per primum esse nouæ, & vltimum esse antiquæ: dicitur autem etiam à Seraph. Doct. desinere, quando non est, quia habet respectum ad id, quod sequitur ad recessum, scilicet ad esse negatiuum, quod resultat, quæ omnia dicta sunt suprà *in Phys. lib.* 3. *q. cit.* qua egregia, & verissima doctrina enodantur maximæ difficultates, in quas ferè inextricabiliter incidunt alij, & maximè tenentes nobiscum formas substantiales incipere, & desinere intrinsecè, vt Serbellon. *Phys. disp.* 3. *quæst.* 1. *art.* 9. *num.* 113. & *seq.* verbi gratiâ, quomodò possit esse in eodem instanti desitio panis in hostia, & positio Corporis Christi; desitio peccati, & positio gratiæ, desitio vnius formæ, & positio alterius absque recursu ad terminos extrinsecos in instantaneitate, &c. De quibus aliàs egimus *loc. cit.* & alibi redibit sermo: His prænotatis, quæ inseruire debent pro solutione plurium aliarum quæstionum.

25. VNICA CONCLVSIO: Generatio, seu eductio formæ est prior expulsione veteris in quocunque genere causæ, licèt informatio, seu completio subiecti sit posterior: Est S. Bonau. *loc. cit.* Meldul. *cit.* & aliorum plurium.

PROBATVR primò in genere causæ finalis, & efficientis, quia per se primò intenditur generatio noua, quàm corruptio, hæc enim est ex consequenti, & per accidens: ergo, sed causa efficiens, & finalis coincidunt in idem numero ex S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. ergo & in genere causæ efficientis, efficiens enim non depellit formam veterem, nisi introducendo nouam: ergo.

PROBATVR secundò in genere causæ formalis, quia non potest expelli forma vetus nisi ratione incompossibilitatis alterius formæ: ergo prior est positio nouæ formæ. Probatur consequentia, quia positio nouæ formæ est per eductionem, quæ est inchoata generatio: ergo non potest expelli formaliter anti-

qua

qua forma, nisi adsit alia incompossibilis. Tum quia noua forma est priùs agens, quàm informans: ergo priùs *inest* agendo in formam veterem.

PROBATVR in genere causæ materialis: Expurgatio materiæ à forma vetere non potest esse nisi per positionem nouæ formæ: ergo priùs intelligitur posita noua forma in materia, quàm intelligatur expurgata à vetere. Tum quia hæc expulsio fit à forma in genere causæ formalis, & quælibet forma in causando debet præsupponi existens: ergo primus eius effectus erit positio ipsius passiua in subiecto, & secundarius effectus expulsio alterius.

26. RESPONDENT Thomistæ idem posse esse secundùm diuersas rationes prius, & posterius, causam, & effectum: Vnde introductio nouæ formæ est prior in genere causæ formalis, efficientis, & finalis, posterior in genere causæ materialis: nam expulsio veteris formæ est dispositio ad recipiendam nouam formam, à qua noua forma expellitur vetus: Infelix effugium (ait Meldul.) nam inintelligibile est, quòd expulsio formæ fit à forma noua, & quòd simul sit dispositio ad eandem formam nouam recipiendam: Si enim est talis dispositio à noua forma: ergo noua forma antecedit in materia, at si expulsio veteris est dispositio materialis ad recipiendam nouam formam: ergo erit antecedens ad formam nouam, quæ sunt contradictoria. Tum etiam quia, vt arguit Meldul. *de gener.* Introductio actiua ex parte agentis præcedit expulsionem actiuam etiam per Aduersarios: ergo etiam ex parte materiæ introductio passiua, seu receptio passiua præcedit expulsionem passiuam, seu expurgationem materiæ. Probatur consequentia, respectus oppositi sunt simul natura: ergo si introductio actiua præcedit actiuam expulsionem, introductio passiua præcedit passiuam expulsionem, cùm passiua introductio sit simul natura cum actiua, & passiua expulsio cum actiua: sicque per locum à coniugatis licebit inferre: Ideò agens expellit formam veterem à materia, quia nouam introducit: ergo & è contra potest inferri ex parte materiæ: Ideò forma vetus expellitur, quia noua recipitur, & introducitur.

OBIICIES primò cum Rubione, forma noua non expellit veterem, sed est agens, quod seipso immediatè illam expellit, & corrumpit, vt locum faciat subsequenti: ergo generatio nouæ formæ corruptionem antiquæ præsupponit. Probatur antecedens, quia forma noua cùm introducitur: aut inuenit in materia formam priorem, aut non, si sic: ergo non est ei incompossibilis, cùm pro aliquo signo simul in eadem materia existant, si non: ergo ipsam non corrumpit, vel expellit, cùm ibi non sit.

27. HVIC obiectioni respondet Fuentes 2. *Phys.* cum Lorca agente de gratia, formam nouam inuenire in subiecto veterem, non tamen esse cum ea compatibilem, quia statim eam corrumpit: Vnde aiunt, quòd sunt simul in pugna, & in fieri, non verò in facto esse; Hinc admittunt in fieri, seu in pugna pro aliquo instanti gratiam, & peccatum. Quæ responsio nec est vera, nec potest in recta, & Sacra Theologia, nedum in Philosophia sustineri, impossibile

enim

Digitized by Google

enim est naturaliter pro vllo instanti esse gratiam, & peccatum, odium, & amorem, substantiam panis, & Corporis Christi, quod & fusè probat Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 5. *ad* 4. & *dist.* 17. *citat. ad* 5. & *lib.* 3. *distinct.* 27. *artic.* 1. *quæst.* 4. *ad argum.*

Meldvl. verò fusè, & doctissimè de more suo euacuat hanc difficultatem, qui potest videri: Nos autem idem prosequimur aliter tamen ex principiis Seraphicis.

28. Svpponimvs enim primò hoc totum fieri non duabus actionibus, sed vnica tantùm, vnica (inquam) ipsius educentis formam, & ipsius formæ coagentis cum efficiente: Secundò in mutatione subita idem esse fieri, & factum esse, simulque esse expulsionem, & expulsum esse, obidque forma vetus expellitur, quando non est modo suprà dicto, quia dum expellitur, expulsa intelligitur: Tertiò formam non expellere aliam formam effectiuè, sed formaliter, non quod forma agat in formam, sed per incompossibilitatem, cùm enim agens concurrat effectiuè introducendo dispositiones contrarias: hinc ipsis introductis statim educitur forma noua, & antiqua desinit, formaliterque dicitur expulsa ex hoc, quod destructis dispositionibus, per quas informabat illam materiam, desinit seipsa entitatiuè, & simul introducitur noua prius natura seipsam exhibendo formaliter subiecto, & in hoc sensu dicitur expellere formaliter, & coagere cum efficiente, vt dictum est ex S. Bonauent. loquente de gratia, & peccato *lib.* 1. *distinct.* 14. *quæst. vlt. ad* 4. & *lib.* 3. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *alibique sæpè*: Vnde hæc expulsio non fit, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 17. *cit. ad vltim.* & suprà dictum est, per aliquem contactum, vel quia forma noua exerceat aliquam actionem in formam veterem, sicut cùm clauus clauum trudit, neque pugnant ad inuicem vt milites in pugnam, sed consistit in hoc, quod quando forma introducitur in eodem prorsus instanti temporis communis, & in alio antecedenti temporis intrinseci, vetus abeat: Si verò expulsio fiat successiuè, vt in calore, & figore, eadem celeritate fiat expulsio, qua fit introductio nouæ formæ: Si enim forma noua inueniret in subiecto veterem, nunquam ipsam depelleret, vt rectè discurrit Meldul. *cit.* ratio est, quia si in aliquo instanti simul ambæ essent: ergo in illo instanti non expellitur vetus, cùm ibi sit: ergo expulsam debet supponere. Hinc respondetur argumento Rubionis negando antecedens, vel assumptum, & consequentiam: Ad probationem respondetur negando formam nouam inuenire in materia veterem, negatur tamen inde non sequi formam nouam corrumpere veterem, corrumpitur enim ab agente, prout est educens formam, & per formam coagentem formaliter, non enim eius actio per se primò terminat ad desitionem formæ veteris, sed ad eductionem nouæ, ad quam consequitur necessariò desitio veteris, & inde complerio subiecti.

Obiicies secundò: In qualibet mutatione est priùs terminus à quo termino ad quem, sed expulsio veteris formæ est terminus à quo, & generatio formæ est terminus ad quem; ergo. Hoc argumentum vrget valdè alterius sententiæ assertores.

Respondet Seraph. Doct. negando

dò minorem: nam generatio formæ non est terminus ad quem, sed potiùs est completio subiecti, generatio enim formæ est potiùs terminus à quo, & ipsa informatio est terminus ad quem: Vide dicta suprà *in Notab. 3.*

29. Obicies tertiò, forma expellitur, vel quando est, vel quando non est, non quando non est, quia semper expelleretur; ergo quando est, sed quando est, non potest esse forma noua, aliàs essent ambæ simul: ergo priùs est expulsio, quàm generatio.

Respondet S. D. expelli, quando non est, expulsio enim est mutatio subita, in qua simul est expulsio, & esse expulsum, desinere, & desiisse, desinit enim per primum sui non esse, & dicitur expelli, quia priùs fuit, & adhuc esset, nisi contraria repugnaret, nec hinc sequitur semper expelli, sed solùm in instanti, in quo esse desinit; & in quo primò non est, hocque totum fit per duo instantia immediata, vt dictum est *in quarto Notabili*, ibique vide, quæ dicta sunt.

Dices: ergo falsum est id, quod dictum à nobis fuit *in Phys. lib. 3. tract. 1. quæst. 7.* formas substantiales desinere per vltimum sui esse: patet consequentia, quia hîc dicitur desinere, quando non est: ergo.

Respondetur negando consequentiam: nam, vt notat Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 11 & 17. citat.* possunt assignari duo instantia immediata temporis intrinseci, in quorum primo est inceptio formæ nouæ in primo sui esse, in secundo est desitio veteris in sui vltimo esse, sunt enim mutationes contiguæ, sed quia ista instantia respondent vnico instanti temporis communis, in quo non est intelligere simul duas formas: ideò dicitur in hoc instanti desinere forma, quando non est, idest extrinsecè, & incipere noua intrinsecè, & ratio est, quia hoc instans respicit desitionem, & mutationem subitam, in qua est simul desinere, & desiisse.

Obicies quartò: Dispositiones pro forma veteri tolluntur per alterationem præuiam nouæ generationis, sed in tali casu priùs tolluntur veteres, quàm nouæ introducantur: ergo idem dicendum est de ipsis formis. Confirmatur, quia si Deus in instanti vltimo præuiæ alterationis nollet concurrere ad eductionem nouæ formæ, adhuc vetus deberet destrui, neque posset conseruari sine miraculo cum contrariis dispositionibus: at si productio nouæ formæ esset destructiua veteris, nullum esset miraculum eam conseruari, cùm nullum esset ibi ipsius destructiuum: ergo productio nouæ formæ non est destructiua veteris, sed supponit eam destructam.

30. Respondetur ex Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 17. citat. fund. 4.* negando Minorem: Immò rectè retorquet argumentum ipse Arriaga apud Meldul. non priùs expelluntur dispositiones veteres, quàm introducantur nouæ oppositæ: ergo nec forma priùs expellitur, quàm noua introducatur: Et ad confirmationem respondet Meldul. quod cùm forma introducitur, affert secum gradum qualitatis incompossibilem cum forma vetere: ideò in tali casu, quo Deus suspenderet suum concursum, ad introductionem nouæ formæ remaneret vetus, cùm non adesset gradus vltimus incompossibilitatis cum

cum illa forma, sed de hoc agetur infrà; hæc enim responsio non continet doctrinam veram: nempè quod forma noua ferat secum vltimum gradum dispositionis, vt in sequentibus patebit. Nos autem respondemus, quòd in dato casu non destrueretur antiqua forma, quia esset maior violentia materiam stare sine forma, quàm formam esse cum contrariis dispositionibus, in quo casu Deus vt agens vniuersale concurrere deberet potiori concursu.

Dices: Si expulsio veteris formæ sequitur ad introductionem nouæ: ergo simul erunt ambæ in illo priori; illa quidem in desinere intrinsecè, ista in incipere intrinsecè.

31. Respondet Meldul. *in Phys. disp.* 5. *num.* 25. negando consequentiam, totum enim fit in vnico instanti temporis, sed illa prioritas est tantùm naturæ, per quam explicatur dependentia vnius ab alio, vel præsuppositio vnius ad aliud, ita quòd vnum potest concipi sine alio, scilicet introductio nouæ formæ absque eo, quod præcedat expulsio, non verò è conuerso. Et Serbellon. *in Phys. disput.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 3. *& seq.* respondet omnia fieri in vnico instanti, nec repugnat, vt vnum sit primo, aliud vltimo: Sed hæc responsio certè non tollit difficultatem: nam si instans temporis mensurat existentiam rerum, & si in vno instanti temporis fiat expulsio, & introductio formarum, sequitur, quòd habeant simul existentiam. Hinc ex Seraph. Doct. vbi suprà, quod in generatione, & corruptione interueniunt duæ mutationes reales distinctæ per vnicam actionem, quæ in eodem instanti temporis communis est productiua nouæ, & destructiua veteris scilicet educens formam nouam, & expellens veterem, ad quas simul consequitur informatio subiecti, sed quia expulsio est mutatio distincta ab eductione formæ: hinc in primo instanti intrinseco est eductio formæ nouæ, & in sequenti immediato est expulsio veteris, simulque informatio consequens. Et ad id, quod obiicitur, ergo erunt duæ formæ contrariæ simul, negatur consequentia: nam in illo instanti extrinseco, in quo est forma noua, non est forma vetus nisi per primum sui non esse, obidque est positio nouæ formæ, & negatio, seu priuatio antiquæ, simulque terminus ad quem totalis, expulsio enim formæ est formalissimè aduentus formæ, ob quam ponitur priuatio.

Dices tandem: Materia debet esse priùs apta ad recipiendam formam, quàm actu recipiat, sed non est apta nisi post expulsionem veteris: ergo in genere causæ materialis formæ generatio est posterior expulsione antiquæ.

Respondetur duo genera dispositionum concurrere, aliud est antecedentium, & de his negatur Maior, aliud est concomitantium, inter quas expurgatio prouenit ab ipsa forma noua, & de his conceditur Maior, & negatur Minor, & simul distinguitur Consequens, si sumitur generatio inchoata pro eductione formæ à subiecto, & positione eius in subiecto, negatur consequentia: si sumitur pro informatione subiecti consequente, conceditur, sed hoc non est in quæstione; nam quæritur hîc, an generatio formæ sit prior, non an informatio actualis subiecti, &c. Et si hæc est mens Thomistarum, erit quæstio de nomine.

QÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

An Generatio, & Corruptio fiant in instanti.

TRES circumferuntur opiniones in hac celebri quæstione.

32. PRIMA asserit formas substantiales introduci successiuè loquendo de inanimatis, idque eis inesse non ratione sui intrinseca, sed ratione dispositionum, quæ introducuntur successiuè, & ob id etiam formas, tum etiam ratione formæ incompossibilis extensæ: sic Tatar. 5. *Phys. q.* 1. *dub.* 1. Fab. *theor.* 39. Pererius *lib.* 14. *cap.* 1. Mastrius *de Gen. disp.* 5. *q.* 5. *n.* 115. qui pro se citat Scotum, qui posteà volunt formas animatorum fieri instantaneè.

SECVNDA opinio docet omnes formas substantiales introduci successiuè non solùm extensiuè, sed & intensiuè, quia admittunt formas substantiales posse suscipere magis, & minus intensionis in subiecto, & maximè elementorum in mixto: ita Ioan. Andr. *lib. de trib. princip. quæst.* 8. & 11. & *lib.* 11. *Met. quæst. vnic.* Zerbius, Roccus, aliique Auuer.

TERTIA opinio est D. Th. & Thomist. Tolet. *de gen. lib.* 1. *q.* 11. Hurtad. *disp.* 3. *de Gen. sect.* 3. *num.* 28. Arriag. *disput.* 1. *de gen. sect.* 5. *num.* 54. cum quibus sunt alij plures sustinentes omnes formas quascunque substantiales introduci instantaneè, dispositiones verò successiuè, & hæc est opinio S. Doct. licet in aliquibus discrepet ab ipsis Thomist. & conueniat cum secunda opinione; Pro solutione quæstionis

PRIMÒ Notandum, & supponendum ex traditis *in Phys. lib.* 3. *tract.* 2. *quæst.* 3. agendo de quantitate, quod in materia corporea datur quantitas determinata, seu minimum quod sic paruitatis, ita quod sub minori non posset esse forma substantialis corporeæ, idque in Physica probauimus ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 10. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 5. *ad* 3. nam potest reduci aliquod quantum ad tantam paruitatem, quod in eo non possit conseruari forma substantialis.

33. SECVNDÒ supponendum successiua incipere per vltimum sui non esse, & desinere per primum sui non esse, instantanea verò, & permanentia, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4. incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse: Sic fusè probatum est *lib.* 3. *Phys. tract.* 1. *quæst.* 7.

TERTIÒ supponendum ex aliàs traditis *in eodem tract.* 3. *lib.* 3. causam successionis in motibus prouenire ex multiplici causa, nempè vel à distantia medij ex partibilitate mobilis, vel formæ ex resistentia medij, v. g. à densitate ex incapacitate medij: Sic *loc. cit. q.* 3. ex Seraph. Doct.

QVARTÒ supponendum, non posse recipi naturaliter formam in subiecto, nisi sit dispositum per proportionatas qualitates ad talem receptionem, requiritur enim mutua proportio inter recipiens, & receptum, obidque requiritur agens auferens improportionem, inducensque debitas dispositiones in materia, quibus redactis ad vltimum gradum statim debet educi forma.

34. QVINTÒ supponendum, quod præcipua fundamenta secundæ opinionis asserentis omnes formas in-

Digitized by Google

troduci successiuè sunt, quia admittunt magis, & minus in ipsis, & quia extenduntur ad extensionem subiecti. Sic Ioan. Andr. *citat.* quæ duo principia tamen admittuntur etiam à Seraph. Doct. sed tamen negatur ex his necessariò inferri intentum talis successionis. Vt autem id pateat, sciendum, quòd formæ entitas quoad esse specificum, siue Logicè vel potiùs Metaphysicè loquendo, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 3. part. 1. dub. 2.* & *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 1.* & *lib. 2. dist. 13. art. 2. quæst. 2. ad 3.* & *lib. 1. dist. 44. art. 1. quæst. 1. in corp.* & provt sumitur pro quidditate abstrahente ab indiuidualitate, non recipit magis, & minus, non enim est plus forma vna, quàm alia quidditatiuè loquendo: at provt est in tali, vel tali subiecto sic vel sic disposito magis, vel minus, intra gradum tamen susceptibilitatis, sic recipit magis, & minus: patet ex diuersitate ignis in palea, ligno, & ferro, quod magis, & minus potest inesse & intensiuè, & extensiuè, licèt ratione intensionis dicatur propriè magis, & minus inter terminos speciei, ratione verò extensionis dicitur maior, vel minor, quæ gradualis perfectio tamen non tollit, quin in instanti possit poni in subiecto vltimatè disposito, id enim habent entia permanentia, quod cùm in illis non sit idem fieri, & factum esse, (vt ait Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 9. quæst. vltim.*) differt autem fieri, & esse: hinc sequitur, quod licèt in facto esse habeant magis, & minus, maius, & minus, tamen in fieri habent esse in instanti. Sic *lib. 4. distinct. 11. cit.* Successiua verò sunt, in quibus differt esse, & factum esse, non verò fieri, & esse, obidque cùm eorum esse sit idem & fieri, non possunt esse in instanti, cùm sint successiua, sicque licèt & successiua, & permanentia habeant partes post partes: hinc sequitur, quòd ista non possunt fieri in instanti, benè autem illa: His positis sit

35. Prima Conclusio, formæ substantiales secundùm esse quidditatiuum non recipiunt magis, & minus, suscipiunt autem, provt sunt in hac, vel illa materia. Est S. Bonau. citat.

Prima pars est communis, & patet ex traditis.

Secunda pars probatur. Tum quia calor intenditur, & remittitur: ergo & ignis. Probatur consequentia, quia causa naturalis similiter se habens, & effectus similiter se habet: ergo ex variatione effectus colligitur variatio causæ.

Nec valet respondere cum Mastrio, quòd remissio, & intensio effectus non est ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet à contrario vel existente, vel discedente, non valet, inquam, quia in palea, v. g. combusta, & in ligno nullum adest contrarium calori, & igni. Tum quia calor intrinsecus est passio ignis: Secundò patet in formis elementaribus existentibus in mixto secundùm maiorem, vel minorem intensionem, & perfectionem. Addimus tamen cùm Seraph. Doct. contra Authores secundæ opinionis, quòd hæc gradualis perfectio in formis substantialibus non est, sicut in accidentalibus, in quibus scilicet accidentalibus tales gradus paulatim, & successiuè inducuntur, vel dimittuntur cum hoc ordine, seu discrimine, quòd accidentia materialia augentur per impermixtionem sui contrarij maiorem,

Digitized by Google

rem, & maiorem, & diminuuntur per mixtionem contrarij: (intellige tamen id euenire ex impermixtione maiori, vel minori contrarij, non tanquam ratione formali, sed tantùm ratione concomitantiæ, de quo infrà vbi de alteratione:) accidentia verò, quæ aliud habent pro causa, aliud pro subiecto, vt sunt lumen, species intentionales, charitas, & gratia, augentur per gradualem accessum ad suum summum, & recipiunt magis etiam in facto esse successiuè, non tamen minus, sed tolluntur instantaneè per annihilationem, cùm non habeant contrarium positiuum. Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *citat.* Sed formæ substantiales post sufficientem dispositionem totæ simul cum suis gradibus perfectionalibus non successiuè, sed indiuisibiliter introducuntur in suo fieri; & in hoc discrepat Seraph. Doct. à secunda opinione, quam mordicus sustinere conatur Ioan. Andr. *citat.*

36. Obiicies primò ex Meldul. *num.* 129. quia sequeretur plures formas substantiales in esse remisso posse esse simul in eodem subiecto, consequens est impossibile, cùm generatio vnius sit corruptio alterius: ergo.

Respondetur concedendo sequelam in accidentalibus formis, transeat pronunc in substantialibus, & hinc negatur Minor. & ad probationem respondetur ex traditis, non semper esse necessarium, quod ad generationem vnius sequatur corruptio alterius, nisi sit totalis, &c.

Obiicies secundò, forma vt in materia non variatur secundùm essentiam: ergo nec recipit magis, & minus.

Respondetur ex S. Bonau. *loc. cit. lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. concedendo antecedens, & negando consequentiam, vel distinguendo antecedens, non variatur secundùm essentiam suam puram, concedo, secundùm essentiam prout in subiecto secundùm maiorem, vel minorem actualitatem, & secundùm varios gradus intra terminos tamen latitudinis specificæ, nego: Sed quia iterum in tractatu de Anima redibit sermo de hac materia: hinc supersedeo à fusiori ipsius Concl. elucidatione.

37. Secunda Conclusio: Generatio, & Corruptio formarum substantialium fit in instanti: Accidentalium verò potest fieri, & de facto vt pluriùm fit successiuè. Est S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 1. & *lib.* 4. *dist.* 11. *cit.*

De Accidentalibus maximè habentibus contrarium positiuum nulli est dubium, cùm habeant in fieri, & in facto esse gradualem latitudinem, licèt possit esse difficultas de habentibus tantùm contrarium priuatiuum, vt lux, gratia, &c. de quibus aliàs dictum est *in tract. de luce*: Hinc

Probatur Conclusio de substantialibus: Si generatio substantialis fieret successiuè, inciperet per vltimum sui non esse, consequens est impossibile, nec ab Aduersariis admittitur: ergo. Maioris sequela probatur, quia in eo instanti, in quo est vltimum non esse generationis, vel est vltimatè dispositum subiectum, vel non: Si est dispositum: ergo in illo instanti fit generatio: Si non, ergo falsum est generationem incipere in tempore immediatè sequenti, quia si in instanti antecedenti non est vlti-

matè dispositâ materia, restat vlterior dispositio introducenda per motum in tempore immediatè sequenti, sicque tunc non potest incipere generatio, cùm forma exigat antecedenter dispositiones: ergo si forma successiuè introducitur, incipiet per vltimum non esse, scilicet in illo instanti vltimo dispositionis, quod est extrinsecum ipsi formæ, & in tempore sequenti verum erit dicere, in hoc tempore est forma, & immediatè antè non fuit, sed hoc est proprium entium successiuorum non permanentium, sicque nullum erit discrimen inter permanentes res, & successiuas quoad incœptionem, quod est impossibile, successiua enim non possunt consistere in indiuisibili, nec simul existere, benè autem permanentia.

38. Hvic argumento mirum est, quanta afferant Aduersarij, vt respondeant. Ruuins *de gen. lib. 1. cap. 5. quæst.* 3. affert plures responsiones pro opinione aduersante, quas omnes rejicit, confutatque, & tandem concludit admittendo generationem incipere per vltimum sui non esse. Et si contra ipsum instes: ergo dabitur vltima dispositio in materia sine introductione formæ, ad quam ordinatur, quòd est absurdum, immò impossibile: Respondet *num.* 40. *in fine* concedendo totum, & negando absurdum; nam (ait) illa dispositio est in mensura inadæquata introductioni formæ, explicat *ibid.* quid sit hoc esse indeterminatum, nempè licèt ex parte dispositionis detur sufficientia, & vltimitas in vltimo instanti, tamen ex parte materiæ non datur minima, vel prima pars in illo instanti disposita; & ideò solùm potest introduci forma in tempore indeterminato sequenti, quæ responsio licèt sit subtilis, tamen est voluntaria, & contra rationem: nam si est vltimo disposita: ergo est dispositio determinata, sed non potest esse determinata nisi in subiecto determinato: ergo nulla responsio. Tum quia si non est in illo vltimo instanti determinata ad talem, & tantam formam: ergo nec erit in tempore sequenti, cùm non detur secundùm ipsum pars prima determinata in tempore, sicque cùm dispositiones, & subiectum sint quid indeterminatum, & forma erit indeterminata.

Respondet iterum necessariò debere admitti hanc inchoationem per vltimum non esse, ne admittantur duo instantia immediata alterum respondens vltimæ dispositioni, & introductioni formæ: alterum expulsioni veteris, sicque quærens citat. Auctor euitare Scillam incidit in Carybdim: Vnde peroptimè Seraph. Doct. tollit hanc difficultatem ex positione duorum instantium immediatorum in mutationibus contiguis, vt suprà dictum est. Meldul. *disp.* 5. *de gen. num.* 123. notat alios difficillimè posse se expedire ab hac difficultate, gloriatur tamen se facillimè euitare omnem difficultatem dicens, quod in eo instanti, in quo est vltimum non esse formæ, vel generationis, dispositio formæ non est completa, & vltimata, quia adhuc requiritur vltimus gradus, qui sit incompossibilis cum forma veteri: iste verò non introducitur nisi cum forma noua, qui acquiritur non per alterationem, sed per generationem formæ concomitanter, sicque cum gradibus dispositionis antecedentibus illum vltimum gradum est compossibi

possibilis forma antiqua. Addit, nec dici potest hanc explicationem esse voluntariam, cùm eam etiam admittant Thomistæ præsertim Complut. *disp. 5. de gen. quæst.* 8.

39. Contra, quia hæc videtur mera fuga, & inuentio merè voluntaria, dispositiones enim ad formam introducendam respiciunt materiam, obidque debent produci ab agente, & antecedenter ad hoc, vt sit vltimatè receptiua formæ, dispositiones enim se tenent ex parte materiæ non formæ, quia in subiecto prærequiruntur ad formam, vt rectè notat etiam Serbellon. *Phys. disp.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 23. & ratio est, quam adducit S. Bonauent. *lib.* 3. *dist.* 34. *part.* 1. *dub.* 2. dispositiones se habent vt principium ad introducendam formam: ergo si ipsi deficit vltimus gradus, non potest vltimatè dici dispositia materia, nec poterit recipere formam, etiam si concomitanter secum adueniat noua dispositio. Tum quia illa forma noua, quæ fert secùm vltimum gradum dispositionis, expellit aliam formam formaliter, non effectiuè: ergo frustrà ponitur iste vltimus gradus dispositionis. Probatur consequentia, quia in materia antecedenter adsunt sufficientes dispositiones gradus absque illo vltimo gradu ad introducendam nouam formam cum eodem gradu, sed data introductione fit expulsio antiquæ formæ: ergo frustatorius erit ille vltimus gradus. Tum etiam quia si ille vltimus gradus est vltimatè disponens, cùm introducatur in instanti, etiam in eodem instanti erit generatio. Et Confirmatur totum, quia datis talibus dispositionibus vltimis absque illo gradu in subiecto, cùm sit diuisibile, poterit introduci forma in parte disposita, & proximiori, licèt non in toto subiecto, sicque ante illud instans, in quo debet compleri dispositio in toto subiecto per aduentum illius vltimi gradus, erit inchoata generatio in instanti: Sed non est maior ratio de illa parte, quàm de toto dispositis absque illo vltimo gradu.

Respondet Meldul. *cit. num.* 24. hîc committi fallaciam consequentis, quia fit transitus ab intensione, secundùm quam intelligitur subiectum dispositum in proximiori parte ad extensionem, secundùm quam infertur posse fieri generationem inchoatam formæ, ob id negat consequentiam, quia licèt in instanti terminetur intensio, non tamen extensio ipsius intensionis, quæ requirit tempus, ad hoc vt fiat generatio in illa parte. Addit *disp.* 5. *de gen. quæst.* 6. *in fine*, illam dispositionem in parte subiecti esse indeterminatam ratione sui, & ratione subiecti, cùm non possit assignari medietas ipsius, quæ responsio tamen non est melior cæteris. Tum quia si introductæ sunt dispositiones physicæ ab agente naturali, necessariò ipsæ sunt in se determinatæ tot, & tot graduum, & in tanto subiecto determinato: ergo & extensiua determinatio in aliqua parte subiecti. Probatur consequentia, quia agens disponens agit limitatè, & in subiectum determinatum: ergo in vltimo instanti saltem in parte disposita introducetur forma, & id patet in anima rationali, cuius introductio fit in instanti, nec diuisibilitas subiecti impedit instantaneam introductionem formæ. Nec valet, quòd respondet Meld. negando paritatem de anima, & cæteris formis: illa enim supponit corpus debitè

Digitized by Google

bitè organizatum vltimatè, in quo non habet contrarium, & in quo supponit minimum quod sic: at in non viuente adsunt qualitates contrariæ, quæ successiuè ejiciuntur, & ob id agens agit vniformiter difformiter, obidque successiuè, & quia formæ non viuentes non exigunt minimum quod sic, sicut exigit forma rationalis, & viuens, obidque successiuè introducuntur istæ formæ.

40. Contra, quia aliud est introducere dispositiones per alterationem, aliud formam, illæ quidem introducuntur successiuè, vt notat S. Bonau. *lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1.* at in vltimo instanti introductionis ipsarum nihil est, quod impediat generationem formæ in eodem instanti: ergo nulla responsio, & ad id de minimo quod sic, primò negatur istas formas non exigere minimum quod sic, vt satis probatum est *loc. cit. in 1. Not.* huius quæstionis. Tum etiam quia etiam hoc dato, tamen cùm illæ dispositiones non consistant in indiuisibili, sed afficiant subiectum extenso modo: ergo dabitur in parte subiecti determinata vltimata dispositio, sed forma per Aduersarios est extensa: ergo secundùm partem poterit introduci: subsumo, sed formæ corporeæ partes sunt homogeneæ: ergo sunt eiusdem rationis, sicque, si vna pars in instanti introduci debet, & cæteræ etiam. Confirmatur, quia forma substantialis non viuens vel requirit determinatum subiectum, vel non, ita quòd in quocunque minori semper esse possit: si primum, ergo cùm dispositiones introducantur ab agente limitato, obidque determinate poterunt determinatum subiectum disponere: ergo in vltimo instanti erit generatio: si secundum, multò magis poterit limitatè disponi aliqua pars.

Probatur secundò principaliter: Si generatio est successiua, id erit vel ratione formæ, vel ratione subiecti diuisibilis, vel ratione dispositionum, sed nullum ex his: ergo. Probatur minor, non ratione formæ, quia de se est indiuisibilis, tum quia in eo instanti, in quo non est forma vetus, est noua, sed prior desinit per vltimum sui non esse: ergo prima incipit per primum sui esse; nec ratione materiæ, quia ante formam non est quantitas vlla in ipsa per Aduersarios; nec ratione dispositionum, quia istæ non inseruiunt nisi in vltimo instanti ipsarum; ergo.

Respondent non prouenire præcisè ratione materiæ, vel formæ, sed ratione dispositionum, quæ successiuè introducuntur.

Contra, quia dispositiones non inseruiunt ad generationem nisi in vltimo esse completo, sed complentur in instanti: ergo & generatio.

Probatur tertiò, quia sic nullum esset discrimen inter generationem formarum substantialium, & accidentalium.

Obiicies primò ex Meldul. & aliis Arist. pluribus locis appellare generationem velociorem, & tardiorem.

Sed cum Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 1. cit.* ad has, & similes authoritates respondetur Aristotelem ibi ponere successionem in generatione non ratione sui, sed ratione alterationum, quod tandem & ipse Mastrius opponens fatetur *num. 116. in fine.*

Obiicies secundò cum Scoto *cit.* ab ipso Mastrio, quotiescunque agens agit in passum affectum contrariis qualitatibus, semper agit vniformiter difformiter intra sphæram suæ actiuita

actiuitatis, nempè producendo intensiorem qualitatem, & dispositionem in proximiori parte, & remissiorem in remotiori: ergo etiam successiuè producit formam in parte hac, vel illa. Et confirmatur, quia licèt in aliquo puncto possit introduci qualitas in summo intensa, quæ vltimatè consistat in indiuisibili, non tamen quoad extensionem: ergo cùm hæc exigat subiectum diuisibile, diuisibiliter etiam introducitur forma.

Respondetur hoc argumentum vrgere negantes minimum quod sic in formis non viuentium. Vnde Arriaga, & Hurtad. negant illam propositionem vniuersaliter de actione vniformi, & difformi: Nos autem cùm ex principiis Seraphicis admittamus minimum quod sic, possumus eandem negare propositionem, & simul consequentiam, & dato etiam illo modo agendi, Respōdemus, quod dum agens vniformiter agit in parte determinata proxima, ibi in vltimo instanti inducit formam, licèt difformiter agat in remotiorem, qua etiam vltimatè disposita etiam in instanti educit formam proportionatam: cùm enim talis forma sit extensa ratione quantitatis, & formæ corporeitatis coæuæ materiæ: sic & habet partes diuisibiles homogeneas, obidque & quælibet pars est forma. Immò si obiectio aliquid probat, & concludit, probabit etiam nunquam posse introduci formam in subiecto, cùm non sit assignabile minimum quod sic: obidque nec vna pars rectè disposita æqualiter: Immò, vt objicit Contarenus, hoc absurdum etiam sequeretur in viuentibus, cuius partes heterogeneæ secundùm se sunt homogeneæ, obidque nec haberent minimum quod sic.

Dices: nutritio viuentium fit successiuè: ergo multò magis generatio harum formarum, illa enim est adgeneratio.

Sed hæc difficultas examinabitur suo loco *in lib. de anima:* Pronunc negatur antecedens, & ob id consequentia.

Obicies tertiò cum Ioan. Andr. formæ substantiales in subiecto ex traditis suscipiunt magis, & minus, ergo in subiecto introducuntur successiuè. Probatur consequentia, quia hæc est ratio potissima successionis formarum accidentalium.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: Ad probationem respondetur negando paritatem, & disparitas est in hoc, vt supradictum est, quia formæ accidentales augentur, & diminuuntur successiuè, quia paulatim acquirunt, vel deperdunt varios gradus etiam post suum esse in subiecto, & hoc ob permixtionem contrarij, non sic substantiales, quæ totæ simul secundùm suum statum proportionatum in subiecto introducuntur.

42. Quæres, quænam sint causæ generationis, & corruptionis.

Respondetur causam finalem esse conseruationem specierum cum varietate indiuiduorum ad maiorem mundi ornatum: Sic S.Bonau. *lib.2. dist.20. art. 1. quæst. 5. ad 2.* tum ad ornatum, & perfectionem vniuersi constantis ex rebus, quæ habent esse vel permanens, vel decurrens: Sic *lib. 2. dist.15. art.2. quæst. 3.* & *lib. 2. dist.19. art.1. quæst.2.* Causa formalis est ipsarum essentia: Materialis est subiectum commune: Efficiens verò principalis est Deus, qui omnes substantias ex nihilo creauit, & formas secundùm suam essentiam in Semina-

rio materiæ collocauit, minùs principalis eſt agens particulare, quatenùs formas educit ad actum exiſtentialem completum, ſimulque compoſitum producit, quod & ſatis probatum fuit *in quæſt. de ſemin. formarum lib.* 1. *Phyſ.* & *in lib.* 2. *in quæſt.* An ſubſtantia creata ſit immediatè productiua alterius ſubſtantiæ, vbi probauimus non poſſe producere ſubſtantiam ſecundùm eſſentiam, ſiue ſecundùm ſua principia, ſed tantùm ſecundùm eſſe exiſtentiale, & quatenùs præſupponit principia ſubſtantialia creata à Deo.

QVÆSTIO VI.

An quod ſemel eſt corruptum, poſſit idem numero reparari.

43. PROPOSITA fuit hæc quæſtio *in lib.* 2. *Phyſ. tract.* 3. *quæſt.* 3. & eius ſolutio remiſſa à nobis fuit ad hunc locum, tanquam ipſi proprium: mouetur autem quæſtio de quocunque ente tam ſucceſſiuo, quàm permanente, & per ordinem tam ad potentiam naturalem creaturæ, quàm ſupernaturalem.

PRIMA opinio fuit Platonicorum, qui non ſolùm ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter poſſe idem numero poſt corruptionem reparari: immò de facto id euenturum ſuſtinent nempè poſt completam circulationem octauæ ſphæræ per motum naturalem, quæ ſecundùm aliquos finitur triginta ſex millibus annis, ſecundùm alios quadraginta nouem millibus annis. Idem & aſſerebant Pythagorici admittentes poſt multas circulationes regreſſum animarum in eadem corpora.

SECVNDA opinio negat per vllam potentiam poſſe idem indiuiduum numero reproduci excepto homine, cuius remanent principia in eſſe, ſcilicet materia, & forma: Sic Durand. *lib.* 4. *diſputat.* 43. *quæſt.* 3. Abul. *in cap.* 22. *Matth. q.* 258. Marſil. Quæ opinio ſine tali exceptione de homine eſt communis etiam Stoicis, Epicur. Saduc. qui animam ponebant mortalem in homine.

TERTIA opinio admittit poſſe fieri ſupernaturaliter, non verò naturaliter, ſic communiter Theol. *in lib.* 4. *diſp.* 43. Inter iſtos tamen ſunt aliqui, qui id admittunt in permanentibus, negant in ſucceſſiuis, vt Capreol. Ferrar. Hurtad. Ruu. &c. Alij admittunt in vtriſque, & inter hos Scotus cum ſuis admittit poſſe etiam fieri naturaliter in aliquo effectu perſpecta virtute cauſarum naturalium: Sic ex Meldul. *diſp.* 5. *q.* 7. *num.* 154.

CVM hac tertia opinione eſt Seraph. Doct. modo infrà explicando.

44. PRIMÒ Notandum, quòd hæc quæſtio habet ſuam ſolutionem *in lib.* 4. *diſt.* 43. apud Theologos tractantes, An ſit poſſibilis Reſurrectio eiuſdem hominis numero, & Seraph. Doct. *in eadem diſtinctione art.* 1. *q.* 4. ipſam fusè pertractat, proponitque tres opiniones, vt ibi videre eſt, tertiamque amplectitur dicens, quod eo quia Deus concreauit omnes formas corporeas in Seminario materiæ, ideò dum corrumpuntur, non cedunt in nihil, ſed remanent in eſſe completo in materia, quod & fusè probat *lib.* 2. *diſt.* 7. & *diſt.* 18. *loc. cit. in Phyſ. in quæſt. de Seminario formarum*; hinc cùm remaneat anima rationa

rationalis in esse, quia est incorruptibilis, cúmque & remaneant cæteræ formæ corporis heterogeneæ in materia, & eadem materia, Deus potest idem numero reparare, non verò creatura potentia naturali.

DICES: Quare creatura non poterit saltem corporea iam corrupta reparare, cùm adsint eadem principia.

RESPONDET Seraph. Doct. *ibid. lib.* 4. *dist.* 43. quod agens naturale generando producit genitum, & in producendo ipsum educit formam ex materia de esse incompleto ad esse completum, ei tribuendo per suam virtutem à se immissam nouum modum substantialem, scilicet esse existentiale completum, & si est generatio viuentis, ei impertitur aliquid de sua substantia: Hinc producendo rem non potest reproducere idem numero, sed tantùm specie, ex hoc quod diuersæ operationes diuersos effectus producunt, quando diuidunt ex æquo, idest quando non sunt subordinatæ, sed disparatæ, vti sunt omnes productiones totales, & discontinuæ: idem & *lib.* 4. *distinct.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3. Igitur cùm agens naturale non possit tribuere eundem modum substantialem, sed alium licèt consimilem, nec idem numero potest reproducere: Vnitas enim numerica prouenit ex ratione indiuidualitatis, indiuidualitas autem est modus substantialis consequens ad vnionem materiæ, & formæ factam per actionem agentis naturalis, vt latè probatum fuit *in cap. de substantia* de principio indiuiduationis.

45. SECVNDÒ Notandum ex traditis *in Phys. lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 5. *in Notab.* 3. quod effectus particularis dicit quidem ordinem ad suam causam, sed non ita essentialiter, quod ratione suæ indifferentiæ non includat etiam ordinem ad aliam consimilem, vel virtuosiorem causam, in cuius virtute continetur, & à qua potuisset, vel possit poni in esse: Vnde sufficienter quoad esse dicit ordinem ad hanc causam, sed non adæquatè, cùm adæquatè includat ordinem etiam ad alias, & cùm indiuidualitas superaddita naturæ productæ insit ei ratione influentiæ prouenientis ab hac causa numero, & secundùm sufficientiam ipsius effectus, sequitur, quod secundùm suam essentiam possit eam recipere etiam ab alia valente illam producere: Videatur citatum notabile, vbi fusiùs hæc doctrina explicatur.

46. TERTIÒ Notandum, quòd cùm entia creata alia sint in esse permanente, alia in successione, vt docet S. Doct. *lib.* 4. *dist.* 43. *cit.* Potior difficultas est, an idem numero successiuum possit reparari, vt, verbi gratiâ, idem tempus præteritum: de quo S. Bonau. satis obscurè loquitur *lib.* 1. *dist.* 42. *art.* 1. *q.* 3. In corpore verò quæstionis videtur sibi contradicere, nam fatetur apertè, quòd Deus potest facere de præterito, quod sit præsens, & posteà negat Deum posse facere, quod præteritum non sit præteritum, quod & insinuat *lib.* 4. *dist.* 43. *quæst. cit. ad vlt.* Attamen, vt rectè notat P. Gallicius *lib.* 3. *tract.* 2. *quæst.* 3. sibi non contradicit S. Doct. nam aliud est ipsa præteritio, aliud ipsa res, quæ præterita est sumpta secundùm suam entitatem, verbi gratiâ, motus. Vnde aliud est facere præteritum secundùm entitatem suam præsens, simulque, quod fuerit præteritum, vt motus præteritus si fiat

 nunc

nunc præsens, aliud est facere, quod nunquam fuerit: Primum est Deo possibile, quia fit, vt illud, quod iam habuit esse, de nouo idem esse habeat: Secundum est impossibile, quia inuoluit contradictionem manifestam. His positis sit

47. Prima Conclusio: Virtute sola naturali, id quod est corruptum, non potest idem numero reparari. Est S. Bonau. *lib.* 4. *dist.* 43. *cit.* & communis etiam Scoti, licèt dicat non posse assignari rationem vllam ab intrinseco, sed tantùm extrinsecum impedimentum, nempè ex sola Dei voluntate, S. Bonau. verò adducit motiuum suprà adductum, nempè quia agens naturale non potest tribuere existentiam rei corruptæ, nisi immittendo aliquid sui, scilicet suam actionem distinctam, & virtutem substantialem, & si est generatio viuentium, etiam sui partem intrinsecam, quare in via Seraphica hoc impedimentum est in creatura agente intrinsecum, respectu Dei est extrinsecum.

Probatur autem primò contra Platonicos, quia etiam si daretur talis circulatio octauæ sphæræ, adhuc tamen non possent coire iidem orbes, & stellæ in vnum. Tum etiam quia requirerentur eadem principia, scilicet materia, & forma, sed materia poterit esse sub alia forma, & diuersimodè dispersa. Tum quia sequerentur multa absurda in specie humana, possent enim redire eadem peccata, iidem actus voluntatis, & intellectus, habitus amissi, ablatio libertatis, &c. Tum quia si denuò posset naturaliter idem effectus reproduci, sequitur, quod & eadem actio numero, quod est impossibile, cùm enim sit producta, non est ampliùs in potentia: Addimus tamen cum Scoto verè istas rationes non conuincere: Vnde recurrendum est ad extrinsecum impedimentum allatum: ratio est, quia cùm causa sit indifferens ad hunc, vel alium actum, Deus ipsam determinat potiùs ad hunc, quàm ad illum, vt probatum fuit *in Phys. lib.* 2. *tract. de causa efficiente*: ergo ratio, quare non producat effectum iam corruptum, est carentia determinationis Diuinæ. Vide Meldul. hîc, qui fusè hanc materiam doctissimè pertractat. Sic & Serbellon. *Phys. disp.* 1. *quæst.* 2. *art.* 10. qui fusè, & solidè probat hanc sententiam Scoti, & respondet omnibus obiectis in contrarium.

Obiicies primò, quia in Eccl. dicitur, *nihil esse sub Cælo novum*: ergo idem reproducitur continuè.

Respondet S. Bonau. in hunc locum in hoc dicto intelligi debere idem specie, non numero.

Obiicies secundò, quia omnes effectus continentur in virtute suæ causæ, quæ est indifferens ad omnes,: vt probavimus *in Physic. lib.* 2 *tract.* 2. *quæst.* 3. ergo.

Respondetur contineri omnes effectus, qui sunt in potentia suæ causæ: Sed effectus productus non est ampliùs in potentia naturali.

Contra: ergo post productionem talis effectus causa erit minùs potens.

Respondetur distinguendo consequens, erit minùs entitatiuè, & intrinsecè, nego, terminatiuè, & extrinsecè, concedo: remanet enim eadem potentia, & virtus spectans ad entitatem causæ, quæ tamen non potest exerceri in actu secundò, postquam

Digitized by Google

postquam iam produxit ipsum.

OBIICIES tertiò: Identitas numerica dependet tantùm ex vnione principiorum, sed principia sunt, sicut erant ante primam productionem: ergo poterunt vniri, sicque erit idem numero effectus.

RESPONDETVR concedendo Maiorem, sed addimus requiri productionem eiusdem vnionis, quæ exigit & eandem actionem numero: Sic negatur consequentia.

DICES: eadem Musca suffocata in aqua potest reuiuiscere, si ad solis reflexum ponatur.

RESPONDETVR non esse eandem, sed vi solis educi aliam formam consimilem: Sic S. Bonauent. quod & meliùs patebit, cùm agemus de anima sensitiua.

48. SECVNDA CONCLVSIO: quæcunque entitas secundùm se siue permanens, siue successiua potest per potentiam Dei absolutam reparari post ipsius corruptionem: Est S. Bonauent. & communior: Nota tamen ex eodem Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 43. art. 1. quæst. 4. ad vltim.* quòd res potest considerari duobus modis: Primo secundùm propriam entitatem, & existentiam: Secundo quoad defluxum, scilicet quoad coëxistentiam ad prius, & posterius, verbi gratiâ, hic motus habuit partes vnam post aliam A.B.C. D. E. in quo motu sunt partes A. ante B. & B. ante C. & C. ante D. & D. ante E. & secundùm istum ordinem impossibile est, vt A. reparetur, ita quod sint cum eodem ordine, sed tamen iste ordo est ipsis partibus accidentalis, essentialis autem vt in motu est, vt vna pars sit post aliam secundùm propriam entitatem: Vnde si repararetur, & reproduceretur pars A. esset post E. in quo nulla est variatio secundùm entitatem, licèt sit secundùm coëxistentiam, & secundùm mensuram intrinsecam, seu prioris, & posterioris: Hinc

PROBATVR conclusio: Nulla adest repugnantia, quod eadem res possit reproduci: ergo.

PROBATVR antecedens, non adest ex parte Dei, vt per se patet: nec ex parte rei, quia, licèt antequam haberet esse, nihil erat, & tamen erat in potentia obiectiua Dei, sic & postquam iam facta, & corrupta est, Deus enim non dependet à tempore, tum quia tale, vel tale tempus, in quo creatur res, est ipsi extrinsecum. Tum quia in Resurrectione mortuorum iidem homines resurgent, & tamen interruptio non impediet eandem entitatem hominum: ergo nec in cæteris.

DICES requiri nouam existentiam, & indiuidualitatem, cuius ratione à creatura non possunt reproduci res: ergo si hæc est ratio intrinseca rerum, implicabit etiam respectu Dei.

RESPONDET S. Bonauent. negando paritatem: Ideò enim creatura id non potest; quia non potest eandem actionem numero, nec eandem virtutem à se immissam denuò reproducere, obidque nec habere eundem terminum, non sic Deus, cùm vnicam actionem sibi identificatam habeat, nec dependeat à termino in operari. Tum etiam quia diximus talem rationem in creatura esse extrinsecam.

49. PROBATVR secundò de entibus successiuis, & præcipuè de præterito, in quo est maior difficultas à Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 42 cit.* Impossibile dicitur id, quod nullum ordinem importat ad existentiam sal-

tem in esse obiectiuo: sed, verbi gratiâ, præteritum vt præteritum, est huiusmodi, & secundùm suam entitatem non est huiusmodi: ergo vt præteritum est, non potest reproduci: benè autem vt est talis entitas. Maior probatur à Seraph. Doct. quoad primam partem de præterito, vt tale est: Omnis potentia siue sit obiectiua, siue actiua, respicit ens vel ratione principij, vel ratione termini, vel vtroque modo, sic enim res creata ex nihilo respicit ens ex parte termini, sic de non ente fit ens, & de ente fit non ens per corruptionem, & annihilationem, & ex ente fit ens, nec datur alius modus, scilicet de non ente non ens; quia à non ente ad non ens nulla est potentia: at præteritum vt præteritum dicit non ens: ergo si Deus posset facere ipsum non fuisse, faceret de non ente non ens: quod implicat, in quo sensu dicitur, quod Virgo corrupta per quamcunque potentiam non potest esse, quin fuerit corrupta, sic enim destrueret Deus, quod non est, & faceret nihil. Tum quia veritas propositionis de præterito non necessario fundatur supra aliquid creatum, quod sit, sed quod fuerit, & ideò manet omni creato intercepto. Tum quia idem diuideretur à seipso, si posset facere, quod præteritum non fuerit. Probatur item Maior principalis argumenti quoad alteram partem, scilicet id quòd fuit secundùm suam entitatem absque, coëxistentia ad prius, & posterius, secundùm quæ habuit prius esse posse à Deo reproduci, quia, vt ait Seraph. Doct. illa successio secundùm prius, & posterius potest à Deo tolli, potest enim Deus reproducere Virginem, quæ iam est corrupta, puram, & incorruptam, potest & vnam partem motus iam transactam reproducere, & facere coëxistentem tempori præsenti, potest & vnam partem temporis, seu moræ denuò reproducere coëxistentem suæ intrinsecæ mensuræ. Confirmatur, quia sicut res permanens non est alligata certo tempori quoad sui productionem, sic nec motus: Vnde reuolutio Cœli hodierna potuit à Deo anticipari vinginti annis: ergo eadem facilitate poterit eandem repetere in hoc tempore: non enim est maior ratio de vna, quàm de alia, & idem dicendum de ipsis partibus temporis quoad entitatem, licèt non quoad ordinem, non enim potest tollere ordinem præteritum, quin præterierit. Nec illa coëxistentia ad durationem præteritam potest impedire, cùm sit entitati rei extrinseca, & separabilis. Ratio enim intrinseca successiuorum consistit in existentia successiua partium: ordo verò ipsarum potest mutari. Tum etiam si quod iam est corruptum, non potest reparari, id erit, vel quia non existit, & hoc non, quia etiam, antequam produceretur, non existebat, vel quia præcessit, & hoc non, quia multæ res existunt, quæ præcesserunt, vel quia corruptum est, & hoc non, quia etiam est in potentia, sicut ante primam productionem, id enim solùm destruit annihilatio, vel corruptio, quod ponit generatio, vel creatio, sed hæc solùm ponit actualitatem, non possibilitatem, quæ præsupponitur: ergo ex eo, quod fuerit corrupta, vel annihilata res, non tollitur eius possibilitas ad reproduci. Tum quia non magis distat impossibile à possibili, quàm possibile ab impossibili, sed per nullam

Digitized by Google

potentiam impossibile potest fieri possibile: ergo per nullam potentiam possibile potest fieri impossibile.

Dices istas rationes probare etiam possibilitatem naturalem respectu creaturæ.

Respondetvr negando assumptum, nam potentialitas Logica est per ordinem ad Diuinam Omnipotentiam, potentia naturalis respicit potentiam physicam, & expeditam, quæ potest impediri facilè, & maximè quando plures causæ, & circunstantiæ concurrere debent ad producendum effectum.

Dices secundò: Id quod fuit, verum est, quod fuit: ergo importat aliquam existentiam, & veritatem de præsenti: ergo præterit præteritum, vt tale est fieri, quod non fuerit præteritum, & per talem actionem terminari ad hanc existentiam præsentis veritatis.

Respondetvr, quod aliud est veritas, qua fuit, nempè significatio propositionis de præterito, aliud ipsa præteritio, prima est præsens, secunda nec præsens, nec ordinata ad præsens, obidque dicit de se non ens, ideò impossibile est facere, quod non fuerit. Sic S. Bonau. *lib.* 1. *citat.*

Obiicies tertiò: Ad præteritum non est potentia, sed entitas præterita est talis: ergo.

Respondetvr concedendo de præterito, vt tale est, negando de entitate, in qua est præteritio, seu vt dicit S. Bonau. concedendo antecedens de præterito secundùm durationem, negando de ipso secundùm entitatem.

Contra: ergo in tali casu habebit duplicem existentiam, & durationem, quæ implicant.

Respondetvr negando consequentiam, quia vt dicit Seraph. Doct. eadem existentia bis esset per duplicem repetitionem, quæ tamen coëxisteret duplici durationi: sic enim iteratio non esset ipsius entitatis, sed durationis, vel coëxistentiæ, quæ est quid extrinsecum. Et cum hac distinctione soluuntur ferè omnia obiecta in contrarium, & ratio est, ait Mairon, quia non est necesse, vt res reproducta habeat omnia, quæ priùs habebat.

Dices: ergo posset à Deo fieri, vt annus Natiuitatis Christi præcederet Natiuitatem Abrahæ, posset & facere, quòd mille anni elapsi coëxistant vni horæ præsenti replicatæ tot vicibus, vt facerent mille annos, quæ videntur impossibilia.

Respondetvr concedendo posse reproduci nunc annum Natiuitatis Abrahæ secundùm entitatem, in quo casu esset posterior anno Natiuitate Christi: non secundùm coëxistentiam ad tempus extrinsecum, sed secundùm suam existentiam coëxistentem tempori præsenti. Et ad id de hora replicata conceditur totum secundùm coëxistentiam ad tempus millenarium, sicque intrinsecè non esset duratio mille annorum, sed tantùm extrinsecè, sicque flueret non per durationem mille annorum, sed secundùm partes eiusdem horæ replicatas.

Digitized by Google



TRACTATVS II.

De Alteratione, seu Generatione accidentali.

50.  AM expendimus ea, quæ spectant ad generationem, & corruptionem substantialem: nunc vt sequamur ordinem Aristotelicum, examinanda sunt essentia, proprietates, & alia pertinentia ad generationem accidentalem, quæ dicitur Alteratio, quæ quia est motus ad qualitatem: hinc primò de ipsa alteratione secundùm se, deinde de ipsius effectibus per sequentes quæstiones agemus: Primò præmittentes de more nostro Textum Seraphicum.



TEXTVS SERAPHICVS.

De Alteratione.

A.  VM duplex mutatio in vniuersum detur, nempè substantialis, & accidentalis: Prima est, per quam subiectum fit aliud: Secunda, per quam fit alterum: hinc oritur alteratio, quæ est mutatio accidentalis, quæ est multiplex, sed propriè sumpta est ad qualitatem: Et hæc alia est perfectiua, alia corruptiua. *Lib. 1. distinct. 4. dub. 9. & lib. 1. distinct. 17. part. 2. quæst. 1. ad 4. & lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1. & lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 3. quæst. 1. & 2. & lib. 2. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 1. & lib. 1. dist. 17. part. 2. quæst. 1. ad vlt.*

B. QVIA alteratio alia est intensiua, alia extensiua, quæritur, an

an in intenſione qualitas augeatur ſecundùm ſubſtantiam, an verò tantùm per maiorem radicationem in ſubiecto, vel per maiorem impermixtionem ſui contrarij: Sed reſpondendum eſt Intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, & quia hæc additio eſt penes quantitatem virtutis, hinc fit per acceſſum ad ſuum ſummum, obidque & per acceſſum ad maiorem perfectionem, & ſimplicitatem. Et licèt prior qualitas ſit actu, tamen quia adhuc eſt perfectibilis, & hoc pacto eſt in potentia ad vlteriorem gradum, obidque & ipſi vnibilis; Idemque ſuo modo dicendum de remiſſione, fit enim per deperditionem gradus, & gradus, excipe tamen gratiam, & charitatem, quæ licèt augeatur gradualiter: tamen tota deperditur, quia habet contrarium ſibi ſolùm peccatum. *Lib.1. diſt. 17. part. 2. art. 1. quæſt. 1. & ſeq. & lib.2. diſt.27. artic.2. quæſt. 2. in corp. & lib. 2. diſt. 3. part. 1. dub. 2. & diſt. 34. dub. 3. & art. 2. quæſt. 1. & lib.3. diſt.14. dub. 3. & lib.1. diſtinct. 17. cit. quæſt.2. ad vlt.*

C. An verò iſti gradus, ſecundùm quos fit intenſio, ſint eiuſdem rationis, ſcilicet indiuidualis, an diuerſæ? Ad hoc dicendum, quòd per graduum multiplicationem fit acceſſus ad ſummum, & per conſequens quò magis aſcenditur, eò perfectior gradus aducnit, eo quia inferior fert cum ſua perfectione imperfectionem vnibilitatis, & perfectibilitatis, quæ totaliter eſt perfecta, & completa in vltimo, ſed quia non eſt differentia hæc ſpecifica, poteſt dici accidentale diſcrimen. *Lib.1. diſt.17. part.2. art.1. quæſt.2. ad vlt. & diſt.9. art. 1. quæſt.1. ad 2.*

D. Et quia in intenſione ſubiectum magis, & magis perficitur, & in remiſſione gradatim expoliatur qualitate, hinc & quæcunque qualitas, quæ eſt capax gradualis latitudinis, eſt etiam terminus intenſionis, & remiſſionis: Quare dicendum eſt Alterationem propriè poſſe eſſe ad quatuor ſpecies qualitatis, habitus enim diſpoſitio ſunt vnamet ſpecies qualitatis differentes ſecundùm magis, & minus, quod & dicendum eſt pariter in naturali potentia, & impotentia, quæ differt à prima ſpecie, eo quòd illa venit in ſubiecto ab extrinſeco, iſta ab intrinſeco: Tertia verò ſpecies ſcilicet paſſio, & paſſibilis qualitas eſt propriiſſimè terminus qualitatis, quam gradualem latitudinem ſuo modo etiam oportet recognoſcere in forma, & figura. *Lib.2. diſt.25. part.1. art.1. quæſt.5. & diſt. 28. dub. 1.*

& lib. 4. dist. 4. part. 2. art. 2. quaest. 2. in corp. & lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. quaest. 3. & lib. 2. dist. 24. part. 2. art. 1. quaest. 5. & lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 4. quaest. 1. fund. 1. & lib. 1. dist. 17. part. 2. quaest. 1. & 2. & lib. 4. dist. 6. quaest. 1. in corp. & lib. 3. dist. 34. part. 2. art. 2. quaest. 1. ad 2. & lib. 2. dist. 42. art. 3. quaest. 1. ad vlt. & lib. 3. dist. 9. art. 2. quaest. 4. ad vlt. & lib. 4. dist. 48. art. 2. quaest. 3.

E. CVM autem qualitas in augmento habeat statum, & terminum naturalem tum ratione ipsius qualitatis, tum ratione potentiæ suscipientis, tum ratione virtutis agentis, supernaturaliter tamen nullum terminum habet, cùm potentia creaturæ sit subiecta Diuinæ Omnipotentiæ, possitque ampliari in infinitum. Cùm autem in Alteratione necessariò concurrat actio agentis alterantis, hinc explicanda venit actio hæc: nempè an exigat in passo dissimilitudinem, & an agendo agens repatiatur, & qualiter fiat Antiperistasis. *Lib. 1. dist. 17. cit. & dist. 42. art. 1. quaest. 3. & 4.*

F. DICENDVM igitur est, quòd cùm similitudo, & dissimilitudo alia sit secundùm substantiam, & speciem, alia secundùm accidens, vel secundùm gradus, necessariò in actione exigitur dissimilitudo saltem secundùm gradum in passo: omne agens enim agit in passum, vt sui similitudinem imprimat passo, quam dissimilitudinem facit etiam raritas disponens ad agendum. *Lib. 1. dist. 2. dub. 6. & lib. 3. dist. 34. part. 2. art. 2. quaest. 1. ad 4. & lib. 4. dist. 44. part. 2. art. 3. quaest. 2. arg. 2. & lib. 2. dist. 31. art. 2. quaest. 1. ad 2. & lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 6. quaest. 1. ad 1. & in corp. & lib. 2. dist. 14. part. 2. artic. 2. quaest. 1. in corp.*

G. ET quia datur actio per antiperistasim, & per reflexionem, dicendum etiam per antiperistasim, & reflexionem acquiri, & intendi nouam qualitatem. *Lib. 2. dist. 13. art. 3. quaest. 1. ad 2. & 3. & lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 2. quaest. 2. ad 1. & Serm. 3. de pluribus Martiribus.*

H. ET licèt resistentia rigorosè sumpta competat tantùm corporibus duris, scilicet ex duritie oritur ex hoc, quòd durities fert secùm inhabilitatem ad suscipiendum, aptitudinem ad persistendum, & idoneitatem ad resistendum, tamen etiam competere potest aliis rebus habentibus contrarium, ob id & qualitatibus, in quibus est oppositio secundùm resistentiam, quare requiritur inæqualitas inter actiuitatem vnius, & vim restitiuam alterius: Vnde corpus glorio-

sum

Digitized by Google

ſum poteſt penetrare non glorioſum, non verò corpus glorioſum ob defectum talis inæqualitatis: Et quia agens debet eſſe præſtantius paſſo ſecundùm aliquam partem, ſequitur neceſſariò, quòd in agentibus contrariis datur ſemper reactio, licèt enim paſſum in ratione paſſi ſit minùs præſtans agente, tamen, vt agens eſt, poteſt dici præſtantius ſuo agente repaſſo ex hoc, quòd patiatur ſecundùm vnam partem tantùm, & agat ſecundùm ſuam totam virtutem. *Lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 4. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 4. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 1. *&* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 31. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* 2. *& quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 16. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 4. *diſt.* 16. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad vlt.*

Hic autem non ſuperadditur Scholion ad Textum, quia omnia per ſe patent, & fusè explicantur in Quæſtionibus ſequentibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit Alteratio.

51. ALTERATIO ex vi nominis dicitur id, quo aliquid fit alterum, & hoc poteſt eſſe pluribus modis. Vnde poteſt ſumi primò æquiuocè, prout importat quamcunque mutationem communem creationi, generationi ſubſtantiali, corruptioni, & propriæ alterationi accidentali, de quibus agit Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 3. *quæſt.* 1. *&* 2. & hoc modo hîc non ſumitur: ſed tantùm eſt ſermo de Alteratione accidentali, quæ eſt ad qualitatem: nam per ſubſtantialem ſubiectum fit aliud, per accidentalem fit alterum, *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 9. *& lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. Hinc ſit.

PRIMA CONCLVSIO: Alteratio accidentalis rectè diuiditur primò in Alterationem corruptiuam, & perfectiuam: Prima eſt introductiua quidem qualitatis nouæ in ſubiectum, ſed ſimul etiam eſt alterius corruptiua: vt dum ſubiectum fit calidum expulſione frigoris: Secunda eſt, quando fit introductio nouæ qualitatis abſque alterius deſtructione, vt dum calor, verbi gratiâ, intenditur, & gratia augetur in anima: de quibus S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 44. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *& art.* 3. *quæſt.* 1. *& alibi*, vt infrà. Secundò diuiditur in inſtantaneam, & ſucceſſiuam: Prima eſt, quæ eſt introductiua qualitatis non habentis contrarietatem: vt eſt illuminatio aëris: An verò ſit rigoroſè inſtantanea, alibi dictum eſt: Secunda eſt, quæ fit introductione qualitatum habentium contrarium, ſic calor ſucceſſiuè introducitur in aquam, & hæc fit vel ſecundùm intenſionem, ſcilicet in eadem parte ſubiecti, & in eadem qualitate per augmentum graduum in ſeipſis, vel extenſiuè per dilatationem in ſubiecto, & de his agit Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1.

Digitized by Google

& *loc. cit. suprà*, quæ tamen per potentiam supernaturalem Dei potest fieri instantaneè, vt in Conceptione Christi: ex S. Bonau. de vtraque *lib. 3. dist. 4. art. 3. quæst. 1.*

52. Secvnda Conclvsio: Alteratio ab Arist. sic definitur, *Motus, seu mutatio ad sensibilem qualitatem eodem subiecto sensibili manente*: Dicitur *motus* loco generis: Dicitur, *ad sensibiles qualitates*, per quam particulam definitur non solùm alteratio, quæ est tantùm dispositiua ad generationem substantialem, sed quæcunque alia habens pro termino quascunque qualitates siue primas, siue secundas, siue contrarias, siue non: Dicitur, *eodem subiecto sensibili manente*, vt denotetur, quòd subiectum eius non est materia prima, sed materia corporea, scilicet affecta forma corporeitatis, & quantitatis siue interminatæ, siue terminatæ iuxta principia Seraphica: Aliqui tamen expungunt ab hac definitione illam particulam, *sensibili*, dicentes, *eodem subiecto manente*: Sic Serbellon. probans omnem sensibilitatem propriam prouenire ab ipsis qualitatibus non à quantitate, quæ dissensio tamen in aliorum principiis est potiùs de nomine: At in opinione Seraphica iuxta sua principia dicendum est verè expungi debere illam particulam, ex hoc quod datur Alteratio vera etiam in subiecto non sensibili, sed spirituali, quæ ortum trahit à materia, & forma, vt euenit in spiritibus, in quibus nulla adest sensibilitas in subiecto rigorosè sumpta, & tamen in ipsis fiunt alterationes.

53. Tertia Conclvsio: Alteratio propriè in multis differt à generatione: Est communis omnium, & S. Doct. *lib. 2. dist. 1. suprà cit.*

Probatvr, quia primò differt ex parte terminorum, à quibus specificantur omnes motus: nam generatio per se est ad substantiam: Alteratio ad qualitates: Secundò ex parte subiecti, nam subiectum generationis est ens incompletum, nempè vel materia prima, vel corpus vt pars altera compositi: Alterationis verò subiectum est ens completum, licèt enim possit esse etiam ens incompletum vt corpus, non tamen vt tale est, sed tantùm dicitur incompletum non ratione qualitatis, ad quam est in potentia, sed ob alium respectum: Tertiò differre possunt etiam tum ratione durationis, quia generatio fit in instanti: Alteratio fit successiuè, sed hæc est accidentalis differentia, cùm insit successio in Alteratione tantùm ratione qualitatum contrariarum: Quartò etiam ratione finis: nam generatio est propter se, Alteratio propter generationem, sed etiam hæc est accidentalis, vt mox patebit.

54. Qværes: an si impossibilis esset generatio, etiam esset impossibilis Alteratio, ita quod essentialiter ordinetur, vel non, Alteratio ad generationem.

Thomistæ vt Ioan. à S. Thoma aliique affirmant: Immò Ruuius *tract. 3. quæst. 1.* docet, quòd loquendo de Alteratione corruptiua etiam per potentiam Dei absolutam, si impossibilis esset generatio, etiam impossibilis esset Alteratio. S. Bonau. *lib. 4. dist. 44. part. 2. art. 2. quæst. 2.* negat hanc connexionem loquendo de quacunque vera Alteratione, licèt sit vera de Alteratione naturali, prout est dispositiua ad generationem, de qua *lib. 2. dist. 1. cit.* at absolutè

loquendo

Digitized by Google

loquendo non habet essentialiter talem connexionem: nam in Inferno erit continua Alteratio etiam ademptiua absque corruptione, & generatione, quæ Alteratio de se esset corruptiua, si subiectum à Deo non præseruaretur: ergo. Tum etiam quia, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ad* 3. priùs potest esse sine posteriori, à quo non dependet: ergo ingenerabilitas substantiæ potest esse sine ingenerabilitate, & incorruptibilitate qualitatum. Nec valet, si dicas non posse illam substantiam esse sine suis accidentibus conseruatiuis, quia Deus potest illam conseruare absque istis, tum quia multa sunt accidentia, quæ non inseruiunt ad conseruationem substantiæ.

Dices: Alteratio versatur inter contrarias qualitates mutuò se expellentes à subiecto, sed ista mutua expulsio essentialiter ordinatur ad expulsionem formæ substantialis: ergo si ista expulsio est impossibilis, etiam illa.

Respondetvr ex Meldul. distinguendo Minor. ista expulsio mutua ordinatur ad expulsionem formæ substantialis, distinguo, tanquam ad primarium effectum, nego, tanquam ad secundarium, concedo, obidque nec est essentialis ipsi Alterationi, expulsio enim formæ substantialis est formaliter, & etiam efficienter ab alia forma substantiali: efficienter verò ab agente, & dispositio formaliter ordinatur ad introducendam aliam dispositionem.

Contra: Ideò entia incorruptibilia sunt inalterabilia, quia sunt incorruptibilia: ergo Alteratio ordinatur ad corruptionem, & generationem essentialiter.

Respondetvr concedendo id esse verum de facto, non tamen de possibili, quasi hæc sit ratio intrinseca incorruptibilitatis, quod patet, quia dantur substantiæ corruptibiles, simulque inalterabiles, vt sunt Adamas, aliæque consimiles gemmæ: Vide S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *in corp. & ad* 2.

QVÆSTIO II.

An Alteratio sit motus continuus.

55. Primò supponendum ex traditis *in Phys.* aliud esse continuitatem, aliud successionem, continuitas enim ex vi nominis significat vnionem partium plurium eiusdem rei inter se: Successio verò significat pluralitatem rerum, quarum vna succedat alteri, siue posteà sint partes eiusdem rei, siue non: Continuitas verò alia est successiua, & est, per quam res plures habet partes succedentes vnitas inter se, vt in tempore: Instantanea, seu simultanea est, per quam res plures habet partes vnitas simul existentes æquè primò, vt si tota qualitas produceretur in vnico instanti in subiecto: Successiua verò alia est ratione subiecti, alia ratione termini: Prima est, cùm subiectum mouetur per partes post partes ad terminum, vt in motu, verbi gratiâ, animalis: Secunda est, cùm motus incipit per primam partem correspondentem primæ parti termini, deinde per aliam respondentem secundæ, vt in calefactione respectu caloris: Vtraque est successiua vel ab intrinseco, & per se, vt in motu vel ratione termini, qui

Digitized by Google

non possit acquiri simul totus, vel ratione spatij, & hoc præcipuè in motu locali naturali, vel est ab extrinseco, & per accidens, & est ratione applicationis agentis ad mobile, vel ratione alterius qualitatis contrariæ existentis in subiecto, quæ tota simul expelli non possit: Hinc cùm sit certum qualitatem quamlibet tam intensiuam, quàm extensiuam posse de facto in instanti acquiri in subiecto, & de facto aliquando acquiritur, vt dum lumen in medio tenebroso producitur, quæ productio, an sit rigorosè instantanea, an non, aliàs disputatum est, & in Conceptione Christi tota Alteratio præcedens facta est in instanti, vt dictum est: Quæritur modò, an quando agens non sit æqualiter præsens omnibus partibus subiecti, vt dum ignis calefacit lignum, vel in ipso subiecto sit resistentia qualitatis contrariæ; Alteratio tunc sit continua, an interpolata.

PRIMA opinio asserit Alterationem tam secundùm extensionem, quàm intensionem esse motum quemdam integratum ex pluribus mutationibus instantaneis non continuis, sed connexis per partes temporis, in quibus agens quiescit: Sic Capreol. Ferrar. Soncin. Iauel. & alij apud Mastrium *disputat. 3. num. 61.*

SECVNDA opinio est communis ferè omnium asserentium esse motum continuum successiuum, & est etiam Seraph: Doct. *infrà cit.* Pro solutione quæstionis

56. SECVNDÒ supponendum, diuerso modo fieri Alterationem extensiuam ab intensiua: nam extensiua fit per diuersas partes subiecti, ex subiecto enim Alterato agens educit priùs in vna parte qualitatem, & deinde in alia aliam, ex quibus postea fit vna qualitas extensa: Intensio verò fit in eadem parte subiecti, ex qua agens educit priùs vnum gradum, & deinde secundum, tertium, quorum primus est veluti dispositio ad eductionem alterius, sicque in latitudine intensiua plures gradus sunt in eadem parte subiecti, vel simul penetrati in toto subiecto. His positis sit

57. VNICA CONCLVSIO: Alteratio tam intensiua, quàm extensiua ex parte termini, siue secundùm se intrinsece est continua, & successiua, ex parte subiecti verò extrinsecè tantùm est successiua, cùm possit in subiecto introduci in instanri: Est S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1. in corp.* vbi docet in generatione substantiali interuenire motum continuum ratione dispositionum antecedentium: Idem affirmat *lib. 3. dist. 4. art. 3. quæst. 1.* & *lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 3. q. 1. ad 4. & 5. & alibi sæpè:* in quibus locis præcipuè *lib. 3.* docet secundam partem conclusionis.

PROBATVR autem prima pars: Agens applicatum passo agit continuè, & non per interpolationem; ergo & alterat continuè, & successiuè.

RESPONDET Arriaga negando antecedens, vult enim quiescere agens post productionem primi gradus per morulas, sed nos ipsas satis reiecimus *in Phys.* agentes de motu: & iuremerito, nam agens naturale naturaliter applicatum passo, & non impeditum semper, & continuè agit, vt ignis calefaciendo lignum, &c.

PROBATVR secundò: Agens introducit primum gradum sine interruptione: ergo & secundum, & tertium,

tium,

tium, & alios. Antecedens admittitur ab Aduerſariis. Probatur conſequentia: primus gradus non eſt indiuiſibilis, ſed habet partes virtute ſua ſuperantes reſiſtentiam contrarij, & diſtantiam medij, & diuiſibilitatem ſubiecti, & paſſi, ſed non eſt maior ratio de cæteris ſequentibus; ergo continuè fit Alteratio.

PROBATVR ſecunda pars, ſcilicet quòd ſit ſucceſſiua extrinſecè: nam, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 4. *cit.* tota Alteratio præparatiua in Conceptione Chriſti facta eſt in inſtanti: Vnde licèt illæ qualitates eſſent intenſæ, & extenſæ per continuationem, tamen omnes in ſubiecto ſimul æquè ptimò eductæ fuerunt.

58. OBIICIES: Intenſio qualitatis in partibus ſubiecti extenſa non habet ſua indiuiſibilia continuatiua, quibus poſſit continuari: ergo nequit eſſe continua. Probatur Antecedens, quia ſi habet talia indiuiſibilia, ea debet acquirere in inſtantibus temporis continui ipſis correſpondentibus, ſed non poteſt ea habere in ipſis inſtantibus: ergo. Probatur Minor. quia tantùm tria indiuiſibilia ſunt in qualitate: nempè indiuiſibilia extenſionis tantùm, tum terminatiua, tum continuatiua, vt in quantitate: Secundò indiuiſibilia intenſionis tantùm, quæ continuant partes extenſiuè intenſas: Tertiò indiuiſibilia intenſionis, & extenſionis ſimul, quæ continuant partes intenſiuas rei inextenſæ, vt eſt intenſio indiuiſibilis intenſi per plures gradus: Prima ſunt indiuiſibilia extenſiuè, diuiſibilia intenſiuè: Secunda ſunt diuiſibilia extenſiuè, & indiuiſibilia intenſiuè: Tertia ſunt indiuiſibilia omninò, & abſolutè: Sed prima indiuiſibilia non poſſunt continuare intenſionem, cùm ſpectent ad extenſionem tantùm, obidque & ſunt diuiſibilia intenſiuè: Nec item ſecunda, quia ſunt diuiſibilia extenſiuè, aliàs vtraque indiuiſibilia, quæ ſunt diuiſibilia in partes, illa intenſiuè, iſta extenſiuè, poſſent acquiri in inſtanti, quod eſt impoſſibile: ergo erunt vltima indiuiſibilia, quod etiam eſt impoſſibile, cùm nequeant eſſe continuatiua partium, quæ realiter diſtinguuntur ab ipſis partibus intenſiuis inhærentibus in indiuiſibili ſubiecto, cuius ſunt indiuiſibilia: ergo vera conſequentia.

59. RESPONDETVR ex Run. negando antecedens: Ad probationem reſpondetur concedendo maiorem, & negando Min. Ad probationem reſpondetur illa indiuiſibilia licèt ſint diuiſibilia extenſiuè in inſtanti temporis acquiri: eo modo quo ſuperficies in motu locali ſecundùm profunditatem acquiritur in inſtanti, provt eſt indiuiſibile profunditatis, licèt ſit diuiſibilis ſecundùm longitudinem, quia debet ille motus menſurari ſecundùm profunditatem, cuius indiuiſibile continuans eſt ſuperficies, ſic & indiuiſibile continuans intenſionem extenſam in partibus ſubiecti, licèt quoad extenſionem habeat contrarietatem, & ſit diuiſibile; quoad intenſionem tamen nullam habet contrarietatem, & in inſtanti acquiri poteſt, quia talis motus fit ſecundùm profunditatem: Vide Ruu. hîc, & Maſtrium *diſp.* 3. *quæſt.* 5. quæ doctrina tamen *in ſeq. quæſt.* magis elucidabitur vt in proprio loco: Addimus tamen falſum eſſe indiuiſibilia ſecundo loco poſita non eſſe diuiſibilia extenſiuè,

cùm

cùm sint in eadem parte compenetratæ simul.

Aliæ obiectiones Arriag. fundantur super morulas in his motibus ab ipso inuentas, quæ satis *in Phys. lib. 3. tract. 2. quæst. 2. ad 2. Concl.* expensæ, & reiectæ fuerunt.

QVÆSTIO III.

Quomodò qualitas extendatur, & intendatur, & remittatur.

60. MODICA, vel parua difficultas occurrit circa extensionem qualitatis, tum etiam quia in præcedenti quæstione satis in primo Notabili explicata est: nam certum est qualitatem esse diuisibilem, & secundùm varios gradus extendi per subiecti partes, à quibus extensiuè educitur: solùm potest esse difficultas, an illæ partes sint similares, an verò heterogeneæ, quod in sequenti quæstione explicabimus: Vnde tota difficultas, & quidem maxima reducitur ad intensionem, estque scitu valdè necessaria, & vtilis ob dicenda in Theologia de pluribus qualitatibus spiritualibus, earumque augmento, & diminutione.

Prima opinio est asserentium qualitatem intendi præcisè per maiorem abiectionem qualitatis contrariæ: Vnde calor dicitur maior, vbi minùs de frigiditate reperitur in subiecto, quam opinionem affert, & rejicit Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 2.* patet autem falsitas ipsius in gratia, & charitate in primo homine, & in Angelis, in quibus nihil contrarij præfuit.

Secunda opinio asserit Intensionem fieri per corruptionem qualitatis præcedentis adueniente alia perfectiori: Sic Dur. *lib. 1. disp. 17. quæst. 1.* Gofred. Auic. Gilbert.

Tertia opinio ponit qualitatem omninò simplicem in essentia, intensionem verò fieri per acquisitionem perfectioris existentiæ remanente eadem essentia: Ita Flandriensis, & alij à Toleto citati. A quibus non multùm differt D. Thomas cum suis asserens, qualitatem intendi per maiorem radicationem in subiecto: In qua mirum est, quàm variè loquantur Thomistæ in defendenda hac opinione, vt notat Meldul. *hic quæst. 2.*

Qvarta opinio est Seraph. Doct. affirmantis Intensionem fieri per nouam qualitatem superadditam priori, & per remissionem deperdi, loquendo de qualitatibus naturalibus, non verò de gratia quoad remissionem: Sic Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 17. part. 2. artic. 1. q. 1. & seq. per totum articulum*, & *lib. 2. dist. 27. quæst. 5.* quem & sequuntur Scotus ibid. Nomin. & plurimi recentiores Fons. Suarez *in Met. disp. 46. sect. 1.* Vasq. Hurtad. Arriag. estque communior: Pro solutione

61. Primò Notandum ex S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 27. artic. 2. quæst. 2. in corp.* quod multis modis aliquid potest augeri: Primò per impermixtionem sui contrarij, quo pacto aliquid dicitur albius altero, non quatenùs habeat plures gradus albedinis, sed quia est impermixtius nigro, de quo modo agit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 3. dub. 2. part. 1.* & *lib. 2. dist. 34. dub. 3.* & *art. 2. quæst. 1.* & *lib. 3. dist. 14. dub. 3.* Secundò quatenùs succedit maius minori, quomodò dies dicuntur augeri: Tertiò

per

per aggregationem multorum, vt lumen augescit in aëre per additionem multarum candelarum: Quartò per magnificationem rei in seipsa, quomodò costa Euæ fuit in seipsa augmentata, & quinque panes multiplicati: Quintò per additionem, vt in nutritione: Sextò per accessum ad summum: his duobus vltimis modis sustinet S. Bonauent. fieri intensionem qualitatis.

SECVNDÒ Notandùm, quòd fundamentum constituendi intensionem in qualitatibus est (ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *& seq.*) quantitas virtutis, seu actiuitatis, quæ augetur, & ratione cuius vna plùs potest, quàm alia eiusdem speciei, & eadem qualitas in vno, eodemque subiecto plùs, minúsve potest agere, & hoc præcisè ratione talis quantitatis virtutis præcisa quacunque alia re: nam per accidens potest dari, quòd eadem qualitas in se inuariata possit producere aliquem effectum perfectiorem ratione mutationis factæ in subiecto, verbi gratiâ, si subiectum fiat densius, vt calor in ferro ignito magis sentitur, quàm in ligno, vel palea, sed quando subiectum idem manet inuariatum, augmentum virtutis resolui debet in mutationem aliquam ipsius qualitatis, quæ est immediatè operatiua, sic & proportionaliter remissio virtutis ratione decrementi virtutis intrinsecæ: Hæc Serbellon. *disp.* 1. *num.* 101.

62. TERTIÒ Notandum, quòd gradus qualitatis dicitur à gradior, quasi gressus, quia per ipsum itur in perfectionem rei: Gradùs autem qualitatis est duplex, alius est specificus, alius indiuidualis: Primus est, quo ens determinatur ad certum genus, & speciem secundùm essentiam suam, isteque consistit in indiuisibili, quia dicit ipsam quidditatem præcisam. Et quia species dicit ordinem ad infinita indiuidua sub se possibilia: hinc gradus indiuiduales sunt portiones perfectionales formæ specificæ extra eius conceptum quidditatiuum, sed includentes ipsam formam specificam in suo conceptu, & inclusæ intra conceptum indiuidui: Vnde cùm sint veluti portiones perfectionales: ideò habent suam integralem perfectionem tum secundùm se, tum & multò magis vt simul aggregati in eodem subiecto, & quia sunt accidentia, ideò desumunt suam integralem vnitatem numeralem ab eodem subiecto, licèt secundùm se sint diuisibiles in plures partes, seu gradus numericè incompletè distinctos, quos Philosophi reduxerunt claritatis maioris gratia in octo, loquendo de naturalibus qualitatibus, quæ limitatio ipsis inest tum ratione potentiæ actiuæ, à qua producuntur, tum passiuæ, à qua recipiuntur limitato modo, supernaturales autem, cùm à Deo infundantur, & recipiantur secundùm potentiam obedientialem, possunt in infinitum syncathegorematicè augeri.

63. QVARTÒ Notandum, & supponendum id, quod *in præcedenti quæstione* dictum est de tribus generibus indiuisibilium scilicet partium extensionis, partium intensionis, & partium intensionis, & extensionis simul ipsorum indiuisibilium, quæ doctrina traditur à Ruu. *quæst.* 4. solúmque ab ipso discrepamus in hoc, quod ipse dicit indiuisibilia continuantia partes intensionis esse diuisibilia extensiuè, quod nos non admittimus, cùm, vt

Digitized by Google

ſuprà dictum eſt, ſint in eadem parte compenetrata, nec extenſa: His poſitis ſit

64. Prima Conclvsio: Non fit intenſio qualitatis per deſtructionem prioris gradus, & productionem perfectioris. Eſt contra Durandum, alioſque, & eſt S. Bonauent. & communis.

Probatvr primò: Nulla forma accidentalis expellitur à ſubiecto niſi per actionem contrarij agentis, aut deſitionem ſubiecti, aut remotionem conſeruantis, aut per incompoſſibilitatem, ſed nullo ex his modis poteſt deſinere forma minùs intenſa per aduentum nouæ perfectioris entitatis: ergo, dum intenditur forma minùs intenſa, non deperduntur priores gradus. Maior patet. Probatur Min. Eiuſque Prima pars patet: nam gradus aduenientes ſunt eiuſdem rationis cum prioribus, ſaltem non ſunt contrarij: ergo nec expellunt eos: Secunda pars item patet: nam ſubiectum non deſinit, aut corrumpitur: Item nec remouetur conſeruans, ſi aliquod ſit præter ſubiectum: immò permanet, verbi gratiâ, ignis: nec item per incompoſſibilitatem, quia ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei: ergo.

Probatvr ſecundò: Verus motus habet veram continuationem: ergo & Alteratio, ſed ſi partes præëxiſtentes corrumperentur in intenſione, ille motus non eſſet continuus, vt ſi intenſio caloris fieret per mediam horam: fieret enim per morulas, ſcilicet producendo, & deſinendo: ergo.

Probatvr tertiò: Quia variatis ſpeciebus Euchariſtiæ deſinit eſſe Corpus Chriſti, ſicque in Alteratione ipſarum deberet deſinere, quod eſt falſum,

Probatvr quartò argumento Theologico ex Scoto *lib. 1. diſt. 17. quæſt. 3.* Poteſt Deus, ſi vellet, conferre gratiam elicienti actum meritorium in eodem inſtanti, in quo operatur, & per conſeqüens in eodem inſtanti daretur augmentum habitus gratiæ, ſed in eodem inſtanti neceſſariò debet eſſe habitus præcedens, quia ipſe concurrit ad elicitionem actus, ob id enim eſt meritorius: ergo. Idem argumentum poteſt fieri in habitibus acquiſitis, qui concurrunt ad elicitionem actus, vt partialis cauſa, ſicque ſi præcedens habitus deperderetur, ſimul eſſet, quia cauſa ſupponitur in eſſe, & ſimul non eſſet, quia ſupponitur corrupta: Idem & in agentibus materialibus, quæ ad inuicem agāt, & patiantur, ſi enim calor agat in frigus, præſupponitur calor exiſtens, frigus autem, quia remittitur, deberet deſtrui, & aliud imperfectius totaliter produci: at illud antecedens frigus ſupponitur ſimul reagere in calorem: ergo ſimul eſſet, & non eſſet: Sic ex Meldul. *diſp. 3. num. 25.* Tum etiam quia frigus vt vnum agens in calidum vt octo remittit, verbi gratiâ, illum ad ſeptem gradus introducendo vnum gradum frigoris, ſicque in hac opinione frigus vt vnum produceret calorem vt ſeptem, non enim alia cauſa poſſet aſſignari in caſu, quo, verbi gratiâ, ignis eſſet remotus, quod eſt abſurdum: vnum enim contrarium non poteſt eſſe cauſa niſi deſtructiua ſui contrarij.

65. Obiicies primò: vt ſe habet vbi ad motum localem, ita forma ad Alterationem, ſed in motu locali eſt aliud, & aliud vbi: ergo & in Alteratione, & intenſione.

Respondetvr primò negando

do paritatem; ratio disparitatis est, quia illa vbi sunt incompossibilia, sicut etiam duæ qualitates contrariæ, non sic in intensione.

Respondetur secundò: negando Min. est enim vnum vbi continuatum totale.

Obiicies secundò: termini motus sunt incompossibiles, statim enim ac acquiritur terminus ad quem, desinit terminus à quo, sed in intensione terminus à quo est qualitas in esse remisso, terminus ad quem est qualitas in summo: ergo deperditur illa, vt ista acquiratur.

Respondetur concedendo Maiorem de terminis formalibus, & per se,& negando de materialibus,& concomitantibus: Ad Min. qualitas vt remissa est terminus à quo,concedo, est enim vera in sensu composito, idest terminus intensionis non potest esse terminus remissionis secundùm idem vt qualitas, nego, sed vt remissa dicit tantùm negationem maioris qualitatis, & sub tali negatione est teminus à quo: ideò talis negatio perit, quia secundùm entitatem qualitas, verbi gratiâ, calor non opponitur calori; quia se habet vt pars ipsius qualitatis intensæ: facit ad hoc egregia doctrina Seraph. Doct. quam tradit *lib. 1. distinct. 17. part. 2. quæst. 2. cit. & lib. 4. dist. 49. part. 2. artic. 2. quæst. 2.* vbi docet, quòd quædam recipiunt magis, & minus per contrarij permixtionem, vt quando vtrumque extremum est aliqua natura, vt album, & nigrum: quædam per accessum ad complementum, vt sunt, quorum opposita sunt priuationes, vt lux, & tenebra, vel quæ dicunt simul positionem, & priuationem, vt impossibile, quod dicit virtutem ad non patiendum, & priuationem patiendi: pari modo calor vt remissus dicit positionem caloris, & priuationem gradus vlterioris, sicque fit intensio per accessum ad summum per positionem, & non per destructionem, vt patet in augmento charitatis, & gratiæ: Sic *lib. 1. distinct. 17. part. 2. quæst. 1. ad 3. & 4.*

Dices: Gradus intensior continet virtualiter remissiorem: ergo remissior est superfluus.

Hæc obiectio soluitur in sequenti quæstione: Pronunc respondetur distinguendo antecedens, gradus superior continet virtualiter, & simul formaliter, nego; continet virtualiter tantùm, concedo; sic negatur consequentia, & ratio in sequenti quæstione adducetur.

66. Secunda Conclusio: Intensio non fit præcisè per maiorem impermixtionem, & depurationem à contrario, seu per maiorem priuationem eiusdem contrarij, nec per maiorem existentiam, & radicationem in subiecto: Prima pars est contra Platonicos: Secunda est contra Thomistas: Est tamen S. Bonauent. Scot. & communior.

Hic tamen nota, quod fundamentum Platonicorum est istud, verbi gratiâ, albedo potest considerari in triplici statu, scilicet perfectissimo, specifico, & diminuto: In primo nihil habet admixtum contrariæ qualitatis: In tertio transit in tertiam entitatem: ex albedine enim, & nigredine fit pallidum, dum sunt in statu diminuto: In secundo habet admixtum aliquid nigredinis, quæ doctrina est falsa ex hac vltima parte: nam falsum est albedinem habere admixtam nigredinem, tum etiam quia dato,quod aliquis gradus nigredi-

nigredinis esset in subiecto, tamē non posset dici formaliter albedo intendi ratione deperditionis nigredinis.

PROBATVR prima pars: Quia dantur formæ non habentes contrarium, vt lumen, & lux, gratia, visio, & charitas, &c. tamen intenduntur: dantur etiam aliquæ formæ habētes contrarium positiuum, & tamen sunt incompossibilles in quocunque gradu, vt sunt, v. g. actus erroris, & scientiæ circa idem obiectū, quia circa idem obiectum inuoluunt contradictionem: dantur & aliæ, quæ non necessariò præsupponunt formas oppositas in subiecto, vt sunt habitus virtutum, & tamen intenduntur: ergo intensio præcisè non fit per impermixtionem contrarij; sic etiam cùm volitio non admittat simul nolitionem oppositam, sequeretur, quòd quælibet esset intensissima. Tum quia intensio albedinis est dealbatio, sed omnes motus specificantur à termino ad quem, non à quo: ergo terminus specificans hunc motum non est amotio nigredinis. Tum quia intensio est actio generatiua: ergo habet præcisè pro termino aliquid de nouo productum, licèt concomitanter adsit corruptio contrarij. Tum quia perfectio vnius formæ maior respectu alterius cognoscitur non ratione maioris priuationis, sed per accessum ad summum intra eandem speciem: ergo non fit intensio per priuationem sui contrarij.

PROBATVR secunda pars contra Thom. Tum quia existentia emanat semper eodem modo ab essentia, ergo hac inuariatâ semper eandem causabit existentiam. Tum quia existere dicit rem extra causas positam, sed quæcunque entitas producta est in summo extra suas causas: ergo non admittit magis, & minus.

PROBATVR secundò: hoc magis radicari in subiecto vel dicit aliquam mutationem ipsius qualitatis, vel non; si non: ergo qualitas non potest dici magis intensa, vel minùs remissa, nec magis, vel minùs radicata; si primum: hæc mutatio vel erit realis, & entitatiua, vel est formalis tantùm, & consistens in sola formalitate intentionali: si primum: ergo cùm non corrumpatur prior entitas, noua alia supperadditur, sicque erit additio per partes, & gradus.

PROBATVR consequentia, quia quod de minùs tali fit magis tale, hoc habet per aduenientem realitatem: ergo per nouum gradum: si verò consistit in sola formalitate, & intensione per intellectum, nec etiam poterit per hanc magis esse intensa. Tum quia maior radicatio pertinet tantùm ad extensionem vel in eadem parte, vel in diuersis partibus subiecti, non ad intensionem. Tum quia per intensionem crescit virtus agendi, sed virtus agendi commensuratur entitati rei: ergo & entitas rei crescit. Tum quia etiam accidentia separata à subiecto habent intensionem maiorem, & minorem. Tum quia intensio est actio realis: ergo habet terminum realem nouum: est enim per accessum ad suum summum, non per recessum à suo contrario: ergo est per aliquid de nouo productum. Tum quia, vt docet Arist. 4. *Phys. t.* 84. eodem modo aliquid fit magis calidum, quo fit calidum, sed fit calidum per qualitatem nouam: ergo fit magis calidum per nouum calorem. Istis rationibus varij variè respondent Thomist. ita quod potest verè dici quot capita tot

tot sententiæ: Vnde hoc est signum manifestum debilitatis, & leuitatis huius sententiæ, vt videre quis potest apud Ruuium, Mastr. Serbellon. Arriagam, Suarez, aliosque communiter.

67. Tertia Conclvsio: Intensio fit per additionem gradus ad gradum in qualitatibus: Est S. Bonau. cit. Scot. & communissima. Et sequitur ex refutatione aliarum sententiarum, & iterum ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 17. part. 2. quæst. 1. & 2.* confirmatur, quia per intensionem augetur virtus intrinseca qualitatis, sed virtus radicaliter non distinguitur ab ipsa entitate: ergo si augetur virtus, augetur & entitas.

Et si dicas virtutem distingui ab entitate.

Contra, ait S. Bonauent. Illa virtus vel habet essentiam, vel non: si habet: ergo vel distinguitur à sua virtute, vel non, sicque erit processus in infinitum: si non: ergo erit idem cum essentia. Tum quia incrementum extensiuum qualitatis consistit in additione partis ad partem respectu diuersarum partium subiecti: ergo & incrementum intensiuum debet esse in eadem parte subiecti per additionem partis ad partem: Extensio enim, & intensio differunt per hoc, quod illa est augmentum per partes diuersas subiecti, ista in eisdem partibus. Tum quia charitas, & gratia verè in intensione augentur, sed augmentum est præëxistentis quantitatis additamentũ: ergo vbi est augmentum, ibi est additio entitatis eiusdem generis. Tum quia per intẽsiorem gratiam anima fit Deo gratior, sed per principium gratiæ erat Deo grata: ergo si fit magis grata, fiet per nouam gratiam. Tum ex visione beata, quæ est repræsentatio Dei, fitque maior, vel minor, sed cùm hæc expressio Dei maior, & minor sit entitatiua, non potest ei inesse ex subiecto, subiectum enim est ei extrinsecum. Tum quia, vt arguit Scotus, potest Deus in eodem instanti elicitionis actus meritorij augere gratiam, sed in tali casu gratia præcedens concurrit ad elicitionem actus simul cum voluntate: ergo in augmento non corrumpitur præcedens qualitas.

68. Obiicies primò ex Aristot. apud S. Bonauent. *cit.* Subiectum fit magis calidum nullo facto in materia calido, idest nullo calore facto in materia. Tum & *3. Top. cap. 4.* quæ ex contrariis sunt impermixtiora, sunt magis talia; quod & videtur etiam asserere S. Bonauent. *lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 3. quæst. 1. & alibi.*

Respondetvr has, & consimiles authoritates nobis non aduersari: nam, vt rectè exponit Serbellon. verè dum calidum fit intensius, non fit mutatio absolutè de non calido, sed de calido in calidum: Meld. ait velle indicare non mutari subiectum per aduentum nouæ formæ contra dicentes aduenire nouum subiectum per nouos athomos. Nos ex S. Bonauent. *lib. 1. distinct. 17. part. 2. q. 1. ad vltim.* Respondemus verificari de mutatione substantiali: non verò de accidentali, mutatur enim subiectum accidentaliter. Et ad alium textum, quod quæ sunt ex contrariis impermixtiora, ea sunt magis talia, idest, plus intensa.

Respondet Meldul. hanc propositionem non debere sumi in sensu formali, vel identico quasi impermixtio sit ratio formalis intensionis, sed in sensu concomitante: verum

Digitized by Google

enim id est concomitanter, quæ responsio est vera. At Seraph. Doct. assignat rationem fundamentalem talis responsionis dicens *lib. 4. dist. 49. part. 2. cit.* & *lib. 2. distinct. 34. dub. 3.* & *art. 2. quæst. 1. ad 2.* & *lib. 3. dist. 14. dub. 3.* quod id dicitur purius, quod est impermixtius contrario: quando vtrumque extremum est natura, scilicet quid purè positiuum, & in hoc sensu verum est id esse calidius, quod minùs habet de frigore (quod tamen intellige non in sensu formali, vt dictum est) sed quando vnum extremum est vel priuatio, vel priuatio cum positione; ita tamen, quòd priuatio habet rationem termini: non est verum, vt est in proposito, nam id intensius dicitur, quod magis recedit à remisso, & magis accedit ad suum summum.

Obiicies secundò: Qualitatem intendi est perfectiùs inhærere subiecto: ergo est perfectiorem vnionem habere cum subiecto: ergo hæc est ratio intensionis. Confirmatur, quia sicut quantitas in rarefactione absque additione noua fit magis extensa in subiecto, sic & qualitas fit magis intensa per radicationem in subiecto.

Respondetvr si, ly *perfectius*, cadit super inhærere, negatur: si cadit supra qualitatem, conceditur, sed hinc negatur consequentia: immò ex hoc infertur noua additio qualitatis. Et ad confirmationem negatur paritas ex S. Bonauent. *lib. 1. dist. 17. part. 2. quæst. 1. ad 3.* nam rarefactio non est motus ad quantitatem, sicut intensio est ad qualitatem.

Obiicies tertiò: Duo accidentia numero non possunt eidem subiecto inesse: ergo nec plures gradus solo numero distincti: & hoc est vnum ex præcipuis fundamentis Thomistarum.

69. Cvi variè varij respondent, & Meldul. respondet accidentia indiuiduari seipsis, vt aliàs dictum est, & probatum: dici verò indiuiduari extrinsecè à subiecto, quæ regula tamen non semper valet, & maximè quando plura accidentia diuersa numero habent diuersa munera, quæ à quolibet non possunt exerceri, vt est in casu nostro: nempè ratione maioris virtutis, & perfectionis, quæ doctrina licèt sit vera, & sufficienter satisfaciat difficultati propositæ, & est conformis etiam doctrinæ Seraphicæ aliàs traditæ agendo de hac materia, tamen meliùs respondetur ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad vlt.* quòd cùm vnus gradus sit vnibilis, & in potentia ad vniri cum alio ratione suæ imperfectionis, sic ex illis duobus fit vnum numero integratum ex pluribus partibus, quod & patet in quantitate, & in aliis totis integralibus: Vnde licèt quilibet gradus secundùm se distinguatur numero ab alio, hæc distinctio tamen est imperfecta, obidque potest stare cum multiplicitate aliorum coëuntium in vnum numero, & hoc maximè quia, vt ait S. Doct. *lib. 1. dist. 2. dub. 7.* in continuo distinctio vnitatum fit per diuisionem: ergo vbi non est diuisio, ibi non est distinctio vnitatum, & eò magis, quia isti gradus sunt heterogenei, vt in sequenti quæstione patebit.

Contra instant: quia forma accidentalis est simplex, & purus actus carens compositione, & consistens in indiuisibili etiam ad mentem Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 23. art. 2. quæst. 5. ad 4.* ergo falsa responsio. Tum quia forma non est in potentia ad formam. Tum

Digitized by Google

Tum quia forma est rei essentia, sed essentia non suscipit magis, & minus: ergo nec potest fieri ei additio nouæ essentiæ.

70. RESPONDET Ovied. *contr.* 4. *part.* 4. *num.* 33. formam accidentalem esse purum actum respectu subiecti, & concreti, non verò respectu sui, cùm sit diuisibilis in partes integrantes, & in plures actus.

CONTRA: ergo in illo subiecto non est primo gradui vnibilis alius gradus, cùm sit ei purus actus.

HINC respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim. cit.* & *lib.* 2. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. dupliciter: Primò, quòd forma qualitatiua accidentalis est simplex per priuationem partium quantitatis molis, non verò virtutis, & secundùm tale genus partium est augmentabilis: & ratio est, quia cùm forma accidentalis, & qualitas sit capax maioris, & minoris perfectionis, cùm de se sit imperfecta, habet capacitatem ad perfici, estque in potentia non ad conuersionem, sed ad vnionem, & tunc pars augmentabilis se habet in ratione passiui, & augmentans in ratione actiui, & formæ actuantis, quia dat quantitatem perfectam, & per talem vnionem fit vnum totum integrale numero: Secundò respondet Seraph. Doct. *ibid. lib.* 2. *dist.* 27. *citat.* & *lib.* 1. *distinct.* 17. *ad* 3. quod in quanto virtutis augmentum per accessum ad summum non ponit compositionem, sed quandam maioris simplicitatis, & vnitatis perfectionem, & ideò tale augmentum non repugnat qualitati: differunt enim, ait Seraph. Doct. quantum molis, & quantum virtutis, quod in quanto molis simplicissimum est minimum, & compositissimum est maximum: ideò accessus ad simplicitatem est per diminutionem, recessus è contra est per additionem: In quanto verò virtutis simplicissimum est maximum, & ideò accessus ad simplicitatem est per additionem nouæ quantitatis virtutis: hinc est, quòd qualitas augmentata est purior, & simplicior. Et ad id de forma consistente in indiuisibili Respondet Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *cit. quæst.* 1. *ad* 1. verum esse de forma vniuersali: item & de ipsa singulari secundùm se, idest, secundùm prædicata quidditatiua, non verò prout est in alio, idest in hoc, vel illo subiecto, & indiuiduata, & quoad partes integrales, vt dictum est, sicque solùm dicitur essentia formæ variabilis materialiter, non verò essentialiter, cùm qualitati addatur qualitas eiusdem rationis, & essentiæ, solúmque dicitur variari, seu multiplicari numericè incompletè, sicuti gradus distinguuntur inter se numero incompletè, vt quando calor extenditur in subiecto, vel imminuitur, acquirit, vel deperdit nouas partes sine mutatione ipsius essentiæ, ita qualitas, dum intenditur, aut remittitur, mutationem tantùm materialem suscipit non formalem, & essentialem.

DICES: plures gradus, v. g. caloris sunt separabiles, & tunc sunt plures formæ numero differentes, sed non amittunt per vnionem propriam entitatem, & vnitatem: ergo erunt in eodem subiecto plura accidentia numero solùm differentia: Sic etiam docet Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 9. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2.

71. RESPONDETVR ex Seraph. Doct. ex doctrina suprà tradita tum ex

Digitized by Google

ex lib. 2. distinct. 13. quæst. vltim. & *lib. 2. distinct. 26. art. 1. quæst. 5. ad 3.* & *distinct. 41. quæst. 2. ad 1.* primò quemlibet gradum retinere suam entitatem, sed incompletam, & ob id. ratione vnibilitatis, & vnionis reduci omnes illos gradus in vnam vnitatem completam: Secundò quòd indiuidua consimilia possunt considerari, prout sunt sub vna specie: sicque differunt accidentaliter, & numericè: possunt & sumi, quatenùs vniuntur in vno subiecto ad vnam formam complendam: sic omnia simul sumunt vnitatem ab vno subiecto: Hinc negatur consequentia.

DICES: Qualitas in summo constituitur ex pluribus speciebus: ergo non potest esse vna numero.

PROBATVR antecedens, quia calidum vt duo differt specie à calido vt tria, sicque successiuè vsque ad summum.

RESPONDET S. Bonauent. *lib. 2. dist. 9. art. 1. quæst. 1. ad 2.* negando antecedens; Ad probationem respondetur negando calorem vt duo distingui specie à calore vt tria, sed benè calidum vt duo à calido vt tria: ratio est non ob calorem, cùm sit accidens, sed quia per diuersitatem caloris infertur diuersitas mixtionis elementorum, quæ facit diuersitatem specificam: Vndè simpliciter, & absolutè sumendo eandem qualitatem secundùm maiorem, & minorem intensionem, nullam in se importat diuersitatem specificam, vt patet in gratia, in visione beata, in gloria, & similibus, licèt adsit aliqualis differentia indiuidualis imperfecta.

DICES: ergo poterit augeri in infinitum.

RESPONDETVR negando consequentiam, est enim quid finitum tum ratione sui, tum ratione partium componentium, tum ratione limitationis agentis, & subiecti.

72. QVARTA CONCLVSIO: Remissio qualitatis naturalis eodem modo pariter fit, scilicet per deperditionem gradus, & gradus: Est communis cum Authoribus quartæ opinionis, & Seraph. Doctor. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 3.* qui sustinent in deperditione noui, & noui gradus non totaliter qualitatem deperdi, aliamque de nouo generari, vt dicebant Authores secundæ opinionis suprà allatæ, sed partem tantùm.

PROBATVR: Quia diminutio est motus vel ad quantitatem, si est in quantitate, vel ad qualitatem, si est in qualitate, & dicitur remissio, motus, inquam, eo modo quò infrà dicetur, sed in quantitate non est totalis quantitatis, ergo nec in qualitate erit totalis: vterque enim, vt dictum est, motus est successiuus eodem modo factus in subiecto. Tum quia diminui est minùs esse, quàm erat priùs: ergo est partis: ergo est gradus: ergo remanet alia pars: ergo est inter duos terminos, quorum vnus est positiuus, alter negatiuus. Tum quia si v. g. in remissione caloris in aqua ab octauo gradu ad septimum, vel sextum reproduci debet calor vt sex, vel septem, requiritur agens ipsum producens, sed non potest assignari: ergo. Probatur minor: non potest assignari agens nisi vel suum contrarium, sed id est impossibile, cùm potiùs sit destructiuum, vel est aqua, & hoc non, quia aqua in se continet principium oppositum cuilibet intensioni caloris, vel aër ambiens, & hoc non, quia

quia poteſt eſſe frigidior ipſa aqua: ergo cùm aſſignari non poſſit agens producens totam qualitatem, remanet pars ipſius qualitatis remiſſæ. Ex quibus ſequitur, quod remiſſio, ſicut & diminutio non ſunt propriè motus, ideſt quatenùs motus eſt alicuius termini poſitiui acquiſitiuus, ſed impropriè: Vnde differunt intenſio, & remiſſio eſſentialiret, ſpecie tamen negatiua, nam intenſionis termini ſunt poſitiui: at terminus à quo remiſſionis eſt qualitas, & terminus ad quem eſt non eſſe eiuſdem qualitatis partialis, cum connotatione tamen permanentiæ qualitatis minoris: Et probatur: quia motus diſtinguuntur ſpecie per terminos, ſed intenſio, & remiſſio tendunt ad terminos diuerſos ſpecie: terminus enim ad quem intenſionis eſt qualitas maior, remiſſionis verò eſt non eſſe eiuſdem: ergo.

73. Obiicies: Remiſſio tendit à maxima ad minorem qualitatem; ergo diſtinguuntur ſpecie poſitiua. Probatur antecedens: remiſſio terminat ad qualitatem habentem diuerſum modum, quam priùs habebat, ergo.

Respondetvr negando antecedens: Ad probationem reſpondetur negando antecedens: terminat enim remiſſio ad non eſſe qualitatis antecedentis, ſicut corruptio ad non eſſe ſubſtantiæ, licèt per accidens ſequatur ille nouus modus eſſendi qualitatis permanentis. At hîc aduerte me notanter dixiſſe in concluſione remiſſionem qualitatum naturalium fieri gradatim: nam loquendo de ſupernaturalibus qualitatibus alio modo eſt diſcurrendum: Sic ſubdit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. hanc doctrinam verè notabilem: qualitas naturalis verè remittitur per deperditionem gradus, & gradus, non ſic charitas, & gratia: hæc enim cùm admittat augmentum per actus meritorios gradus ad gradum, non tamen tali modo diminutionem: cùm enim ſuum oppoſitum ſit ſolùm peccatum mortale (Veniale enim non opponitur ipſi) idcò vel totaliter tollitur, vel omnimodè remanet: in quo apparet, quomodò Deus eſt pronior ad miſerendum, & donandum, quàm ad condemnandum, & auferendum.

Qværes; quomodò diſtinguitur Alteratio ab intenſione, & remiſſione.

Respondetvr diſtingui tanquam magis, & minus commune: Alteratio enim eſt motus à priuatione qualitatis ad qualitatem, præſcindendo, quòd ſit, vel non ſit ad perfectiorem: Intenſio verò eſt ad maiorem, & remiſſio ad minorem.

74. Qvinta Conclvsio: In intenſione, & extẽſione neceſſariò debent dari indiuiſibilia tam continuantia quàm terminantia: Eſt communis contra aliquos paucos *cit.* in Phyſica in tractatu de quantitate continua.

Probatvr: quia Alteratio, intenſio, & extenſio qualitatis eſt motus continuus, & ſucceſſiuus: Item & ipſa qualitas eſt quid continuum habens partes poſt partes: ergo habet indiuiſibilia ipſas copulantia, & terminantia.

Obiicies: Quia qualitas componitur ex indiuiſibilibus minimis ſicut quantitas: ergo non habet indiuiſibilia continuantia.

Respondetvr concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: non habet indiuiſibilia continuan-

Digitized by Google

tia Mathematica, nego: Physica, concedo: Vide, quæ tradita sunt à nobis in Physica de compositione continui *ad Concl.* 3. spectant enim etiam ad qualitatem.

Contra: Intensio qualitatis extensa in partibus subiecti non habet sua indiuisibilia continuantia, quibus possit continuari: ergo nequit esse continua: Probatur antecedens: Ista indiuisibilia continuatiua debent respondere instantibus continuatiuis temporis mensurantis illam intensionem, & in illis acquiri, sed non possunt acquiri: ergo. Probatur Min. quia indiuisibilia hæc non sunt illa, quæ continuant extensionem, cùm intensiuè sint diuisibilia, possunt enim intendi: ergo in instanti non possunt acquiri, sicut nec eorum intensio: nec sunt indiuisibilia intensionis, quia sunt diuisibilia extensiuæ intensionis: nec tertiò sunt indiuisibilia omninò, quæ continuant partes intensiuas rei inextensæ, scilicet indiuisibilium copulantium partes intensionis, quia sunt in diuerso subiecto à partibus ipsius qualitatis: ergo nullo modo dantur.

75. Pro responsione Notandum ex Ruuio *de Æter. quæst.* 4. & Meldul. *disp.* 3. *num.* 19. & 68. quod sicut in augmentatione, quod acquiritur in instanti, est superficies, & per consequens etiam linea, & punctum, eo quia augmentatio fit secundùm profunditatem, cuius indiuisibile continuatiuum non est punctum, nec linea, sed superficies: pari modo qualitas, dum extenditur, extenditur secundùm profunditatem subiecti, ideò eius indiuisibile continuans est latitudo qualitatis absque profunditate in superficie terminata, & quia in eodem tempore fit etiam intensio in subiecto secundùm gradus vniformiter difformiter: ideò & hæc habet sua indiuisibilia continuantia, quæ quia sunt capacia latitudinis intensiuæ, ideò & istæ partes indigent indiuisibili copulante ipsas, & hinc discrimen inter hæc tria indiuisibilia: nam primum est indiuisibile secundùm extensionem, non secundùm intensionem: Secundum indiuisibile secundùm intensionem, non secundùm extensionem, idest quod continuat partes extensiuè intensas: & Tertium indiuisibile vtroque, & absoluto modo, quia continuant partes intensiuas rei inextensæ: sic calor vt vnum vt duo in manu tota reperitur & extensus, & intensus, & copulatus in vnum, quæ omnia in vnico instanti temporis acquiruntur: sicut eodem tempore acquiruntur simul partes extensæ, & partes inextensæ in partibus subiecti fundatæ, & partes intensæ existentes in indiuisibilibus subiecti. Hinc respondetur argumento; in quolibet instanti simul acquiri illa tria indiuisibilia eo modo, quo dictum est de superficie, longitudine, & puncto.

Dices: In indiuisibili intensionis acquiruntur partes: ergo illa indiuisibilia non habentur in instanti.

Respondetur, transeat antecedens, negatur Consequentia: aliud enim est loqui de partibus; aliud de indiuisibilibus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An gradus qualitatis, secundùm quos fit Intensio, vel Remissio, sint homogenei, an heterogenei.

76. QVæstio proponitur non de diuersitate secundùm esse specificum: certum enim est omnes gradus esse homogeneos in eadem specie; sed procedit de diuersitate numerica perfectionali; nempè an omnes sint eiusdem perfectionis: an verò sint heterogenei, & diuersæ perfectionis, ita quod secundus gradus contineat perfectionem vel formaliter, vel eminenter primi, & tertius perfectionem primi, & secundi, & deinceps an verò tam primus, quàm secundus, tertius, quintus, & octauus sint æqualis perfectionis.

Prima opinio est communis plurium Antiquorum, & Recentiorum, Scoti, Nomin. Vasquez *part.* 2. *disput.* 82. *cap.* 6. Conimbric. Ruu. Arriag. asserentium omnes gradus qualitatis intensæ esse homogeneos.

Secunda opinio est Suarez *disp.*42. *M.t. sect.* 1. *num.*29. Hurtad. *disput.* 5. *de gener. sect.* 6. Serbellon. *hic art.*8. aliquorumque aliorum asserentium esse heterogeneos: cum hac secunda opinione puto Seraph. Doct. stare, sed cum moderatione infrà ponenda: Pro solutione quæstionis

Primò Notandum ex Scoto *lib.* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. quod formam suscipere magis, & minus aliud non est, quàm ipsa magnitudo formæ vel ratione extensionis in tanto, & tanto, subiecto, vel ratione intensionis in eadem parte subiecti proueniens ex latitudine graduali formæ: gradus autem alius est quidditatiuus, & hic consistit in indiuisibili, alius est perfectionis indiuidualis, secundùm quam magis, vel minùs perfectè informat materiam: quò enim magis accedit ad summum, eò perfectiùs informat subiectum: Sic Seraph. Doct. *infrà cit.* hanc autem latitudinem negant in formis substantialibus multi. Alij ipsam admittunt, inter quos est Seraph. Doct. plurimis locis intra tamen limites speciei: Sic *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *dub.*2. & *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. & *art.* 2. *quæst.*2. *ad* 1. & 3. & *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *dist.* 9. *art.*1. *quæst.* 1. *in corp.* & *ad* 2. sic & Faber *Theor.* 55. Auerroistæ, & alij. Et si id admittitur in formis substantialibus, multò magis in accidentalibus absque eo, quod fiat præiudicium vnitati specificæ: Vnde in ipsis stare potest diuersitas gradualis cum subordinatione secundùm magis, & minus, prout sunt partes componentes totum Physicum integrale intensionis, sicque talis diuersitas erit in prædicatis materialibus, non formalibus, quæ diuersitas graduum etiam in toto Metaphysico recognoscitur à Philosophis: Vnde cum tali diuersitate indiuiduali graduum qualitatis benè stat vnitas specifica, & ipsorum subordinatio ad vnam completam indiuidualitatem eo modo, quo etiam euenit in toto integrali heterogeneo Physico, in quo sunt plures partes indiuiduales subordinatæ totali eiusdem totius. Vide Serbellon. hîc.

77. Secundò Notandum ex S.

Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. quod quantum molis differenrer augetur, ac quantum virturis : nam in quanro molis simplicissimum est imperfectissimum, quia est per diminutionem, & in hoc verum est, quòd quantò aliquid est magis compositum, tantò est perfectius : & è contra, quantò minùs est compositum, est imperfectius : In quantò virtutis simplicissimum est maximum, quia accessus ad simplicitatem est per additionem virtutis, &maioris puritatis,& perfectionis,& in hoc verificatur, quòd quantò aliquid minùs est compositum partibus materialibus,est minus perfectum, & quantò magis est compositum partibus formalibus, & actiuis, est magis perfectum : & hinc maior ignis est virtuosior non ratione quantitatis molis, sed ratione maioris virtutis,& perfectionis,& accessus ad summum : Ex qua doctrina infero, quòd gradus magis accedentes ad summum sint virtuosiores vniformiter difformiter.

78. Tertiò Notandum ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *cit. quæst.* 2. *ad vltim.* quod augmentatio in qualitatis intensione fit per additionem gradus ad gradum, quæ non est pura aggregatio, sed est vera constitutio entis completi ex hoc, quod cùm primus gradus ferat secum suam perfectionem simul cum imperfectione : obidque & perfectibilitatem, & vnibilitatem cum alio perfectiori, & sic deinceps vsque ad vltimum gradum totaliter perficienrem qualitatem : ex qua doctrina sequitur, quod in sententia Seraphica necessariò debet assignari heterogeneitas in istis gradibus, quod patet in vltimo, in quo non adest vnibilitas, & perfectibilitas ad alium : quod si essent eiusdem rationis, vltimus haberet se passiuè ad septimum, & septimus ad sextum, & sic deinceps, & ob id haberent mutuam passiuitatem, quod est impossibile secundùm eandem rationem : id enim est vnibile alteri, quod est ab eo perfectibile, non quod est perfectiuum ipsius, quam diuersitatem appellat Seraph. Doct. accidentalem *lib.* 2. *dist.* 9. *quæst.* 1. *ad* 2. His positis sit

79. Vnica Conclvsio : Gradus qualitatis sunt heterogenei in perfectione indiuiduali, ita vt vnus indiuidualiter est perfectior altero : Est contra communem sententiam : est tamen Suarez *in Metaph. disput.* 46. *sect.* 1. 2. 29. *& seq* Hurtad. Morisan. Murciæ,Coninch. Fernellij,Pici Mirandul. Niphi Anglici, aliorumque apud Aresium, quam esse etiam Seraph. Doct. satis probatum est *in* 3. *Notab.*

Probatvr primò ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 2. 3. 4. Augmentum in quanto est præexistentis quantitatis additamentum : ergo & in qualitate : subsumo, sed in quantitare non est necesse, vt partes sint æquales, vt in pyramide partes assignabiles ab angulo superiori ad basim sunt indiuidua incompleta ipsius inæqualia in extensione : ergo & in qualitate : Confirmatur ex doctrina Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *quæst.* 2. *ad vltim.* gradus, quò magis accedunt ad summum, eò sunt perfectiores : ergo & habent heterogeneitatem.

Probatvr antecedens, quia gradus inferiores habent cum sua perfectione vnibilitatem, & perfectibilitatem,

Digitized by Google

litatem, quam minimè, vel saltem non tantùm habet superior, & multò minus supremus: ergo.

PROBATVR secundò: Si gradus qualitatis essent eiusdem perfectionis indiuidualis, simile posset agere in simile, verbi gratiâ, subiectum calidum vt vnum posset calefacere aliud calidum vt vnum, & quidem vsque ad octauum gradum, sed hoc est absurdum: ergo cùm agens agat tantùm in dissimile, vt ipsum reddat sibi simile, vt obseruat Seraph. Doct. *lib.4. distinct.44. part. 2. art.3. quæst.2. ad 1. & 2.* quod & infrà probabitur suo loco, gradus debent esse heterogenei.

PROBATVR Maior: secundus gradus, item & tertius, & quartus, &c. sunt eiusdem omninò perfectionis cum primo gradu, sed calidum vt vnum potest producere primum gradum: ergo & poterit producere alium, & alium vsque ad octauum.

80. HVIC argumento communiter respondent negando sequelam ex hoc, quod datâ illa qualitatum similitudine, adhuc agens non potest agere in simile, quod tantùm ab experientia, & à posteriori potest probari, non à priori, & in hoc sistendum est, dicunt Meldul. *disp.3. num. 43. ad 1. & 5.* Arriag. *disput. 3. de gener. sect. 2. n. 53. seq.* In quo tamen deficiunt à munere Philosophorum, cùm habeatur ratio à priori ab Arist. tradita, & à Seraph. Doct. *lib.4. dist. 44. part. 2. art. 3. quæst. 2. arg. 2.* nempè quia agens agendo intendit suam similitudinem in passum imprimere: idque infertur ex eo, quod agens agit secundùm totam suam virtutem in passum, producere tenetur, quicquid potest: obidque & veluti seipsum imprimere: Hinc confirmatur, & magis vrgetur hæc ratio: Secundus gradus siue sit supra primum, siue non, est omninò eiusdem perfectionis secundùm Aduersarios, nihil enim acquirit maioris perfectionis ex eò, quod sit supra primum, sed tantùm denominationem extrinsecam durationis, vel ordinis, scilicet eo, quod sit secundo loco genitus: ergo secundus gradus caloris poterit produci à primo, cùm non plus excedat vires primi, quàm primus alterius primi. Neque dicas, cum Meldul. id, quod est actiuum, est ipsum quale, quod est actu: ex qualitate enim, & subiecto integratur vnum agens totale: Vnde non potest produci id, quod est magis actu ab eo, quod est minùs actu: ideò calidum vt vnum, non potest producere calidum vt duo. Non valet, inquam, quia passum calidum vt vnum non est perfectius in actu respectu vnius alterius gradus producendi, quàm sit aliud subiectum carens omni calore respectu vnius gradus producendi: immò neque est vlla ratione in actu, sed tantùm in potentia respectu illius alterius gradus producendi: ergo cùm calidum vt vnum sit agens aptum ad producendum vnum gradum caloris, poterit illum producere in calido vt duo, vt tria, &c.

RESPONDENT Alij: Ideò calidum vt vnum non posse agere in aliud calidum vt vnum, quia finis agentis est assimilare sibi passum: ergo cessante fine cessat actio: ergo cùm passum sit iam simile, non habet, quod recipiat ab agente.

CONTRA primò: Ideò agens debet sibi assimilare passum, quia supponit in passo capacitatem, & virtutem actiuam, vt id, quod potest produci, sit

Digitized by Google

fit omninò æquale cum virtute productiua, sed in subiecto calido vt vnum supponitur capacitas alterius primi gradus, & agens calidum vt vnum semper est in actu ad producendum gradum similem: ergo poterit producere alium gradum in subiecto calido vt vnum.

Contra secundò: Quia, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 39. *dub.* 2. agens in actu applicatum passo in potentia, & non impeditum producit semper suam similitudinem in ipsum, sed calidum vt vnum est agens in actu, & calidum vt duo est in potentia ad alium gradum: ergo.

Instat contra nos Arriaga: nam agens non habens contrarium resistens non assimilat sibi perfectè passum, vt patet in Sole producente lucem in aërem non tantam, quantam habet in se, alioquin tanta esset Lux in Cœlo, quanta apud nos: Idem & patet in speciebus impressis, quæ deficiunt à perfectione suæ originis.

Sed hæc instantia est nulla, & maximè ad principia Seraphica: nam Sol habet in se lucem formam substantialem: ideò non immittit suam lucem, qualem habet in se ad inferiora, cùm sit ingenerabilis: immittit quidem lucem, seu splendorem accidentalem tanquam causa, siue sit æquiuoca, siue vniuoca cum diffundendo per aërem, qui ob raritatem non sentitur cum tanta intensione, sicuti fit, verbi gratiâ, in speculo per reuerberationem: Idemque dicendum de specie ab obiecto generata tanquam à causa æquiuoca, quare instantia Arriagæ nihil concludit.

Probatvr tertiò: Si gradus sunt omninò homogenei, agens remissum poterit agere in seipsum se intendendo: item & in intensius, consequens non admittitur ab Aduersariis: ergo.

Probatvr sequela: Ad hoc, vt agens intendens agat, sufficit, vt sit in actu respectu alicuius gradus, & in potentia ad alium, sed huiusmodi est calidum vt vnum respectu secundi, tertij, & aliorum graduum, ergo poterit agere in seipsum producendo vlteriores gradus, & in magis intensum, neque enim exigit applicationem ad seipsum, sed sufficit potentia completa productiua, & receptiua.

81. Probatvr quartò: Sequeretur item, quod qualitas existens in subiecto nunquam posset destrui, quod est contra experientiam.

Probatvr sequela: Non est ratio, cur potiùs hi gradus, quàm illi expellantur, & consequenter cùm sit indifferens ad omnes habentes eandem rationem, & virtutem, & existentes in eadem parte subiecti, & compenetrati, æqualiterque oppositi illi primo gradui, & æquè approximati agenti: ergo cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio, cessabit actio destructiua, & productiua contrariæ qualitatis: ergo meliùs dicitur esse heterogeneos, inter quos expellitur, cui contrarius introducitur in subiectum: est enim vnus ex iis, qui in ipso præexistunt, & ob id determinatus: Et cum hac positione non est necesse recurrere ad illud effugium Scoticum, contra quod se opposuit Aristoteles Anaxagoræ, nempè in tali casu Deum applicare agens ad expellendum potiùs hunc, quàm illum gradum: nam in nostra opinione statim apparet, quare

Digitized by Google

quare vnus potiùs, quàm alius gradus expellatur.

PROBATVR quintò ratione deducta ex doctrina Seraphica: In intensione, quò magis fit accessus ad summum, eò maior quantitas virtutis acquiritur: ergo & Maior entitas perfectionalis.

PROBATVR consequentia ex Seraph. Doct. *Serm.* 2. *Hexaem.* & *lib.* 2. *distinct.* 13. *quæst. vltim.* & *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* & *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Virtus entitatiua est idem, quod ipsa substantia rei: ergo si crescit virtus, crescit & entitas perfectionalis, sed in intensione virtus crescit: ergo. Tum quia quantitas virtutis est à forma, quæ semper vniformiter se habet: ergo si est æqualis in omnibus, semper eodem modo se habebit, quod est falsum.

DICES, esse maioris virtutis ob aggregationem plurium graduum.

CONTRA: maior est entitas in qualitate, quo crescit in virtute, sed in virtute crescit quoad perfectionem: ergo debet esse maior in entitate quoad perfectionem; & hoc est, quod dicit S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 17. *citat.* quòd in quantitate virtutis accessus ad summum est ad maiorem simplicitatem, & virtutem, scilicet entitatiuam. Tum etiam, quia si incrementum virtutis qualitatis intensæ esset tantùm ob multiplicationem eiusdem entitatis, vel similis, sequeretur virtutem includere aliquam entitatem distinctam ab entitate causæ: esset enim quid extrinsecum, & diuersum ab ipsa entitate graduum multiplicatorum, vel tertia entitas ex ipsis resultans, quod est absurdum, & falsum, cùm virtus qualitatis intensæ sit quid intrinsecè inclusum in ipsa entitate perfectioris qualitatis.

PROBATVR sextò: Quia sequeretur, quod æquè esset qualitas actiua extensa, ac intensa, consequens est falsum, & contra experientiam, ergo & antecedens.

PROBATVR sequela Maioris: Quia tam perfecti sunt octo gradus caloris recepti in diuersis partibus subiecti, ac in eadem parte: at si sunt in diuersis partibus subiecti, efficiunt extensionem, si in eadem parte, intensionem: ergo sunt æqualiter perfecti, cum sint æquales.

RESPONDET Arriaga *cit. num.* 29. negando sequelam: Ad probationem respondet negando paritatem de gradibus extensis, & intensis, ex eo quod in intensione sunt magis vniti inter se, & perfectiùs, vnica nempè vnione scilicet omnes inter se, & quilibet cum omnibus, & omnes cum vno: at in extensione sunt vniti duplici vnione, sed quodlibet punctum, verbi gratiâ indiuisibile cum duobus, aut tribus illud circumstantibus, & hinc cùm in intensione qualitas sit magis vna, ideò etiam plus perfectè actiua.

ET si dicas, ipsum cum hac responsione alligari sententiæ ponentium compositionem continui ex indiuisibilibus, & ideò soluere vnum dubium cum responsione magis dubia.

RESPONDET se loqui consequenter ad sua principia. Tum etiam quia ex tali responsione non se alligat dictæ opinioni, cùm etiam in sententia ponentium in continuo partes diuisibiles: vnio tamen continuatiua non est indiuisibilis, quia non potest esse in duabus partibus penetratis.

CONTRA

CONTRA primò: Quia, vt dictum est, iste Author pro refutatione huius validissimæ rationis affert in medium plura, quæ inuoluunt grauiorem difficultatem. Tum quia falsum est gradus intensionis vnica vnione vniri, cùm quælibet pars exigat suam vnionem cum alia comparte: immò in intensione plus multiplicat ipse vniones, quàm in extensione. Tum quia vnio, cùm sit modus, nullam tribuit vim rei vnitæ. Tum quia entitatiuè tam sunt perfecti octo gradus caloris extensi, quàm intensi, & si verum esset, quod vnio aliquid actiuitatis adderet, cùm recognoscat plures vniones in extensione, sequeretur istos esse perfectiores, quod est falsum. Tum quia hæc vnio non affert aliquem effectum formalem repugnantem qualitati contrariæ, quem non habeat quilibet gradus: repugnantia enim est inter qualitates, non inter vniones.

82. OBIICIES primò ratione Scoti apud Meldul. *disp. 3. num. 37.* Si aliquis habens quatuor gradus gratiæ, & charitatis ex hoc, quod elicuit actum intensum vt quatuor, eliciat posteà actum vt vnum, tunc ille accipiet maiorem gratiam, & nouum gradum, scilicet quintum: ergo plus merebitur per actum vt vnum, quàm per actum vt quatuor.

RESPONDETVR, quod diuerso modo loquendum est de qualitatibus naturalibus, & de supernaturalibus procedentibus à voluntate libera informatâ gratia: nam in naturalibus, cùm agens naturale naturaliter agat vniformiter difformiter, procedit necessariò ordinatim per gradus minùs, & magis perfectos secundùm proportionatam dispositionem ipsius agentis, & passi: at in supernaturalibus supradictis, cùm ad proportionem intensionis actuum Deus infundat gratiam, non necessariò seruatur iste ordo, sed Deus aliquando in primo instanti ad primum actum infundet gratiam perfectiorem, quàm ad quintum: si primus actus erit perfectior, & pluribus circumstantiis præditus. Alias responsiones affert Hurtad. quas quicunque videri potest, quæ tamen, vt notat Meldul. *citat.* non euacuant difficultatem.

OBIICIES secundò: Gradus intensior continet virtualiter inferiorem: ergo inferior est superfluus, ideóque destrui debet adueniente perfectiori: sicque incidimus in opinionem Durand. suprà refutatam.

PROBATVR antecedens: Quia experientia patet inferiorem posse produci à superiori, & quia hæc productio est vniuoca: hinc sequitur omnes esse eiusdem rationis, perfectionis, & homogeneitatis.

RESPONDETVR concedendo antecedens: Et negando consequentiam, ratio est, quia qualitas est totum integrale, quod non solùm virtualiter, sed & formaliter debet integrari suis partibus, & hoc quia gradus inferior, cùm sit perfectibilis à superiori, & superior sit perfectiuus inferioris, vt dictum est *in tertio Not.* Hinc hæc continentia cùm sit in genere causæ formalis eo fere modo, quo forma continet perfectionem materiæ, quatenùs est ipsius perfectiua, & cùm sit etiam in genere efficientis, hinc sequitur non esse superfluum gradum inferiorem, immò esse necessarium. Tum quia forma substantialis debet habere qualitates sibi debitas ab ipsa originaliter emanantes tanquam suas proprietates, ad

hoc

Digitized by Google

hoc vt obtineat totum suum effectum integraliter. Tum quia qualitas cum omnibus suis gradibus, dato etiam, quòd superiores non influant in inferiores, velociùs poterit agere. Tum vt meliùs conseruentur: inferior enim est veluti dispositio ad superiorem. Tum quia forma substantialis facilè potest amittere octauum gradum caloris, ideò debent remanere cæteri gradus, cum quibus conseruari possit: Et ad id de productione vniuoca Respondetur à gradu superiori posse produci gradum æqualem in perfectione, tuncque est productio vniuoca in specie, & in indiuiduo: idque euenit, quando adsunt omnes conditiones ad agendum in actu primo completæ: potest & producere gradum se inferiorem, & hoc vel ex defectu materiæ, vel dispositionum, vt multoties euenit in cæteris productionibus, tuncque est productio vniuoca in specie. Hæc fusiùs Serbellon. *citat. num.* 145. *& seq.* & Hurtad. ex parte *disp.* 5. *sect.* 6.

Dices: Si hoc est verum, sequitur, quod possit esse calor in summo cum frigore in remisso, quod est impossibile, cùm subiectum sit tantùm capax octo graduum qualitatis.

Probatur sequela: Frigus remissum non opponitur formæ, cui debetur calor in summo, sicut nec calor in remisso pugnat cum forma aquæ, cui debetur frigus: ergo poterit esse calor in summo cum frigore remisso, cùm non opponantur.

83. Respondetur negando sequelam Maioris: Ad probationem respondetur frigus remissum non opponi formæ, cui debetur calor summus, sicut nec calor remissus cum forma aquæ, cui debetur frigus in summo, ita vt ipsam expellat, vel inducat formam illi oppositam, licèt sit principium oppositionis, quia si reducitur ad intensionem, tunc est in totali oppositione, & ideò pugna incipit in principio: experimur enim remitti frigus in aqua à subiecto igne, & paulatim decrescere ad augmentum caloris, sed quia qualitates aliæ sunt actiuæ, aliæ non: in primis oppositio est & ratione sui, & ratione subiecti, in quo est incompossibilis duplex qualitas, & forma in summo: in aliis est tantùm ratione incompossibilitatis subiecti.

Dices: Et si qualitates actiuæ pugnant, quomodò inest simul qualitas in summo cum qualitate in esse remisso opposita?

Respondetur non posse esse dicto modo in subiecto: Quod explicamus tali pacto, subiectum habens formam aliquam, ad quam sequantur tanquam proprietates qualitates actiuæ, debet eas habere in summo; debet enim obtinere totum suum effectum, si non impediatur ab extrinseco: Vlterius gradus superiores non possunt esse sine inferioribus tanquam connaturalibus dispositionibus: ideò si subiectum sit calidum vt octo, & accedat agens frigidum, debet producere gradum primum frigoris tanquam primo requisitum ad aliorum productionem, qui gradus frigoris debet expellere alium gradum caloris, non quidem primum, sed octauum, cùm sit minoris resistentiæ ipso frigore, si enim expelleret primum inferiorem, remanerent superiores sine inferioribus, quod est impossibile naturaliter, vt dictum est, & si non expelleret octauum, essent nouem

Digitized by Google

nouem gradus qualitatis in ſubiecto, quod eſt contra ſuppoſitionem, eadem ratione per ſecundum gradum frigoris expellitur ſeptimus caloris, per tertium ſextus, per quartum quintus, &c. à ſuperiori enim non à pari eſt actio: hinc ſi ceſſabit emanatio frigoris vlterioris, remanebunt gradus frigoris producti cum gradibus caloris remiſſi: nec enim primus gradus frigoris opponitur primo gradui caloris, nec ſecundus ſecundo, ita vt poſſit vnus ab alio expelli, ſed requiritur gradus ſuperior: Hinc patet calorem, & frigus in ſummo eſſe adæquatè contraria, non verò in eſſe remiſſo.

Obicies tertiò: Ad faciendam extenſionem ſufficiunt partes eiuſdem omninò rationis, ergo etiam ad intenſionem.

Probatur conſequentia: Quia conueniunt ambæ in ratione totius perfectioris reſpectu partium. Tum etiam quia ſi illi gradus extenſi in diuerſis partibus ponerentur in eadem parte, tunc totum illud eſſet perfectius ſuis partibus ſingulis, ergo.

84. Respondetur negando paritatem: Ratio eſt, quia vna pars extenſionis non præſupponit aliam, neque extenſio habet aliam radicem heterogeneitatis indiuidualis, ſicut habet intenſio, in qua pars ſupponit aliam: Vnde ſi plures gradus omninò homogenei ponerentur in eadem parte, non facerent vnum totum perfectius, ſed tantùm aggregatum tot qualitatum remiſſarum numero multiplicatarum non intenſiuè, vel extenſiuè, ſed vt continens in contento.

Instat hîc Arriaga *diſp. 3. ſect. 3. num.* 75. Virtus motiua deorſum, quæ eſt in vno grano, verbi gratiâ, milij, eſt eiuſdem rationis cum illa, quæ eſt in alio, & tamen ex multis granis fit vnum mobile maioris ponderis, quàm ſit vnum quodque granum per ſe: Similiter virtus tractiua, & portatiua ponderis, quæ eſt in vno homine, eſt eiuſdem rationis cum alia alterius hominis, & tamen ſi iungantur, facient virtutem intenſiorem, verbi gratiâ, ad portandum magnum pondus, quod non poſſet ab vno portari, ergo ad intenſionem ſufficiunt partes homogeneæ, ſic & ſi virtus diſperſa per plures poneretur in vnica tantùm: Item ſi à Deo ponerentur octo gradus caloris ſimiles in eadem parte manus, ſentiretur maior calor in manu, quàm ſi poneretur vnus gradus, ergo intenſio conſiſtit in multiplicatione graduum conſimilium.

Hoc argumentum facit contra ipſos opponentes: Suſtinent enim ex ſola multiplicatione agentis æqualis non poſſe augeri intenſionem effectus, verbi gratiâ, calidum vt vnum multiplicatum in diuerſis ſubiectis ſolùm dicunt poſſe producere calidum vt vnum: Vnde igitur oritur illa maior actiuitas, & velocitas.

Respondetur in talibus caſibus non fieri intenſionem, ſeu vnam qualitatem intenſiorem, ſed tantùm multiplicationem grauitatum, & virtutis tractiuæ, quod patet quoad grauitatem, quia deſcenſus eſt æqualis in vno grano milij cum deſcenſu centum, & mille ſimul aggregatorum, ergo non fit intenſior qualitas ex tali multiplicatione. Tum etiam quia in tali multiplicatione fit ſolùm maior extenſio, non intenſio: Idem & dicendum eſt de virtute

te portatiua duorum hominum, quæ magis extenditur quasi diuidendo inter se pondus illud. Et si tota grauitas mille granorum milij poneretur in vno à Deo, non faceret intensionem, sed extensionem, & multiplicationem tantùm, quia est æqualis grauitati extensiuæ, & haberet eundem effectum; & separari posset à maiori numero; sed qualitas intensiuè perfecta non potest separari à multitudine agentium imperfectorum; immò nec exequari: septem enim calida vt vnum superabunt frigidum vt septem in vno subiecto, nec producent calorem vt septem.

85. Obicies quartò: Duo lumina eiusdem intensionis idem spatium magis illuminant, & duo soni fortiùs auditum pulsant, & à longè magis audiuntur: ergo faciunt intensionem: sed

Contra ipsos Aduersarios possumus instare: Ad hoc, vt fiat intensio, requiritur, vt sint plures gradus æquales in eadem parte subiecti, ad hoc vt producere possint intensiorem effectum, sed duo lumina distincta eiusdem intensionis producunt per ipsos lumen intensius: ergo sine intensione virtutis producitur effectus intensior, ergo imperfectius producit perfectius.

Sed nos respondemus cum Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 14. art. 3. quæst. 1. ad 4.* & *dist. 23. art. 2. quæst. 4. ad 2.* & *lib. 1. distinct. 17. part. 2. art. 1. quæst. 4. ad 2.* & *distinct. 19. part. 1. art. 1. quæst. 4. ad 2.* duo lumina simul posita agere in materiam vtriusque, & aërem, sicque ambo concurrunt ad magis purificandam eandem materiam, & clarificandum aërem, tunc non faciunt intensionem, sed extensionem, veluti duo agentia partialia, in quo est status, & si ab vno aër est redactus ad vltimum gradum, ampliùs aliud nihil facit nisi quoad apparentiam: ratio est, ait Seraph. Doct. quia in aëre habent suam distinctionem prouenientem à sua origine, & in medio non est amplior capacitas: Idem & dicendum de sono, qui multiplicatur extrinsecè, non intensiuè, vt dictum est.

Dices: Quilibet gradus est diuisibilis aut in partes similares, aut heterogeneas: Si primum dicatur, ergo idem poterit dici de omnibus gradibus: Si secundum, ergo gradus est aggregatum plurium partium dissimilarium, seu secundùm nostra principia plurium indiuisibilium dissimilium in perfectione, obidque & habentium suam intensionem, & perfectionem, sed plura indiuisibilia non possunt efficere continuum, ergo nec ista.

Respondetur esse diuisibilem in alias partes dissimiles indiuidualitate imperfecta: non tamen in infinitas, sed in finitas indiuisibiles physicè, vt dictum est *in tract. de continuo.*

86. Obicies quintò: Quando agens agit in contrarium, verbi gratiâ, calidum vt octo producendo primum gradum caloris in frigido vt octo, & expellendo vnum gradum frigoris: Vel omnes illi octo gradus caloris agunt in illud frigidum: vel primus tantùm, vel octauus tantùm, & gradus expellendus vel est primus, vel secundus, vel octauus: Si primum dicitur, scilicet quod omnes octo gradus caloris agunt in frigidum, tunc nulla erit actio, quia tanta est, immò magis vis restitiua fri-

Digitized by Google

gidi vt octo, quàm actiuitas calidi vt octo: Idemque dicendum est, si primus gradus caloris solùm agit: nam si agit in primum gradum frigoris, cùm non adsit prædominantia, non poterit sequi actio: Si in octauum, cùm octauus gradus frigoris sit perfectior, non poterit separari à primo gradu caloris, sicque nulla actio fieret: Et si dicatur primum gradum caloris produci, sequitur, quod sit vniuocus, & sic eiusdem perfectionis.

Respondetur alium ordinem seruari à natura in expulsione, & alium in productione: nam in productione non solùm primus gradus, sed & omnes alij concurrunt sub ratione vnius agentis numero: at in expulsione tantùm vnus gradus contrarius opponitur, immò pars eiusdem gradus: ratio est, quia agens in agendo agit secundùm se totum, & ob id calidum vt octo agit secundùm omnes octo gradus: agit autem non in omnes contrarios, sed tantùm in vnum, & ideò expellitur primò octauus gradus frigoris, & loco illius introducitur primus gradus caloris: sic enim procedit oppositio ipsorum, ita quod primo gradui caloris opponitur non primus, sed octauus gradus frigoris, & secundo septimus, tertio sextus, quarto quintus, & si agens calidum cessaret tunc, & impediatur emanatio frigoris vlterioris, remanebunt gradus caloris, & frigoris simul, & consequenter non erit contrarius quartus gradus caloris cum quarto frigoris, nec tertius tertio, nec secundus secundo, nec primus primo, & hoc ratione capacitatis subiecti, & quia deficeret excedentia virtutis agentis, nam quartus gradus caloris non posset expellere quartum frigoris, nisi produceret quintum gradum caloris, à superiori enim solùm, non ab æquali est actio, sed quintus gradus caloris est perfectior quarto; quare solùm qualitates in summo sunt adæquatè contrariæ, non autem in esse remisso, & ob id possunt esse simul.

Ex qua doctrina, quam fusiùs tradit Serbellon. *disp. 1. quæst. 1. n. 163.* & *quæst. 2. num. 92.* Respondetur obiectioni factæ, & infertur heterogeneitas graduum indiuidualis ex hoc, quod gradus superiores, & perfectiores possunt producere inferiores; alioquin si essent homogenei tantùm, resisteret vnus, quantùm ageret alter, sicque nulla fieret actio.

QVÆSTIO V.

De termino Alterationis quis sit, & qualiter fiat: Vbi an Alteratio sit eadem actio cum generatione.

87. Qvæstio hæc duplicem sensum circa terminum Alterationis potest habere: Alter est, an Alteratio terminet ad solam qualitatem, & ad quam: an etiam ad alias res, verbi gratiâ, ad substantiam, quantitatem, &c. Secundus est, an talis terminus habeat statum: an verò possit procedere in infinitum tum in intensione, tum in extensione: Pro solutione

Primò Supponendum ex traditis in Logica qualitates ad quatuor species reduci: Prima est habitus, & dispositio: Secunda est naturalis potentia,

tentia, & impotentia: Tertia est passio, & passibilis qualitas: Quarta est forma, & figura: modò quæritur, an ad omnes sit Alteratio, an tantùm ad tertiam speciem.

Prima opinio multorum est, quod terminat tantùm ad tertiam speciem.

Secunda opinio est, quod terminat ad omnes: Sic S. Bonauent. *infrà cit.*

Secundò Supponendum, quod dari Alterationem primò, & per se ad qualitatem, vt ad aliquem terminum, nihil aliud est, quàm Alterationem ita attingere aliquam qualitatem tanquam terminum, quod non mediet aliqua qualitas, vel alius terminus, ad quem talis actio prius terminetur, & de hac terminatione primaria principaliter mouetur Quæstio, & deinde etiam de secundaria, vt si per productionem caloris secundariò attingeretur productio caloris, vel ægritudinis.

Tertiò Supponendum, quod de Alteratione potest esse sermo, vel provt est tantùm ordinata ad generationem, vel generaliùs de quacunque Alteratione.

Qvartò Supponendum ex traditis in superioribus magis, & minùs competere etiam substantiis, & formis substantialibus, provt maiorem, vel minorem actualitatem habent in subiecto: Vnde videtur, quòd ad substantiam etiam sit Alteratio.

Qvintò Supponendum ex traditis, quod intensio, & remissio est vel cum contrarij permixtione maiori, vel minori, simulque cum accessu, vel recessu ad suum summum, vel est purè absque hac permixtione per accessum, vel recessum ad summum cum additione tamen: His positis sit

88. Prima Conclvsio: Nulla substantia admittere potest Alterationem propriè sumptam, licet impropriè loquendo possit dici alterari secundùm magis, & minus. Est communis, & Seraph. Doct. *cit. suprà in tract. 1. de gen. & corrupt. q. 5. & in tract. de Cælorum forma quæst. 3.* & ibi etiam probata: Item & in Logica *ad cap. de qualitate in fine.*

Probatvr vlteriùs primò ex parte materiæ: Quia materia est immutabilis, incorruptibilis, inalterabilis, & semper de se indifferens: ergo. Tum quia exigeret aliud subiectum, in quo alterari deberet.

Probatvr secundò ex parte formæ: Nam licet dixerimus suprà *in loc. cit.* ipsam recipere magis, & minus in ratione actualitatis in subiecto, tamen cùm ista varietas insit ipsi ratione operationis suæ, nō ratione entitatis, etiam ex hoc capite non potest dici alterari. Tum quia non recipit magis, & minus, quando iam est in subiecto actuans, sed tantùm in sui generatione, & eductione secundùm maiorem, vel minorem dispositionem subiecti, sed Alteratio propriè sumpta cōpetit formæ etiam, dum iam est in subiecto: ergo substantiæ non competit.

Probatvr Minor, quia secundùm se, & intrinsecè habet informare materiam, constituere compositum, esse principium suarum qualitatum; operari verò in alieno subiecto, verbi gratiâ, actuare magis, vel minus perfectè est ei extrinsecum, sed secundùm illa munera intrinseca non recipit magis, & minus, ergo nec Alterationem: Sic etiam S. Bonauent. *lib. 2. dist. 9. art. 1. quæst. 1. ad 2.* Tum etiam quia forma substan

Digitized by Google

substantialis seipsa redit ad suum statum naturalem, verbi gratiâ, aqua ex calida ad frigiditatem: ergo signum est suam entitatem esse inalterabilem.

Dices: Formæ perfectio cognoscitur ab operationibus, sed vna forma operatur perfectiùs, quàm altera eiusdem speciei, vt ignis in vno subiecto magis vrit, quàm in alio: ergo.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *cit.* cognosci ab operationibus inseparabilibus, & quæ proueniunt ab intrinseco, concedò, ab extrinseco, nego, nempè ratione dispositionis subiectorum.

89. Secvnda Conclvsio: Alteratio non est ad quantitatem, nec ad alia prædicamenta præter qualitatem: Est communis cum Seraph. Doct.

Probatvr primò de quantitate: Effectus formalis quantitatis est tribuere extensionem partium subiecto per ordinem ad locum, sed iste effectus est æqualis in omnibus subiectis quantis, ergo ad quantitatem non est Alteratio. Maior est certa ex aliàs traditis. Minor probatur, quia omnia quanta æqualiter sunt locabilia, licèt quoad modum respectu continentiæ loci actiuæ adsit differentia: ergo.

Dices: Angeli sunt locales absque quantitate extensa, vel extendente subiectum, corpora sunt localia cum quantitate extensa: ergo datur varietas, & magis, & minus.

Respondetvr hanc differentiam non inesse istis subiectis præcisè ratione quantitatis, sed ratione formarum, quatenùs sunt spirituali, vel corporali modo in subiectis, ideò propriè quantitas non est alterabilis.

Probatvr secundò de reliquis prædicamentis: Quia relationes consistunt in indiuisibili, licèt adsit intensio maior, vel minor in extremis: Actio item, & Passio præcisè dicunt æqualiter vt à quo, & vt in quo, nec aliud nisi ex consequenti, vel concomitantia, sed in sua ipsarum ratione.

Dices primò: Motus localis recipit intensionem, sed motus localis est actio: ergo: sed reducitur ad vbi, ergo & vbi potest intendi, & remitti.

Respondetvr motum localem dici intendi impropriè, non provt est motus localis, sed provt importat virtutem motiuam, quæ est de genere qualitatis, sic motus localis dicitur velocior, vel tardior ratione temporis, non verò intensior.

Dices secundò: Actiones intellectus, & voluntatis intenduntur: ergo falsa conclusio.

Respondetvr intendi, provt sunt qualitates, non præcisè vt dicunt à quo: Ex quibus patet etiam Prædicamenta Quando, Vbi, Situm, & Habere esse æqualia præcisè loquendo.

90. Tertia Conclvsio: Alteratio est propriè ad qualitatem non tantùm tertiæ qualitatis, vt volunt Serbellon. *disputat.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. Guarin. *de Alter.* sed & ad omnes quatuor species: Est S. Bonauent. qui, vt fusè probatum est à nobis in Logica *ad Cap. de qualitate*, docet omnem qualitatem recipere propriè magis, & minus.

Probatvr autem primò: Quia quælibet qualitas est capax additionis

Digitized by Google

nis graduum, & deperditionis : ergo & intensionis.

Probatvr antecedens à sufficienti partium enumeratione : Primò de Habitu, & dispositione, quia sunt formæ perficientes ab extrinseco subiectum, & potentiam secundùm magis, & minus per varietatem graduum ad agendum. Tum quia virtutes sunt habitus, & quælibet virtus potest intendi ex Seraph. Doct. *loc. cit. in cap. de qualitate* in Logica : Secundò Naturalis potentia, & impotentia est qualitas superaddita ab intrinseco veniens, & congenita potentiæ operatiuæ, ipsique debita, qua quis potest vel faciliter, vel difficiliter operari, sed ista accipit magis, & minus etiam, postquam inest in subiecto : ergo : patetque experientia, licèt enim sit connaturalis, tamen tractu temporis accipit intensionem, & remissionem, vt ingeniositas, &c. Tertiò Passio, & passibilitas qualitas, hæcque vel infert passionem, & Alterationem, vel est illata ab Alteratione, vt de se patet. Quartò forma, & figura item recipit magis, & minus per Alterationem, vt patet in formositate, in turpitudine, & similibus : ergo.

Obiicies primò cum Serbellon. solùm qualitates tertiæ speciei admittere pluralitatem graduum in eadem parte subiecti : ergo falsa Conclusio.

Probatvr antecedens : Habitus pertinet vel ad corpus, vel ad animam, si ad corpus, vt est ægritudo, sanitas, originem trahit à temperie primarum qualitatum, quæ si est permanens, dicitur habitus, si transiens, dicitur dispositio, sed ista non habent contrarietatem effectiuam, sed tantùm formalem, quæ reducitur ad priuatiuam : ergo nec sunt capacia Alterationis ; patet consequentia, quia Alteratio est per mutuam actionem contrariorum, si verò spectant ad animam, vt ad intellectum, & voluntatem, istæ cùm non sint sensibiles, excluduntur à definitione Alterationis.

Respondetvr ex Seraph. Doct. negando Minorem : nam & quæ spectant ad corpus, & quæ ad animam, sunt capacia graduum, & habent contrarietatem propriam, & effectiuam, & præcipuè quæ spectant ad corpus, vel trahant originem à qualitatibus contrariis, vel non : nam dicunt qualitatem existentem in subiecto dante facilitatem agendi, & cùm in hac detur gradualis latitudo, per consequens datur etiam in ipsa qualitate, & hoc per mutuam actionem habitus, & habitus oppositi, vt de se patet, & ipsa experientia, & licèt spirituales habitus non sint sensibiles, non per hoc tamen stat, quin sint capaces intensionis, & remissionis.

Obiicies secundò ex eodem Serbellon. quia naturalis potentia, & impotentia, vel dicit ipsius potentiam intrinsecam, vel aliquid superadditum debitum naturaliter, sed primæ, vel distinguuntur realiter, vel non ab anima, si non, acta est difficultas, si distinguuntur, cùm emanent ab anima, semper eodem modo se habent, vel dicunt aliquid accidentale superadditum, & hoc habet esse vel per emanationem ab anima, vel sunt à generante tanquam debitæ, sed vtroque modo habent esse completum, & immutabile.

Respondetvr concedendo totum de potentiis intrinsecis animæ, cum qua identificantur : Istæ enim

Digitized by Google

enim propriam Alterationem non admittunt, sed nos loquimur de accidentalibus superadditis: nam etiam dato, quod simul producantur cum ipso subiecto, etiam sunt capaces maioris, vel minoris gradualis perfectionis comparatæ inter se, & sumptæ in fieri: In facto esse etiam negatur non accipere mutationem, vt per se patet, & docet S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *quæst.* 3. & ipsa experientia quotidiana id manifestat. Idemque dicimus de forma, & figura, nec rationes Serbellon. aliquid conuincenter probant.

Obiicies tertiò ex S. Bonau. *lib.* 3. *distinct.* 22. *artic.* 2. *quæst.* 5. *ad* 3. vbi dicit, quod accidens de se non potest alterari; ergo falsa Conclusio.

Respondetur ibi loqui de mutatione secundùm speciem, idest de vna specie in aliam, non verò secundùm modum accidentarium, prout est in subiecto secundùm maiorem, vel minorem actualitatem aduenientem in subiecto.

91. Quarta Conclusio: Alteratio habet pro termino primario, & intrinseco qualitatem; pro extrinseco verò, & secundario habet generationem substantialem, quæ tamen est actio differens ab Alteratione: Est Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *aliisque pluribus locis suprà cit. in tract.* 1. *de generat. quæst.* 1. & communis tum Scoti, & Scotist. tum etiam plurium Thomist. licèt Aliqui ex istis dissentiant, ponentes generationem, & Alterationem vnicam actionem, vt Caiet. *part.* 1. *quæst.* 54. *art.* 3. & de ente, & de essentia *quæst.* 17.

Probatur autem tum ex Arist. 5. *lib. Phys. cap.* 1. *t.* 9. & 10. & *cap.* 5. *t.* 51. qui asserit ad substantiam non per se terminari motum, sed mutationem, at Alteratio est motus, ergo. Tum quia Alteratio est motus inter terminos contrarios, generatio inter terminos contradictorios, seu priuatiuè oppositos. Tum quia generatio est ad substantiam: Alteratio est ad qualitatem.

Probant Alij ex diuersa ratione subiecti: subiectum generationis est materia, subiectum Alterationis est compositum: at hæc ratio in Seraphicis principiis nihil valet, cùm subiectum generationis sit corpus: Vnde potior ratio est illa, quæ desumitur ex diuersa ratione terminorum.

92. Quinta Conclusio: Qualitates tam naturales, quàm supernaturales habent terminum magnitudinis, & remissionis secundùm potentiam ordinariam, & naturalem: Est communis, & Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *quæst. vltim.* vbi docet augmentum habere statum à tribus, à virtute agente, à potentia suscipiente, & à forma perficiente, sed hæc tria sunt in omni creatura limitata, ergo.

Sexta Conclusio: Qualitates in remissione habent statum etiam de potentia absoluta Dei, in augmento verò nequaquam.

Prima pars patet ex traditis in Physica de continuo: Nam componitur ex physicis indiuisibilibus: ergo vltra hæc non potest deueniri ad aliquid minus.

Secunda pars patet etiam ex traditis *in* 2. *Phys.* de potentia obedientiali, quæ potest in infinitum à Deo ampliari.

TRACTA

Digitized by Google



TRACTATVS III.

De Actione, & Passione.



ARISTOTELES post Alterationem agit de augmentatione, quem ordinem multi Interpretes sequuntur, sed quia proprium locum habet in libris de Anima, cùm augeri sit actus potentiarum viuentium: hinc ad ipsos libros hanc materiam transferentes instituimus tractatum de Actione, & Passione, de qua agit Aristot. *hic text.* 43. Est enim hæc cognitio necessaria ad dignoscendam naturam mixtionis, in ordine ad quam hîc tractatur de agere, & pati, in quo tractatu tamen supponimus ea, quæ in Physica tradidimus *lib.* 2. *tract.* 2. de causa efficiente, & præcipuè *quæst.* 3. in qua soluimus quæstionem, an causa, vt causet, necessariò debeat existere, & *in quæst.* 6. & 8. An agens possit agere in distans.

QVÆSTIO PRIMA.

An agens in agendo requirat necessariò in passo dissimilitudinem.

93. IN Physica *lib.* 2. *tr.* 2. ante quæstionem tertiam supposuimus cū Arist. quatuor conditiones requisitas, ad hoc vt agens actu agat: Prima est, vt causa actu existat: Secunda, vt agens sit præsens passo: Tertia, vt sit ab eo distinctum: Quarta, vt passum sit dissimile ab agente, de primis tribus *ibidem* egimus: nunc superest, vt quartam conditionem perpendamus. Quæritur igitur hîc, quænam dissimilitudo exigatur, ad hoc vt agens suam similitudinem imprimat passo: Pro cuius solutione

PRIMÒ Supponendum ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 2. *dub.* 6. similitudinem aliam esse secundùm substantiam, aliam secundùm accidens: Prima est secundùm eandem speciem: Secunda est vel in gradu, vt duo calores

calores ambo vt duo: vel in virtute vt duo calida eiusdem virtutis operatiuæ: vel si calor sit actiuus vt duo, & frigus restitiuum vt duo: vel in cæteris accidentibus, verbi gratiâ, densitate, raritate, magnitudine, paruitate: quare & totidem modis potest esse dissimilitudo.

Secundò Supponendum primas qualitates sensibiles, quæ sunt calor, frigus, humidum, & siccum, habere vim actiuam vniuocam ad agendum in contrarium, simulque ex consequenti habere vim restitiuam, quæ est eademet entitas rei persistentis, consistitque in negatione passionis à suo contrario: de qua in sequentibus agetur, de quibus qualitatibus agit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. & *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. *per totam*: Cùm igitur adsint & aliæ qualitates non habentes contrarium positiuum, non procedit quæstio de istis, sed de habentibus contrarium positiuum.

Tertiò Supponendum ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 34. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. agens aliud esse vniuocum, quod producit effectum eiusdem speciei, aliud æquiuocum producens effectum diuersæ speciei, & consequenter dissimilitudo inter agens, & effectum alia est formalis in specie, alia virtualis: Prima est inter passum, & agens vniuocum, scilicet in specie tantùm, non in gradu, vt inter calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor: Secunda est inter agens æquiuocum, & effectum, estque non solùm in specie, sed & in gradu, differuntque, quod in agente æquiuoco adest forma nobilior, & virtuosior excedens virtutem effectus, non sic est agens vniuocum:

Addimus & dissimilitudinem, & similitudinem posse interuenire respectu aliarum qualitatum vt in duritie, densitate, raritate, quantitate, & similibus, vt dictum est.

Quartò Supponendum Actiones alias esse directas, quæ fiunt directè per totam sphæram agentis, alias reflexas, cùm ob impedimentum retrocedit passum, vt in pila resiliente de patiete. His præiactis, & præsuppositis ponitur

94. Prima Conclusio: In qualitatibus habentibus contrarium agens potest agere in simile secundùm speciem, dissimile in gradibus vt calidum vt quatuor in calidum vt duo: idque patet experientia, & ab omnibus receptum est.

Secunda Conclusio: Agens vniuocum non potest agere in passum sibi omninò simile in specie, & in gradu, vt calidum vt duo in calidum vt duo: Est communis cum Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *argument.* 2. & *lib.* 2. *distinct.* 31. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3.

Probatur primò: Omne agens agit in aliud, vt similitudinem suam generet in passo: ergo vbi adest similitudo omnimoda, non potest in eo agere.

Probatur secundò: Quia nihil potest agere, nisi prout est actu, & in actu primo, & nihil patitur, nisi prout est in potentia, sed si simile posset agere in simile, vel ageret, prout est in potentia, vel verè pateretur, prout est in actu; vel ageret, licèt non haberet actu, quicquid requirit potentia actiua; vel pateretur, licèt haberet actu formam recipiendam, nec ampliùs esset in potentia ad illam, quæ omnia sunt absurda,

Digitized by Google

absurda, vt per se patet: ergo: vel clariùs nullum agens agit in passum, nisi contineat in se vel formaliter, vel virtualiter id, quod debet producere in passo, sed simile non continet vllo modo, quicquid est simile ipsi: ergo.

95. Tertia Conclusio: Agens æquivocum potest agere in passum sibi virtualiter simile tam in specie, quàm in gradu, sic vinum calidum virtualiter calidum vt quatuor potest producere, & intendere calorem in corpore humano existentem jam vt quinque, sic lumen vnius candelæ additum lumini plurium intendit totum illud lumen. Ratio autem à priori non potest adduci, sed tantùm probatur experientia. A posteriori verò redditur à Scoto apud Meldul. *disp.* 2. *num.* 9. quia agens æquiuocum semper habet in se nobiliorem formam, quàm sit qualitas ab ipso producibilis, & alterius rationis.

Obiicies primò contra primam Conclusionem: inter omninò similia adsunt omnia requisita ad agendum: ergo.

Probatur antecedens: Quia adest agens verbi gratiâ, calor vt quatuor potens producere calorem vt quatuor, adest passum capax recipere talem calorem: ergo datâ approximatione nullum adest impedimentum: Probatur consequentia, si adest vllum impedimentum, maximè esset forma similis præcedens in passo, scilicet calor vt quatuor, sed hæc potiùs adiuuare debet ad agendum ob minorem resistentiam ipsius passi: ergo.

Respondetur negando antecedens: Non enim adest dissimilitudo, quæ est necessaria, ad hoc vt recipiat actionem agentis: ratio autem solùm à posteriori potest reddi (ait Meldul. *citat. num.* 9. nempè quia non esset maior ratio, cur hoc agat in aliud, an è conuerso. Tum quia idem posset agere in seipsum actione vniuoca. Tum & ob alias rationes *ibidem* adductas. Tum & experientia: nam actio Physica prouenit ex victoria in passum, at similia non se excedunt: ergo.

Obiicies secundò contra secundam Conclusionem ex variis experientiis, quas adducunt Meldul. *cit. num* 12. Guarin. *de Alteratione* cum aliis DD. vt verbi gratiâ, si duæ phialæ vitreæ æquales se inuicem collidantur, frangentur: si duo ligna æquè calida confricentur, æquè intenduntur: si addatur lumen candelæ alteri lumini, priùs lumen intendetur: Item fœnum quandoque spontè comburitur, carbones separati extinguuntur, vniti conservantur igniti: Item duæ voces vnitæ intenduntur ad inuicem, & speculum immittit speciem in aliud speculum, &c.

Respondetur has, & consimiles experientias nihil probare contra allatam Conclusionem: nam omnes isti effectus proueniunt à causa æquiuoca, quæ est vel durities, vel impulsus, lumen, maior, vel minor quantitas iuuans ad resistendum, vt in quocunque effectu allato quisque considerare potest.

76. Quarta Conclusio: Quia raritas, & densitas alia est disponens ad agendum, alia ad patiendum ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 49. *part.* 2. *articul.* 6. *quæst.* 1. *ad* 1. Prima inducit dissimilitudinem sufficientem ad agendum in simile: Secunda nequaquam.

Prima pars probatur: Quia vtraque est qualitas addens virtutem,

vnde corpus gloriosum ob talem virtutem superadditam raritati potest penetrare corpus non gloriosum, non verò corpus gloriosum ob æqualitatem virtutis: Sic Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 49. *citat.* & *lib.* 2. *dist.* 12. *artic.* 1. *quæst.* 3. & *art.* 2. *quæst.* 3. & *distinct.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. & Toletus, Ficinus, Niphus, Sotus, Aliique plures.

SECVNDA pars etiam probatur: Raritas, & densitas passiua est tantùm motus partium vel magis, vel minùs approximatarum, obidque nec sunt rationes agendi. Tum quia densitas, vel raritas ad summum inseruient ad agendum in maius spatium. Tum quia sequeretur, quod agens densum calidum vt quatuor si ageret in rarius calidum vt quatuor, quod possent se inuicem intendere vsque ad octauum gradum, at hoc est falsum: ergo.

PROBATVR sequela: Calidum vt quatuor densiùs agendo in calidum vt quatuor rariùs produceret quintum gradum caloris in eo, & istud posset vt excedens in virtute producere vnum gradum caloris in densius, & sic deinceps agendo, & patiendo possent se reducere mutuò ad octauum gradum.

OBIICIES cum Meldul. densitatem, & raritatem spectare ad quantitatem, nec esse qualitates actiuas: ergo.

RESPONDETVR ex doctrina Seraph. Doct. suprà data negando antecedens, siue distinguendo antecedens; densitas, & raritas sunt quantitates, nego: sunt qualitates spectantes ad quantitatem, concedo: non sunt actiuæ per se, concedo: per accidens, scilicet simul coniunctæ cum aliis qualitatibus, nego: densitas enim in elementis causatur à frigido constringente partes materiæ, & raritas à calido dissoluente: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* Vnde simul cum istis qualitatibus, à quibus originem trahunt, dant fortiùs, vel leuiùs agere.

97. QVÆRES; an ista dissimilitudo semper fiat à proportione maioris inæqualitatis.

VT intelligatur vis dubitationis propositæ: Aduertendum est, quòd agens, & passum possunt inter se comparari tribus modis: Primo modo, ita quod non adsit vlla prædominantia, sed actiuitas agentis, & resistentia passi sint æquales, & dicitur dissimilitudo secundùm proportionem æqualitatis: Secundo, quando maior est resistentia passi actiuitate agentis, & dicitur à proportione minoris inæqualitatis: Tertio, quando è contra actiuitas agentis superat resistentiam passi, & dicitur à proportione maioris inæqualitatis.

QVÆRITVR igitur, quænam ex his concurrat in actione agentis in passum.

RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib.* 2. *distinct.* 17. *art.* 2. *quæst.* 3. *arg.* 4. & *distinct.* 31. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. & *lib.* 3. *distinct.* 6. *articul.* 2. *quæst.* 1. actionem semper procedere à proportione maioris inæqualitatis, sic & communiter ferè omnes docent contra Toletum, Burlæum, & Valentiam asserentes sufficere proportionem minoris inæqualitatis: Ratio est, quia quod agit in aliud, illud vincit, ergo & ipsum superare debet: aliàs (ait Seraph. Doct.) nunquam fieret actio, siue sit cum totali

Digitized by Google

tali victoria, siue sit cum inchoata: semper enim agens agendo introducit aliquam formam in passum siue totaliter, siue partialiter.

Obicies: Parua gutta aquæ, & formica sæpiùs pertransiens super lapidem, ipsum excauat, & tamen resistentia lapidis excedit actiuitatem guttæ, & formicæ: ergo.

Respondetur concedendo lapidem secundùm totalem suam potentiam restitiuam excedere actiuitatem guttæ, & formicæ: non verò secundùm partem illam, secundùm quam agunt in partem lapidis priùs paulatim disponendo, & mollificando, & euellendo.

Instant: Calidum, & frigidum in æquali portione pugnant ad inuicem: ergo & agunt, & tamen in tali lucta non adest semper victoria.

Respondetur concedendo antecedens: Negando tamen non adesse victoriam, & si non aderit victoria, nec aderit actio *lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 3. quæst. 2. in fundam.*

QVÆSTIO II.

Quid sit Actio per Antiperistasim, & per reflexionem, & quomodò qualitas per istas intendatur.

98. Primò Supponendum, quod Antiperistasis Græcè Latinè significat circumobsistentiam debilioris contrarij à fortiori, per quam obsistentiam contrarium obsidens impedit, ne obsessum vlteriùs diffundat propriam actionem, propter quod vires suas velut in se colligit, aut aliundè magis roboratur vis eius, magisque intenditur, verbi gratiâ, sit ignis vt tria, circumdetur iste ignis à frigore vt sex, ille ignis, dum vult agere in frigus, propter nimiam potentiam frigoris cogitur retrocedere, & actionem, quam per medium, seu in frigus immittebat, compellitur in seipsum immittere, & ob id etiam in seipsum agere, seque corroborare, suasque vires confortare, & hæc actio, seu intensio dicitur antiperistica, estque similis actioni reflexiuæ: Hæc enim etiam est actionis agentis retrocessio in eadem parte medij, in qua agens actione directa priùs agit propter adueniens obstaculum intra sphæram agentis, quæ reflexio potissimùm fit in corporibus, & etiam euenit in qualitatibus, vt patet in reflexione radiorum Solis. Quæritur igitur hîc, an verè intensio fiat in istis qualitatibus, & à quanam causa.

Aliqui dixerunt nullo modo verè intendi, sed tantùm apparenter, verbi gratiâ, aqua putei in hyeme videtur calida, quia tangitur manibus frigidis, &c. sic Galen. Cardanus, &c.

Commvnis, & vera opinio est opposita, nempè per actionem antiperisticam, & reflexionem intendi, & acquiri nouam qualitatem: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 13. artic. 3. quæst. 1. ad 2. & 3. & Serm. 3. de pluribus Martyribus, & lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad 1.*

Probatvr autem: Quia agens naturale agit, quantum potest in passum potens recipere suum effectum, at quando intra sphæram agentis occurrit obstaculum, non exhauritur totaliter virtus agentis, & ex alia parte reperitur medium

potens recipere intensiorem qualitatem: ergo in tali casu eam producet: Idque patet experientia tum in aquis putei tempore hyemis, quæ sunt calidæ ex obsessione aëris frigidioris, & hoc præcipuè ratione exhalationum calidarum, quæ ibi obsidentur simul cum aqua à frigore circumiacente: sicque illæ exhalationes se se fortificant, aquamque calefaciunt,&c. & è contra in æstate eleuantur à Sole, sicque aqua ipsis carens magis frigesit maximè ratione caloris obsidentis ipsam aquam, &c. Patet & in radiis repercussis, vel in vnum collectis, &c. ita quod aliquando accenditur ignis: de quibus, & aliis possunt videri Meldul. *citat.* Guarinus, Aliique. Quoad causam verò talis intensionis

RESPONDET S. Bonauent. prouenire à causa principali, à qua exit qualitas cum sua virtute: vnde contrarium obsidens cum aliis circumstantiis, vt densitas, & raritas, &c. solùm dicitur causa per accidens: sicut & ipse motus: hinc non sequitur, quòd res seipsam intendat, vt dicebat Toletus, sed intenditur à causa originali principali concurrentibus aliis causis per accidens eo modo, quo dictum est in Physica de motu proiectorum.

QVÆSTIO III.

De Reactione, & resistentia, quid sint, & quomodò fiant.

99. QVIA patiens non solùm colligit in se vires, vt fortiùs se defendat resistendo, sed nititur etiam id obtinere reagendo in suum contrarium, vt vim vi repellat: Hinc quæritur, in quonam consistat hæc resistentia, & reactio, & an in omni actione semper concurrant: Et quoad resistentiam communis opinio tenet formaliter non consistere in actione, nec in passione, sed in negatione actionis ab agente, & passionis in subiecto, vt infrà declarabitur.

QVOAD reactionem: Aliqui ipsam negant reactionem in eadem parte subiecti agentis: Communis opinio ipsam admittit, vt infrà, &c. Pro solutione

PRIMÒ Notandum, quod licèt resistentia rigorosè sumpta competat tantùm corporibus duris: ex duritie enim, ait S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 40. *art.* 4. *quæst.* 1. & Richard. *ibid. art.* 3. oritur primò inhabilitas ad suscipiendum: Secundò aptitudo ad persistendum: Tertiò idoneitas ad resistendum, tamen etiam competere potest per quandam analogiam aliis rebus, quæ duritiei muneri æquiualent: obidque resistentia primò competere intelligitur iis, quæ de loco ad locum petuehuntur scilicet ratione motus localis: Secundò iis, quæ adinuicem percutiuntur: Tertiò iis, quæ actione contraria ad sui destructionem connectuntur, & de his potissimùm procedit Quæstio.

100. SECVNDÒ Notandum resistentiam esse duplicem, vnam formalem, alteram effectiuam: formalis est ipsa vis permanendi in esse, ratione cuius res difficilè destrui potest, vel est ipsa forma, aut qualitas inhærens in subiecto impediens actionem contrarij: Effectiua verò est, quando agens per vim actiuam retundit, & debilitat contrarium agendo in illud: Vtraque, si sumitur

in

in actu primo, est ipsamet vis, seu principium entitatis valens impedire actionem contrarij: In actu secundo est impedimentum actuale positiuum, ex quo oritur negatio receptionis contrarij: sic resistentia in actu secundo est ipsum principium resistendi connotans agens actu applicatum, ex quo sequitur negatio receptionis in subiecto, verbi gratiâ, si quis actu conetur manu comprimere lapidem durum, qui nequit præ duritie comprimi, dicitur actu lapis resistere conanti se præmere, durities verò, prout connotat manum actu applicatam ad comprimendum, dicitur actuale impedimentum compressionis, & actualis resistentia.

101. Tertiò Notandum, quòd reactio potest sumi dupliciter: Primò secundùm diuersas rationes, vt, verbi gratiâ, si calidum agat secundùm vim calefactiuam in aliud, & hoc repatiatur à passo vt ab agente secundùm humiditatem: Secundò secundùm eandem contrarietatem, vt calidum agat in passum calefaciendo, & repatiatur à passo per impressionem frigoris: hîc non est quæstio de primo modo: nam certum est, ait S. D. *lib. 3. dist. 6. art. 2. quæst. 1. in corp.* & *lib. 2. distinct. 30. art. 3. quæst. 2. in corp.* & *Serm. 2. de pluribus Martyr.* dum aqua, verbi gratiâ, miscetur vino, conuertitur, si est in parua quantitate, in vinum ob prædominantiam, & repugnantiam, sed fit vinum debilius: Vnde quæstio procedit secundo modo, & in hoc certum est, quod vbi est æqualitas gradualis virtutis, ibi non potest esse reactio: vnde (ait Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 49. art. 4. quæst. 1. & 2.*) corpus gloriosum non potest penetrare aliud gloriosum, sed requiritur inæqualitas virtutis inter actiuitatem vnius, & restitiuam vim alterius, quicquid dicant Tolet. *quæst. 15. lib. 1. 3. Concl.* & Valesius, semper enim agens est præstantius passo in ratione agentis, vt notat cum communi Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 31. art. 2. quæst. 1. ad 1. & 2. & quæst. 2. ad 3.* & *lib. 3. distinct. 16. art. 1. quæst. 1. ad 4.* vbi ait, quod natura agens est præstantior patiente non semper simpliciter, sed solùm secundùm aliquam conditionem, quia enim lapis lædit pedem, lapis non est nobilior absolutè pede, sed solùm secundùm duritiem, vel soliditatem, & hoc pacto (ait *lib. 4. distinct. 49. part. 2. art. 4. quæst. 1. in corp.*) elementa mutuò agunt, & patiuntur in composito corruptibili. His præmissis sit

102. Prima Conclvsio: Resistentia est propriè inter contraria, estque quid positiuum, & dicitur permanentia rei in suo esse, connotans nexum agentis contrarij, cuius actio frustratur, aut retardatur: Est communis cum Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 4. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad 2.* vbi docet, quod aliud est oppositio vt sic: aliud est resistentia: oppositio est etiam inter priuationem, & positionem, vt inter lucem, & tenebras, non verò resistentia, quæ est inter positiua, & ideò est quid positiuum, & *lib. 4. distinct. 16. part. 1. artic. 3. quæst. 1. ad 5.* docet, quod in materia potest esse dispositio contraria informationi: nullo tamen modo resistens, vt cùm Deus de aqua facit vinum: alio modo est dispositio resistens vsui, vt est pronitas ad peccatum (quæ est quid positiuum) quæ resistit vsui gratiæ, & hæc ponit successionem: Idemque docent

Auersa, Meldul. Serbellon. Aliique communiter.

Probatvr primò: Resistentia formalis non est actio, nec passio qualitatis: ergo est illius permanentia: Probatur antecedens: non est actio, alioquin non distingueretur à resistentia actiua: nec passio: si enim pateretur aliquid à contrario, illi non resisteret: sic quia aër statim recipit lucem, illi resistere non dicitur: ergo.

Probatvr secundò: Resistentia est proprietas duritiei, vel rei æquiualentis: ergo est quid positiuum: Sic S. Bonauent.

Probatvr tertiò: Datâ permanentia rei in suo esse, etiamsi à contrario agente impugnetur, habetur conceptus adæquatus resistentiæ formalis: ergo in hoc consistit: ex hoc enim, quod ferrum conseruat duritiem, dicitur resistere impellenti, & comprimenti, & ex hoc, quod deperdit eam, dicitur non resistere: ergo.

Et si quæras, quid sit formaliter.

Respondetvr esse vel quendam modum eiusdem rei resistentis, vel quandam actionem immanentem eiusdem rei seipsam conseruantis in suo esse, & cum tali conseruatione resistentis contrario in illo tamen nihil agendo: quælibet enim creatura habet aliquam virtutem innatam licèt imperfectam ad se conseruandum in esse per actum exeuntem à tali virtute adiuta tamen à Deo: Sic S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 37. art. 1. quæst. 2. in corp. & ad 4.* Quare sequitur, quod si passum resistit per actionem, vt ignis per calorem, resistentia erit actiua: si per formam vt albedo nigredini: sic erit formalis, ad quam sequitur negatio receptionis contrarij.

103. Obiicies primò; Quod resistit per actionem, est resistentia actiua, sed formalis resistit per conseruationem, quæ est actio, vt dictum est, ergo est actiua.

Respondetvr nos dixisse esse veluti actionem immanentem duratiuam, in quo sensu potest dici actiua: non verò propriè, cùm non importet actionem transeuntem, & ab ipso passo distinctam, sed aliquid præuium etiam omni actioni contrarij: Hinc nihil contra nos.

Obiicies secundò: Resistentia est negatio receptionis contrarij: ergo non est quid positiuum.

Respondetvr negando antecedens: Est enim priùs in se quid positiuum, ad quod consequitur talis negatio.

Obiicies tertiò: Resistentia formalis vel fit, dum est actio, vel ante: non primo modo, quia sic essent duæ formæ oppositæ simul: tunc enim supponitur aliquis gradus introductus formæ oppositæ, quia si supponitur agens, ergo & introducens formam in passum: nec secundo modo, quia tunc agens nondum est.

Respondetvr resistentiam esse simul cum actione imprimente impetum, sed ob resistentiam non valente depellere formam contrariam: sic negatur, quod tunc simul sint duæ formæ oppositæ, & si paulatim introducit gradus, verbi gratiâ, caloris in frigidum, tunc cessat resistentia in illa parte ob victoriam agentis.

Qværes: quomodò resistentia conueniat primis qualitatibus.

Respondetvr resistentiam actiuam

actiuam conuenire primis qualitatibus eo modo, ac illis conuenit actiuitas: ratio est, quia talis resistentia nihil aliud est nisi agere in contrarium, & illius vires debellare, producendo in illo suas qualitates, ideò eo modo, quo gradatim dicuntur actiuæ, eodem modo etiam sunt restitiuæ, & hinc primum locum tenet calor, secundùm frigus, tertium humidum, quartum siccum: Sic ex S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 3.*

Qvoad resistentiam formalem Respondetur non conuenire hanc eodem ordine, ac actiuitatem, sed è contra: nam qualitas magis actiua est minùs restitiua: vnde magis resistit siccitas: deinde minùs humidum: tertiò minùs frigus: & quartò minùs omnibus calor: Sic Mastrius *hic quæst. 4.* Aliique ab ipso *citati.*

Ratio verò est, quia hæc resistentia formalis est permanentia formæ in subiecto: ergo, quæ faciliùs est à subiecto separabilis, habet minorem vim restitiuam à suo contrario: at mollia, & rariora sunt huiusmodi, ergo priùs calor, deinde frigus, humidum, & siccum seruant hunc ordinem secundùm magis, & minus; hinc calor difficilè vincit frigus: sic & humidum minorem vim habet in siccum: sicque terra magis resistit, deinde sequitur aqua, posteà aër, vltimò ignis.

104. Secvnda Conclvsio: Datur vera reactio in agentibus contrariis, & secundùm qualitates contrarias, & secundùm eandem partem: Est communissima inter Philosophos cum S. Doct. contra Richardum Suisset appellatum communiter Calculatorem, eo quod nimium quasi computum graduum qualitatum ineat.

Probatvr primò experientia: nam si manus frigida coniungatur calidæ, ipsamque aliquantisper refrigerat, illaque calefit: sic & aqua calida infusa frigidæ fit tota tepida, lignum sectum cultro ipsum hebetat: ergo quod calefacit, refrigeratur, quod pellit, pellitur, quod agit, repatitur.

Probatvr secundò ratione: Agens naturale non impeditum, & sufficienter passo applicatum proportionato potest agere, & verè agit, sed hoc euenit, quando duo contraria vt calidum, & frigidum sunt applicata: ergo vtrumque agit.

Probatvr Min. si enim vnum non reagit in alterum, id erit, quia exceditur ab altero in actiuitate, sed id nihil officit: ergo.

Probatvr Minor: ad hoc vt aliquid in aliud agat, sufficit, vt agens superet resistentiam passi, sed omne agens in sua actiuitate superat resistentiam formalem sui contrarij: ergo.

Qvare sequitur, quòd licèt agentia sint æqualia in actiuitate, tamen si sunt inæqualia quoad resistentiam, tunc vnum poterit agere in aliud: sicque agens, verbi gratiâ, calidum agens in frigidum introducit aliquos gradus caloris in illum, tamen frigus agens in calidum, cùm hoc habeat vim minorem restitiuam saltem secundùm aliquem gradum, poterit in ipsum reagere.

Obiicies primò cum Calculatore: Si datur reactio secundùm eandem partem, & contrarietatem, sequitur idem moueri simul motibus contrariis, sed id implicat: ergo.

Digitized by Google

PROBATVR sequela maioris ; sit agens ignis bipalmaris calidus vt octo , passum vt aqua frigida vt octo : solus autem semipalmus ignis sit sphæra actiuitatis aquæ , qui tantùm repariatur ab aqua , & dicatur pars repassa : reliquus autem semipalmus sit pars non repassa : tunc sic arguitur : pars repassa ignis mouetur motu frigefactionis ab aqua propter reactionem transeundo ab octauo gradu caloris , & motu calefactionis à parte non repassa , cùm in ipsam agat alia pars ignis : sicque à duobus contrariis eadem pars mouetur motu calefactionis , & frigefactionis : Aliter etiam probatur eadem sequela : sit ignis distans aliqualiter ab aqua , aër intermedius est medium calefactionis ab igne prouenientis , & etiam refrigerationis ab aqua , vel gelu : ergo mouebitur contrariis motibus.

Hoc argumentum valdè contorquet Philosophos , vt notat Meldul. *disput.* 2. *quæst.* 4. *num.* 50. Vnde variæ adhibentur responsiones à variis, quos omnes expendit doctissimè Meldul. *cit.* quibus omissis

105. Nos sequentes doctrinam Seraph. Doct. & alia suprà à nobis tradita supponemus primò ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1. qualitates in esse remisso non habere contrarietatem , ita vt necessariò se expellere debeant ab eodem subiecto , vt euenit in corporibus gloriosis : vnde contrarietas qualitatum est secundùm esse summum , vel propè : sicque non implicabit calorem vt septem , vel vt sex stare cum vnico, vel duobus gradibus frigoris , vt experientia patet.

SVPPONIMVS secundò ex dictis maiorem esse potentiam , per quam agens agit, vel reagit, quàm illa, per quam resistit gradibus , qui introducuntur , quia nunquam resistit qualitas , nisi per vnum gradum , vel certè per minorem partem : sicque calidum vt octo resistet per vnum gradum , vel per minorem partem frigido agenti vt octo , quia agens agit secundùm totam suam virtutem : & ratio differentiæ est , quia cùm non omnes gradus simul expellantur , sed vnus gradus post alium , per consequens etiam opponitur resistendo secundùm illum , vel secundùm minorem partem qualitati , quæ introducitur paulatim : immò & ille gradus,cùm sit diuisibilis , non opponitur secundùm se totum , sed tantùm secundùm partem, quod & innuit Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 16. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. *ad vlt.* est enim hæc resistentia non informationi contraria , sed vsui , & actui ponens successionem , quod non euenit in contrariis priuatiuis.

HINC respondetur in dato casu negando sequelam : pars enim repassa ratione resistentiæ minoris ab aqua tepatitur absque eo, quod ignis valeat agere in illam partem impeditus à reactione aquæ , quod & patet experientia : tunc enim inuenitur calor in illa parte minùs intensus.

106. ET si dicas, quod tunc ignis necessariò aget in partem repassam continuam sibi , cùm sit agens naturale.

RESPONDETVR agere quidem, nisi sit impeditus , sed impeditur per reactionem contrarij : minor enim est excessus actiuitatis partis non repassæ supra repassæ partis resistentiam , quàm sit excessus actiuita

actiuitatis passi supra resistentiam partis repassæ : Vnde , vt tollat hoc impedimentum , ignis agit in aquam , vel in gelu minuendo ipsius virtutem , vt superato contrario possit agere liberè in partem repassam : Et ad aliam sequelam de medio

Respondetvr vtrumque agere in medium gradibus compossibilibus , & in esse remisso , & si superabunt esse remissum , tunc fiet reactio , vt dictum est.

Obicies secundò : Quia si datur reactio , sequitur , quod nunquam perfectè agens assimilatet sibi passum,quia semper debilitatetur : ergo.

Respondetvr negando sequelam : nam datâ victoria perfecta, tunc perfectè assimilabit sibi passum , & si aliquando non obtinet intentum , id est , vt mixta conseruentur in esse , cùm per mixtionem refrangatur contrarietas, vt docet S. Doct. *lib.4. dist.49. cit.*

Obicies tertiò : Vel reagens reagit per gradus , quos deperdit actione contrarij , vel per alios , quos retinet : non primum , quia ratio formalis agendi præsupponitur actioni : nec secundum , quia secundùm istos non contrariatur agenti : aliter ab ipso paterentur : ergo.

Respondetvr agens agere per gradus , quos habet , & per quos actiuè contrariatur agenti : nec ob id secundùm illos debet pati ab agente , quia agens actione successiua non statim agit in omnes gradus qualitatis contrariæ , sed in aliquos, vel in vnum tantùm , licèt subiectum secundùm partem possit pati secundùm Aliquos , vnde loquendo de subiecto secundùm partem potest agere per qualitatem existentem , & pati per aliam de nouo receptam.

Qværes ; an in motu locali detur reactio.

Respondetvr affirmatiuè licèt non semper , nempè quando actio passi absorbetur à nimia efficacia agentis , vt patet in igne extendente se ad varias partes subiecti : in motu verò viuentium datur reactio per defatigationem , & in motu duarum pilarum se mutuò percutientium , & in similibus datur reactio.



L 2 TRACTA



TRACTATVS IV.

De Elementis, & Mixtione, & ipsorum Qualitatibus.

DE corpore mixto vltimo loco agit Aristoteles in his libris, est enim scopus præcipuus, in cuius gratiam cætera omnia considerantur: hinc & Nos eundem ordinem sequentes de ipso agemus: Sed quia mixtum constat suis componentibus, quæ sunt quatuor elementa: Primò de istis quæstiones instituemus, & deinde de ipso mixto.



TEXTVS SERAPHICVS.

A. 107. IN hoc mundo sensibili sunt quædam generantia, quædam generata, & quædam regentia hæc, & illa: Generantia sunt corpora simplicia, scilicet corpora cœlestia, & quatuor elementa: Ex elementis enim per virtutem lucis reconciliantis contrarietatem elementorum in mixtis habent generari, & produci, quæcunque generantur, & producuntur per operationem virtutis naturalis: Generata verò sunt corpora ex elementis composita, sicut mineralia, vegetabilia, sensibilia, & corpora humana, regentia hæc, & illa sunt substantiæ spirituales siue omninò coniunctæ, vt sunt animæ brutales, siue coniunctæ separabiliter, vt sunt animæ rationales, vel omninò separatæ, vt sunt spiritus cœlestes, quos Philosophi Intelligentias, Nos Angelos appellamus: Proprietates autem elementorum sunt sequentes. Ignis consumit, & incinerat, in similitudinem suam sibi appropinquantia conuertit,

conuertit, motum facit de centro ad circumferentiam, ardet, & lucet in materia aliena, sed non in sua sphæra, quia non est compactus, alioquin eclypsaret omnes stellas, resoluit terrea in aquosa, aquosa in aëra, & aëra in se, mollificat dura, & indurat mollia, subtiliat, depurat, & corrumpit, est & penetratiuus, communicatiuus, & diuisiuus: Aër est subtilis, mobilis, perspicuus, temperatiuus caloris cordis per inspirationem, & respirationem, decoratur volatilibus, locus impressionum, mansio spirituum damnatorum, est & alterabilis, subtilis, leuis, atque rarus, non lucet, quia est diaphanus, sed est illuminabilis: Aqua corpus est diaphanum frigidum, & graue, est terminabilis termino alieno, non proprio. Terra est infima, nigra, ponderosa, rotunda, &c. est sphærica, & infima, quia est centrum vniuersi, est modica per respectum ad circumferentiam cœli, recipiens influentias cœlorum. *Itiner. ment. cap. 2. & in Comp. Theol. lib. 2. cap. 8. & lib. 2. distinct. 14. part. 1. art. 1. quæst. 1. & 2. & Serm. 1. Hexaëm.*

B. ELEMENTVM igitur est corpus simplex, & primum principium corruptibilium, quod rectè in quatuor capita diuiditur, scilicet in terram, aquam, aërem, & ignem, quæ tamen apud Nos non sunt pura, sed sunt mixta habentia proprias operationes mixti, licèt appellentur nomine elementi prædominantis. *Itiner. Ment. cit. & lib. 2. dist. 14. part. 2. dub. 1. & dist. 15. art. 1. quæst. 2. & 3. & lib. 4. dist. 49. part. 2. artic. 4. & distinct. 48. art. 2. quæst. 3. & Breuil. part. 2. cap. 3. & comp. Theol. lib. 2. cap. 8. & lib. 2. distinct. 14. part. 2. dub. 1. & distinct. 15. art. 1. quæst. 2. ad 5. & comp. Theol. lib. 2. cap. 2.*

C. SICVT igitur quatuor sunt prima corpora simplicia, ex quibus iste mundus inferior constituitur, sic & quatuor sunt primæ qualitates, quæ sunt calor, frigiditas, humiditas, & siccitas, quæ dicuntur primæ inter sensibiles, & actiuas, passiuasque habentes contrarietatem, quæ corpora sunt ita ordinata, vt inferiorem locum occupet terra, supra terram est aqua, super aquam aër, & supra aërem ignis. *Itiner. Ment. citat. & lib. 2. distinct. 14. part. 1. art. 1. quæst. 1. & 2. ad 5. & Comp. Theol. lib. 2. cap. 8. & lib. 2. distinct. 15. art. 1. q. 3. & lib. 2. distinct. 14. part. 2. dub. 1.*

D. SI autem quæratur; qualiter fiat ista mixtio: dicendum est fieri hoc pacto: Aqua, cùm sit subtilior terra, in decupla proportione penetrat partes terræ, sed non perfectè pro eo, quod aliquam grossitiem

Digitized by Google

sitiem habet: Aër verò, qui est subtilior in centupla proportione, adhuc intimiùs se profundat, sed ignis, qui est subtilior, & rarior in millesima proportione, subtilitate sua penetrat vsque ad intima, & sic fit alteratio plena vsque ad minima, & mixtio perfecta, quia miscibilia sunt perfectè alterata. *Lib. 2. distinct. 15. artic. 1. quæst. 2. in corp. & ad 5. & 6. & quæst. 2.*

E. Et hinc in mixtis materia ipsa secundùm diuersitatem mixtionum aptatur ad susceptionem diuersarum formarum, quia elementa secundùm maiorem raritatem, & densitatem in suis partibus aptantur ad susceptionem formarum diuersarum. *Lib. 2. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 1. in corp.*

F. Nec hinc infertur violentatio in elementis, ex hoc quod vnum quodque habet diuersam sphæram ab alio sursum, vel deorsum: nam in quolibet elemento, siue materia sunt cætera in potentia, & ex vno possunt fieri omnia, si adsit virtus alterans, & actiua sine aliqua mutatione locali, & ob id sine violentatione, quia fit per vires naturæ. *Lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. ad 5. & 6.*

G. Elementa autem sunt sphæricæ figuræ, licèt terra, & aqua non constituant sphæram omninò orbicularem, & licèt enim in principio aqua esset omninò immixta terræ: attamen Deus apparere fecit ex [parte] terram ad habitationem viuentium: sunt autem sic disposita, quod aqua excedit terram in decupla proportione, aër aquam in centupla, & ignis aërem in millesima: Terræ autem ambitus est 24. millium millianorum: Diameter 6070. Semidiameter 3035. *In Serm. 3. de B. Virg. & lib. 4. dist. 48. art. 2. quæst. 3. in fine, & lib. 2. distinct. 14. part. 2. dub. 1. & lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. & Serm. 4. de plurib. Martyrib.*

De Mixtione.

108. *H.* Mixtio dupliciter sumitur communiter, & propriè: Prima fit, quando miscetur aliquid alicui alterius naturæ, quod tamen non habet proportionem in quanto, sed illud tanquam prædominans soluit speciem, & in se conuertit, vt si gutta aquæ misceatur in amphora vini: Secunda est miscibilium alteratorum vnio. *Lib. 4. distinct. 11. part. 2. art. 1. quæst. 4. ad 3.*

I. Vt autem id rectè intelligatur, sciendum est, quod multiplex

plex est vnio. Quædam, in qua est vnius vnibilis in naturam alterius conuersio, & hoc ratione repugnantiæ, & prædominantiæ vnius ad aliud, vt si gutta aquæ vniatur amphoræ vini: quædam est, in qua non est vnitorum transmutatio, sed tertiæ naturæ constitutio, & hoc est, quia vnibilia non habent repugnantiam, sed mutuam dependentiam, & inclinationem, sicut materia, & forma vniuntur ad constitutionem tertiæ entitatis: quædam est, in qua nec est transmutatio, nec tertiæ naturæ constitutio, sed vnum vnibilium fundatur tantùm in altero, in quibus non est repugnantia, nec essentialis dependentia mutua, nec excellens prædominantia, vt quando arbor inseritur stipiti, & natura humana vnita est verbo, quædam est, in qua est vtriusque vnibilis alteratio, & tertiæ naturæ productio, & hoc, quia non est ibi repugnantia, nec excellens prædominantia, hæcque est propria mixtio, quæ est, quando elementa vniuntur ad mixti constitutionem.

Hæc igitur rectè definitur *vnio alteratorum miscibilium. Lib. 3. dist. 6. art. 2. quæst. 1. in corp.*

K. Ad mixtionem necesse est, vt concurrant elementa actiua, & passiua, vt adsit repugnantia, seu resistentia, & prædominantia ob mutuam actionem, & reactionem: item & quod sint frangibilia in minutissimas partes, & quod resultet compositum mixtum absque conuersione, vel transmutatione miscibilium: quadruplex enim est operatio elementorum: Prima est mixtionis concurrentis ad constitutionem mixti: Secunda est conseruationis, & hæc in corpore viuo est ministerialis, delatio caloris vitalis per corpus: Tertia est pugnæ ordinans ad dissolutionem: Quarta exterioris impressionis, per quam alicuius elementi operatio intenditur, & pugna oritur. Hinc sequitur, quod ad perfectam mixtionem quatuor elementa concurrunt, quæ si habent perfectam complexionem, ab ipsa oritur calor cœlestis conseruans, si inæqualem, oritur calor elementaris consumens: Corpus verò imperfecta mixtione compactum non est necessariò ex quatuor elementis, tale est, quod assumitur ab Angelis, scilicet formatum principaliter ex aëre cum aliqua admixtione alterius elementi, verbi gratiâ, per concursum vaporis terrei, vel aquei, qui facit ad varietatem condensationis, & ad multiformitatem coloris, tum vt sit habile ad quemcunque motum. *Lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. in corp. & quæst. 2. & lib. 4. distinct. 48. art. 2. quæst. 3. & distinct. 49. part. 2.*

Digitized by Google

part. 2. *articul.* 4. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.*

L. Et si quæratur; an ex vno elemento tantùm possit fieri mixtio. Respondetur, quod, vt suprà dictum est ad literam F. propriè loquendo non potest fieri mixtio, quia præexigit elementa componentia: Attamen quia in vno elemento cætera sunt in potentia, & ex vno possunt fieri omnia, si adsit virtus alterans, & actiua, hinc ex illo possunt educi cætera. *Lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp. & præcipuè ad* 5. *&* 6.

M. Ex quibus inferri debet elementa in mixto remanere formaliter, & secundùm substantiam; mixtio enim est vnio miscibilium alteratorum. *Lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. *& lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 2. *& dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vltim.*

De Raritate, & Densitate.

109. *N.* Qvia nihil est miscibile, quod non sit rarefactibile, & condensabile: hinc de Raritate, & Densitate hæc subiicienda: Primò rarefactio est alteratio, qua aliquid fit maius non per additionem nouæ quantitatis, & substantiæ: Raritas autem, & Densitas alia est disponens ad agendum, alia ad patiendum: vnde alia est tantùm secundùm diuersum situm partium, vt est in Cœlis: alia est ex calido dissoluente, & frigido constringente partes materiæ. *Lib.* 2. *distinct.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *fund.* 2. *& lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *articul.* 2. *quæst.* 1. *in corp. & lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 2. *art.* 6. *quæst.* 1. *in corp. & ad* 1.

O. Et quia necessariò in mixto concurrit temperamentum, hinc dicendum, quod temperamentum aliud est à pondere, aliud à iustitia: Primum potest sumi tripliciter Primò, quod miscibilia habeant æqualitatem quantitatis molis, & virtutis: Secundò, quod habeant tantùm æqualitatem molis: Tertiò, quod habeant solùm æqualitatem virtutis, & isti tres modi sunt impossibiles in natura, vt per se patet. Æqualitas autem, seu temperamentum à iustitia attenditur in commensuratione miscibilium secundùm proportionem debitam, & secundùm exigentiam formæ introducendæ: Hæc autem est præcipuè in homine, sed quia non est punctalis, habetque latitudinem,

tudinem, & gradus : Hinc in ſtatu gloriæ eſt ſine pugna, diſcordia, & repugnantia ſiue actu, ſiue potentia : In ſtatu innocentiæ erat & conſimilis quoad actum ratione intrinſeci adiutorij animæ gubernantis corpus, & extrinſeci ratione alimenti nutrientis : aderat tamen poſſibilitas ad inæqualitatem, & hoc ob defectum vel virtutis conſeruatiuæ, vel alimoniæ : In ſtatu miſeriæ eſt æqualitas, ſed diminuta, quæ neceſſariò eſt cum diſcordia, & pugna. *Lib.* 2. *diſtinct.* 17. *quæſt. vltim.*

P. Cvm quo temperamento in animantibus ſtat prædominium elementorum paſſiuorum quoad quantitatem molis, & actiuorum quoad quantitatem virtutis, & hoc vt ſint habilia ad vitam, ad motum, & ſenſum, de quo dicetur in lib. de Anima. *Lib.* 2. *diſtinct.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 3.

Q. Vltimo loco agendum eſt de mixtis imperfectis : Corpora autem imperfectè mixta, qualia ſunt metalla, & mineralia generantur per virtutem, & calorem corporum cœleſtium in elementa ſecundùm conciliationem ab æqualitate remotam : Inter iſta autem datur latitudo gradualis in prætioſitate, quæ deſumitur ex maiori, vel minori ponderoſitate, & ſoliditate : hinc aurum eſt cæteris prætioſius, quia eſt ſolidius, & ponderoſius, quæ regula tamen fallit in plumbo, & ferro. *Breuil. part.* 2. *cap.* 4. *& lib.* 2. *diſtinct.* 15. *articul.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & Serm.* 2. *de vna S. Virgine.*

R. Qvia aër eſt locus impreſſionum, aſcendunt enim ad ipſum vapores, & exhalationes terreæ, & aqueæ : hinc ibi generantur variæ impreſſiones, ſuntque ſequentes. Cometes igitur, licèt appareat quaſi ſtella, non eſt tamen aliud, quàm vapor inflammatus ex vicinitate ignis : hîc comas luminis fundit, & dicitur ſignificare mutationem, aut bella, aut peſtilentias, aut mortem Regum, quæ ſignificatio tamen non eſt naturalis, ſed quando eueniunt illi effectus, talis cometæ apparitio poteſt eſſe ex iuſſu Diuino ob varios fines ſuæ prouidentiæ.

Corona eſt albus circulus apparens circa Solem, Lunam, vel Stellas cauſata ex reliquiis nubium per planetarum radios attractis, & illuminatis, ſignumque eſt ſerenitatis, aliuſque circulus eſt aſcendens, alius deſcendens : Primus eſt ex partibus vaporis inflammati in ſupremo aëris : Secundus eſt ignis retentus in nube, qui deorſum expellitur obuiante nube frigida, quia continuè cadit, ideò ap-

paret caudatus: Lumen, quod videtur de nocte discurrentibus se præcedere, est vapor compactus descendens, cui cùm nihil obuiet, confricatione sui ipsius accenditur, & aliquandiù statim aëre ab aliis dicitur ignis fatuus.

DRACO est vapor fortis conglobatus, qui est nubes frigida ad vnum latus, & ad aliud calida, & tunc ob conuenientiam ad calidum trahitur ad illud, & ita accenditur pars anterior, & hæc videtur quasi spiramen draconis: media verò pars incuruatur, vt serpens, & volat semper ad latus, vbi calidum circunstat ipsum.

NVBES gignitur ex vaporibus aqueis paludosis, & humidis sursum extractis à virtute solis.

NEBVLA est id, quod ex nubibus aquam pluentibus relinquitur: Caligo est vapor tenebrosus, qui remanet iuxta terram: Ros est id, quod descendit ex vapore paruo, redigiturque in paruas guttas: Pluuia est aqua descendens ex nubibus resolutis. Pruina est ex vapore rorido, quæ congelatur, antequam ex ipsa resoluatur aqua: Nix generatur in nube calidissima, cuius congelatio fit cum conuersione in aquam, ideò partes eius inspissantur: Grando generatur ex nube calidissima virtute Solis multùm eleuata, quæ resoluta in aquam congelatur in medio interstitio aëris: Tonitruum est vaporis sicci egredientis de nube humida, vel frigida, & humida: Coruscatio est illuminatio vaporis sicci incensi in vapore humido: Fulgur gignitur ex vapore grosso eleuato, & calore siccato, quia cùm sit igneæ naturæ, vi ventorum contra naturam descendit, & vrit, & nihil ei resistit æstate præcipuè, & in montibus percutit frequenter: Fulmen est vapor terrestris, & inflammatus, qui quando tangit nubem, quæ iam est in conuersione ad aquam, conglutinatur: sicque decoquitur fortissimo calido, & induratur in lapidem: Iris est lumen Solis receptum in nube concaua, & aquosa, solique ex aduerso opposita: Glacies est aqua congelata: Ventus est vapor terreus aëris superiora transcendens, & aërem fortiter percutiens, & impellens, vel etiam potest esse aër excitatus: Venti sunt quatuor principales, scilicet Subsolanus ab Oriente: Auster à Meridie: Aquilo à Septentrione: & Zefirus ab Occidente: Sunt & alij laterales: Turbo est ventus egrediens de nube in seipsum reflexus, vel duo venti lateraliter sibi concurrentes, se seque iuxta terram orbiculariter inuoluentes: Terræmotus est vapor grossus extractus de profundo terræ non potens exire superficiem

Digitized by Google

ciem terræ ob ipſius ſoliditatem, ſicque coarctatus in interioribus concauitatibus terram concutit. *Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. *& Serm.* 4. *Hexaëm. Serm.*1. *de B. Virgine, & lib.*2. *diſtinct.*14. *part.* 2. *quæſt. vltim. ad* 4. *& lib.*4. *diſtinct.* 47. *art.*2. *quæſt.* 1. *in corp. & in Eccl. cap.*1. *verſ.*6. *& in Sap. cap.*5. *verſ.* 11. *de Vento.*

Hic non ſubiiciuntur Notationes, quia ſatis explicatur ſenſus Seraphicus in quæſtionibus ſequentibus: Solúmque aduerto Seraph. Doct. pro vno, & eodem vſurpare nomen vaporis, & exhalationis, licèt communiter exhalationes ſumantur pro terreis, & vapores pro aqueis.



QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Elementum.

110. PRo intelligentia huius quæſtionis obſeruandum ex Areſio hoc nomen Elementi eſſe nomen nō naturæ, ſed officij, cùm enim omnia elementa ſint diuerſæ naturæ inter ſe, & omnia concurrant ad generationem mixti, ideò appellantur indifferenter eodem nomine elementi: Vnde elementum primò poteſt ſumi communiter pro omni eo, quod eſt primum componens aliquod, diciturque à Seraph. Doct. *lib.* 1. *quæſt.* 1. *Proœm. in corp. & in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 2. primum elementale, vel radicale, vt eſt in Grammatica littera: in Geometria punctum: & in rebus naturalibus materia, & forma: Secundò poteſt ſumi elementum propriè pro quatuor principiis omnium elementatorum, & mixtorum, & de hoc procedit Quæſtio, quid ſit: Cui reſpondetur ex Ariſtot. 3. *Cæl. t.* 31. Elementum corporum mixtorum *eſt id, in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu: ipſum verò eſt indiuiſibile in diuerſas ſpecies*, ſcilicet, Elementum *eſt illud corporum perfectorum, ſeu corpus ſimplex, quod eſt indiuiſibile in alia corpora differentia ſpecie, & quod componit alia corpora mixta, quæ cùm reſoluuntur, in ipſa Elementa reſoluuntur*: Explicatur autem hæc definitio: Dicitur, *corporum, ſeu corpus ſimplex perfectum*, quia conſtant ex materia, & forma: Dicitur, *in quod alia corpora reſoluuntur*, quia in elementa omnia mixta reſolui debent, cùm ex elementis componantur: Dicitur, *indiuiſibile in diuerſa ſpecie*, vt excludantur mixta, quæ poſſunt diuidi in elementa: ipſum enim elementum licèt poſſit diuidi in partes, non tamen diuerſas ſpecie: Dicitur, *actu, vel potentia*, quia mixta continent vel actu, vel potentia elementa: de quo infrà.

DICES: Elementum reſoluitur in aliud elementum: ergo reſoluitur in diuerſa ſpecie.

RESPONDETVR diſtinguendo antecedens, reſoluitur, id eſt ex vno elemento generatur aliud elementum, concedo, eo modo quo dicetur infrà: reſoluitur propriè, nego: Nam propriè id reſoluitur in aliud, in quo continetur tanquam in componente, quo pacto mixta reſoluuntur

Digitized by Google

in elementa: Quæ definitio communiter ab omnibus acceptatur: ſicut & à Seraph. Doct. *ſuprà cit.* ſolúmque Seraph. Doct. à communi diſcrepat in hoc, quod Alij communiter ſuſtinent elementa eſſe prima corpora: at Seraph. Doct. ex traditis *in Phyſ.* cùm ſuſtineat in materia formam corporeitatis, & quantitatem coëuam, per conſequens ſi elementa ſunt compoſita ex materia, & forma, corporea, & quanta, dicendum eſt elementa conſtitui in eſſe per propriam formam ſubſtantialem, eſſeque tertiam entitatem reſultantem ex vnione talis formæ, & materiæ corporeæ. Hinc ſequitur, cùm elementum ſit in ſe quid completum, & abſolutum, definitionem ſuprà traditam eſſe tantùm per ordinem ad compoſitum, obidque ipſis competere aliam priorem, quæ poteſt eſſe: Elementum *eſt id, quod primò conſtituit hoc vniuerſum completum, quod infra Lunæ ambitum continetur, & in quod vltimò reſolui poteſt:* Sic & Serbellon. *diſp.* 3. *num.* 2.

Hic verò diſquirunt, quænam ſit hæc forma ſubſtantialis elementorum, nempè an ſint qualitates ipſorum innatæ.

Partem affirmantem ſuſtinuerunt Philoſophi Græci, & nouiſſimè Cremoninus.

Negantem verò communiter ſuſtinent omnes Latini cum Ariſtot. nempè qualitates primas, quæ ſunt calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, eſſe formas accidentales ſuperadditas, ipſiſque elementis ineſſe ſuam propriam formam ſubſtantialem, conſtitutiuam ipſorum in tali ſpecie, ſcilicet vel terræ, vel aquæ, vel aëris, vel ignis.

Ratio autem eſt, quia tales qualitates in cæteris ſunt accidentia: ergo & in elementis, quod enim vni eſt accidens, alteri nequit eſſe ſubſtantia. Tum etiam quia videmus has qualitates remanere in Sacramento Euchariſtiæ, in quo nulla eſt ſubſtantia: vnde opinio Cremonini eſt valdè ſuſpecta in fide, ſicut & multæ aliæ propoſitiones, quas ipſe tradidit in ſua Philoſophia cum maximo animarum detrimento: Hinc dicendum eſt quodlibet elementum propriam ſibi vindicare formam ſubſtantialem.

Obiicit Cremoninus plures authoritates Ariſtot. in quibus qualitates appellat formas, differentias elementorum, materiam mixti, ſed

Respondetur aliquando dici formas, ſcilicet primas formas ſenſibiles, per quas cadunt ſub ſenſu elementa, quæ multoties circunſcribit, & deſcribit Ariſt. per iſtas qualitates tanquam per quid notius, & veluti per proprietates accidentales ipſarum.

QVÆSTIO II.

De Numero Elementorum, & Qualitatum primarum.

111. De numero elementorum ſicut apud Antiquos varius fuit ſenſus, ſic & apud Recentiores. Alij enim ſolùm tria elementa recognoſcunt ſcilicet terram, aquam, & aërem, rejicientes ignem ab hoc numero: ſic Cardanus, Taſſonus, Aliique cum Morando: Alij duo tantùm admittunt ſcilicet terram, & aquam: Ignem verò volunt eſſe accidens,

cidens, & Aërem aquam rarefactam: Sic Pasqualig. cum Aliquibus.

COMMVNIS sententia Peripateticorum, Platonicorum, & Theologorum sentit esse quatuor elementa: Sic & Seraph. Doct. hanc veritatem semper supponit præcipuè *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *dub.* 1. *& dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. & *lib.* 4. *dist.* 49. *artic.* 4. *part.* 2. *& distinct.* 48. *art.* 2. *quæst.* 3. *& Breuil. part.* 2. *cap.* 3. *& Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 8. *& alibi pluries.* Pro solutione quæstionis

PRIMÒ Notandum, quod adhoc vt tollatur omnis ambiguitas in hac materia, nomine ignis, aëris, aquæ, & terræ, provt elementa sunt, non sunt sumenda hæc vsualia, quæ præ manibus habemus, quicquid dicat Mastrius *disp.* 4. *de Cœlo num.* 4. asserens ista elementa vsualia non esse pura ex ea parte, qua ipsis immixtæ sunt qualitates extraneæ, vt in aëre sunt vapores, & exhalationes terreæ, at id est falsum: nam, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *dub.* 1. & *distinct.* 15. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. ista non sunt elementa, sed corpora mixta habentia operationes proprias mixti, & ob id is, quem hîc vocamus ignem, non est elementum ignis, sed quoddam mixtum, in quo prædominatur ignis; & ratio est, quia elementum componit, non destruit: iste verò ignis destruit, & dissoluit omnia sublunaria; quare æquiuocè solùm dicitur ignis, sicut homo dicitur terra, vel aqua: sic etiam dum dicitur aquam esse mixtam ex quatuor elementis, & ideò in ipsa ignem inesse, non est intelligendum, quod in aqua insit iste noster ignis, sed tantùm elementaris: Quis ergo erit ignis elementum.

112. SECVNDÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. & *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & *articul.* 3. *quæst.* 1. *&* 2. & *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* & *lib.* 2. *dist.* 12. *dub.* 1. & *lib.* 1. *distinct.* 10. *quæst. vltim. & plurib. aliis locis*, quod ignis elementaris aliquando appellatur nomine spiritus, aliquando caloris substantialis, aliquando virtutis substantialis, aliquando substantiæ subtilis, aliquando lucis, & luminis substantialis: Aër verò sub nomine spiritus, vaporis, & aëris: Aqua sub nomine aquæ, vel humoris fluctuantis: & Terra sub nomine aridæ, & humus: Hinc concludendum est, quòd ignis, & aër elementares sunt quædam substantiæ subtiles, seu spiritus, seu halitus viuidi, efficaces, & actiui, qui secundùm maiorem, vel minorem subtilitatem dicuntur vel ignei, vel aërei ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *quæst.* 1. *argum.* 4. *ad oppos.* & *dist.* 15. *art.* 1. *q.* 2. *&* 3. & per consequens elementaris terra, & aqua non est ista, quam videmus, sed sunt quædam substantiæ fixæ, fluxibiles, & inuisibiles (quod enim videmus, sunt accidentia mixtorum tantùm, ait S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 3.) & sic aqua elementaris est liquor aqueus, qui dum terræ miscetur, fit humor, virtuteque ignis, & aëris, idest spirituum illorum subtilium viuidorum, & actiuorum coagulatio fit, & inde mixtum, & deinde virtute ipsorum corpus organicum, & hinc viuentia habentia vitam, sensum, & motum, quæ mixta sunt magis, vel minùs perfecta, grauia, leuia secundùm magis, vel minùs prædominium talium

 spirituum

Digitized by Google

spirituum elementarium: Hanc doctrinam etiam tradidit P. Cabæus in suis Metheoris *lib. 4. text. 39. quæst. vnic.*

Tertiò Notandum, quod difficultas maxima est de loco elementorum, & præcipuè ignis: an verè sit in concauo Lunæ: Multi id negant ducti diuersis rationibus, quæ verè sunt tantùm apparentes, vt mox patebit: Pro quarum solutione Aduertendum id, quod *in Phys.* fusè traditum est ex Seraph. Doct. nempè vltra propria elementa posita ordinatim in suis locis, Deum concreasse in seminario materiæ omnes formas corporeas in esse imperfecto, & per consequens etiam formas elementares, quæ secundùm varias dispositiones exeunt inesse ad constitutionem mixtorum; Sic *lib. 2. dist. 12. artic. 1. quæst. 3. & art. 2. quæst. 3.*

113. Qvartò Notandum, quod sicut dantur quatuor elementa, ita & quatuor primæ qualitates sensibiles; suntque calor, frigus, siccum, & humidum, quæ (ait S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 14. part. 1. quæst. 2. ad 3. & 4.* dicuntur primæ, scilicet inter sensibiles, & habentes contrarietatem: nam dantur aliæ ipsis priores, quæ non sunt sensibiles, nec contrariæ, vt in cœlis, & in ipsis elementis præsupponitur quædam qualitas intrinseca substantialis, quæ est veluti origo omnium aliarum: Sic *lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3. in corp.* & *lib. 2. dist. 13. art. 3. quæst. 2.* & *lib. 4. distinct. 48. art. 2. quæst. 3. & Breuil. part. 2. cap. 3.* & *lib. 3. dist. 15. dub. 2.* quæ qualitas originalis est remissibilis, & intensibilis non in se, sed vt est in subiecto hoc tali, vel tali modo disposito ad agendum: De dictis qualitatibus elementorum sensibilibus excitantur à DD. plures quæstiones, sed potissimæ sunt: Primò, an sint formæ positiuæ, an verò solùm priuationes: In qua communis opinio ferè omnium (excepto Cardano id negante de frigore, & siccitate, & sustinente illud esse negationem caloris, istam negationem humiditatis) docet esse formas positiuas, licèt in ipsarum actione, & pugna interueniat etiam aliqua priuatio maximè in reactione: sunt enim contrariæ, & sensibiles, & actiuæ, vt experientia ipsa testatur: Hinc definitur communiter calor, *quod sit congregatiuum homogeneorum, & disgregatiuum heterogeneorum:* Et è contra frigus *congregat vtraque simul:* Humidum, *quod facilè terminatur termino alieno non proprio:* Siccum è contra, *quod facilè terminatur termino proprio, difficilè alieno, cùm difficulter ob duritiem accommodetur figuræ alienæ: lib. 2. dist. 14. part. 2. dub. 1.* Suntque definitiones istæ bonæ datæ, tamen à posteriori per proprietates, & per ordinem ad mixti compositionem, & licèt in aliquibus videatur, verbi gratiâ, calor congregare heterogenea, vt ceram, picem, stagnum, id euenit per accidens, quatenùs maximè assimilantur in fluxibilitate, aliisque proprietatibus: Altera consequens quæstio est, in quo gradu, & quænam insint ipsis quatuor elementis. Pro cuius solutione

Qvintò Notandum, quod cùm quatuor elementa recto ordine sint disposita principaliter propter duo munera: Primum est, vt tanquam partes integrales vniuersi ita disponerentur, vt vnum esset alterius locus proportionatus: hinc terræ locus continens est aqua: aquæ, & terræ aër: aëris est ignis: Secundum,

dum, vt inuicem transmutentur pro mixtorum constitutione: hinc sequitur, quod ipsis insint qualitates proportionatæ ad exercenda ista duo munera: Pro primo exigitur qualitas symbolica ad conseruationem actiuam, & passiuam loci, & locati: Pro secundo munere requiritur in vnoquoque qualitas, per quam vnum sit alteri contrarium, vt ex pugna sequatur transmutatio, hinc in terra adest siccitas in esse summo, & frigiditas in esse remisso, per frigus conuenit cum aqua, per siccitatem disconuenit, in aqua adest frigiditas in summo, & humiditas in esse remisso: in aëre humiditas in summo, calor in esse remisso; & ignis calidus in summo, & siccus in esse remisso; quam coniugationem qualitatum communiter sustinent Peripathetici, licèt impugnetur à pluribus Recentioribus, ad quos remittimus Lectorem: grauiora enim dicenda Nos vrgent, solúmque supponimus cum Seraph. Doct. & communi, omnes istas qualitates esse actiuas; verum tamen est, quod si comparentur ad inuicem, duæ appellantur passiuæ, sicut & duo elementa, & duæ actiuæ: istæ sunt calor, & frigus: illæ siccum, & humidum: De quo vide S. Bonauent. *lib. 2. dist. 15. art. 1. quæst. 3. & quæst. 2. ad argum.* & *dist. 14. part. 2. dub. 3.* & *lib. 4. dist. 48. art. 2. quæst. 3. & comp. Theol. lib. 2. cap. 2. & 8. & Breuil. part. 2. cap. 3. Centil. part. 3. s. 11. & Serm. 6. Hexaëm.*

An verò possint istæ qualitates in summo simul inesse in eodem elemento, dicetur in solutione quæstionis. His positis

114. Prima Conclusio: Elementa sunt quatuor nec plura, nec pauciora: Est S. Bonauent. *citat.* & communior cum Arist. & seq.

Probatur autem primò ex definitione elementi: Elementum est primum componens, in quod id, quod resoluitur, reducitur, sed quatuor sunt ea, in quæ omnia mixta resoluuntur, vt patet, verbi gratiâ, in carne, quæ resoluitur in puluerem, humorem, spiritum, & in partes igneas, quæ tamen non possunt diuidi in alias partes specie diuersas: ergo. Idem & in sanguine extracto à venis, qui resoluitur in partes quatuor correspondentes quatuor elementis, in ligno quando comburitur.

Probatur secundò ex contrarietate qualitatum: dato enim in rerum natura altero contrario necesse est dari alterum contrarium (id enim spectat ad perfectionem vniuersi,) sed datur terra tanquam centrum vniuersi, circa quod voluitur cœlum: ergo debet admitti ignis terræ contrarius ratione caliditatis, & leuitatis: igni autem, & terræ contrariantur aqua, & aër per frigiditatem, & humiditatem, & media loca inter illa extrema vendicant: ergo alia duo debent admitti.

Probatur tertiò ex motu locali corporum: nam datur motus rectus duplex ad locum superiorem, & duplex ad inferiorem, scilicet alter simpliciter, alter secundùm quid: ideò debet dari elementum graue simpliciter, scilicet terra, & secundùm quid vt aqua: Item & leue simpliciter scilicet ignis, & secundùm quid, idest aër.

Probatur quartò ex combinatione qualitatum: Datâ enim vna qualitate contrariâ in summo datur & altera: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 14. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 4.*

Obiicies

Digitized by Google

Obiicies primò: Ignis non est corpus simplex: ergo non est elementum: Consequentia patet, quia si est ignis, ergo est in materia, sed hæc debet esse informata alia forma, sicque erit substantia supra substantiam, quam deposcit: ignis enim non potest esse absque materia aliena, sine qua perit: ergo non est elementum, cùm debeat esse corpus simplex.

Confirmatvr: quia ignis non solùm non facit ad mixtionem, sed potiùs ad destructionem mixti. Tum quia suo calore omnia depascit. Tum quia in mixtione debent refrangi qualitates, quod non euenit in igne, in quo semper est calor in summo; ergo.

Confirmatvr iterum difficultas: nam si sine alimento non potest conseruari, cùm in concauo Lunæ nullum sit pabulum, per consequens nec ibi datur. Tum etiam quia cùm sit formaliter calidus in summo, si Sol, qui tantùm est virtualiter calidus, diffundit in hæc inferiora calorem maximum, multò magis deberet diffundere ignis elementaris, sicque comburere omnia. Tum etiam quia deberet esse sensibilis oculis nostris, sicuti sunt stellæ, &c. Hinc dicendum est ignem esse quid fictitium.

115. Hæ sunt præcipuæ obiectiones, quas fusè cum pluribus instantiis congerunt Aduersarij, quæ tamen non cogunt, nec vllius sunt momenti: Hinc ad primum antecedés Respondetur concedendo ignem non esse corpus simplex: nam primò in Seraphicis principiis ignis elementaris constat ex materia priùs informata forma corporeitatis, & sua forma: Secundò, quia Nos non habemus vllum elementum purum: omnia enim sunt mixta, quæ videmus, & sentimus. Tum quia, vt docet S. Bonauent. *lib. 2. dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. si etiam daretur elementum purum, cùm sit compositum ex materia, & forma, & in materia adsint vt in seminario omnes formæ corporeæ, & per consequens & alia elementa in esse potentiali, & physico: hinc patet, in quo sensu intelligi debeat illa propositio, Elementum debet esse corpus simplex, idest simplex per oppositionem ad mixtum corpus, non secundùm se: Et ad consequentiam, quæ negatur, Respondetur, quod in his mixtis, in quibus prædominatur ignis, requiritur pabulum, vt conseruetur in esse, eo quod cùm in his inferioribus sit extra suam sphæram, & tendat perpetuò ad ipsam, vt hîc conseruetur, saltem idem specie exigit pabulum, vt sit in continua generatione, sicut fluuius, qui tandem deficit, si aquæ non succedant aquis: Ratio est, quam affert Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 48. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* quia cùm res appetant naturaliter esse perpetuum, & hinc formæ passiuæ tam accidentales, quàm substantiales appetunt continuare esse suum per continuam adherentiam cum materia, actiuæ verò per multiplicationem sui in altero, sic est forma ignis in his inferioribus, quæ ratio actiua, & sui multiplicatiua quoad actum ipsi non inest in sua sphæra, cùm non adsit generabilitas: Et ad illud de igne destruente Respondetur ignem extrinsecum esse causam destructionis ob rationem allatam, non verò ignem intrinsecum, & naturalem, qui ingreditur necessariò ad quamcunque generationem: hinc negatur propositio

sitio illa, quod & in sequentibus meliùs patebit: Ad aliam Confirmationem negatur, quod ex positione ignis in concauo Lunæ debeat consumi iste mundus inferior. Tum quia Deus disposuit quatuor elementa ordinatim tam in magnitudine, quàm in virtute actiua, & restitiua in tali proportione, quanta sufficit, ne vnum absorbeat aliud, & illud totaliter destruat: licèt enim sit maximæ actiuitatis, est tamen minimæ virtutis restitiuæ, in qua cætera elementa excedunt: hincque licèt superior pars aëris sit calidissima ob vicinitatem ignis: media tamen est frigidissima tum ob frigida metheora, quæ ibi continuò generantur, tum ob notabilem distantiam ignis, tum etiam quia ob raritatem maximam ipsius ignis non tam intensè agit in sua inferiora: densitas enim in materia ignita facit ad maiorem intensionem, nec indiget in illa sua sphæra pabulo, sed quietè conseruatur in sua materia, cùm ibi non adsit causa generationis mixtorum, vt in his inferioribus: Et ad illud de sensibilitate

Respondetvr primò ex D.Thom. negando ignem in statu suæ puritatis lucere, ita vt visionem terminare possit: Sic *part.* 1. *quæst.* 66. *art.* 1. *ad* 2. Hic verò videtur ob humorem illi admixtum. Tum quia est mixtum, quod videtur: color enim est qualitas proueniens ex admixtione primarum, & consequenter elementorum. Tum etiam non est visibilis in sua puritate à nobis ob suam maximam raritatem, vt euenit etiam in cœlis (ait Seraph. Doct.) in quibus videntur stellæ tantùm ob densitatem illius materiæ: Aliqui etiam negant ignem in sua puritate esse inuisibilem: videtur enim cæruleus color infra concauum Lunæ, qui est proprius ignis, vt patet in noctu supra fornacem, & in cuspide candelæ.

Instat Serbellon. Ad nihil inseruire ignem in illa sphæra superiori, nempè nec ad ornatum vniuersi, nec ad hoc vt superiora corpora influant in hæc inferiora: non primum, quia iste ornatus non cadit sub sensu: nec secundum, quia sufficit continuatio aëris vsque ad cœlum Lunæ. Tum etiam quia si exigitur ad generationem horum inferiorum mixtorum, sufficit inferior, quem præ manibus habemus: patet enim illum ignem non descendere in terram.

Respondetvr negando primum assumptum: ad probationem Respondetur collocatum fuisse ignem in sua sphæra ob vtrumque respectum, nec est necesse, vt ornatus sit sensibilis, eo modo quo sunt mixta: sicut nec est media, & suprema pars aëris sensibilis, & tamen ab ipsis Aduersariis admittitur. Tum ad continuationem influxuum: Et ad id quod sufficit iste ignis inferior: Respondetur hunc sufficere ad mixtorum generationem, quia educitur ex Seminario materiæ, sicut & cætera elementa: aliàs nec alia tria essent necessaria in sua sphæra.

116. Secvnda Conclvsio: Primæ qualitates sensibiles, scilicet calor, frigus, humiditas, & siccitas sunt qualitates positiuæ, & à substantia elementorum realiter distinctæ: Ita Seraph. Doct. *loc. citat. in* 4. *notab.* D. Thom. Scot. & communis ferè omnium contra Serbellon. hîc *disputat.* 3. *quæst.* 1. Guarin. *disp.* 1. *de elem. exp.* 10. Arriag. hîc *disputat.* 4.

Digitized by Google

Aliosque paucos sustinentes humiditatem, & siccitatem esse modos identificatos cum substantia, non verò qualitates accidentales; & Serbellon. addit aërem non habere vllam qualitatem connaturalem, sed esse indifferentem ad omnes. Alij volunt frigus esse tantùm priuationem caloris.

CONCLVSIONIS veritas patet experientia, & ratione: nam verè sentiuntur, sed priuatio, & nihil verè sentitur. Tum quia destruitur in corpore humido ipsum humidum absque destructione substantiæ: videmus enim exsiccari ligna, vestes, &c. Tum & in Eucharistia remanet humidum, & non substantia vini. Tum quia istæ qualitates alias consimiles producunt.

OBIICIES ex Arriaga, & Serbellon. *cit. num.* 43. Si inter Oceanum, & corpus interponatur vitrum tenuissimum, illud corpus non humectaretur: ergo signum est corpora humectari solùm per intromissionem corporis humidi: ergo signum est humiditatem non esse aliquod distinctum à corpore: Item & Serbellon. fatetur se cum multorum admiratione expertum fuisse spongiam siccissimam inclusam in vitro immerso in aqua non fuisse humectatam: Vnde subdit, nescio certè, quo pacto Ouiedus, & Spinula irrideant Arriagam inferentem ex hoc experimento humiditatem non esse separabilem ab aqua, sed certè isti Authores nimis leui fundamento fundant suam ipsorum opinionem contrariam communissimæ omnium Philosophorum non aduertentes, quòd diuersimodè loquendum est de humiditate, & calore, & frigore: humiditas enim, licèt sit actiua, est tamen magis passiua, & cùm non habeat tantam actiuitatem, quòd agere possit in medium tam densum: Hinc

RESPONDETVR primò negando Consequentiam, solùm enim infertur ex illo experimento humiditatem non esse tam actiuam, quod agere possit per medium tam densum, quale est vitrum, vel saltem agere solùm per contactum.

RESPONDETVR secundò negando antecedens absolutè, quia videmus aliqua corpora humectari posita in loco humido, etiam si non sint applicata corporibus humidis, vt patet in saccharo incluso in aliquo vitro, & tamen humiditatem patitur: Negat Arriaga hoc, quod ipse expertus est cremorem tartari inclusum per quatuor hebdomadas in vitro posito in vase aquæ nunquam humectatum fuisse, & ob hoc experimentum ipse discedit à communi opinione, cuius effectus suprà rationem dedimus, & oppositum in saccharo damus.

OBIICIT Guarinus secundò: Ignis liquefacit metalla, illaque humectat: ergo si ignis est calidus, & siccus, ipsam humiditatem non potest producere: ergo est quid identificatum cum ipsis metallis.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & negando humiditatem non posse produci ab igne tanquam à causa æquiuoca: sic etiam non semper calor à calore producitur, sed à motu, à confricatione: Vnde ignis disgregat partes metalli, quæ quia radicaliter petunt esse vnitæ, ideò & disgregatæ remanent vnitæ cum aliqua vnione, & adeò fluidæ, & humidæ.

OBIICIES tertiò ex Serbellon. Non

Digitized by Google

Non poteſt produci humiditas, & ſiccitas ſine ſua ſubſtantia, ergo non eſt accidens realiter diſtinctum. Conſequentia probatur, accidens eſt, quod adeſt, & abeſt, & augetur abſque ſubſtantiæ generatione, & corruptione, ſed iſtæ non ſunt huiuſmodi: ergo.

PROBATVR antecedens, & Min. Corpus, dum humectatur, fit grauius, ac priùs erat: ergo non per ſolam additionem humiditatis tanquam qualitatis accidentalis, ſed per additionem nouæ ſubſtantiæ humidæ intromiſſæ intra illos poros.

PROBATVR conſequentia, quia grauitas non eſt proprietas humiditatis: ergo ſi additur, additur ratione nouæ ſubſtantiæ.

RESPONDETVR concedendo aliquod corpus humectatum fieri grauius non ratione humiditatis, ſed ratione intromiſſionis in illis poris vel aquæ, vel aëris craſſi: quodque patet, ſi illud corpus humidum exponatur Soli, vel Boreæ: tunc enim vapores attrahuntur, & leue remanet: ergo ſignum eſt aliquid fuiſſe in poris, per quod reddebatur graue.

QVÆRES; à quanam cauſa producantur *illæ* quatuor qualitates; & an ſint omnium primæ.

RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib. 2. diſtinct. 13. artic. 2. quæſt. 2. ad vltim.* & *lib. 1. diſt. 3. part. 2. art. 1. q. 3.* quod producuntur à ſubſtantia, cuius ſunt accidentia, & præcipuè à forma elementari ſimul adiuta à quadam virtute ſubſtantiali, quam Auerſa, & Roccus apud Meldul. *diſputat. 1. n. 16.* & ex parte etiam ipſe admittit *num. 30.* quæ dicuntur primæ non abſolutè, vt dictum eſt, ſed inter ſenſibiles, quæ non fiunt ex aliis, ſed aliæ, quæ dicuntur ſecundæ, fiunt ex ipſis: Vnde poſteà variæ oriuntur ex permixtione ipſarum prædominante altera, exceptis quatuor, vt ſi prædominium ſit humidi, fit molle, lubricum, leue, & tenue: ſi ſit ſiccitatis, fit durum, aridum, aſperum, & craſſum: ſi ſit calidi, fit leue, & graue ex frigido, & ſic dicendum de aliis penè infinitis, de quibus poteſt videri Euſtachius in ſua Logica cap. de qualitatis tertia ſpecie.

QVÆSTIO III.

Soluuntur aliqua dubia circa Elementa.

QVÆRES primò: cuius figuræ ſint elementa.

117. RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib. 2. diſtinct. 14. part. 2. dub. 1.* & *lib. 4. diſt. 48. art. 2. quæſt. 3. in fine*, & *ſerm. 3. de B. Virgine*, eſſe figuræ ſphæricæ, quod patet de igne, & aëre, quæ ſunt elementa leuia, & de terra, & aqua, quæ ſunt grauia: illa enim ſcilicet leuia petunt ad circunferentiam, & ſupra grauia, ergo ſphæricam petunt figuram: ſic enim æqualiter accedunt, vel recedunt à centro, alioquin inæqualiter diſtarent à centro. Tum etiam quia debent accommodari continenti loco, qui eſt cœlum: ergo ſunt ſphæricæ figuræ: Idem quoque argumentum, & ratio currit in grauibus: Addimus huic Concluſioni terram, & aquam conſtituere vnum globum, licèt enim, vt ait Seraph. Doct. *in Pſal. 65.* & *lib. 2. diſtinct. 14. part. 2. dub. 1.* in principio ita aqua immixta

Digitized by Google

erat terræ, vt aqua cooperiret totam terram, attamen poſteà fuit facta ſegregatio in tertia die, vt appareret arida ad viuentium habitationem, & tunc factus fuit vnus globus ex vtroque elemento non quidem perfectè ſphæticus ob gibboſitatem montium, collium, & diuerſitatem vallium. Quod verò ſint ſphæticæ figuræ, patet, quia ſigna Orientalibus priùs oriuntur, quàm Occidentalibus. Tum quia ſi Ecclypſis Lunæ Nobis contingat prima hora noctis, Orientalibus Populis accidet tertia, verbi gratiâ, hora, quia priùs nox accidit, & occidit Orientalibus, quàm Occidentalibus, quod ſignum eſt huius rotunditatis, & id maximè notum eſt Luſitanis, & Hiſpanis enauigantibus, & circumeuntibus terram. Ex qua rotunditate inferunt Mathematici multa ſcitu digna, verbi gratiâ, duos homines magis diſtate ſecundùm capita, quàm ſecundùm pedes: duos parietes vnius turris ad perpendiculum erectos plùs inter ſe diſtare in cacumine, quàm in fundamento: ratio eſt, quia grauia deſcendunt ad centrum per lineas rectas non parallellas, ſed angulum facientes in centro, quarum natura eſt, quòd eò plùs inter ſe diſtant, quò magis à centro recedunt, quia maiorem circuli peripheriam intercipiunt, & intantùm grauia ſuſtentantur, in quantùm centrum reſpiciunt per lineam rectam: nam ſi auferetur impedimentum, ſtatim deſcendunt ad centrum: cùm ergo iſti homines, ac parietes per iſtas lineas reſpiciunt centrum, quæ magis inter ſe diſtant, quò magis à centro recedunt: hinc & maior erit peripheria circuli verſus ſummitatem, & caput, quàm verſus imum, & pedes: Item maius ſpatium conficit homo ambulando, & velociùs mouetur ſecundùm caput, quàm ſecundùm pedes ob eandem rationem, ſcilicet, quia maiorem circulum deſignat circa centrum per caput, quàm per pedes: Alias experientias afferunt Clauius *in cap.* 1. *ſphæræ*, & Meldul. *diſputat.* 4. *de Cælo num.* 98. quas quiſque poterit videre verè mirabiles, ſed veras.

118. QVÆRES ſecundò: an idem ſit centrum aquæ, & terræ cum vniuerſo.

PRO reſponſione aduertendum eſt, quod duplex centrũ in corpore ſphærico aſſignatur, ſcilicet centrum magnitudinis,& grauitatis: Primum eſt punctum illud, à quo omnes lineæ ductæ ad circunferentiam ſunt æqualis magnitudinis: Secundum eſt punctum aliquod alicuius lineæ, in quo, ſi fiat diuiſio, partes erunt æqualis ponderis, & grauitatis, hoc autem poteſt eſſe duarum partium æqualium tam in magnitudine, quàm in grauitate, verbi gratiâ lignum diuiſum in duas partes æquales vtroque modo, vel poteſt eſſe ita, vt vna pars excedat alteram in magnitudine, non verò in grauitate, vt ex vna parte ſit lignum, ex alia plumbum: Vtrumque autem centrum poteſt ſumi vel Mathematicè, vel Phyſicè: Primo modo eſt, cùm lineæ ab vtroque ductæ ſunt omninò æquales: Secundo modo eſt, cùm adeſt aliqualis inæqualitas tam in magnitudine, quàm in grauitate, ſed tam modica, vt non appareat: vnde vulgari modo dicuntur æquales: Sic habetur ex Meldul. *diſp.*4. *cit. n.*106. Hinc

RESPONDETVR, quòd iſte globus, ſi conſideratur in prima ſui conſtitutione,

tutione, quando terra erat commixta cum aqua, tunc erat idem centrum vniuersi vtroque modo, scilicet in magnitudine, & grauitate: sic etiam infertur ex doctrina Seraph. Doct. quam tradit sparsim *lib.* 2. *distinct.* 12. & 14. *part.* 2. Si verò sumitur post tertiam diem post segregationem aquæ à terra, dicendum est non posse assignari idem centrum magnitudinis Mathematicè tum in sola terra ob inæqualitatem ipsius terræ, quæ continet & montes, & colles, & valles, & cauitates, tum in terra simul cum aqua ob inæqualitatem externarum partium, benè autem Physicè: quicquid dicat Ruuius de Cœlo *lib.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 2. nam respectu vniuersi est tam modica inæqualitas, vt pro nihilo potest reputari: sicut & poterit assignari idem centrum grauitatis tam Physicè, quàm Mathematicè, tam in sola terra, quàm in eadem coniuncta cum aqua, cùm quodlibet corpus possit diuidi in duas partes æquè ponderantes, quæ verè in hoc globo dantur, licèt à nobis non cognoscantur.

An verò iste globus ita in medio sistat vniuersi, vt centrum ipsius tam magnitudinis, quàm grauitatis sit cum centro vniuersi compenetratum: an verò ab isto distet.

Meldvl. *cit. num.* 108. negat cum aliis.

S.Bonav. *lib.*2.*dist.*2.*dub.*1.& *Ser.*1. *Hexaëm.* & *Serm.* 1. *de B. Virg.* & *Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 8. sustinet hunc globum esse centrum absolutum totius vniuersi idest tam Mathematicè, quàm Physicè: sic & Vasq. *part.* 2. *disputat.* 81. *an.* 18. Auersa *quæst.* 36. *sect.* 5. & 6. *de Cœlo*, Cottunius 1. *Metheor. lect.* 17. Conimbric. 2. *cæl, cap.* 14. *quæst.* 3. *art.* 2. Idem ex parte Ruuius *citat. cap.* 8. *quæst.* 2. & Ratio est, quia alioquin si terra aliqualiter mutaretur, tota moueretur, donec partes æqualiter à centro distarent, fieretque centrorum penetratio, & licèt Vasq. admittat hunc motum, quem appellant trepidationis in terra, quotiescunque, verbi gratiâ, mons destruitur, & aliò exportetur, qui tamen est imperceptibilis ob vastitatem terræ, tamen non est necesse euenire talem motum, vt docent etiam Conimbric. Ratio est, quia, vt ait S.Bonauent. terra est illa, quæ, cùm sit infima, & sphærica, ipsa est immobilis: nec enim naturaliter potest auferi tanta quantitas ex vna parte, quod moueatur, nec potest dari agens tantæ virtutis, vt ex motu lapidis, vel alterius corporis imprimat impulsum in totam terram, vel in istum globum, quod maximè verificatur ponendo idem centrum grauitatis Physicum, licèt non Mathematicum magnitudinis, vt est probabilius, cùm patenter iste globus ex vna parte constet maiori parte aquæ, quæ est minùs grauis.

119. Qværes tertiò de magnitudine elementorum; an detur inter ipsa proportio determinata excessus continentis ad contentum.

Aliqvi cum Meldul. *cit. num.* 7. negant.

S. Bonav. *lib.*2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.*2. cum communi affirmat, nempè excedere superiora ad decuplam proportionem, ita quod aqua sit maior terra decies: aër maior aqua centies, & ignis mille milliariorum: Verũ quidem est quod Aliqui dubitãt de veritate huius positionis commu-

Digitized by Google

nis eo maximè, quia aqua non videtur esse in tanta quantitate supra terram, quod excedat decies: Attamen si rectè perpendatur sumendo totam aquam, quæ reperitur in mari, & per totam terram, probabilissimum est habere dictum excessum. Quoad magnitudinem postea huius globi terrei communiter à Mathematicis asseritur ambitum ipsius esse 19080. secundùm S. Doct. 24. millium milliariorum: Sic *Serm. 4. de plurib. Martyr.* Diametrum 6070. Semidiametrum 3035.

QVÆRES quartò; an singula elementa sint vnius speciei.

RESPONDETVR, quòd si sumuntur secundùm essentiam, singula constituunt vnicam speciem, sunt enim omnes ipsorum partes eiusdem rationis, vt dictum est suprà in definitione elementi: Si verò sumuntur, provt apud Nos sunt, scilicet provt sunt mixta secundùm prædominium alicuius ipsorum, probabiliter Aliqui, vt Pater noster Rheita, & P. Guarinus *de element. exp.* 8. sustinent constituere diuersas species, & hoc est conforme principiis Seraph. Doct. qui docet *lib. 2. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 1.* raritatem, & densitatem multiplicem disponere ad diuersitatem formarum; ergo hæc inducet etiam diuersitatem specificam in terra mixta, sicut & in cæteris elementis.

CONFIRMATVR ex doctrina à Seraph. Doct. tradita *lib. 2. distinct. 9. art. 1. q. 1. ad* 4. nempè quod ex diuersis specificis operationibus inferri potest diuersitas specifica, sed istæ reperiuntur in terra: ergo. Diuiditur autem aër in tres regiones: Prima est infima nobis vicina à superficie terræ vsque ad terminum, ad quem pertingit reflexio radiorum Solis, & calor, & hæc est partim frigida ob vicinitatem terræ, & aquæ, & partim calida ob dictam reflexionem: hæcque mutatur secundùm diuersitatem temporum, & locorum: Vnde in æstate est altior: in hyeme nobis vicinior: Secunda est media: estque, intra quam coguntur nubes, & generantur pluuiæ, & quia ibi extinguitur vis caloris, & radiorum Solis, ideò est absolutè frigida, vt patet ex iugis alpium, in quibus ferè semper manet nix: Tertia est suprema vsque ad sphæram ignis, estque absolutè calida, tum ratione suæ puritatis, tum ratione vicinitatis ignis se mouentis per gyrum.

QVÆSTIO IV.

An qualitates contrariæ possint simul, & semel esse in eodem subiecto, & quomodò.

120. PRIMÒ Supponendum qualitates posse comparari tripliciter ad subiectum: Primò ad subiectum nudum, omnique qualitate priuatum: Secundò ad subiectum, in quo aliqua ex illis præcedat verbi gratiâ frigidum: Tertiò ad subiectum affectum actu contrariis qualitatibus.

SECVNDÒ Supponendum, qualitates habere certum statum intensionis, qui reducitur ad octo gradus à Philosophis, quæ distinctio est voluntaria, vt possit clariùs, & distinctiùs disputari de ipsis qualitatibus, idque verificatur tantùm de naturalibus, cùm habeant istæ certam determina

terminationem tum ratione potentiæ actiuæ, à qua producuntur, tum ratione subiecti recipientis: supernaturales verò, cùm à Deo infundantur, & recipiantur in subiecto secundùm potentiam obedientialem, possunt in infinitum syncathegorematicè augeri: Graduum autem dictorum quidam dicuntur intensi, scilicet qui medietatem excedũt, qui verò sunt citra istum, dicuntur remissi: De quibus certum est, quod naturaliter in gradibus intensis non possunt esse simul in eodem subiecto: alioquin nec essent contrariæ, nec se mutuò expellerent, oppositumque patet experientia: Vnde quæstio reducitur ad qualitates in gradu remisso; an possint naturaliter esse simul in eodem subiecto, & in gradibus summè intensis secundùm potentiam Dei supernaturalem.

PRIMA opinio est Durand. Gregor. Trombet. Ant. Andr. 10. *Met. quæst.* 5. Fabri, negantium posse esse simul in eodem subiecto nec in gradibus remissis, nec in intensis etiam per potentiam Dei absolutam.

SECVNDA opinio communis vtrumque affirmat: Sic ferè omnes Recentiores cum Seraph. Doct. Addunt tamen Aliqui adesse aliquas qualitates contrarias, quæ per nullam potentiam possunt esse simul in eodem subiecto ob specialem repugnantiam, vt sunt odium, & amor, assensus, & descensus. Sotus addit etiam secundas qualitates, vt albedo, nigredo. Pro solutione

121. PRIMÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 34. *art.* 2. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. & *dist.* 19. *art.* 3. *quæst.* 1. *in argument.* & *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *distinct.* 16. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.* cùm dicat Arist. *lib.* 10. *Met. cap.* 6. & *in postpradicam.* quod opposita sunt formæ reales, quæ sub eodem genere (scilicet vel proximo, vel remoto) vt exponit Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim.* & *lib.* 4. *distinct.* 16. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. maximè distant, & ab eodem subiecto se mutuò expellunt, cui vicissim natæ sunt inesse, seu, vt loquitur S. Bonauent. quatenùs vnum oppositum non est in altero, nec cum altero circa idem. Vt rectè intelligatur, in quo sensu Philosophus tradiderit hanc definitionem, aduertendum, quòd repugnantia alia est effectiua, alia formalis: prima est, qua vnum potest producere aliquid in subiecto contrarium illi: Sic Sol dicitur contrarius frigori, quatenùs potest producere in subiecto calorem, hæcque à Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. dicitur repugnantia extrinseca: alia est formalis, & intrinseca, quæ ratione informationis subiecti importat oppositionem vnius cum alio in subiecto, à quo ab alio fit expulsio: hæcque est multiplex.

PRIMÒ enim aliqua opponuntur formaliter, quando simpliciter, & absolutè vnum importat negationem alterius, & hæc est contradictoriorum, quæ per quamcunque potentiam non potest tolli, vt cum communi notat Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 11. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4.

SECVNDÒ est, qua aliqua opponuntur formaliter ex suis rationibus formalibus, non tamen absolutè in se consideratis, sed quatenùs nullo modo possunt coïre in vnam tertiam entitatem, vt homo, lapis, lignum: nullum enim ordinem habent inter se,

se, & hæc etiam reducitur quodammodò ad effectiuam, cùm enim forma substantialis vt forma est, non opponatur formæ, sed tantùm quatenùs sunt principium, vel habent concomitantiam dispositionum contrariarum, & important diuersas entitates disparatas non ordinatas, nec ordinabiles ad aliquod tertium: hinc etiam dici potest repugnantia simul effectiua, & formalis: effectiua ratione dispositionum ab ipsis emanantium: formalis, quatenùs de se sunt informatiuæ completo modo ipsius subiecti.

Tertiò aliqua dicuntur opposita formaliter scilicet ex suis rationibus formalibus, per quam oppositionem vnum expellit à subiecto aliud, vt summus calor, & summum frigus.

Qvartò aliqua dicuntur opponi formaliter, non secundùm id, quod sunt, sed, vt ait Seraph. Doct. secundùm id, ad quod sunt, scilicet quatenùs sunt virtutes formarum substantialium oppositarum, aut dispositiones ipsarum, & hæc sumi potest radicaliter, & formaliter, radicaliter inest qualitatibus, quatenùs sunt proprietates, vel accidentia connaturalia formarum incompossibilium: formaliter verò est, cùm actu vna aliam expellit à subiecto, & hæc secunda repugnantia oritur à prima, quæ dicit aptitudinalem expulsionem vnius ab alia, secunda verò est actualis, & dicit effectum prouenientem à prima: Definitio autem allata oppositorum propriè conuenit huic vltimæ quarto loco positæ: est enim inter formas reales sub eodem genere existentes, & distantes, siue incompossibiles ab eodem subiecto se mutuò expellentes ratione effectuum formalium.

121. Secvndò Notandum, quod potissima difficultas in hac materia est in origine contrarietatis istarum qualitatum: nam Aliqui ipsam deducunt ex natura specifica ipsarum, sed non rectè, cùm etiam in esse remisso sint eiusdem speciei, & tamen sunt compossibiles in eodem subiecto. Alij ex incapacitate subiecti, nec etiam est adæquata ratio, ex hoc quod subiectum est capax plurium qualitatum disparatarum in summo, vt est albedo, & dulcedo: ergo aliud antecedenter inest, ex quo oritur contrarietas. Nos ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 34. citat.* dicimus contrarietatem inesse non ex eo, quod sunt, nam, vt qualitates sunt, possunt, esse in eodem subiecto, vt est color, sapor, &c. sed ex eo, ad quod sunt, vt suprà dictum est, nempè quatenùs sunt qualitates disponentes subiectum ad formam substantialem, & quia formæ substantiales naturaliter, dum non sunt ab extrinseco impeditæ, producunt totum suum effectum, secumque ipsum euehunt, hinc & exigunt naturaliter suas qualitates connaturales ab ipsis emanantes in esse summo, & hinc oritur contrarietas radicalis ipsarum qualitatum, & ex hac posteà formalis, & actualis expulsio: Sed adhuc

123. Tertiò Notandum, quod qualitates, seu dispositiones sunt in duplici discrimine: aliæ enim sunt non actiuæ, vt color, sapor, dulcor, &c. aliæ actiuæ vt frigus, calor, &c. Primæ habent contrarietatem tantùm ratione incompossibilitatis formarum naturalis: Secundæ habent & hanc incompossibilitatem prouenientem ex dicta incompossibilitate,

Digitized by Google

bilitate, & formalem, per quam vna effectiuè aliam expellit: ex quo sequitur, quod remotè tantùm contrarietas qualitatum desumi debet ab incapacitate subiecti, quatenùs est incapax duarum formarum substantialium completarum: ex qua incompossibilitate oritur radix formalis talis contrarietatis, ad quam postea consequitur expulsio actualis, præsuppositâ tamen aptitudinali in ipsis formis: Idque patet in positione formarum subordinatarum, quæ quia non expelluntur, sed remanent ad positionem vlterioris formæ, hinc & permanent dispositiones ipsas formas concomitantes: ergo in formis completis ex incompossibilitate ipsarum in eodem subiecto orietur contrarietas radicalis.

QVARTÒ Notandum, & sequitur ex traditis, quod cùm ex tali contrarietate oriatur pugna, ideò debet explicari, quomodò resultet: Cùm igitur forma connaturaliter exigat suas dispositiones in summo, ideò pugna debet excitari inter gradus ipsarum qualitatum contrariarum, & quia gradus superiores non possunt esse in subiecto sine inferioribus, vt suprà traditum est *tract. 3. quæst. 5.* sunt enim inferiores connaturales dispositiones, ad hoc vt producantur, & conseruentur superiores: hinc expulsio debet incipere ab ipsis superioribus: Vnde si subiectum sit calidum vt octo, & accedat agens frigidum: hoc debet producere primum gradum frigoris tanquam primò requisitum ad aliorum productionem: hic gradus frigoris, seu hoc agens frigidum per hunc gradum frigoris non potest expellere ex subiecto nisi octauum caloris: si enim expelleret alium inferiorem, remanerent superiores absque inferioribus, quod non potest esse, & si octauum non expelleret, possent esse nouem gradus in subiecto, quod est impossibile: sicque eadem ratione per secundum gradum frigoris expellitur septimus caloris, per tertium expellitur sextus, & per quartum quintus, per quintum quartus, per sextum tertius, per septimum secundus, & per octauum primus: Et si quando reductæ sunt istæ qualitates contrariæ in esse remisso, verbi gratiâ, ad quatuor gradus, vel ita quod quinque gradus frigoris, & tres caloris insunt in subiecto, si cesset actio agentis frigidi, & impediatur emanatio vlterioris gradus caloris, remanebunt gradus frigoris producti simul cum gradibus caloris residuis, sicque consequenter non erit contrarius quartus gradus caloris quarto frigoris, nec tertius tertio, nec secundus secundo, nec primus primo per ordinem ad expulsionem, cùm subiectum sit capax octo graduum qualitatis, siue sint eiusdem rationis, siue sint contrarij.

RATIO autem, quare quartus quartum non potest expellere, est, quia actio est à superiori, non ab æquali: ergo non poterit qualitas vt quatuor expellere qualitatem vt quatuor; nec item quartus gradus frigoris producere quintum, cùm sit perfectior: Ex quibus habetur confirmatio superioris positionis, nempè contrarietatem adæquatam, & perfectam esse inter qualitates in summo, quia cuilibet gradui vnius correspondet in altera gradus oppositus, & consequenter tota qualitas alteri, non verò gradus quilibet vnius opponitur cuilibet alterius, per

per ordinem, vt dictum est, ad expulsionem: Hæc doctissimè P. Serbellon. conformiter ad suprà posita ex Seraph. Doct. His positis sit

124. Prima Conclusio: Qualitates contrariæ possunt esse naturaliter in esse remisso in eodem subiecto, non verò in esse summo: Est S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 49. *art.* 4. *quæst.* 1. & *dist.* 44. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. & communis.

Probatur prima pars ex Aristot. *Phys.* 5. *aliisque pluribus locis* id asserente.

Probatur secundò, quia aqua, dum calefit, non recipit calorem totum in instanti, sed paulatim: neque frigus totum statim deperditur, sed paulatim: ergo qualitates in gradu remisso sunt in eodem subiecto in esse remisso.

Durandus pressus hac experientia respondet ibi non esse qualitates contrarias formaliter, sed quandam aliam virtutem, & qualitatem mediam virtualiter illas continentem, quam appellat tepiditatem.

Contra: Non potest assignari agens producens hanc qualitatem: ergo falsa responsio.

Probatur antecedens, quando ignis calefacit aquam, illa qualitas ab igne non potest produci, quia non potest producere frigus, neque id quod virtualiter continet frigus, cùm sit igni contrarium: in tali autem casu nihil est, quod agat in aquam præter ignem: Nec potest produci à calore ignis, nec à frigore aquæ simul sumptis, quia frigus non est, quando producitur illa qualitas media, cùm per ipsam excludatur, nec à calore ob eandem rationem.

Obicies primò: Contraria sunt talis naturæ, quod mutuò se expellunt ab eodem subiecto, sed in quocunque gradu sunt contrariæ, ergo non possunt esse in tali statu.

Respondetur contrarietatem qualitatum in summo esse à natura specifica earum, quatenùs competunt formæ: in gradu verò remisso, & per singulos gradus esse à perfectione indiuiduali ipsorum graduum, obidque & posse inesse simul ex capacitate subiecti: Vnde licèt secundùm se habeant aptitudinem ad mutuam expulsionem, tamen ratione illimitationis subiecti possunt esse in gradu remisso.

Obicies secundò: Dantur qualitates contrariæ, quæ in nullo gradu etiam remisso possunt esse simul, vt actus erroris, & scientiæ ad idem obiectum, actus tristitiæ, & lætitiæ, amor, & odium, sed non est maior ratio de ipsis, quàm de aliis: ergo.

Respondetur negando minorem: Ratio disparitatis est, quia isti actus, cùm sint vitales, respiciunt idem obiectum, & quod vnus actus ponit, alius destruit: non sic in cæteris qualitatibus: Vnde potiùs pertinent ad rationem contradictoriorum, & ideò sunt contrarij solùm, vt vitales sunt.

Obicies tertiò: Duæ dimensiones in eodem loco minùs repugnant: item & duæ formæ substantiales in eadem materia, quàm duo contraria: illæ enim sunt inter se contrariæ, sed illæ non possunt esse in eodem loco, & eadem materia: ergo nec istæ.

Respondetur negando antecedens, & paritatem: nam dimensio quælibet respicit adæquatè locum, & quælibet forma substantialis

lis completa tribuit esse completum subiecto: at qualitates contrariæ in esse remisso respiciunt inadæquatè subiectum, quod afficiunt accidentaliter, & ob id gradualiter tantùm: hinc negatur consequentia.

DICES pro Durando: dantur qualitates aliæ mediæ, vt est color cœruleus, rufus, rubæus, diuersus specie ab extremis: ergo & in primis qualitatibus potest dari species media.

125. HVIC obiectioni respondent communiter Nos habere ex varia operatione, & sensus immutatione diuersitatem specificam in coloribus, aliisque qualitatibus, quam non habemus in qualitatibus primis in esse remisso: Sic Serbellon. Quæ responsio tamen non euacuat difficultatem, nec affert rationem à priori, sed à sensibilitate, quæ est fallax. Tum etiam quia tepiditas habet diuersam immutationem sensuum ab extremis: Hinc Nos ex doctrina Seraphica suprà tradita *in quæstione antecedent.*

RESPONDEMVS qualitates secundas medias esse diuersas specie ab extremis, quia sunt qualitates emanantes à mixtis, quæ sunt diuersæ speciei ab elementis: at id non potest dici de primis emanantibus ab elementis: multò minùs potest subsistere positio Gregorij asserentis non dari in gradu remissionis tertiam speciem, sed remanere subiectum priuatum contraria qualitate, & informatum solùm aliquibus gradibus vnius qualitatis: quæ positio tanquam friuola rejicitur communiter, cùm oppositum habeamus experientia, & sensibus, vt patet in tepiditate. Tum quia non potest negari existentia qualitatis contrariæ, donec potentior vincat, vincit autem successiuè. Tum quia impossibile est subiectum carere naturaliter octo gradibus qualitatis siue eiusdem naturæ, siue diuersæ.

SECVNDA pars Conclusionis patens est experientia. Tum quia vbi est contrarietas in summo, ibi est totalis effectus formæ: ergo & expulsio alterius qualitatis. Tum quia hæc qualitatis contrariæ expulsio concomitatur expulsionem formæ, cuius est dispositio: ergo.

126. SECVNDA CONCLVSIO: Qualitates contrariæ possunt esse in eodem subiecto in gradibus intensis, & in summo supernaturaliter, & hoc non solùm in fieri, sed permanenter: Est S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 44. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. vbi probat in Inferno adesse quatuor elementa cum qualitatibus in summo ad magis torquendum corpus, & animas: Idem & docet, & probat ibid. *art.* 3. *q.* 1. *&* 2. *per totam.*

PROBATVR hac ratione: Si adest vlla implicantia: hæc vel erit ratione ipsarum formarum, vel ratione subiecti, sed neutro modo: ergo.

PROBATVR Min. Non ratione formarum, quia forma non est contraria formæ, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 9. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. Et dato, quod essent contrariæ, contrarietas est tantùm in ordine ad aliud, scilicet ad subiectum: Sic *lib.* 2. *distinct.* 34. *art.* 2. *quæst.* 2. at subiectum est de se capax omnium formarum: ergo nullo modo est repugnantia. Tum quia datâ limitatione etiam in subiecto, adhuc ratione potentiæ obedientialis potest à Deo ampliari *ex lib.* 1. *distinct.* 42. *art.* 1. *q.* 3. *&* 4. Tum quia Deus potest impedire

Digitized by Google

pedire non concurrendo, ne qualitates illæ habeant effectum formalem secundarium, nempè expulsionem contrariæ qualitatis.

Obiicies primò ex Aristot. 4. *Metaph. cap.* 27. Contraria in summo inferunt contradictionem. Confirmatur ratione, quia vnum contrarium infert necessariò negationem alterius, obidque & ab eo inseparabilem: ergo.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 3. & *lib.* 1. *distinct.* 5. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. quod duplex est contradictio: Alia est, quæ est absoluta cum absoluta negatione ex parte vnius termini, & per locum ab intrinseco: Alia est non absoluta, sed ab extrinseco tantùm scilicet mediatè, & ex consequenti: Aristoteles loquitur de hac secunda non de prima: contraria enim sunt extrema positiua, quod non inest in vera contradictione, in qua vnum extremum est negatiuum omnimodè: Et ad Confirmationem eodem modo.

Respondetur vnum contrarium infert necessariò, & inseparabiliter negationem alterius, idest per actum intrinsecum naturæ ipsius nempè per negationem identitatis cum alio, sic concedo, negationem compossibilitatis, nego: hæc enim est effectus secundarius per ordinem ad subiectum, qui potest à Deo tolli.

Contra instat Durand. Oppositio contrariorum est formalis, & entitatiua: ergo est negatio non solùm identitatis, sed etiam formæ contrariæ.

Respondetur, quod duplex effectus formalis exercetur à forma in subiecto: primus est informatio, eiusque denominatio formalis: secundus est expulsio alterius formæ: primus est intrinsecus, & de hoc conceditur antecedens: contraria enim diuerso modo informant, & denominant: de secundo, qui est consequens, negatur antecedens, & consequentia.

Dices: Si idem subiectum esset simul album, & nigrum, dulce, & amarum, tunc non est assignare, quomodò apparebunt ista contraria sensui: an scilicet calidum, an frigidum, an album.

Respondetur excellentiorem apparituram, & denominaturam, vel fieret sensatio media permixta ex vtrisque, vel illa, quæ à Deo determinaretur, vel fiet successiuè modò in vnam, modò in aliam: Vide S. Bonau. *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1.

QVÆSTIO V.

De Mixtione.

Quid sit Mixtio, quid miscibile, & mixtum, & an necessariò omnia quatuor elementa concurrant ad mixtionem.

127. Svpponit titulus quæstionis elementa (de quibus singillatim hucusque egimus) ordinari ad mixti compositionem: Hinc quæritur, quid sit mixtio, & mixtum, & quale.

Primò Supponendum cum communi ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. & *lib.* 4. *dist.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 3. & *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* mixtionem sumi

mi posse dupliciter: primò communiter, & impropriè; secundò propriè, & strictè: Primo modo mixtio competit cuicunque coniunctioni etiam confusæ plurium rerum, & hæc est multiplex.

Prima, quando fit quædam coniunctio plurium rerum confusa absque eo, quod resultet tertia entitas, vt est fabrica domus, mixtio hordei, & frumenti, & hæc impropriè dicitur mixtio, cùm sit potiùs aggregatio plurium entium in actu.

Secvnda, cùm aliqua ita coniunguntur, vt vnum habeat repugnantiam, & prædominantiam excellentem alteri rei diuersæ rationis, vt si gutta aquæ in dolio vini infundatur, in qua non resultat tertia entitas, sed est transmutatio, & conuersio vnius rei in alteram: aqua enim conuertitur in vinum.

Tertia est, in qua non est vnitorum transmutatio, sed tertiæ naturæ constitutio, fitque, quando vnibilia non habent repugnantiam, sed tamen habent mutuam dependentiam, & inclinationem ad tertij constitutionem, quia vnum se habet vt potentia, aliud vt actus: sic materia, & forma, corpus, & anima hoc modo dicuntur misceri, sed impropriè.

Qvarta est, in qua interuenit vnio absque transmutatione, & constitutione tertiæ entitatis, sed tantùm vnum vnibilium fundatur in altero absque repugnantia, dependentia, & inclinatione, sed tamen adest excellens prædominantia; vt quando arbor inseritur stipiti alterius arboris, in quo casu vtrumque vnibilium seruat propriam naturam in suo esse completo, & tali pacto natura Diuina vnita est humanæ in Christo.

Qvinta est, quando aliqua ita coniunguntur, vt ad certam temperiem tertiam se reducunt, vt tamen non resultet aliquod tertium substantiale, vt cùm aqua calida mixta frigidæ tunc reducuntur ad statum tepiditatis: Sic pharmacopolæ conficiunt medicamenta, quæ mixtio dicitur crassis, seu harmonia, seu temperies, de qua Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 17. *quæst. vltim.* & hæc potiùs spectat ad primam suprà positam, quæ est aggregatio plurium entium in actu: non enim concurrit alteratio, repugnantia, prædominantia, &c.

Sexta est vnio, in qua est vnibilium alteratio, & tertiæ naturæ productio, & hoc, quia est ibi repugnantia, & prædominantia, sed non excellens: & hoc modo vniuntur elementa ad constitutionem mixti: & est, de qua procedit quæstio: Hinc

128. Prima Conclvsio: Mixtio est plurium elementorum simul vnitorum alteratorum in tertiam naturam transmutatio: Sic Aristot. hîc Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 11. *citat.* breuiùs eam sic definit: ***Est miscibilium alteratorum vnio.***

Explicatvr, & probatur: Dicitur (*vnio, scilicet substantialis*) loco generis, per quam importatur actio generatiua, qua generatur tertia entitas: Dicitur (*alteratorum miscibilium*) per quod denotatur terminus à quo talis generationis, nempè elementa alterata, & per mutuam alterationem disposita ad generandum mixtum, & quia mixtio est vnio substantialis, hinc necessariò importatur terminus ad quem nempè mixtum, quod est tertia entitas, & substantia completa.

Digitized by Google

Hinc etiam ſequitur, quod miſcibilia non ſunt ipſæ qualitates, niſi quatenùs concurrunt diſpoſitiuè, ſed ſunt ipſa elementa.

Secvnda Conclvsio: Conditiones, quæ requiruntur ad veram mixtionem, aliæ reſpiciunt ipſa miſcibilia, aliæ ipſam mixtionem, ſuntque ſequentes.

Ex parte miſcibilium primò requiritur, vt mutuò ſint actiua, & paſſiua, qualia ſunt elementa, nempè ignis, & aër, quæ ſunt actiua; aqua, & terra, quæ ſunt paſſiua, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 2. & 3. & *lib.* 4. *diſtinct.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 1. & *diſtinct.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 3. actiua enim excitant, & faciunt tranſmutationem, & hac ratione materia, & forma, ſubiectum, & accidens, ſublunaria, & cœleſtia nequeunt miſceri: iſta enim mutuò non agunt, nec repatiuntur. Secundò, quod poſſint facilè diuidi, & infringi in minutiſſimas partes, & ob id ferrum, & lapis non miſcentur. Tertiò, vt non ſint in magna multitudine, vel mole ob difficultatem alterationis. Quartò, vt habeant proportionem adinuicem ſecundùm actiuitatem, & reſiſtentiam: ſi enim actiuitas, & prædominantia vnius multùm ſuperat reſiſtentiam alterius, non fit mixtio, ſed accretio, vel penetratio, vt in alimento per nutritionem euenit, vt cùm ex ligno fit ignis, & corpus glorioſum penetrat aliud non glorioſum: de qua vide S. Bonauent. *loc. cit. lib.* 2. *diſtinct.* 15. & *lib.* 4. *diſt.* 11. & *lib.* 4. *diſtinct.* 49. *ſuprà cit.*

Hincqve dixit Seraph. Doct. quod requiritur repugnantia, ſcilicet aliqua reſiſtentia, & prædominatio ſcilicet actiuitas non excellens, quarum ratione fit diuiſio, & refranguntur elementa, & remanent in ſuo eſſe in conſtitutione tertiæ ſubſtantiæ, & hæc eſt ratio, quare faciliùs humida miſcentur, quàm ſicca.

Ex parte verò mixtionis requiritur, vt miſcibilia tranſeant in tertiam entitatem non vniuocam, ſed æquiuocam, & diuerſæ rationis, non per conuerſionem, vel tranſmutationem, ſed cum conſeruatione propriæ entitatis vel virtualiter, vel formaliter, alióquin eſſet generatio propriè, & rigoroſè ſumpta.

119. Tertia Conclvsio: In mixtione perfecta quatuor elementa concurrunt: In imperfecta non ſemper, ſed aliqua tantùm, nec vnum ſufficit: Eſt S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 11. *cit.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 2. & 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. Alenſ. *part.* 2. *quæſt.* 53. *m.* 1. *quæſt.* 1. *Later.* Richard. Argent. Titelm. Aliorumque contra Scotum *lib.* 2. *diſt.* 15. dicentem ſufficere aliquando vnum elementum, vt ex eo aliud generetur: item contra Alios aſſerentes neceſſariò requiri omnia quatuor elementa, & contra Alios negantes poſſe omnia quatuor concurrere.

Probatvr autem prima pars à Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt* 15. *art.* 1. *quæſt.* 1. Senſus eſt operatio animæ in corpore ſecundùm conformitatem organi ad obiectum, ſed quodlibet animal habet ſenſum tactus, qui eſt perceptiuus quatuor qualitatum, quæ radicantur in quatuor elementis; ergo quodlibet animal habet conformitatem in ſenſu tactus compactum ex quatuor qualitatibus: ergo & ex elementis, à quibus oriuntur ipſæ qualitates. Tum quia

in

in perfecta mixtione concurrit perfectum attemperamentum qualitatum in esse refracto, sed quælibet qualitas refrangitur per suum contrarium, ergo & quatuor qualitates refractæ: ergo & earum principia. Tum quia ad vitam corporis non sufficiunt elementa passiua, sed requiruntur actiua cum attemperatione illarum qualitatum: Item ad sensum, & ad motum: de quo vide S. Bonau. *cit. quæst.* 3. & patebit *in tract. de anima:* Vnde aqua, cùm sit terra subtilior, penetrat partes terræ, sed non perfectè, cùm habeat aliquam grossitiem, aër, cùm sit subtilior, intimiùs se profundat, & ignis vsque ad intima, & hinc fit plena alteratio vsque ad minima, & mixtio perfecta: Sic ibid. *quæst.* 2.

PROBATVR secunda pars in corporibus ab Angelis assumptis, de quibus agit Seraph. Doctor. *lib.* 2. *dist.* 8. *cit.* illa enim corpora habent aliquam consistentiam: ergo continent humidum, & siccum, sed hæc non est perfecta mixtio, nec ibi sunt quatuor elementa: ergo.

PROBATVR vltima pars: Implicat enim ex vno elemento fieri mixtum non continens miscibilia.

130. OBIICIES primò: Ignis non potest concurrere ad constitutionem materialem mixtorum: ergo.

PROBATVR antecedens: quia deberet à sua sphæra depelli, quod est contra eius naturam, & experientiam.

RESPONDETVR negando antecedens: Ad probationem Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 15. *quæst.* 2. *ad* 5. & 6. negando debere à sua sphæra depelli: nam in mixtione ignis forma est concreata in materia, sicut & aliorum elementorum, & educitur per actionem agentis naturalis, & ideò ex vno elemento, seu ex eius materia possunt educi cætera.

OBIICIES secundò: In dissolutione non apparet aër, & ignis, sed tantùm aqua, & terra, & hinc Aristoteles dixit omnia mixta esse vel aquea, vel terrea: ergo. Tum quia Deus condidit ex aqua, & terra omnia mixta, vt in Gen. *cap.* 1. Hac ratione ducti Aref. 1. *de gen. quæst.* 50. *sect.* 2. Ruu. *tract. de mixtione quæst.* 1. Cardan. Aliique negarunt omnia elementa concurrere ad mixta.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 15. *quæst.* 2. & *seq.* negando antecedens: falsum enim est non apparere multoties aërem, & ignem, vt euenit in combustione ligni, & aliis consimilibus experimentis.

ET Aristot. dixit omnia mixta esse aquea, vel terrea ratione molis: in his enim (vt plurimùm, & ferè semper) prædominantur ista duo quoad quantitatem molis, licèt non virtutis, & eodem modo intelligendus est Textus Gen. vt ait Seraphicus Doctor *loc. citat. quæst.* 2. *ad* 1. & *distinct.* 12. *dub.* 1.

OBIICIES tertiò: Forma est simplex: ergo & eius materia debet esse simplex: ergo & corpus.

RESPONDET Seraph. Doct. transeat antecedens, & negatur consequentia de corpore: proportionari enim debent in ratione actiui, & passiui, actus, & potentiæ, non in conditione simplicitatis; immò quia forma est multiplex in virtute, ideò debet habere corpus multiplex in compositione.

OBIICIES quartò: Elementa sunt causa mixti: ergo erunt nobiliora mixto:

Digitized by Google

mixto: sicque non poterunt ingredi compositionem.

Respondetvr esse causam materialem, obidque negatur consequentia.

Obiicies quintò: Si quatuor elementa concurrunt ad formandum mixtum: ergo debent moueri localiter, & multoties violenter contra naturam ipsorum, scilicet ignis deorsum, terra sursum, &c. sed hoc est contra ordinem vniuersi: ergo.

Respondetvr negando sequelam maioris: Nam, vt notat Seraph. Doct. *ibid. quæst. 2. ad 5. & 6.* vbi fiunt mixta, non adsunt elementa pura, & ob id absque violentia, & motu locali, sed media alteratione tantùm generantur mixta, tum quia educi possunt ipsorum elementorum formæ præëxistentes in Seminario materiæ.

Addimvs ad hæc, quod ex vno elemento potest fieri generatio mixti ex quatuor elementis saltem per potentiam Dei absolutam, immò naturaliter, ait Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. ad 5. & 6.* In quo casu tamen non potest dici mixtum compactum ex vno elemento, sed solùm quatenùs ex illa materia, in qua, vt in Seminario præëxistebant formæ omnium elementorum, Deus, vel aliquod aliud agens eduxit priùs tales formas, & ex ipsis composuit mixtum, quæ assertio sequitur ex principiis Seraph. Doct. & ex traditis, & in hoc sensu erit vera Scoti sententia.

Dices: Elementa sunt incorruptibilia: ergo non potest ex ipsis fieri generatio mixti, vel ex vno elemento aliud generari.

Probatvr antecedens à Serbellon. *hic num. 13.* quia sunt prima componentia: ergo debent esse incorruptibilia.

Respondetvr ex principiis Seraph. Doct. esse incorruptibilia quoad essentiam: formæ enim ipsorum sunt concreatæ in materia, & ab ipsa inseparabiles naturaliter loquendo: non verò quoad existentiam, vnde contra nostra principia nihil concluditur.

QVÆSTIO VI.

An Elementa maneant in mixto.

131. Qvia mixta componuntur ex elementis tanquam ex materia, ideò etiam in mixto debent contineri, & quia continentia alia est virtualis tantùm, alia formalis, ideò quæritur; an elementa sint in mixto tantùm secundùm ipsorum virtutem, ita quod in mixtione deperdant suam propriam formam remanentibus qualitatibus: an verò sint etiam secundùm suam ipsorum formam, & entitatem.

Prima opinio negat adesse formaliter, sed tantùm virtualiter: Ita D.Thom. & Scotus cum suis Sequacibus, & maiori parte Recentiorum, Suarez *in Met. disp. 15. sect. 10.* Hurt. Ruu. Arriaga.

Secvnda opinio opposita est Auers. & Sequac. apud Meld. *disp. 7. num. 15.* Discrepant inter se tamen in explicando modum, quo insunt elementa formaliter in mixto: Aliqui enim volunt inesse cum suis qualitatibus in summo non quidem quoad gradus, sed quoad actionem: Alij in esse remisso: S. Bonauent. sustinet hanc sententiam, vultque elemen

elementa remanere quoad entitatem formalem in mixto, sed tamen cum remissione graduali, & in esse refracto tam quoad qualitates, quàm quoad ipsas formas substantiales, hancque etiam sustinent Aresf. 1. *de gen. quæst.* 51. *sect.* 4. Baccon. *lib.* 3. *disput.* 16. Cannon. Zabar. Aureol. apud *citat.* Meldul. Pro solutione quæstionis, & explicatione sensus Seraph. Doct.

PRIMÒ Notandum, quod, vt ex S. Doct. in Physica demonstrauimus *lib.* 1. *tract. de formis*, plures formæ substantiales subordinatæ de facto possunt inesse in eodem composito, idque euenit, quando vna forma sufficienter non solùm non terminat dependentiam essentialem materiæ, sed potiùs illam disponit, & ordinat ad aliam perfectiorem, quatenùs scilicet forma perfectior non continet formaliter simul; & eminenter inferiorem: ad hoc enim, vt non fiat frustatoria multiplicatio formarum, superior forma debet posse formaliter producere effectus inferioris, vt euenit in anima rationali, quæ sola absque multiplicatione animæ sensientis, & vegetantis sufficit in homine, quia non solùm eminenter, sed & formaliter continet vim sensitiuam, & vegetantem, & hinc diximus in materia inesse formam corporis tribuentem esse corporeum ipsi materiæ, & distinctam ab elementaribus, quod Seraph. Doct. docet, & probat *lib.* 2. *distinct.* 12. *art.* 1. *q.* 3. *in corp. & ad* 2. *&* 3. vbi dicit formæ elementares sunt primæ, quæ insunt in materia loquendo de illis, quæ dant esse completum, sed tamen præsupponunt formam corpoream, quæ dabat esse incompletum materiæ, faciens ad dispositionem aliarum formarum: Sic *ad* 5. *&* 6. Cùm igitur istæ elementares formæ non possint formaliter dare esse corporeum, prærequiritur talis forma incompleta corporea: Et hinc vltra formam mixti dicimus inesse in ipso formas elementorum, cùm illa non possit exire in actus ipsis debitos, nisi adsit hæc continentia formalis: hincque dixit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. materiam corporalem priùs recipere formam mixtionis disponentem ad aliam perfectiorem, scilicet complexionis (quam Scotus appellat corporeitatis scilicet completæ) & hinc superuenit alia, scilicet vegetans, sensitiua, & vltimò rationalis: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. & *distinct.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 6. & *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *& alibi plu-ries*: Hincque sequitur, quòd elementa possunt considerari dupliciter: Primò in proprio statu, quando dicunt propriam substantiam completam, & absolutam, formaque cuiuslibet est vltimus actus suæ materiæ tribuens esse specificum vnicuique: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 5. Secundò, prout elementant, componuntque actu elementatum, seu mixtum: Sic *in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 2. & hoc pacto elementa sunt veluti materia incompleta complebilis per formam mixti: forma enim elementaris ita actuat materiam, quod etiam disponit ad vlteriorem formam: Vnde elementum totum se habet vt materia indigens compleri per formam mixtionis: Sic Seraph. Doctor *lib.* 2. *dist.* 15. *artic.* 1. *quæst.* 2. *fund. vltim.* Cùm igitur ex materia, & forma vnitis substantialiter resultet tertia

entitas, seu forma totius absque eo, quod materia partialis, & forma amittant suam propriam entitatem, sic ex materia elementorum, & forma mixtionis, quæ educitur ex illa materia sic elementata, & taliter disposita, per quam resultat mixtum tanquam tertia entitas absque eo, quod elementa deperdant propriam entitatem quoad suum proprium esse.

132. SECVNDÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *q.* 2. *in corp. & q.* 3. quod ad perfectam mixtionem, per quam fit mixtum completum, concurrunt quatuor elementa: Aqua, cùm sit terra subtilior, in decupla proportione penetrat partes terræ, sed non perfectè pro eo, quod aliquam grossitiem habet: Aër verò, qui est in centupla proportione subtilior, adhuc intimiùs se profundat: Ignis, qui est subtilior, & rarior in millesima proportione subtilitate sua penetrat vsque ad intima, & sic fit alteratio plena vsque ad minima, & mixtio perfecta, sicque concurrentibus qualitatibus actiuis, & passiuis educitur forma complens mixtum: in quo sicuti adsunt qualitates in esse refracto ratione contrarietatis, & conuenientiæ, quam seruant ad inuicem, sic & itidem elementa commixta, & compenetrata mutuò: & hæc est ratio, quare non fit conuersio elementorum in mixtum, sed remanent in suo esse: Nam licèt in symbolis elementis sit facilis transitus, vt docet Aristot. vt sunt (ait S. Doct.) aër, & ignis, item terra & aqua *lib.* 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* tamen cùm ad mixtionem perfectam concurrant quatuor elementa: obidque & quatuor qualitates mutuò pugnantes, ratione quarum elementa inter se habent dissymboleitatem, hinc remanent in suo esse remisso, & refracto scilicet ipsa elementa, & qualitates, vel etiam potest dici, quod ex ipsis qualitatibus consurgat tertia entitas non propria, sed quatenùs emanant scilicet qualitates secundæ competentes mixti naturæ: hanc doctrinam sparsim tradit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 15. *citat.* & *lib.* 4. *distinct.* 49. *citat. & in Breuil. part.* 2. *cap.* 3. *& in Centil. part.* 3. *sect.* 11. *& in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 2. *&* 8. *& Serm.* 8. *Hexaëm.* His positis ponitur

133. PRIMA CONCLVSIO: Elementares formæ remanent in mixto non tantùm virtualiter, sed & formaliter, & substantialiter: Est Auers. Anic. Niphi, Alb. Zimar. Aliorumque plurium apud Meldul. & Run. est & Seraph. Doct. quicquid dicat P. Gallic. noster, & Baudunus dicentes mentem Seraph. Doct. fuisse, quod in mixtione corrumpantur formæ elementorum, generaturque mixtum tanquam ex materia, & forma mixtionis: ex materia, in quam, quæ priùs erat sub illis formis iam corruptis, ex hoc quod fit resolutio vsque ad materiam primam in generatione mixti: Sic P. Carpinet. *lib.* 4. *tract.* 1. *quæst.* 3. *num.* 11. *& seq.* P. Baudun. *hic disput.* 4. *sect.* 2. quæ positio pace tantorum virorum est patenter in omnibus contra mentem Seraph. Doct. Tum quia Seraph. Doct. negat hanc resolutionem vsque ad materiam primam, vt aliàs pluries probauimus. Tum quia patenter Seraph. Doct. tenet elementa secundùm propriam naturam remanere in mixto: immò & isti Bonauenturistæ sibi contradicunt ponentes primo

Digitized by Google

loco permanentiam elementorum formalem in mixto tanquam ad mentem Seraph. Doct. & posteà in fine extorquent talem positionem ad oppositum sensum, & hoc, vt ait P. Gallicius, ad euitandas tot difficultates de simultate corporum, penetratione, conseruatione, & vnione formarum, ergo ipsis fatentibus, vt effugiant difficultates occurrentes, præuertunt sensum Seraph. Doctor. Quod verò hæc sit mens Seraph. Doct. suprà in Concl. posita.

PROBATVR ex eo, quod *lib. 3. dist. 6. art. 2. quæst. 1. in corp.* docet vniri elementa ad constituendum mixtum ratione repugnantiæ cum prædominantia non excellente impediente conuersionem vnibilium in alteram naturam, vt euenit oppositum, si gutta aquæ ponatur in amphora vini ratione excellentis prædominantiæ, & *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2.* docet, quòd corpora animalium habent in se naturam quatuor elementorum perfectè alteratorum, & inter se penetratorum: Et idem *quæst. 3.* & *lib. 4. distinct. 49. part. 2. art. 4. quæst. 1.* & idem apertè docet *lib. 2. distinct. 17. artic. 2. per totum*, & *lib. 4. distinct. 12. part. 1. articul. 2. quæst. 2. ad vltim.* & *lib. 2. distinct. 18. art. 1. quæst. 3.*

PROBATVR item ex Aristot. qui 1. *de an. t. 40.* probat animam per seipsam non moueri sursum, neque deorsum: alioquin esset ignis; vel terra, vel aër, vel aqua: ergo supponit mixta non moueri sursum, vel deorsum naturaliter nisi ex elemento actu, & formaliter existente, & prædominante, secus consequens non esset validum: Item 7. *de An. t. 53.* quærit, cur ignis, & terra, & alia elementa in organo sensus existentia non sentiantur, ergo supponit in mixto elementa actu, & 1. *de gen. t. 83.* dicit miscibilia non debere corrumpi in mixtione: Idem & *ib. de sensu cap. 5.* & *lib. 4. metheor. sum. 2. cap. 3.* & 1. *de gen. t. 34. & aliis pluribus locis.*

PROBATVR rationibus, & primò tali pacto: Mixtio est vnio miscibilium, sed miscibilia sunt elementa: ergo est vnio elementorum, sed vnio non potest esse actu, nisi actu sint vnibilia: ergo actu in mixto sunt elementa: quod enim non est, non potest componere, & alteri vniri.

CONFIRMATVR, quia hæc vnio est generatio: ergo si in generationibus substantialibus remanet materia, & forma, etiam & miscibilia in mixtione.

CONFIRMATVR iterum, quia si elementa actu non componunt mixtum, sequitur, quod nullum detur mixtum substantiale, sed quodlibet erit corpus simplex scilicet compositum ex sola materia, & forma substantiali: neque ex hoc, quod materia ex pluribus desumatur siue ab elementis, siue ab aliis compositis, quæ mixtum non dicuntur, potest dici mixtum: materia enim est eiusdem rationis in omnibus compositis: obidque indifferenter desumitur à pluribus siue differentibus specie, siue eiusdem speciei: ergo non potest dici mixtum, ex eo quod in materia præcesserint elementa.

CONFIRMATVR iterum, quia si dicitur mixtum ex hoc, quod solùm remanent qualitates, obidque & dicuntur in mixto elementa esse virtualiter, solùm mixtum differret accidentalier à cæteris compositis substantialibus.

134. PROBATVR secundò, quia non est assignabilis causa inducens corruptionem elementorum, dum fit mixtum: ergo non corrumpuntur.

PROBATVR antecedens, quia vel elementa corrumpuntur inter se, ita vt vnum ab alio corrumpatur, vel ab aliquo alio, sed neutrum potest dici: ergo.

PROBATVR Minor: Non secundum, cùm non sit assignabile corrumpens, sed neque primum.

PROBATVR, quia corrumpens debet alteri prædominari: ergo prædominans non corrumpitur: ergo erit actu: ergo non omnia elementa corrumpuntur in mixtione.

BAGATA, vt soluat hanc rationem verè conuincentem, recurrit ad cœlos, & sydera: hæcque, ait, esse causam corruptiuam elementorum, sed securior est recursus ad Deum tanquam ad causam magis vniuersalem, sed quia videt hanc responsionem non subsistere, esseque nimis amplam, & Philosopho indignam, addit corrumpi actione mutua inter se: contra quam euidenter concludit argumentum factum de elemento prædominante, quod tamen (ait) ipsum corrumpitur, sed à quanam causa.

HINC Alij respondent communiter elementa corrumpi ad inuicem per accideus, ex eo quod per refractionem qualitatum producitur temperamentum quoddam, ad quod necessariò consequitur forma mixti: ad cuius positionem ob incompossibilitatem cum formis elementorum, quia sunt homogeneæ, istæ desinunt, non verò per destructionem dispositionum requisitarum, cùm talis temperies qualitatum non sit incompossibilis per se cum formis elementorum, sed ad corruptionem ipsarum sufficit introductio dispositionum pro forma generanda: Hæc responsio, quæ est communis Aduersariorum, vt videre est apud Meldul. *disp. 7. num. 35.* duo continet: Vnum falsum, & est, quod destruitur forma elementorum ob incompossibilitatem formarum mixti, & elementorum: Secundum verum, & est, quod dispositiones pro forma mixti introducenda non sunt contrariæ formæ elementorum, sed sunt ipsis compossibiles.

CONTRA primò: Quia adducere pro ratione destruente formas elementares incompossibilitatem formarum est adducere aliud maius dubium. Tum quia hæc est mera petitio principij: id enim est, quod quærimus, an sint incompossibiles. Tum quia apud Scotistas sustinentes hanc compossibilitatem formarum substantialium in viuente hæc ratio contra ipsos facit.

CONTRA secundò: In mixtione remanent dispositiones necessariæ ad conseruandam formam elementorum: ergo non desinunt: tantùm enim desinunt formæ, quando desinunt dispositiones propriæ, & introducuntur oppositæ.

DICVNT manentibus dispositionibus manere formam, si tamen dispositiones non sint sufficientes alicuius alterius formæ incompossibilis cum præcedente: in præsenti autem casu manere quidem in aqua dispositiones sufficientes ad conseruationem formæ aquæ, sed quia habent etiam vim dispositiuam ad formam mixti, quatenùs sunt coniunctæ cum temperie qualitatum, quæ est materia reliquorum elementorum, ideò introducere habent formam mixti

substan

ſubſtantialem, & conſequenter per accidens deſtruere formam elementorum ratione incompoſſibilitatis: Sic Meldul. Aliique.

CONTRA primò: Quia ſemper redeunt ad eandem incompoſſibilitatem, quæ eſt id, quod quæritur hîc.

CONTRA ſecundò: Forma ſubſtantialis corrumpi non poteſt niſi per ablationem qualitatum, quæ medium ſunt, & copula, quibus forma ſubſtantialis in materia educitur, reperitur, & conſeruatur, & agens in corruptione priùs neceſſariò expellit qualitatem, quàm formam ſubſtantialem, vt patet in qualibet alia generatione: ergo impoſſibile eſt formam elementorum corrumpi, & qualitates ſufficientes ad conſeruationem ipſorum iam præëxiſtentium vi talium qualitatum ſeruari: nec enim eſt maior ratio de formis elementorum, ac de reliquis formis.

CONFIRMATVR, quia non poteſt vnum, & idem eſſe diſpoſitio ſufficiens, & conſeruatiua vnius formæ, & ſimul eſſe alterius incompoſſibilis productiua: ergo non poterunt diſpoſitiones ſufficientes ad conſeruationem formarum elementorum eſſe productiuæ formæ mixti, ſi forma mixti eſt illis contraria, vel incompoſſibilis.

RESPONDENT hîc adeſſe peculiarem rationem de elementorum, & mixti diſpoſitionibus, & quod vna, & eadem materia haberet ſimul plures formas ſubſtantiales, quod implicat.

SED reſponſio ſemper eſt eadem petitio principij. Tum quia falſum eſt non poſſe eſſe plures formas ſubordinatas: immò (ad aures Seraph. Doct.) diſparatas, vt probatum eſt in Phyſica, & id concedunt Scotiſtæ cum Scoto quoad formas ſubordinatas.

135. PROBATVR tertiò: In mixto poteſt eſſe tale temperamentum qualitatum, quale reperiri poteſt in elemento ſingulari, quod incorruptum manet ſubſtantialiter verbi gratiâ, terra caloris Solis impetita, & aquæ permixta, licèt ad temperiem reducatur eius frigiditas, & ſiccitas per calorem, & humiditatem, idemque in vaporibus aſcendentibus contingit: nec tamen iſta amittunt eſſe ſubſtantiale terreum, & aqueum: ergo pugna qualitatum, dum elementa concurrunt ad mixtionem, & remiſſio earundem ad ſtatum ſimultatis, non poteſt eſſe cauſa interitus formarum elementarium.

RESPONDET Ovied. *contr.* 8. *part.* 4. corrumpi formas elementares ratione ſuperfluitatis: forma enim mixti ſufficienter ſe ſola actuat materiam, & conſtituit temperamentum qualitatum, quarum principium poteſt eſſe forma mixti, à qua deinde conſeruantur.

CONTRA primò: Quia hæc eſt mera petitio principij: id enim eſt, quod quærimus, an iſtæ formæ elementares adueniente forma mixti ſint ſuperfluæ.

CONTRA ſecundò: Tunc formæ non ſunt ſuperfluæ, immò neceſſariæ, quando effectus formalis inferiorum non poteſt obtineri à forma ſuperiore, ſed id euenit in noſtro caſu: nam forma mixti licèt ſit ſuperior, tamen non poteſt tribuere ipſi materiæ eſſe elementatum, & multiplex formaliter, & ſubſtantialiter.

CONTRA tertiò: Quia ſuperfluitas nullam vim corruptiuam habet,

nec res seipsa destruitur, eo quod sit superflua, vt patet in tot indiuiduis specierum plurium: Tum quia, quod consequitur ad actionem naturalem, non potest dici superfluum: pendet enim ab agente determinato, quod, dum est in actu secundo, debet necessariò producere, sed existentia formarum elementarium in mixto sequitur ad actionem naturalem tum earundem formarum, tum primarum qualitatum: virtute enim actionis, qua producta sunt elementa, existunt formæ elementares in proprio subiecto, & ab ipsis emanant sufficientes dispositiones ad sui conseruationem naturalem, siue sint in summo, siue in esse remisso, siue cum temperamento: ergo non sunt superfluæ.

PROBATVR quartò: Si elementa secundùm formas non remanerent in mixto, nullum daretur mixtum substantiale: sed erit tantùm mixtum virtualiter: eò modo enim est mixtum, quo continet mixtilia: sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatur minor: (nam maiorem admittunt.) Tum quia non differret nisi accidentaliter à cæteris compositis, (vt dictum est suprà.) Tum quia sic quodlibet mixtum esset omne mixtum, scilicet mixtum ex omnibus mixtis possibilibus: Probatur sequela: Ideò enim remanent elementa in mixto, quia in ipso remanent virtutes omnium elementorum, sed in quolibet mixto remanent virtutes omnium mixtorum, primæ namque qualitates simul vnitæ virtute sunt omnium mixtorum possibilium, & istæ remanent in quolibet mixto: ergo. Tum quia mixtum erit mixtum tantùm nomine extrinseco, cùm denominetur ab eo, quod extrà remanet, vel destruitur: sicque malè appellatur mixtum compositum ex elementis.

PROBATVR quintò ex ipsa mixti resolutione, quæ fit in elementa, & non per nouam productionem, ergo præëxistebant anteà realiter.

PROBATVR antecedens: nam virtute ignis separatur terra ab aqua in ligno, & aqua in vapores ascendere conspicitur, vel in spumam demitti à terminis ipsius, remanentibus cineribus pro terra: Afferuntur & plures aliæ experientiæ ab Authoribus, & maximè id patet in sanguine emisso à venis.

PROBATVR sextò: Si solùm elementa sunt in mixto virtualiter, sequitur, quod Cœlum continet virtualiter elementa: ergo Cœlum erit mixtum, consequens est falsum, ergo & antecedens.

RESPONDET Meldul. *num. 37.* negando sequelam, & paritatem: Cœlum enim continet virtualiter elementa in genere efficientis: mixtum verò in genere quasi causæ formalis.

CONTRA primò: Ergo mixtum, si continet elementa in genere causæ formalis, habebit ipsas formas, quod & Nos intendimus.

CONTRA secundò: Quia & Cœlum continet formaliter eminenter virtutem productiuam elementorum, sed mixtum per Aduersarios eodem modo continet elementa ipsa scilicet eminenter formaliter, ergo Cœlum potest dici mixtum.

RABESANVS *de an. lib. 2. disputat. 3. quæst. 7. ad 3.* explicat hanc continentiam dicens, mixtum continere in genere causæ formalis, non quod in eo sint veræ formæ elementorum, sed quia continent gradū perfectiorem, & eminentialem eo modo, quo dicitur

dicitur anima rationalis continere formaliter,& virtualiter gradum sensitiuæ, & vegetantis, talique pacto formam mixti informare in gradu perfectiori materiam continentem qualitates elementorum temperatas.

Contra: Quia talis paritas, vel similitudo non potest currere inter animam rationalem, & formam mixti: nam anima rationalis non necessariò præsupponit animam sensitiuam, & vegetantem, vt partes ipsam componentes,vel producentes, sicut forma mixti necessariò præsupponit formas elementorum. Tum quia anima rationalis continet identicè gradus sentientis, & vegetantis, quia habet multiplicem potentiam formaliter: mixtum autem tantùm continet accidentia separabilia elementorum. Tum quia forma mixti non terminat dependentiam materiæ, quam habet ad formas elementorum, sed tantùm eam, quam habet ad sui entitatem.

Dices: Forma superior includit perfectionem inferiorum subordinatarum, sed forma mixti est superior elementis: ergo.

Respondetur maiorem esse veram, quando subordinatio est ratione formarum, non verò quando est ratione materiæ, quæ exigit talem dispositionem, verbi gratiâ, anima rationalis habet sub se subordinatas formam sensitiuam, & vegetantem in ratione formæ informantis: ideò formaliter vt superior continet inferiores: non verò formaliter continet formam corporeitatis: hæc enim exigitur in materia, vt rectè sit disposita ad perfici à forma superiore: Vnde illa dicitur continentia formalis eminentialis: ista per excessum tantùm: sic forma mixti formaliter non est ignea, aquea nisi per excessum tantùm, licèt mixtum formaliter contineat ignem, & aquam, quatenùs illa materia debet continere ista elementa, vt per formam mixti informetur.

136. Secunda Conclusio: Elementa in mixto remanent cum suis qualitatibus in esse refracto: Est Seraph. Bonauent. *lib.*4. *distinct.* 49. *articul.* 4. *quæst.* 1. pluriumque aliorum contra multos præcipuè Serbellon. *hic num.* 42. qui licèt consentiat nobiscum in prima Conclusione, afferatque easdem ferè omnes rationes suprà allatas, quæ sunt communes cæteris nobiscum sentientibus, dissentit tamen in hac secunda Conclusione ex hoc potissimùm, quod forma substantialis non suscipit magis, & minus.

Sed abundè aliàs à nobis probata est hæc veritas, nempè formam substantialem, licèt secundùm essentiam non sit capax gradualis latitudinis, prout tamen est in subiecto, seu materia hac, vel illa posse recipere magis, & minus secundùm maiorem, vel minorem actualitatem: Vide *in lib. de Cœlo in q. de forma lucis*, & fusiùs probatur *in lib. de animarum perfectionibus.*

Probatur secundò: Quia temperamentum est necessarium ad formam mixti, ergo debet esse inter qualitates refractas: ergo & etiam inter formas.

Probatur hæc vltima consequentia, quia, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 48 *art.* 2. *quæst.* 2. *in argum. pœnult.* forma substantialis in materia est causa immediata suarum qualitatum, quæ ei insunt veluti proprietates substantiales, & connatura-

les:

les: ergo, si istæ insunt, etiam erunt formæ substantiales in esse refracto, proprietas enim consequitur suæ formæ.

Ex quibus colligitur formas elementares esse refractas in mixto quoad suam actualitatem maiorem, vel minorem, & ipsorum elementorum qualitates itidem formaliter refractas, quo pacto in mixto conseruant debitum attemperamentum, nec possunt se ad pristinum statum reuocare, vti extra mixtum: impediuntur enim adinuicem elementa, ne in propriis qualitatibus intendantur, & licèt adsit prædominium semper alicuius elementi, non tamen destruuntur cætera, quia primò resoluenda est forma mixti, quæ non per quamcunque alterationem qualitatum dissoluitur: conseruatur autem debitum attemperamentum tum à contrariis qualitatibus, tum ab extrinseco præcipuè ab influxu Cœlorum.

Obiicies contra vtramque Conclusionem Arist. pluribus locis indicare mixta continere virtualiter elementa, præcipuè 2. *de part. anim.* vbi docet mixta componi ex elementis (& subdit) rectiùs autem est, si dixeris ex virtutibus elementorum, quæ sunt quatuor qualitates: & 1. *de gen. t.* 84. ait potentia remanere ipsa in mixto.

Qvibvs, & consimilibus communiter respondetur per virtutes intelligere qualitates, quæ sunt virtutes elementorum, ex quibus rectiùs dicitur mixtum componi, quàm ex elementis, eo quia elementa non insunt in suo esse completo, & tam sensibilia: at qualitates constituunt quoddam attemperamentum, ratione cuius mixtum denominatur tale, in quo elementa sunt quidem in potentia, scilicet cum suis virtutibus, simulque formaliter.

Obiicies secundò: Si remanerent formæ elementares actu, & formaliter in mixto, sequeretur mixtum non esse aliquod vnum per se, sed tantùm ipsa quatuor elementa, seu congeries elementorum. Probatur sequela, quia si remanent, cùm formæ non suscipiant magis, & minus *ex Phys. lib.* 6. Arist. ergo ibi sunt secundùm se totas, ergo erit mixtum veluti aceruus formarum.

Confirmatvr: Quia sic mixtio non erit generatio procedens ex corruptione alterius, quod est contra omnes Philosophos, & si est vera generatio, cùm in hac terminus à quo sit incompossibilis cum termino ad quem, sequitur, quòd corrumpantur ipsæ formæ elementares ad generationem mixti: ergo falsa positio nostra.

Respondetvr negando sequelam maioris: Ad probationem respondetur formas non suscipere magis, & minus sumptas Logicè, vel Metaphysicè, vt ait S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *dub.* 2. *aliisque locis aliàs adductis in cit. quæst. de forma lucis:* suscipere autem, prout sunt in tali, vel tali materia secundùm gradualem actualitatem, idque est maximè verum loquendo de formis imperfectis ordinatis ad constitutionem alicuius entis perfectioris, ideò sunt in mixto secundùm se totas specificè, & Metaphysicè, sed in esse refracto, sic negatur consequentia.

Ad confirmationem Respondetur distinguendo de mixtione: vel enim hæc respicit formam mixti productam, vel elementa, ex quibus tanquam ex causa materiali coalescit: Primo modo est generatio formæ mixti,

Digitized by Google

mixti, quæ educitur positâ perfecta alteratione, compenetratione, & mixtione elementorum, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 15. cit.* Secundo modo dicitur mixtio propriè: vnde omnis mixtio est generatio, sed non è conuerso, sed tantùm ea est generatio mixti, quæ supponit mixtionem elementorum. Et ad id de termino à quo, & ad quem huius generationis Respondetur elementa secundùm esse perfectum esse terminum à quo, cùm verò per alterationem, & commixtionem refranguntur, & remittuntur, tunc habetur terminus ad quem non vltimatus, qui remanet cum vltimato, qui est forma completa mixti: & hinc etiam patet, quòd hæc generatio non est propria, & rigorosè sumpta, sed productio substantialis formæ mixti absque præcedenti corruptione reali elementorum, ex hoc quod talis subordinatio est ex parte materiæ, vt suprà dictum est.

Contra: Si forma mixti aduenit, & superadditur ipsis elementis refractis, ergo aduenit enti in actu: ergo aduenit accidentaliter.

Respondetur negando consequentiam: aduenit enim enti in actu, sed incompleto, & per aliam formam complebili, & ob id materiæ taliter dispositæ, sicut dictum est de forma corporeitatis.

138. Obiicies tertiò: Vbi non est formalis effectus, vel proprietas formalis formæ substantialis, ibi non est forma substátialis etiam in quouis minimo gradu, sed in mixto non adest effectus formalis istarum formarum, ergo nec ibi adsunt.

Probatur minor: quia si esset talis effectus elementorum, verum esset dicere, lignum est ignis, est aqua, &c. quod est falsum.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: In mixto non est effectus formalis elementorum totaliter, & secundùm esse completum, concedo, secundùm esse incompletum, nego: & ad probationem Respondetur non requiri, nec sequi talem denominationem in recto, sed in obliquo, ex hoc quod mixtum non habet vltimatam completionem formalem ab ipsis, sed tantùm dispositionem materialem, sed à sua forma: Vnde elementa prædicantur modo materiali de mixto, sicut dicitur, homo habet corpus, non verò homo est corpus: sic lignum habet ignem, &c. denominatio enim formalis est à forma complente.

Contra: In mixto adsunt quatuor elementa, quæ sunt veræ substantiæ de se completæ, & subsistentes, & disparatæ, non subordinatæ: ergo mixtum completur per ipsas: ergo & denominabitur in recto per eandem.

Respondetur concedendo adesse quatuor elementa secundùm proprium esse, sed incompletè, idest quatenùs materialiter subordinantur ipsi mixto: obidque se habent, vt materia complebilis per formam mixti, & in hoc sensu sunt subordinatæ, scilicet terra aquæ, & ista aëri, & aër igni, & omnes formæ mixti, vt ait S. Bonau. *lib. 2. dist. 15. cit. quæst. 2.*

Obiicies quartò: Si formæ elementorum sunt actu in mixto, vel sunt in eadem parte materiæ, vel in diuersis: non primum, alioquin essent simul plura corpora compenetrata, quod est naturaliter impossibile: si in diuersis partibus, ergo non

non est mixtio nisi impropriè dicta, & secundùm iuxtapositionem.

Respondet Serbellon. *hic n.* 43. esse in diuersis partibus materiæ, idest quamlibet formam informare suam propriam materiam, sed cum subordinatione non quidem inter se, sed in ordine ad mixtum: Sed ex hac responsione sequitur non esse veram mixtionem, & quod forma mixti informat diuersas materias diuersimodè, & realiter distinctas, & informatas, sicque mixtum erit aggregatum ex pluribus entibus in actu: immò nec quælibet pars mixti esset mixta.

Hinc cum Seraphico Doctore *lib.* 2. *distinct.* 15. *citat.* & alibi pluries Respondetur quamlibet formam informare eandem materiam, sed cum subordinatione materiali, vt dictum est: nam forma aquæ informat eandem materiam iam simul informatam incompletè à forma terræ: aëris forma informat eandem iam informatam, forma terræ, & aquæ, & forma ignis tota totum informat: forma enim terræ ita actuat illam materiam, vt disponat etiam ad recipiendam, & ad actuari à forma aquæ, & sic successiuè de aliis, quæ subordinatio inest ipsis inter se ratione non solùm qualitatum symbolicarum, sed & entitatis ipsarum.

139. Instant: ergo dabitur penetratio naturaliter plurium corporum inter se: quod est impossibile.

Respondetur ex Seraph. Doct. quod duplex est penetratio: Alia semiplena, & naturalis: alia plena, & miraculosa: Prima dupliciter fit, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vltim.* primò quando liquor liquori miscetur, & tunc non fit mixtio vsque ad minima, verbi gratiâ, si mel cum aqua misceatur, vtrumque enim seruat propriam dimensionem, & essentiam, & hæc nec est propriè mixtio, de qua hîc est sermo, nec in ea datur propria penetratio: Alia fit & secundùm quantitatem, & secundùm virtutem: vt in mixtione physica elementorum: nam (ait Seraphicus Doctor *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. & 3. & *distinct.* 30. *artic.* 3. *quæst.* 1.) aqua tota penetrat totam terram, sed non perfectè ob suam grossitiem: aër, qui est subtilior, adhuc intimiùs se profundat, & ignis tandem vt rarior, & subtilior penetrat vsque ad minima: In qua penetratione substantiarum naturali ex pluribus dimensionibus existentibus in materia cuiusque elementi interminatis fit vna quantitas continua, quæ per aduentum formæ mixti accipit figurationem tali mixto competentem, & hæc admittitur in mixtione eo modo, quo forma penetrat materiam, anima sentiens, & vegetans penetrant corpus, quam penetrationem admittunt naturaliter Fernelius, Aliique Philosophi, & nouissimè P. Cabæus in suis metheoris *t.* 4. *lib.* 4. *ad text.* 9. *quæst.* 4. Alia penetratio perfecta est miraculosa, de qua Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 49. *art.* 6. *part.* 2. *quæst.* 1. & *Comp. Theol. lib.* 7. *cap.* 28. §. & est sciendum, quod sicut, &c. & *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 2. *dub.* 4. Vide, quæ à nobis dicta sunt in Physica à *num.* 714.

Et si quæras: quodnam discrimen est inter vtramque.

Respondetur differre in multis præcipuè primò, quia naturalis exigit vnionem substantialem corporum se penetrantium, in qua aliquando

quando succedit maior occupatio loci, vt in rarefactione, & mixtione: aliquando minor est in condensatione: At in miraculosa non interuenit vnio, nec subordinatio, nec discissio, sed remanent ambæ dimensiones illesæ ita, quod vnaquæque respicit eundem locum adæquatè: at in naturali quælibet respicit eundem locum inadæquatè: Secundò naturalis penetratio fit successiuè: supernaturalis fit in instanti: Tertiò, quia naturalis est penetratio partium omnium, sed non secundùm se totas, verbi gratiâ in condensatione quantitas bipalmaris fit palmaris, tunc vna pars occupabit aliam partem per medietatem, & alia aliam respectu loci: Vnde, vt dictum est, respicit illum locum inadæquatè: at in supernaturali fit penetratio partium secundùm se totas, vt in exitu Corporis Christi per ianuas occupabat simul, & semel totum, quod occupabant ianuæ, vel partes portæ respondentes Corpori Christi.

Dices: Ista elementa sunt corpora realiter distincta, & seiuncta: ergo ibi sunt plures quantitates realiter distinctæ: sicque erunt plura accidentia numero in eodem loco.

140. Respondetur ex traditis ex Seraph. Doct. in Physica, quia in materia adsunt quantitates, seu dimensiones interminatæ, cùm quodlibet elementum habeat suam materiam corpoream quantificatam cum propria terminatione: dum autem ratione virtutis rarefactiuæ fit penetratio aquæ in terram, aëris in terram, & aquam, & ignis in alia tria modo suprà dicto: tunc ex pluribus quantitatibus coalescit vnica quantitas accipiens per eductionem formæ mixti propriam ipsius terminationem: hinc negatur esse ibi plura corpora, sed vnicum tantùm, cùm per formam mixti informentur ipsa elementa, quæ se habent vt materia eiusdem formæ mixtionis: Vnde hæc subordinatio elementorum ad formam mixti est ratione materiæ, vt aliàs dictum est: obidque constituunt vnicam materiam quantificatam, & terminabilem noua terminatione.

Instabis iterum: Inter formas elementares, & formam mixti non adest proportio, sunt enim disparatæ, ergo nec subordinatio.

Sed iam suprà soluta est hæc difficultas: Adest enim subordinatio sufficiens: facit ad maiorem expressionem huius veritatis doctrina egregia, quam tradit Seraphicus Doct. *lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2.* vbi explicat proportionem, quæ est inter animam rationalem nobilissimam, & corpus humanum, quæ licèt sint maximè distantia: tamen supremum corporis, quod inuoluit formaliter complexionis æqualitatem organizationem cum spiritibus vitalibus naturalibus, & animalibus, & infimum animæ, quod est potentia sensificandi, & vegetandi, habent vicinitatem, & subordinationem: Sic & pariter elementa sunt per ordinem ad mixtum, ait Ipse *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2.* licèt sint ex se, & seiunctim disparata: tamen ratione qualitatum & vnitim sumpta habent vicinitatem, & subordinationem: de qua vide S. Bonau. *lib. 2. distinct. 17. art. 2. quæst. 2.* Hincque in istis formis adest subordinatio ratione materiæ, idest multiplicis appetitus, qui ab inferiori non completur.

Et hinc secundùm varietatem dispositio

Digitized by Google

positionum fiũt ab agente extrinseco diuersa mixta: Hæc enim vel sunt perfecta, vel imperfecta: prima sunt vel inanimata, vt sunt, quæ generantur in terra, in quibus elementa vel passiua, vel actiua prædominantur: vel sunt animata, de quibus agetur *in lib. de anima:* vel sunt imperfecta, de quibus *infrà citat.* Videatur Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. & 3. & Comp. Theol. lib. 2. cap. 9.*

Obiicies vltimò: Quia sequeretur, quod ignis, verbi gratiâ, esset violenter in mixto, cùm eius naturalis locus sit sursum: at mixtum est deorsum: ergo.

Respondetur in mixto adesse elementa, sed cum qualitatibus refractis, obidque absque violentia, & cum leuitate, vel grauitate in esse remisso: tum etiam quia refrangitur per temperamentum eorum inclinatio, ita quod possunt diu permanere, sed quia adest illa inclinatio in esse refracto, & ob id cum aliquali operatione, ideò etiam sunt in pugna.

Dices: ergo parua scintilla magis resistet maximæ copiæ aquæ, quàm maximus ignis fornacis.

Probatur, quia in pisce adest parua scintilla ignis, quæ resistet toti aquæ maris, quæ tamen extinguet ignem totum fornacis, quæ, cùm sint absurda, sequitur non adesse ignem formaliter.

Respondetur negando sequelam: Ad probationem Respondetur in dato casu non esse illam paruam scintillam, quæ resistit aquæ, sed esse totum mixtum, immò totum animal.

Ratio autem, quàre extinguit ignem fornacis, est, quia cùm in fornace adsit mixtum, in quo prædominatur ignis, & aër, & cùm elementa actiuiora sint minoris resistentiæ: hinc per aduentum aquæ extinguitur, idest corrumpitur mixtum cum prædominio ignis remanentibus carbonibus, qui sunt item mixta: at piscis cùm habeat formam mixti cum quatuor elementaribus formis, & ob id cum parua scintilla ignis, cùm sint ibi qualitates refractæ, & adsit prædominium aquei, & terrei humoris, quæ sunt qualitates symbolicæ cum aqua maris, & cùm sint magis restitiuæ, hinc non corrumpitur piscis, sed corrumpitur ille ignis fornacis, seu illud mixtum: sicque tota difficultas euanescit, quæ doctrina magis patefiet *in tract. de anima sensitiua.*

Quæres, quænam sint causæ mixti.

141. Respondetur, quòd causa materialis sunt ipsa elementa, siue materia elementata, formæ enim elementorum ita actuant materiam corpoream, vt etiam disponunt ipsam ad recipiendam formam nobiliorem, & hoc ratione attemperationis suarum qualitatum: Ideóque Causa formalis est ipsa forma mixti, quæ diuersificatur ad diuersificationem temperamentorum: Causa finalis est ordo, & decursus generationum huius mundi sublunaris: Causa efficiens alia est vniuersalis, alia particularis: vniuersalis est Deus, Cœlum, & hoc præcipuè est inter causas creatas, vt ait Seraph. Doctor *lib. 2. distinct. 2. part. 2. art. 1. quæst. 2. & distinct. 17. art. 2. quæst. 2. in corp.* facit enim præcipuè ipsius influentia ad elementorum conciliationem regimen, & directionem: Causa particularis est vel vniuoca, vel æquiuoca: Intrinseca est natura per principium

cipium actiuum, & passiuum tendens ad id, quod melius est, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 2. ad vlt.* & *quæst. 1. ad 4.* Extrinseca verò est agens particulare in materiam, educensque formam mixti: Quod verò mixtum sit talis, vel talis speciei, dispositiuè dependet ab hoc, vel illo attemperamento diuersimodè compacto: formaliter verò à forma existente in seminario materiæ, quatenùs educitur ad esse completum ab agente extrinseco: Causa verò conseruans ipsum mixtum in esse est debitum attemperamentum compactum ex refractione elementorum modo, quo suprà dictum est, & ipsarum qualitatum: Dato enim tali attemperamento elementa adinuicem impediuntur, ne in propriis qualitatibus intendantur eo modo, quo intenderentur extra mixtum, & cùm qualitates sint contrariæ, vna non potest intendi, nisi contraria remittantur, quod non euenit ob conciliationem factam in mixto. Et licèt semper detur prædominium alicuius elementi in mixto, obidque aliqua inæqualitas in viribus, non tamen destruuntur cætera: quia primò resoluenda est forma mixti, quæ non per quamcunque alterationem dissoluitur: alioquin in omnibus mixtis danda esset æqualitas ad iustitiam: ne autem statim elementum prædominans conturbet necessarium contemperamentum, retunditur tum à contrariis qualitatibus præcipuè adiutis à principio innato, nec statim vinci possunt: tum etiam ab extrinseco præcipuè ab influxibus Cœli, à quibus multùm pendet conseruatio mixtorum: quia vtique refrangunt virtutem elementi prædominantis, & adiuuant cætera, ne succumbant: Sic Seraph. Doct. *cit.* & *lib. 4. distinct. 49. part. 2. art. 4. quæst. 1.*

QVÆSTIO VII.

De Raritate, & Densitate.

142. QVIA, vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 17. art. 2. quæst. 2. fund. 2.* nihil est miscibile, nisi sit rarefactibile, & condensabile: hinc hæc materia de rarefactione, & condensatione, cùm sit annexa mixtioni, hîc consequenter à nobis est tractanda, licèt ab aliis alibi, estque fortè inter difficiliores difficilima quæstio: Dari autem rarefactionem, & condensationem certum est, & patet experientia continua in aqua igni exposita, quæ tumescit in olla, & in cæteris rebus. Difficultas est in hac materia, quomodò fiat rarefactio, & condensatio, seu quisnam sit terminus horum motuum: an sit quantitas: an aliquid aliud: cùm enim in rarefactione occupetur maius spatium, videtur, quod ipsius terminus sit quantitas augmentata, & è conuerso in condensatione quantitas diminuta: & ex aduerso cùm non adsit noua generatio substantiæ, nec etiam videtur interuenire noua acquisitio quantitatis. Hinc

PRIMA opinio fuit Antiquorum ante Aristot. qui in rarefactione admittebant vacuitates, ipsasque in condensatione repleri asserebant

SECVNDA opinio est Plurium Antiquorum, & Recentiorum sustinentium in rarefactione acquiri no-

Digitized by Google

uam quantitatem, & qualitatem, in condensatione deperdi: Ita Caiet. Tolet. Faber, Plurésque Scotistæ apud Meldul. *disput.* 4. *num.* 19. & *num.* 31. *quæst.* 4.

TERTIA opinio negat omninò vllam substantiam quantitatem, vel qualitatem acquiri, siue deperdi, sed acquiri, & deperdi tantùm nouam extensionem localem: sic communior apud citat. Meldul. & *num.* 41. idque & à Seraph. Doct. asseritur, sed diuerso modo, & ex diuersis principiis ab Authoribus huius sententiæ, vt infrà patebit.

QVARTA opinio sustinet per rarefactionem acquiri nouam substantiam externam tenuiorem replentem vacuitates illius materiæ rarefactæ, & per condensationem fieri expulsionem eorundem corpusculorum: in reliquis posteà conuenit cum tertia opinione: Et hæc est Ocham, & Nomin. Vallesij, Bassonij, Arriag. *disp.* 16. *Phys. sect.* 10. *subsec.* 2. Maïron. *lib.* 4. *disp.* 12. *q.* 15. Serbellon.

QVINTA opinio est asserentium rarefactionem fieri per extensionem partium quantitatiuarum ab aliis: condensationem per penetrationem earundem partium: sic Guatin. hìc *exp.* 2. Aliique, quos suppresso nomine citat. Meldul. *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 1. & hanc esse opinionem Seraph. Doct. existimo germanam, vt infrà patebit. Quare

PRIMÒ Notandum est, quod tota difficultas in hac materia reducitur ad hæc capita: Primum, in quo consistat ratio formalis densitatis, & raritatis, scilicet an in qualitate quadam quantitati inhærente, ratione cuius quantitas contrahitur, vel extenditur ad maius, vel minus spatium: In hac qualitate communiter Recentiores recognoscunt rationem rarefactionis, & condensationis: Vnde aliud est ipsa qualitas, quæ est radix dilatationis, & extensionis localis, aliud est ipsa quantitas, aliudque ipsa dilatatio, seu motus localis, ex vi cuius producitur præsentia, secundùm quam corpus occupat maius, vel minus spatium: Secunda difficultas est, quomodò eadem quantitas cum eisdem numero partibus possit modò plures, & posteà pauciores spatij partes occupare sine penetratione, siue sine locatione bina ipsarum inter se: & hæc est difficultas maxima, quam insuperabilem appellat Hurtadus *sect.* 5. *disp.* 4. §. 45. Tertia est, quia videtur non posse saluari vacuum, cùm fit rarefactio.

143. SECVNDÒ Notandum, & supponendum ex traditis in Phys. ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *Phys. tract.* 2. *quæst.* 11. In materia adesse dimensiones interminatas: quantitas interminata, quæ est coëua materiæ corporeæ, & ab ipsa naturaliter inseparabilis, est de se quid incompletum, quæ licèt habeat aliquam imperfectam terminationem: tamen adhuc est capax nouarum terminationum, figurarum, & nouæ completionis, quæ licèt non mutent essentialiter quantitatem ipsam: mutant tamen accidentaliter, vt patet in globo ceræ, & in Embrione, quem exempli causa affert S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 12. *quæst.* 3. quare potest stare immutata quantitas essentialiter, & simul subiecta variis terminationibus, vt euenit in rarefactione.

TERTIÒ Notandum ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *in improbat.* 3. *opin.* & *lib.* 2. *distinct.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 5. &

Digitized by Google

& *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. quod aliquid fieri maius, seu crescere potest dupliciter: primò per additionem: secundò per rarefactionem: primo modo fit addendo aliud quantum priori quanto per appositionem, seu iuxtapositionem nouæ substantiæ, & quantitatis simul: vt in nutritione, & in augmento substantiali rei materialis: secundo modo per rarefactionem fit aliquid maius nullo de nouo substantiali, seu quanto addito: idque potest fieri duobus adhuc modis: Primo per augmentum ex vna parte, & decrementum ex alia, seu per acquisitionem nouæ terminationis cum deperdirione alterius terminationis, vt si per longitudinem aliquid crescat, & per crassitiem decrescat: Secundo cum augmento secundùm omnem partem, idque fit in rarefactione per maiorem explicationem partium priùs penetratarum, & in condensatione per maiorem penetrationem earundem partium: Vt autem id intelligatur

144. QVARTÒ Notandum, quod, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 6. *q.* 1. *ad* 1. & 2. & *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1 *in corp.* & *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. raritas alia est disponens ad patiendum, alia ad agendum: sic aqua habet aliquam imperfectam raritatem actiuam, qua penetrat totam terram imperfectè, & terra habet aliquam raritatem passiuam, & receptiuam aquæ: aër habet raritatem vtramque, sicut aqua, & ignis habet tantùm raritatem actiuam, cùm sit in summo rarus: & hæc raritas tam actiua, quàm passiua est ratio, quare naturaliter fit penetratio mutua elementorum, ad hoc vt sint materia disposita ad formam mixti.

ET hinc rarefactio, licèt disponat ad penetrationem, vt dictum est, fit tamen in eodem corpore per explicationem, & dilatationem maiorem partium priùs intra se penetratarum respectu maioris loci, quatenùs illa quantitas recipit nouam, & maiorem extensionem, & terminationem: Condensatio verò è contra fit per penetrationem earundem partium, quatenùs scilicet eadem quantitas deperdit priorem dilatationem, & terminationem, nouamque acquirit se restringendo ad minorem locum, ad quod concurrit virtus passiua, & actiua illius substantiæ, quæ condensatur, quæ à S.D. appellatur rarefactiua, licèt magis propriè diceretur potentia passiua, & actiua substantiæ quantæ: His positis

PRIMA CONCLVSIO: In rarefactione non acquiritur, & in condensatione non deperditur noua quantitas. Est S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 17. *citat.* & *lib.* 2. *distinct.* 30. *citat.*

145. PROBATVR hac ratione Seraph. Doct. Non producitur quantitas sine substantia, sed in rarefactione non producitur noua substantia: ergo nec noua quantitas: Item in Condensatione non deperditur substantia: ergo nec quantitas: Maior est certa: Minor admittitur ab omnibus, solùm enim per generationem producitur substantia, qualis non est actio rarefactiua, & per corruptionem deperditur substantia.

RESPONDENT acquiri, & deperdi non totam, sed partem quantitatis in priori materia, quæ remanet.

CONTRA

Contra: ergo datur penetratio naturalis duarum quantitatum, quam ipsi Aduersarij tantùm abhorrent: Penetratio enim est intima præsentia vnius quantitatis cum alia in eadem materia, & in eodem loco, sed in rarefactione acquiritur noua quantitas in eadem materia iam quantificata: ergo vel datur penetratio, vel quantitas præcedens se retrahit, vt cedat locum nouæ aduenienti: Primum non admittunt: Secundum non possunt admittere, quia sequeretur discontinuatio ipsarum quantitatum, & quod accidens migraret de subiecto in subiectum.

Probatvr secundò: In toto corpore rarefacto, & extensiori eadem accidentia reperiuntur, quæ anteà verbi gratiâ, vinum cum eodem colore, sapore, &c. ergo est eadem quantitas ac prior.

Probatvr consequentia; nam si sunt eadem accidentia, non possunt habere diuersum subiectum, alioquin transirent de subiecto in subiectum: nec potest dici esse eadem specie, & diuersa numero, quia agens rarefaciens virtualiter ea non continet, verbi gratiâ, ignis rarefaciens aquam non continet eius humiditatem, & Sol rarefaciens vinum dulce, & vinum amarum non potest in vno producere dulcedinem, in altero amaritudinem, & colorem diuersum: ergo cùm non adsit agens ea producens, dicendum est esse eadem accidentia numero.

Confirmatvr in Sacramento Eucharistiæ. Tum quia sequeretur Christum vel non esse sub noua quantitate in speciebus rarefactis, & deperdere suam præsentiam in condensatis, vel illam posse produci absque subiecto ab agente naturali, sicque produceretur per creationem, & aboleretur per annihilationem, quia id fieret absque dependentia à subiecto, quæ omnia sunt absurda, nec admittuntur ab Aduersariis.

146. Secvnda Conclvsio: Rarefactio non fit per acquisitionem substantiæ extraneæ, siue corpusculorum intromissionem intra poros, vel partes fluidas: & Condensatio non fit per deperditionem substantiæ extraneæ, siue per euaporationem talium corpusculorum: Est contra Ocham *op. de Eucharist.* Gabriel. *in Can. lib.* 45. Valles. 4. *Phys. t.* 48. *& contr.* 27. Bassonium, Arriag. *disp.* 16. *Phys. sect.* 10. *subsec.* 2. Ovied. *contr.* 7. *part.* 5. *de gen.* Serbellon. *disput.* 2. *de gen. quæst.* 2. *art.* 7. & Plures Alios: Est tamen Seraph. Doct. *citat.* Scoti apud Meldul. *disp.* 4. *num.* 8. & communiter Aliorum.

Hic tamen adnota, quòd multiplex est acceptio rari, & densi: aliquando sumitur rarum pro corpore laxo, & fluido, ac veluti inconstanti: interdum pro corpore poroso: vt communiter sumitur ab Aduersariis præcipuè ab Arriaga: tertiò pro corpore non spissè contexto, vt est in panno raro: quartò pro corpore rimoso, vt est ædificium rimis contextum: & in his cadit deceptio Multorum (ait Meldula) quintò pro raro, & denso in rigore Philosophico sumpto: Vnde loquendo de rarefactione impropria certum est aliquando in rarefactione ingredi aliqua corpuscula, vt patet in spongia, quia in tali casu non est idem corpus, quod occupet maiorem locum, sed sunt plura corpora: rarefactio enim est per omnes partes etiam minimas in eadem materia, & quantitate, quæ comparata ad totum spatium

tium, quod occupat, est parua: Vnde sic definitur rarum ab Aristotele, *quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ, seu quantitatis:* è contra densum est, *quod sub paruis dimensionibus multum habet materiæ:* Hinc


PROBATVR primò ratione Theologica allata à Scoto apud Meldul. quia si rarefactio fieret per introductionem corpusculorum, in vino consecrato aduenirent noua corpuscula: sicque Christus non esset ibi vbique, & in condensatione deperderetur substantia consecrata: tuncque deberet Sacerdos satagere, vt illa captaret, ac in sacrario reponeret, quod est ridiculum.

PROBATVR secundò ratione Physica, quia sequeretur, quod nulla substantia corporea posset ex se rarefieri, & condensari, sed hoc inoluit contradictionem, & patet, quia manifestè est contra Philosophicam doctrinam, & experientiam.

PROBATVR sequela, quia rarefactio formaliter consistit secundùm Aduersarios in intromissione corpusculorum, & condensatio in euaporatione eorundem, sed ista corpuscula sunt diuersæ rationis, nec pertinent ad materiam rarefactam: ergo talis materia secundùm se non est capax talis alterationis, sed tantùm receptionis istorum corpusculorum diuersæ rationis, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

PROBATVR, quia de se patet talem materiam, verbi gratiâ, aquam esse capacem calefactionis, & frigefactionis, quæ sunt causæ talium alterationum: ergo. Tum quia in corpore rarefacto per totum sentiuntur eadem accidentia: at si aduenirent noua corpuscula, haberent propria accidentia, quæ sentiri deberent, idque maximè in corpore valdè raro, vt est ignis, sed non sentiuntur: ergo. Tum quia deberent esse tenuiora talia corpuscula ipso corpore, sed id est impossibile in aliquibus, vt in igne, qui est omnium elementorum rarissimus. Tum quia ab igne tandem consumerentur. Tum quia multa sunt corpora non porosa, obnoxia tamen rarefactioni, & condensationi, vt euenit in cœlis, vt egregiè, & subtiliter docet Sanctus Bonauentura Seraphicæ Religionis splendor *lib. 2. distinct. 14. citat.* Tum quia multa corpora sunt, quæ rarefacta occupant duplo, & triplo plùs loci, ac priùs occupabant, sed in dato casu in maiori quantitate essent corpuscula interposita, quàm corpus rarum: in quo casu totum, quod priùs erat, variaretur in accidentibus, verbi gratiâ, vinum deperderet suam rubedinem, vt euenit, dum miscetur cum aqua, quod tamen experientia est falsum: ergo. Tum quia si condensatio fieret per extractionem corpusculorum, res condensata fieret leuior: non enim potest dici illa corpuscula non ponderare maximè multiplicata, sed id est contra experientiam: ergo. Tum quia variis experientiis id apparet falsum, quæ sunt adductæ à Meldul. *citat.* præcipuéque in Termoscopio, in quo aqua ascendit vsque ad certam partem cannulæ vitreæ relictâ superiori parte cannulæ aëre plena: si ipsi applicetur calor, tunc aër rarefit, qui exigens maiorem locum

comprimit aquam deorsum: in quo casu vnde venient corpuscula ad re-



Aspice (germane Lector) & totum in hac Figura tibi apparebit.

plendas vacuitates corporis rari, cùm sit illa cannula ex omni parte obturata? Eadem experientia habetur in cucurbitulis, seu ventosis, vt ait S. Bonauent. *Serm.* 1. *de S. Marco*, quando ignis intra illas accensus extinguitur, & in aërem vertitur, qui aër, quia est densior igne, minorem exigit locum, tunc ad se attrahunt carnem, ne detur vacuum: at si aër poros haberet repletos corpusculis, non esset opus eleuari carnem: Arriaga hîc stupiditatis insimulat omnes Authores, quod non considerarint hactenùs suum errorem, quem ipse solus aduertit, nempè carnem non eleuari ad replendum vacuum: (id enim deberet fieri in instanti, & tamen solùm euenit successiuè) nec quia aër minorem locum occupet, quàm ignis, sed quia aperti sunt pori carnis, & intra illos inrroducitur aër paulatim, & sic caro repleta aëre paulatim ascendit ad replendum locum relictum ab aëre: At mirum est, quomodò Arriaga solus inter omnes sapiat contra patentem experientiam, patet enim ad sensum attrahi sanguinem ad cutem, & ad poros carnis, sed quia aër condensatur paulatim, etiam paulatim, & successiuè attrahitur caro, & sanguis, licèt in principio in instanti fiat aliqua attractio, & eleuatio: Sed videatur Meldul. *citat.* qui plura fusè, & ex more suo doctissimè affert pro hac opinione firmanda.

147. TERTIA CONCLVSIO: Rarefactio formaliter fit per maiorem explicationem quantitatiuarum partium in ordine ad locum: Condensatio per restrictionem, seu penetrationem earundem partium in ordine ad locum: Est Fernelij, Verulani, P. Valeriani nostri, & conformis principiis Seraph. Doct. supra

prà traditis, & *in quæst. antecedent.* item & Guarin. *disputat. de rarefact. exp.* 2. *Concl.* 4. & ex parte etiam Bagatæ *disput.* 2. *sect.* 6.

Probatvr primò pluribus experientiis allatis à *cit.* Authoribus, vt in pane, qui vino iniectus illud absorbet, & cyathum plenum in minorem quantitatem contrahit: lignum fit quandoque marmor tricies, vel quater ponderosius, in quo casu humor lapidificus vel poros intrauit, vel penetrauit, cùm in quantitate lignum non creuerit, si poros intrauit: ergo lignum habuit plures poros, quàm partes tricies, quod est improbabile: ergo dicendum est penetrasse in quantitatem ligneam: ergo in tali casu condensationis datur penetratio: Videatur *citat.* Guarinus, qui alias experientias affert, sed quia istis non est multùm fidendum: Ideò

Probatvr primò rationibus: Quando aliqua quantitatiua substantia rarefit: vel partes illius magis distant inter se, vel non: Secundum non potest dici, cùm experientia oppositum dictet, & id fit de ratione rari corporis, ergo distant, ergo vna pars est magis extra aliam, quàm priùs erat, & si prima, & vltima inuicem magis distant, vt verbi gratiâ, quæ priùs per palmum, modò per duos distant, consequenter & intermediæ, sed non possunt distare per discontinuationem, nec per interpositionem vacui, nec alterius substantiæ, vt *in præced. Concl.* probatum est: restat ergo dicere distare per exitum vnius quantitatis ab alia. Idem ex opposito argumentum fit in condensatione, in qua, verbi gratiâ, pars bipalmaris in palmarem restringitur: ergo si partes, quæ geminum palmum occupabant, sub vno latent, sequitur illas priùs dissitas fuisse per poros, & per substantiam alienam, quod est falsum, aut vnam sub alia latere.

Respondet Aresius in condensatione non interuenire penetrationem, sed solùm maiorem constipationem partium, ratione cuius, quando fit rarefactio, partes propinquæ non magis distant, ac anteà secundùm id, quo alteri comparti coniunguntur ratione lateris extrinseci indiuisibilis, sed distant ratione lateris intrinseci, seu partium intrinsecarum, quæ sunt diuisibiles in infinitum, obidque & possunt magis, ac magis dilatari, quæ responsio licèt satis acuta, verè non soluit rationem euidentissimam allatam, sed magis ipsam confirmat: Hinc

Contra primò, & quæro, quid importabat ante constipationem raritas? Partium seiunctionem, an non? non primum, quia erat quid continuum: ergo coniunctionem partium, sed non datur maior, vel minor coniunctio, nisi per penetrationem, & extensionem maiorem partium: ergo.

Contra secundò, & quæro de illa parte, quæ termino illo indiuisibili extrinseco consequitur immediatè: an illa magis distet, an non? Si distat: ergo recurrit argumentum suprà allatum: Si non: ergo non est rarefactio.

Respondet Aresius, & est communis responsio talem partem non esse assignabilem, cùm partes in infinitum sint diuisibiles.

Contra primò: quia, vt probauimus in Physica, quantitas componitur ex partibus finitis, & deter-

Digitized by Google

minatis. Tum quia omnes partes secundùm se verè, & realiter sunt inter se distinctæ, & determinatæ secundùm entitatem, ergo & in particulari quælibet pars ab alia distabit. Tum quia in rarefactione extensio talium partium reali, & vera operatione determinata attingitur, ergo est quid determinatum: ergo per talem infinitatem non soluitur difficultas. Tum quia in illa diuisibilitate, seu in indiuisibilibus non consistit raritas, cùm sit quid in potentia, non actu: ergo consistit in ipsa partium entitate, sed in hac extensione non acquiritur noua substantia, nec quantitas: ergo entitas tota se dilatat: ergo & omnis eius pars se dilatat: ergo vna pars exit ab alia.

PROBATVR secundò: Ponamus fuisse factam aliquam vehementem condensationem, vt si quando ex vaporibus lapis fulmineus constipatur: certum est vapores occupantes, verbi gratiâ, viginti palmos in quartam partem palmi fuisse redactos: tunc quæro; an illa tota materia vaporum in illo lapide abscondatur: fatentur id totum delitescere, id enim pondus demonstrat: ergo etiam fateri oportet partes plures substantiæ minore spatio incompatabiliter fuisse collectas: sicque quod plures partes materiæ paucioribus loci correspondeant; sed id non potest fieri nisi per penetrationem partium: id enim est plura quanta in eodem loco esse: ergo vera Conclusio.

RESPONDET Morandus, concedendo totum de partibus determinatis, negando de indeterminatis, quæ sunt infinitæ: obidque nec plures, nec pauciores sunt in loco, quàm in materia.

CONTRA: quia partes infinitæ illæ, licèt sint diuisibiles in infinitum syncathegorematicè, aliam entitatem tamen non possident, quàm finitam, sed ex Aduersariis, vt infinitæ, sunt æquales, sicut priùs sunt, vt finitæ, non sunt æquales vt priùs: ergo vt finitæ sunt verè compenetratæ actu. Tum quia partes tum finitæ, tum infinitæ pondus efficiunt, & occupant minorem locum: ergo tantæ partes solùm per penetrationem occupabunt locum minorem.

PROBATVR tertiò: Plura indiuisibilia, sicut & plures partes loci occupat quantitas bipalmaris, quàm palmaris, sed ex dictis, quando quantitas palmaris per rarefactionem fit bipalmaris, non illi puncta, & partes eiusdem, vel diuersæ rationis adiunguntur, ergo dicendum est illa indiuisibilia, & partes loci, quæ de nouo occupantur, occupari à punctis, & partibus extractis quantitatiuæ substantiæ, quæ in aliis latebant, erantque cum illis penetrata.

RESPONDENT dilatari per solam diuersam extensionem quoad locum.

CONTRA: Maior extensio quoad locum supponit id, cui adhæreat: est enim modus, immò est ipsa quantitas: Vel ergo, quot sunt partes huius extensionis, tot sunt partes substantiæ extensæ, vel non: Secundum non potest dici, cùm exigat substantiam pro subiecto: ergo primum: ergo maior extensio supponit maiores partes, sed istæ de nouo non acquiruntur: ergo ab aliis extrahi dicendum est, ergo priùs erant penetratæ simul: penetratio enim est positio substantiæ in eodem loco, quæ geminum occupabat locum.

PROBA

Digitized by Google

PROBATVR quartò : Corpus densum magis resistit contrario corpori aduenienti, quàm rarum, vt de se patet, quia difficiliùs scinditur glacies, quàm aqua : sic etiam in densis intensiùs calor producitur, quàm in raris, vt patet in ferro ignito, & in carbone, & palea; sed id non potest euenire à maiori, vel minori vnione inter partes : vnio enim vt talis non est maior, vel minor; neque à quantitate, cùm sit eadem tam in denso, quàm in raro : ergo dicendum est euenire à penetratione aliqua.

PROBATVR consequentia, quia hoc accidens, verbi gratiâ, calor plures partes reperit in eodem spatio in densis, quàm in raris : accidens enim in qualibet parte debet subiectari : ergo si plures partes reperit latentes in vnica parte, in ea etiam debent subiectari per penetrationem.

148. OBIICIES primò : Essentia quantitatis consistit in extensione partium extra partes, sed essentiæ non suscipiunt magis, & minus, ergo per rarefactionem non possunt suscipere maiorem protensionem, & extereitatem partium.

RESPONDETVR ex aliàs traditis de quantitate concedendo maiorem de extensione partium entitatiua per ordinem ad locum, sed præscindendo ab extereitate, & carentia extereitatis partium, sic distinguitur minor : essentia non suscipit magis, & minus secundùm se, & Logicè, seu Metaphysicè, concedo, Physicè, & existentialiter, nego : sic negatur consequentia.

OBIICIES secundò : Vel omnes partes quantitatis se penetrant, vel aliquæ tantùm. Si omnes : ergo quantitas redigitur ad punctum indiuisibile : Si aliquæ tantùm, non est maior ratio de vna, quàm de alia. Tum quia non fieret condensatio secundùm omnes partes, quod est contra Philosophiam.

RESPONDETVR omnes partes quantitatis se penetrare, sed non secundùm se totas, idest vna pars aliam penetrat secundùm sui primam partem, & non secundùm alias, verbi gratiâ, quantitas bipalmaris per condensationem fit palmaris, in quo casu vna pars aliam occupabit per medietatem sui, & non secundùm se totam.

CONTRA instant : ergo poterit quantitas naturaliter redigi in punctum, seu in vltimum indiuisibile : In Physica enim dictum est continuum componi ex minimis indiuisibilibus.

RESPONDETVR negando sequelam, cùm agens naturale sit limitatæ virtutis, & ob id non potest vltra terminum excedentem naturam talis corporis : omnium enim natura constantium certus est terminus magnitudinis & augmenti, & diminutionis in extensione, vt docet S. Doct. *lib.2. dist.30. art.3. q.1. in corp. in improb.3. opin.*

OBIICIES tertiò : Quia sequeretur, quod duo corpora seiuncta naturaliter se penetrare possent : sicque nullum esset miraculum Christum ingressum fuisse ianuis clausis, vel natum de Virgine occlusis virgineis claustris.

RESPONDETVR negando sequelam : Ratio est, quia penetratio naturalis præëxigit vnionem corporum se penetrantium tanquam dispositionem : Penetratio enim est summa vnio, vt patet in materia, &

 forma.

forma, & in compositione mixti facta per penetrationem elementorum: vnde differt naturalis penetratio à miraculosa. Tum quia naturalis non est ad totum vt totum, sed ad partes, & eas minimas: miraculosa verò est ad totum vt totum, illa fit successiuè, ista in instanti, illa est cum vnione, ista sine vnione, vt dictum est suprà *in quæst. antecedent. in resp. ad* 4.

CONTRA: quia hæc positio seipsam destruit: Probatur; nam dictum est suprà virtutem rarefactiuam tollere condensationem, & tribuere penetrationem elementorum: nunc verò dicitur condensationem, quæ est contraria rarefactioni afferre secum penetrationem quantitatum, quæ omnia sunt contraria.

RESPONDETVR negando assumptum: Ad probationem Respondetur, quod, vt dictum est *in* 4. *Notab.* diuersa est penetratio causata à rarefactione ab ista, quæ euenit in condensatione: nam in illa datur vera penetratio corporum quantorum, per quam fit additio quantitatis ad quantitatem, obidque maior dilatatio fit: In condensatione verò, cùm sit motus à rarefactione ad condensationem, obidque & successiuus, fit quidem aliqua penetratio per restrictionem, sed tamen potior ratio huius restrictionis est mutatio terminationis quantitatis, quæ priùs erat dilatata, & nunc fit restricta: Vnde penetratio quidem fit per virtutem actiuam, & passiuam, vt dictum est, quatenùs in corpore se condensante adest aliqua rarefactio, quæ paulatim deperditur, quovsque totaliter ablata terminatur etiam motus condensationis, ob quem quantitas recipit nouam terminationem, vt dictum est.

OBIICIES quartò: In corpore addensato apparent eadem accidentia, figura, colores, quæ in ipso cernebantur, quando erat rarefactum: ergo non confunduntur accidentia adinuicem, & vna pars non obtegit aliam: ergo nec datur penetratio corporum.

CONFIRMATVR hoc exemplo: verbi gratiâ, magnus mons, aut ciuitas, cùm repræsentantur in speculo, tunc species addensantur, cùm cernantur obiecta secundùm omnes partes, & non penetrantur: ergo cùm accidentia in corpore addensato eadem cernantur, dicendum est non penetrari partes, in quibus subiectantur, sed solùm addensari.

RESPONDETVR distinguendo antecedens: apparent eadem accidentia entitatiuè, concedo: eodem modo, nego: nam apparent cum diuersa extensione, & cum maiori intensione, vt experientia patet, aqua enim congelata, & densa est magis frigida, quàm fluida, & rara; butyrum densum magis coloratum, quàm rarum: Saccharum condensatum magis dulce: igitur maior intensio qualitatis, quæ fit per multiplicationem graduum in eadem parte subiecti, indicat gradus illos, (qui priùs erant,) extensos in variis partibus intendi ratione penetrationis eorundem: Exemplum autem allatum iugulat ipsos obiicientes: nam patet ad sensum etiam species se compenetrare, cùm per ipsas non videantur singulæ partes minutissimæ, arbores, & folia existentia in monte, vt priùs.

Ex quibus patet, quàm probabilitatem maiorem habeat hæc nostra opinio, in qua facillimè occurritur ob-

iectio

iectionibus, quas Aduersarij afferunt contra primam, & secundam Conclusionem, & primò contra primam, in qua diximus non acquiri nouam quantitatem in rarefactione: Assertores autem secundæ opinionis

149. Obiiciunt primò: In rarefactione acquiritur noua extensio, sed extensio est quantitas formaliter, fit enim maior, alioquin aër decem pedum diceretur æqualis aëri vnius pedis. Tum etiam quia quantitas decem pedum distinguitur realiter per suas partes, ergo.

Respondetur his, & consimilibus obiectis, in quibus Alij negantes hanc penetrationem valdè laborant, vt videre est apud Meldul. *disput.* 4. fieri maiorem extensionem ratione maioris explicationis partium, quæ priùs erant penetratæ, vt probatum est, &c. sic corruit fundamentum Aduersariorum: Quare rectè diximus Seraph. Doct. admittere rarefactionem, & condensationem consistere in noua extensione, sed non modo, quo ponitur à tertia opinione.

Assertores verò quartæ opinionis obiiciunt contra secundam Conclusionem: Quia si rarefactio non fit per intromissionem corpusculorum, sequitur vel dari vacuum, vel produci nouam quantitatem.

Probatur sequela: quia partes magis distant in rarefactione, quàm priùs: ergo occupant maiorem locum: ergo inter vnam partem, & aliam, quæ priùs extabant, vel datur vacuum, vel introductio alicuius entitatis nouæ.

Respondetur, quod in rarefactione aliquando quantitas, dum crescit ex vna parte, decrescit ex alia (vt dictum est *in Notab.* 2.) Si verò fit extensio per omnem partem: tunc non datur vacuum, nec noua quantitas, nec est necessaria introductio corpusculorum, cùm explicentur partes quantitatis, quæ priùs erant penetratæ: sicque quantitas acquirit nouam terminationem, & extensionem.

150. Quæres: an raritas, & densitas sint qualitates, quæ sint terminus rarefactionis, & condensationis: an vero tantùm sint terminus motus localis ad Situm.

Respondetur Plures Scotistas cum Meldul. *disputat.* 4. *quæst.* 5. asserere esse tantùm nouam extensionem localem situalem: At Seraph. Doct. *suprà citat. lib.* 2. *distinct.* 14. sustinet esse qualitates: quam opinionem sequuntur communiter Thomistæ, Peter. *lib.* 5. *cap.* 8. Conimbric. Complut. Ioan. S. Thom. Ruuius, Suarez *disp.* 42. *sect.* 5. *in Metaphys.* Aliique plurimi etiam Scotistæ apud Meldul. *citat. num.* 31. & 35.

Probatur primò ex Aristot. 7. *Phys.* 11. & 2. *de Anim. cap.* 1. vbi raritatem, & densitatem enumerat inter qualitates tangibiles, atque ipsas esse qualitates causantes grauitatem, & leuitatem, & motum localem, seu extensionem localem. Tum quia, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 14. *cit. in principio* raritas, & densitas causantur à calore, & frigore, ergo per alterationem, sed alteratio est motus ad qualitatem, ergo raritas, & densitas, cùm sint terminus alterationis, sunt qualitates. Tum quia impossibile est eandem quantitatem omninò immutatam extendi magis, vel minus, ergo ad talem mutationem requiritur causa, sed alia

Digitized by Google

alia non potest assignari nisi raritas, & densitas. Tum etiam quia per densitatem acquiritur maior intensio: ergo.

Obiicies cum Meldul. *citat. n.* 42. Tunc intelligitur corpus formaliter rarescere, vel condensari, quando non amplius partes seruant eundem ordinem in ordine ad locum: ergo terminus per se ipsarum est Situs.

Respondetur negando antecedens præcisè, concedendo pro connotato: nam primò est diuersitas partium in ordine ad se; & deinde in ordine ad locum: Sic Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 47. *articul.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3.

151. Quæres secundò; an ex paruo fieri possit aliquod corpus magnum à Deo absque rarefactione, & accessu nouæ materiæ.

Negant D. Thom. Caiet. Capreol. apud Meldul. hîc *num.* 51.

Affirmat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 2. cum maiori parte Theolog. & Interpretum S. Scripturæ.

Probat Seraph. Doct. hanc sententiam ex hoc, quod Deus formauit Euam ex costa viri secundùm rationes seminales remotè, & secundùm causales proximè, idest forma carnis, ossium, &c. quæ inerat in seminario materiæ illius costæ extracta fuit à Deo in vnico instanti absque eo, quod fieret noua creatio materiæ. Idem & dicendum est in multiplicatione panum facta à Christo, &c. quæ sententia habet fundamentum probarionum *in quæst. de semin. materia*, de quo pluries S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vltim.* & *lib.* 2. *distinct.* 30. *artic.* 3. *quæst.* 1. *& aliis locis cit. in dicta quæstione in Phys.* ad quam remitto Lectorem.

Quæres tertiò: Qualiter differant intensio, & extensio qualitatum, & raritas, & densitas.

Respondetur, quod intensio, & extensio est ipsarum qualitatum in ordine ad suos gradus vel in eadem parte, vel in diuersis partibus subiecti: densitas verò, & raritas est in ordine ad ipsas partes penetratas, vel non penetratas per ordinem ad locum tanquam ad vltimatum terminum consequentem.

QVÆSTIO VIII.

An Mixtum possit in se conuertere elementum, vel aliud mixtum, seu an possit producere ex mixto aliud sibi simile: Vbi de corruptione mixti, quomodò fiat, & de conuersione aquæ in vinum.

152. Partem negantem sustinent Licetus, Bonamicus, Dandin. Conimbric. Ioan. de Lugo, Camerar. Aresius, qui nouissimè mordicus sustinet hanc opinionem, & præcipuè vinum non posse in se conuertere aquam: Idem & docet Morandus.

Oppositam sustinent S. Bonau. *infrà citat.* Scotus D. Thom. Suarez *3. part. tom.* 3. *disput.* 45. *sect.* 4. Vasq. *de Eucharist. d.sp.* 178 *num.* 4. communiterque Antiqui, & Recentiores, &c. Pro solutione

Primò Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 48. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* & *distinct.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1.

Digitized by Google

quæst. 1. in corp. quod quadruplex est operatio elementorum in mixto constitutionis, conseruationis, pugnæ, & exterioris impressionis siue actiuæ, siue passiuæ in mixtum: Ex prima oritur constitutio mixti, nempè ex elementis, seu ex materia elementata, & forma mixtionis modo suprà tradito: Ex secunda oritur conseruatio eiusdem mixti, nempè quatenùs sunt simul conciliata elementa, & qualitates in esse refracto, & remisso modo suprà tradito in quæsito laterali quæst. 5. Tertia est pugna, quæ fit hoc modo, quia vnum quodque elementum quærit sui conseruationem, quam & ipsæ nituntur qualitates tanquam administræ, sed alio modo ipsam quærunt actiuæ, alio passiuæ: Actiuæ enim, cùm non possint agere in seipsas, agunt in aliud quærentes imprimere sui similitudinem in passiuas, & in passum à se distinctum: Passiuæ verò id nituntur per adhæsionem sui in materia, & hinc oritur pugna, & concertatio in habentibus materiam cum appetitu interminato (in quo statu non sunt corpora cœlestia, & gloriosa) idque per actionem, & reactionem: hinc ait Seraphicus Doct. lib. 2. distinct. 19. art. 2. quæst. 1. ad 1. & seq. cùm elementa mutuò ad inuicem agant, & patiantur tum in ipsa constitutione, tum post constitutum esse, concurrentibus etiam agentibus extrinsecis, Sole, Stellis, Cœlis, temperie aëris, ciborum qualitate, affectionibus animi, aliisque infinitis huiusmodi, per quæ vnum excedit vel in actione, vel in resistentia, hinc resultat excellens prædominantia, & tandem corruptio.

153. SECVNDÒ Notandum, quod in qualibet actione, & reactione ferè semper debilitatur virtus agentis, nempè quando post victoriam remanet aliquid de passo (quod non euenit, quando parua aqua projicitur in fornacem) tunc enim nihil passi remanet, immò reassumit cum maiori vigore vires ob antiperistasim (vt notat Seraph. Doct. lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 2 quæst. 1. ad argument. & Serm. 3. de plur. Martyr.) sed quando aliquid remanet de passo reagente: tunc vel totaliter, vel partialiter impedit actionem agentis, vt euenit aliquando in humoribus generatis in stomacho, qui vel suffocant calorem naturalem, vel impediunt, ne calor naturalis reassumat suas pristinas vires: Idque euenit & in viuentibus, & in non viuentibus, vt docet S. Bonauent. lib. 2. distinct. 30. artic. 3. quæst. 2. & lib. 4. distinct. 47. art. 2. quæst. 2. ad 3. Nam in viuentibus conuertitur alimentum in substantiam aliti, scilicet in partem, seu carnem secundùm materiam, non secundùm speciem, seu formam: Differunt autem istæ duæ partes, quod caro secundùm formam est per actionem generantis de constitutione prima, & essentiali viuentis, continens humidum, seu substantiam radicalem: caro secundùm materiam est, quæ recipitur, & superadditur per nutritionem per virtutem existentem in carne secundùm formam: hæcque caro secundùm materiam habet plus de materiali, quàm de formali, idest fluit, & refluit, & etiam deperditur per actionem caloris naturalis, & cùm in tali augmento concurrant actio, & repassio cum reactione, illa prima vis naturalis debilitatur, sicque processu temporis ob nimiam debilitationem euenit tandem mors: In non viuentibus verò fit hoc modo, quia

Digitized by Google

in mixtis adest pars pura, & impura, cùm conuersio fiat per rarefactionem, & dilatationem à virtute actiua, tunc fit depuratio, & separatio puri ab impuro, purumque conuertitur, & impurum remanet in suo esse, obidque & debilitatur semper virtus agentis, impediturque partialiter tum ob reactionem passi, tum ob impurum permanens, ne reassumat vires pristinas: Ex quo sequitur, quod nunquam fiat totalis conuersio mixti, & hinc, ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. & *dist.* 11. *part.* 2. *dub.* 5. aqua conuertitur in vinum, cui superadditur in tali conuersione pars secundùm materiam, non secundùm speciem, vel formam, obidque & vinum remanet cum debiliori virtute.

154. Tertiò Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1. *&* 2. & *lib.* 2. *dist.* 19. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. 2. *&* 3. quod cùm cuilibet acquisitiuæ mutationi correspondeat contraria scilicet deperditiua, per consequens & ad mixti generationem debet correspondere sua corruptio: hæc ab Aristot. 4. *Metheor. cap.* 2. ad duas species reducitur, suntque corruptio naturalis, & violenta: Naturalis, seu secundùm influentiam, vt loquitur Seraph. Doct. dicitur putredo, seu marcedo, estque, cùm mixtum resoluitur in sua elementa, ex quibus constat: dicitur enim naturalis, quia resoluitur secundùm leges à natura vniuersali determinatas in sua componentia, oriturque per pugnam ab intrinseco, concurrente etiam agente extrinseco: Violenta oritur ab extrinseco, estque, cùm mixtum non resoluitur in omnia quatuor elementa, sed propter validam actionem vnius elementi totum ferè mixtum conuertitur in illud elementum, nempè ratione excellentis prædominantiæ, vt dictum est *in antecea. Notab* & huius sunt duæ species: prima est combustio: secunda petrificatio: prima ob maximam virtutem caloris: secunda ob actionem frigoris condensantis, vt de quercu dicitur, quæ diu detecta sub aquis in lapidem conuertitur: His positis ponitur

155. Prima Conclvsio: Quando materia non est perfectè satiata, vt est in corporibus Cœlestibus, corruptio fit in mixto ratione prædominantiæ alicuius elementi adiuti ab agente extrinseco, seu per debilitationem alicuius, vel plurium elementorum, & qualitatum suarum: Sic S. Bonauentur. *lib.* 2. *distinct.* 17. *art.* 2. *quæst.* 3. & *lib.* 3. *distinct.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *distinct.* 19. & *lib.* 4. *dist.* 49. *suprà cit.*

Probatvr: Vbi est inæqualitas complexionis, ibi est pugna, & pugna est via ad corruptionem, sed mixta sublunaria habent hanc inæqualitatem, ergo & pugnam, & subiecta sunt corruptioni. Tum quia vbi est inæqualitas mixtionis, & complexionis, ibi nascitur calor elementaris consumens, & vbi est æqualis complexio, ibi est calor Cœlestis conseruans (vt ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 49. *citat. ad* 4.) Tum quia vbi est materia non satiata (ait idem Seraph. Doct. *Serm.* 3. *de Apost.* & *locis alijs citat.*) & interminata in appetitu, ibi est contrarietas qualitatum; & pugna, & per consequens corruptio, sed in mixtis sublunaribus sunt ista: ergo. Tum quia in his est actio, & reactio ordinata ad generationem, & corruptionem. Vnde in Inferno non erit reactio, ideò ibi

Digitized by Google

ibi non erit corruptio: Et hinc dixit Aristot. & notauit Seraph. Doct. *loc. citat.* quod, quæ habent maiorem vim restitiuam, sunt difficiliora ad corrumpi: sic calidum, & humidum faciliùs corrumpuntur, & putrescunt, idque faciliùs in æstate, quàm in hyeme, & frigida, & sicca: nec aliquod mixtum ferè adest in hoc mundo sublunari, quin aliqualiter patiatur.

Obiicies: Vbi est mixtio elementorum, & qualitatum contrariarum, ibi adest radix corruptionis, sed in corporibus gloriosis adest: ergo & radix contrarietatis.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 49. *cit.* vbi est mixtio cum prædominantia alicuius elementi virtuosioris, ibi est pugna, concedo, vbi est mixtio temperata confringens contrarietatem, ibi est pugna, nego, & in hoc sensu nego minorem, & consequentiam.

Contra: Etiam in corporibus gloriosis adest prædominantia alicuius elementi, cùm non adsit in eis temperamentum ad pondus: ergo nulla responsio.

Respondet S. Bonauent. *loc. cit.* quod licèt adsit talis prædominantia, tamen quia ibi est animæ influentis conseruatio, adest & delatio caloris vitalis conseruantis absque calore consumente, hinc & quietatio appetituum.

156. Secunda Conclusio: Mixtum potest in se conuertere aliud mixtum, seu etiam elementum remanente parte impura, & consequenter debilitatione virtutis ipsius primi conuertentis. Est S. Bonauent. *loc. citat.* præcipuè *lib.* 3. *distinct.* 6. & *lib.* 4. *distinct.* 11. *part.* 2. *dub.* 4. & 5.

Probatur: Quia datur excellens prædominantia, & simul repugnantia in multis mixtis, ergo & conuersio alterius mixti, vel elementi in seipsis: ergo. Patet & continua experientia; Magnes, si diutiùs retineat ferrum, illud in se transformat: Plumbum asseruatum in locis humidis, vel in tectis domorum crescit per conuersionem aëris humidi, vel aquei humoris in propriam naturam: Acetum conuertit in se vinum, & aquam: humores in stomacho conuertunt cibum in sibi simile: vinum conuertit in se aquam.

Obiicies primò cum Aresio, & cæteris: Mixta habent qualitates refractas: ergo non possunt vincere aliud mixtum ipsum in se conuertendo.

Respondetur Nos habere experientiam oppositam in nutritione animantium: Vnde argumentum est fallax, quod S. Bonauent. soluit, dicens, quòd licèt sint qualitates refractæ, tamen adest prædominium excellens, quod adiutum à causis extrinsecis potest conuertere in se aliud mixtum.

Obiicies secundò specialiter de vino: Vinum non habet qualitates nec formales, nec virtuales, quibus possit in se conuertere aquam: ergo.

Probatur antecedens primò de qualitatibus formalibus: Vinum est frigidum, & humidum formaliter, sed istæ qualitates sunt consentaneæ aquæ. Et si dicas habere in se calorem. Contra est, quia iste calor non est consumptiuus aquæ, vt patet in aqua calida, quæ ob calorem non consumitur: ergo.

Dices: habet qualitates virtuales.

Contra est, quia istæ qualitates, nisi adiuuentur, & excitentur à formalibus, non agunt in pipare, veneno, & vino, quæ si non excitantur à calore stomachi, non calefaciunt, sed non adsunt qualitates formales contrariæ: ergo.

Confirmatvr, quia vinum per infusionem aquæ debilius euadit, sed natura non tribuit virtutem in detrimentum agentis: ergo nec vino tributa fuit à natura hæc virtus in sui detrimentum.

Respondetvr ex traditis vinum per qualitates suas disponere aquam ad ipsius conuersionem, licèt enim habeat aliquam frigiditatem, attamen eam superat ipsius calor natiuus virtualis, per quem forma substantialis agit, & disponit aquam ad conuersionem: Vnde, vt ait Seraph. Doct. ratione excellentis prædominantiæ vini forma conuertit in se aquam: Nec valet paritas de calore aquæ calefactæ: iste enim est aduentitius, & extrinsecus, at calor vini est intrinsecus, & adiutus à forma eiusdẽ vini, ideò potest disponere ad destructionem aquæ. Et ad id, quod fit vinum debilius: iam patetr esponsio ex doctrina Seraph. Doct. tradita *in 2. Notab.* fit enim debilius tum ratione reactionis: tum ratione partis impuræ, quæ remanet de aqua. Tum quia vinum, quod per conuersionem additur, fit pars secundùm materiam, idest, non habens illam virtutem innatam, quæ inest à sui origine in vino, & hæc est illa pars, quæ attrahitur per spongiam oleo imbutam obturantem vas vini aqua diluti plenum, & inuersum: item si vino diluto aqua repleatur vas factum ex ligno hederæ, exit aqua: item si in dolio congelatio fiat, congelatur aqua, idest illa pars impura, vt suprà dictum est: Vnde rationes Aresij sustinentis aquam in calice positam in vino non conuerti in vinum non cogunt: estque talis opinio contraria sensui SS. PP. & Theologorum; de quo fusè agitur *in lib. 4. Sententiarum.*

QVÆSTIO IX.

De Temperamento Mixtorum.

157. Svpponendvm ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. quæst. vltim.* quod temperamentum est quædam complexio, seu symmetria primarum qualitatum, seu est quædam qualitas media virtualiter continens easdem primas qualitates, de quo infrà, quæ per consequens supponit etiam temperamentum in ipsis elementaribus formis, quatenùs sunt in mixto in esse remisso, hoc temperamentum est duplex, aliud dicitur ad pondus, aliud ad iustitiam: primum est vel in quantitate molis, & virtutis, vel solùm qualitatum secundùm perfectum æquilibrium, ita vt neutra excedat aliam, & dicitur etiam vniforme, secundum est difforme, seu secundùm exigentiam subiecti, in quo vel vna qualitas tantùm excedit, aliæ verò sunt æquales, & dicitur simplex, vel duæ qualitates excedunt reliquis existentibus æqualibus, vel est secundùm omnes qualitates, & dicitur difforme compositum: Hoc supposito.

Qværitvr primò: An hoc temperamentum fit non solùm in qualitatibus, sed etiam in elementis ipsis: Secundò: an contineat formaliter ipsas

ipsas qualitates elementorum, an verò sit quædam secunda qualitas media ex ipsis resultans concomitans ipsam formam mixti: Tertiò, an possit dari temperamentum æqualitatis ad pondus naturaliter: Pro solutione huius triplicis difficultatis

Primò Notandum, quod mixtio potest sumi pro elementorum alteratorum vnione: Secundò pro generatione mixti consequente ipsam vnionem: Alterant enim (ait S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2.) se inuicem modo aliàs dicto, sicque dispositis per virtutes redactas ad esse remissum, & conciliatas educitur forma mixti, ad quam resultat veluti connaturalis proprietas accidentalis virtus quædam, seu qualitas ipsi mixto proportionata, diuersa secundùm diuersitatem formarum mixti, nec tamen ob id potest inferri ipsas qualitates elementares in esse remisso esse in mixto superfluas: nam istæ requiruntur ad operationes proprias elementorum, illa verò ad proprias mixti, & vt etiam efficaciùs possit vti iisdem virtutibus elementaribus. Tum quia mixta, ipsorumque qualitates secundæ à primis quodammodò dependent vel proximè, vel remotè, ac dispositiuè, sicque aliquæ spectant ad sensum tactus, vt molle, durum, graue, leue, lubricum, aridum, asperum, crassum, & tenue, vel ad sensum gustus, vt sapores, vel ad olfactum, vt odores, vel ad auditum, vt sonus, vel ad visum, vt colores, aliæ verò non sunt subiectæ sensibus, vt calor in pipere vino, virtus magnetis, succini, lapidum, herbarum, medicamentorum, & similium: Sic & Tatar. 2. *de gen. q.* 1. Aresf. Aliique. Hinc

158. Respondetvr primæ, & secundæ dubitationi: si temperamentum sumitur latissimè, consistit in harmonia formarum elementarium tanquam ex materiali parte, & in ratione mixti substantialis tanquam ex formali: Si verò magis propriè sumitur, consistit in quadam qualitate secunda resultante, seu emanante ex ipsa forma mixti, & præsupponente ipsas qualitates elementorum in esse refracto.

Prima pars est Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 17. *citat.* vbi semper agens de temperamento collocat etiam ipsas formas elementares in esse remisso.

Secvnda pars deducitur ex principiis Seraphicis, & est Iauelli *Metaphys. lib.* 8. *quæst.* 4. §. *ad vtramque simul respondet*: Gregor. *lib.* 2. *dist* 15. *quæst.* 1. Heruæi, Soncinat. Aliorumque apud Meldul. contra Multos.

Probatvr prima pars: Mixtum materialiter ex traditis continet quatuor elementa in esse remisso eo modo, quo aliàs dictum est *in quæst.* 6. formaliter autem dicit ipsam formam substantialem mixti, sed forma mixti substantialiter informat materiam cum tali remissione, & formarum elementarium, & qualitatum elementatam: Addo, sed forma debet proportionari materiæ tali, vel tali modo dispositæ: ergo & forma mixti debet continere essentialiter tale attempe-ramentum proportionatum: ergo datur etiam in substantia. Tum etiam quia partes mixti in multis maximè in viuentibus sunt diuersæ non solùm numero, sed etiam specie, & in viuentibus vario humore nutriuntur, sed iste appetitus non potest eis inesse nisi ratione alicuius tempera-

 menti

menti substantialis vniuersalis omnibus membris, & partibus. Tum quia differunt in accidentibus: ergo debet assignari eis aliqua forma communis substantialis.

PROBATVR secunda pars: Ad formam substantialem consequitur, seu concomitanter se habent suæ proprietates, & accidentia naturalia: ergo & ad formam mixti, sed forma mixti est tertia forma supra elementares: ergo & qualitas, quæ facit temperamentum accidentale. Tum quia talis forma mixti habet suas operationes: ergo & exigit accidentia tanquam sui administra. Tum quia alteratis illis qualitatibus adhuc seruatur temperamentum, ergo est quid ab illis diuersum. Tum quia cuilibet mixto adest sua propria, & peculiaris virtus exercendi propria munera: Videmus enim piper vinum, & similia mixta habere calorem virtualem: magnetem attrahere ad se ferrum, videmus enim & virtutem in succino, in lapidibus medicamentis: ergo.

OBIICIES: Si datur hæc qualitas, seu temperamentum medium: ergo destruuntur qualitates elementorum: ergo & ipsæ formæ elementorum.

PROBATVR consequentia, quia erunt omninò superfluæ. Tum quia alioquin forma illa accidentalis esset composita ex illis qualitatibus, sed hoc est falsum, cùm formæ accidentales sint simplices, & puræ.

RESPONDETVR negando Consequentiam: Ad probationem negatur vtrumque antecedens: exiguntur enim illæ qualitates à suis formis elementaribus, nec ob id ex illis componitur illa qualitas media, sed emanat à forma mixti. Conclusio ergo est, quod ad temperamentum qualitatum elementarium prærequiritur tanquam fundamentum dispositiuum ad eductionem formæ mixti, ad quod resultat, & concomitans est temperamentum formale qualitatis accidentaliter informantis totum illud mixtum, & afficientis illud: Hæcque qualitas à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. art. 2. quæst. 2.* appellatur lux, calor, spiritus, harmonia, complexio, qualitasque conformis qualitatibus corporis cœlestis influentis ad productionem talis harmoniæ, & temperamenti.

159. QVOAD tertium quæsitum: Respondetur ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. quæst. vltim.* primò, quod temperamentum si sumitur secundùm æqualitatem omnimodam ad pondus, scilicet ratione quantitatis molis, & virtutis, impossibile est, immò inintelligibile est posse dari in mixto.

PROBATVR: Quia elementum, quò plus habet de materia, eò minus habet de specie, & actiuitate, & è contra, certum enim est, quod caliditas est virtuosior, quàm frigiditas, &c. Vnde ad faciendam æqualitatem quantitatis virtutis plus quantitatis exigitur de elemento frigido, quàm de calido: ergo impossibile est, vt elementa actiua, & passiua æquentur in vtraque quantitate.

RESPONDETVR secundò, quod si sumitur secundùm quantitatem solam molis, adhuc est naturaliter impossibile tale temperamentum: nam elementa actiua statim consumerent passiua, vt potiùs esset consumptio, quàm mixtio. Tum quia tale corpus non esset graue, vel leue, motus enim grauis sequitur prædominans quantum ad quantitatem molis,

Digitized by Google

lis, sicque esset contra intentionem naturæ.

Respondetur tertiò, quod si sumitur secundùm æqualitatem ponderis quantitatis virtutis, adhuc est naturaliter impossibile tale temperamentum: Est Seraph. Bonauent. Thomist. & Plurium Aliorum contra Scotum, Aliosque apud Meldul. *disp.7. num.44.*

Probatur primò à Seraph. Doct. Si esset omnimoda æqualitas virtutum, virtus vnius tantùm resisteret, quantùm virtus alterius ageret, sicque nulla daretur actio: est enim à proportione maioris inæqualitatis, sicque non fieret mixtio, siue profundatio, & confractio vsque ad minima.

Respondet Meldul. negando in tali casu non interuenire actionem, quia calor superaret vim restitiuam frigoris, sed quia hæc responsio est contra suppositionem de æqualitate virtutum, assignat aliam dicens, quod operatio esset ante attemperamentum.

Contra: quia siue ante, siue post supponitur æqualitas virtutum in elementis: ergo nullo modo posset dari actio: Vnde quotiescunque interuenit actio, semper debet adesse prædominium alicuius elementi, vt aliàs probauimus, actionem debere procedere ex proportione maioris inæqualitatis: Addimus tamen hanc controuersiam esse potiùs de nomine, cùm ab Aduersariis supponatur semper aliqua inæqualitas, & excessus in vno elemento: Hinc tandem concluditur, quod in quolibet mixto adest temperamentum à iustitia, quæ attenditur à commensuratione miscibilium secundùm proportionem debitam, & exigentiam formæ introducendæ: Et hæc in homine habet latitudinem secundùm varios status; nam in gloria temperamentum à iustitia est perfectum remotum à discordia, & repugnantia siue actu, siue potentia, in statu innocentiæ erat remotum à discordia actu, non potentia, actu inquam per adiutorium intrinsecum animæ gubernantis, & extrinsecum alimenti nutrientis: At in statu miseriæ est subiectum discordiæ & potentia, & actu, & necessariò ob causas in superioribus allatas: Est igitur in omni temperamento prædominium illius elementi, quod minùs refrangitur in qualitatibus: hinc in ligno prædominatur terra, quia frigiditas, & siccitas magis viget: In vino aqua, & sic de aliis, &c. Et in viuentibus (ait Seraph. Doct. *loc. cit.* & *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 1. art. 2.*) quod quantùm ad quantitatem molis debent prædominari elementa passiua, scilicet terra, & aqua: quantùm ad quantitatem virtutis elementa actiua, scilicet ignis, & aër; de qua materia agetur in libris de anima.

Quæres: quot sint combinationes temperamenti difformis scilicet à iustitia.

Respondetur ex traditis, quod duplex est temperamentum, aliud simplex, aliud compositum, temperamentum simplex est quadruplex: Primum temperamentum enim est, in quo calor prædominatur frigori: humiditas autem, & siccitas sunt æquales in gradu: Secundum, in quo frigus excedit: Tertium, in quo humiditas sola: Quartum, in quo siccitas superat. Temperamentum verò compositum difforme est etiam quadruplex.

Primum est, in quo dominatur calor,

calor, & ficcitas, & dicitur igneum, & hoc (ait S.Bonauent. *lib.2. dist.14. p.2. art.2. quæst. 3.*) reddit hominem iracundum, seu colericum.

SECVNDVM, in quo dominatur calor, & humidum, & dicitur aëreum, redditque hominem sanguineum, & benignum.

TERTIVM, in quo dominatur frigidum, & humidum, & dicitur aqueum, redditque hominem flegmaticum, & pigrum.

QVARTVM, in quo dominatur siccum, & frigidum, & dicitur terreum, & facit hominem malenconicum, & liuidum.



TRACTATVS V.


De Mixtis imperfectis, seu de Metheoris.

POST considerationem de elementis, eorum mixtione, & mixtorum perfectorum generatione agit Arist. vltimo loco de generatione quorundam mixtorum imperfectorum ex elementis, quæ metheora vocat, & hoc per quatuor libros communiter dictos metheororum, idest sublimium, nempè de rebus, quæ in parte sublimiori mundi generantur, qua occasione pertractat etiam de mixtis imperfectis, quæ in inferiori parte generantur: hinc in quatuor principales quæstiones diuiditur communiter iste tractatus secundùm numerum elementorum, & Primò de metheoris, quæ respiciunt ignem: Secundò aërem: Tertiò aquam: Quartò terram: Attamen, quia est materia captu facilis, & sufficienter in textu Seraphico fundamenta tradita sunt compendiosè: Remitto Lectorem ad Authores, qui ipsam fusè pertractant: speciatim ad Iauellum, Meldul.&c. inter omnes tamen excellit P. Cabæus Iesuita, qui doctissimè, & fusè super omnia metheora discurrit.

ET hæc de Generatione, & Corruptione ad laudem Dei, Beatissimæ Virginis, Seraph. PP. Francisci, & Bonauenturæ.

INDEX

Digitized by Google



INDEX
RERVM NOTABILIVM DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

Ad mentem S. Bonauenturæ Seraphici Doctoris.

Prior numerus numerum marginalem significat, posterior verò Paginam denotat.

Corruptio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Extenſio.

F

Forma.

Frigus.

G

Generatio.

Digitized by Google

Motus.

P

Pars.

Paruitas.

Penetratio.

Præteritum.

Proportio.

Q

Qualitas.

Digitized by Google

Quantitas.

R

Raritas.

Rarefactio.

Reactio.

Remissio.

Resistentia.

S

Similitudo.

Successio.


Temperamen.

Digitized by Google



IN

Digitized by Google



IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA AD MENTEM SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTVRÆ.

1. HVCVSQVE animus noster extra se diu versatus est, nunc ordo doctrinæ postulat, vt ad propriæ naturæ cognitionem reuocetur: id enim peculiare est priuilegium animæ nostræ (ait S. Bonauentura) posse seipsam cognoscere. Cùm autem hactenùs disseruerit de ente mobili tum sub vniuersali consideratione in libris Physicorum, tum sub determinata magis ratione erigendo contemplationem nempè ad suprema corpora, & hinc se demittendo ad cognitionem ipsius entis, vt est subiectum generationi, & corruptioni, & indè secundùm ordinem elementorum ad formam mixtionis: Et quia hæc omnia ordinantur ad animam, in qua est finis (ait Seraph. Doct. *Serm.* 1. *Hexaëm.*) est enim creata in horizonte æternitatis, & temporis: hinc opere pretium erat, vt ad seipsum tandem rediret animus, & propriæ substantiæ dignitatem, facultatem in potentiis, excellentiam in operationibus proprio mentis obtutu intueretur.

Digitized by Google


Opvs quidem hoc ab Arist. compositum verè dignissimum, & miro ordine concinnatum licèt super omnia arduum, quod licèt inscripserit de Anima, attamen quia ipsa est actus corporis organici, non exclusit corpus: Vnde & de corpore animato, provt animæ subordinatur, peculiarem considerationem habet: sub qua ratione & Nos procedemus, sequentes de more nostro vestigia S. D. vt ipso Ductore iter incœptum tandem complere possimus, & peruenire ad optatum Paradisiacum Viridarium Theologiæ Sacræ: Hincque

161. Dividemvs hanc materiam in tres partes: In quorum prima considerabimus animam in communi secundùm se, & provt est prædita potentiis suis, simulque agemus de anima vegetante: In secunda de sentiente, & In tertia de rationali: sicque finem dabimus huic nobilissimæ tractationi. Ne autem in vanum tempus teramus circa superflua.

Primò supponimus dari scientiam de Anima: sic etiam Seraph. Doct. *in Opusc. in Princip. S. Script. & in lib. 2. dist. 1. part. 2. quæst. vltim.* habet enim & proprietates, & principia, & causas, & partes subiectiuas, scilicet animam vegetantem, sentientem, & rationalem, quæ omnia sunt cognoscibilia saltem à posteriori.


Secvndò supponimus obiectum horum librorum esse vel ens mobile animatum, vel ipsam animam: nam ad ista ordinantur omnia, quæ in his libris tractantur: Scio esse discrepantiam inter DD. an sit corpus animatum, an anima vt sic, an ens mobile animatum: Sed in re parui momenti non est, cur immoremur: Aliqui etiam discrepant, an sit de consideratione Physici, an Metaphysici consideratio de Anima, sed vtrumque est verum, spectat namque ad Physicum (ait S. Doct. *Serm. 1. Hexaëm.*) provt est forma, & actus corporis: spectat & ad Metaphysicum, si consideretur secundùm se, & absolutè.

PARS



PARS PRIMA
DE ANIMA.
TRACTATVS PRIMVS.
De Anima in communi.

162 I.  NIMAM esse certum est, cùm cuique notum sit ex propriis operationibus, vnde Arist. non proponit quæstionem de ipsius existentia, sed procedit ad explicandam ipsius essentiam per duplicem definitionem, quod & Nos in sequentibus quæstionibus præstabimus præmittentes de more Textum Seraph. Doctoris.



TEXTVS SERAPHICVS.

§. I.

Anima quoad nomen.

A.  NIMA ex vi nominis dicitur ab à, & æma, ideſt sine sanguine, vel ab à, & nemem, quod est tribuere eo, quod tribuit vitam corpori, vel anima quasi anemos, ideſt ventus, seu spiritus: Dicitur autem anima, quia animat corpus: Dicitur & mens, in quantum recolit: Animus, dum vult: Ratio, dum rectum iudicat: Spiritus, dum spirat, vel quia spiritualem naturam habet: Sensus, dum sentit: Memoria, dum recordatur: Voluntas, dum consentit: Appellatur autem pluribus nominibus, non quia ha-

Digitized by Google

beat multiplicem essentiam, sed multiplicitatem virtutum, & operationum. *Comp. Theol. lib.2. cap.31.*

§. II.

Quid sit Anima.

B. QVIA anima, vt dictum est, habet multiplicem perfectionem, ideò etiam multiplicem definitionem admittit: Hinc, vt est spiritus, definitur, *Substantia incorporea intellectualis illuminationum, quæ sunt à prima, & vltima reuelatione perceptiua*: Provt est anima, idest forma, & vita corporis, definitur, *Substantia incorporea regens corpus: Vel actus primus corporis organici physici potentia vitam habentis*: Provt verò est anima, & spiritus, describitur per ordinem ad creaturas sic, *anima est similitudo omnium*: per ordinem ad corpus sic: *Anima est substantia rationalis regendo corpori accommodata*: per ordinem ad Deum, vt ad suam causam efficientem sic: *Anima est deiforme spiraculum vitæ*: per ordinem ad Deum vt ad finem vltimum sic: *Anima est spiritus intellectualis, & in corpore ad beatitudinem ordinatus. Op. Centil. part.3. sect. 19.*

§. III.

De quo est Anima.

C. ANIMA est ens viuens intelligens, ac libertate vtens non quidem est à seipsa, nec de Diuina natura, sed à Deo per creationem de nihilo in esse deducta, est tamen forma viuens non ex natura extrinseca, sed ex seipsa, non vita mortali, sed perpetua: estque intelligens non solùm creata, sed creatricem essentiam, ad cuius imaginem, & similitudinem facta est: Imago autem nominat conformitatem in quantitate, similitudo conuenientiam in qualitate: Illa dicit configurationem, scilicet figuram, quæ est quantitas in qualitate, & qualitas in quantitate: Ista dicit eandem qualitatem rerum differentium: Illa item dicitur in naturalibus: Ista in gratuitis: Illa item est in potentia cognoscendi: Ista diligendi. *In Centil. part. 3. sect. 24*

§. IV.

§. IV.

De Vita animæ.

D. QVIA anima eſt vita corporis: hinc aliquid dicendum eſt de vita: Vita igitur eſt actus continuus, & immanens ſubſtantiam ſui indiuidui complens, & perficiens ſecundùm ipſius naturam, ſcilicet primariò, & eſſentialiter. *Centil. ibid. & lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 9. *& lib.* 1. *diſt.* 36. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vltim.*

E. VITA autem hîc ſumitur pro actu primo: duplex enim eſt vita, ſcilicet in actu primo, & in actu ſecundo: primo modo dicit ipſam eſſentiam animæ, vt in ratione formæ, non in ratione agentis: ſecundo modo dicit actum conſequentem: Vnde anima ſeipſa immediatè eſt vita informando, & ſimul viuificando. *Lib.* 1. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 1. *diſt.* 36. *cit. & lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 1. *& lib.* 3. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 14. *part.* 2. *dub.* 5. *& diſt.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *dub.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *&* 5.

F. HINC vita, ſeu anima per modum agentis eſt principium vitalium actuum, vt eſt intelligere, qui eſt actus vitæ, ſicut & actus aliarum potentiarum, quæ dicuntur vita, provt continuantur, ſeu identificantur cum anima: ſic actus principales vitæ ſunt vegetatio, ſenſificatio, & intellectio: Hinc & triplex vita, ſcilicet vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, licèt propriiſſimè loquendo vita competat tantùm ſenſitiuis, & rationalibus, ob id & ſacra Scriptura dicit de plantis, quod factæ ſunt in animam virentem: vita enim maximè manifeſtatur in motu, & ſenſu. *Lib.* 1. *diſtinct.* 36. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *ad vltim. & lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *quæſt. vltim. ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 15. *dub.* 1.

G. ACTVS autem vitæ primus eſt vnicus reſpectu totius corporis, non multiplex eo, quod omnia membra continuantur, & reducuntur ad vnum principale membrum in corpore, mediante qua eſt defluxus, motus, & ſenſus ad alia membra, vt patet in corde. Hincque cauſa intrinſeca vitæ eſt ipſa anima: extrinſeca verò, quia eſt à corde, eſt conſiſtentia calidi, & humidi. *Lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 4. *diſtinct.* 44. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim. & Serm.* 1.

Digitized by Google

Hexaëm. & lib.2. distinct. 17. art.2. quæst.2. argum. 1. ad oppos. aliisque locis cit.

§. V.

De Diuisione animæ.

H. TRES autem species tantùm animarum possunt dari, scilicet vegetatiua, sensitiua, & rationalis: Prima est in plantis: secunda in animalibus irrationalibus, & tertia in homine: In omnibus his quælibet nominat substantiam, sed cum hoc discrimine, quod in animalibus vegetatiua nominat potentiam, & in rationalibus vegetatiua, & sensitiua nominat itidem potentias. *Centil. part. 3. sect. 21. & 22. & lib. 2. distinct. 31. art. 1. quæst. 1. ad 5. & 6. & lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 3. quæst. 1. fund. 3. & Comp. Theol. lib. 2. cap. 32.*

I. Ex quibus infertur, quod in quolibet viuente vnica tantùm anima debet assignari: habens tamen multiplicem potentiam: Vnde dicere animam vnam esse in omnibus hominibus est error, & hæresis: obidque est de fide quemlibet hominem habere propriam animam informantem corpus vt formam, & perfectionem, & mouentem ipsum, vt motorem.

ET si obiicias, quòd homo priùs nutritur, & sentit, quàm ratiocinetur, ergo videntur ibi esse tres animæ: Ad hoc respondendum est, quod sensualitas tribus modis potest sumi: Primò, prout dicit dispositionem ex parte carnis ad actum virtutis sensitiuæ: Secundò, prout dicit dispositionem ex parte carnis ad sentiendum cum virtute spirituali mouente, nondum anima carnem perficiente: Tertiò, prout dicit non solùm dispositionem cum virtute mouente, sed etiam habilitatem, quæ inest ex anima perficiente: Primo, & secundo modo sensualitas est non ab anima informante embryonem, sed à generante ratione virtutis, spirituum, & caloris, quæ cum semine deciduntur mouens, regens, & operans dispositiuè vsque ad animæ inductionem: tertio modo est ab anima informante, & per hoc patet animam vnicam esse in viuente. *Lib.2. distinct. 31. art. 1. quæst.1. in corp. & ad 5. & 6. Centil. part.3. sect. 21. & 22. & lib. 3. distinct. 16. art. 2. quæst.1. in corp. & lib.2. dist.18. art.2. quæst.1. & lib.2. distinct.8. part.1. art. 3. quæst.2.*

Digitized by Google

§. VI.

De indiuisibilitate animæ.

K. Et quia celebris est quæstio, an omnis anima sit indiuisibilis: Ad hoc respondendum est, quod forma substantialis est triplex: alia corporalis, quæ perficit corpus, extenditur, & dependet: quia perficit, est tota in toto per informationem: quia extenditur, perfectionem etiam totius communicat partibus, & cuilibet parti: quælibet enim pars ignis est ignis: quia dependet in operari, nec agit per se, ideò & operationem totius communicat partibus; sic quælibet pars ignis non solùm est ignis; sed & comburit, & hæc absque dubio est diuisibilis: Anima verò sensitiua, & vegetatiua perficit totum corpus, obidque est tota in toto: quia non extenditur, ideò perfectionem totius non communicat partibus: pars enim animalis non est animal: quia verò dependet scilicet in operari, ideò operationem totius communicat partibus, sicque qualibet pars sentit, & viuit: Anima verò rationalis perficit corpus, sed nec extenditur, nec dependet: obidque est cæteris perfectior: Ex quibus sequitur, quod omnis anima sit indiuisibilis. *Lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. *& lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *& lib.* 2. *distinct.* 25. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 6. *in corp. & distinct.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. *& lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& lib.* 4. *distinct.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. *in corp. & Itiner. ment. cap.* 2.

L. Svnt enim formæ spirituales, cùm sint immunes à quantitate, & extensione molis, nec subiaceant extensioni, habent tamen suos gradus spiritualitatis, secundùm quod magis, vel minus elongantur ab extensione. *Loc. suprà cit. & lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 3. *& ad* 3. *&* 4. *Itiner. ment. cap.* 2. *& lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1.

M. Differvnt autem istæ animæ, quod rationalis est hoc aliquid, scilicet per se existens, obidque composita ex materia, & forma, cæteræ verò nequaquam, sed sunt puræ formæ simplices. *Lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5.

N. Hinc ergo soluitur quæstio, an anima aliqua sit composita: Ad hoc dicendum, quod sola anima rationalis est composita ex materia, & forma tanquam ex duabus naturis: cæteræ verò nequaquam:

nec

Digitized by Google

nec talis compositio infert imperfectionem: immò infert maximam perfectionem, nempè quod sit per se existens, motorque sufficiens corporis, habetque propriam operationem, quo agit, & quod agit: tum quia est per se susceptibilis contrariorum: tum quia est vita: ergo in ea est aliquid, quo viuit, & quod viuit. *Lib.2. distinct.* 17. *cit.*

O. QVIA anima est forma, & actus corporis, ideò exigit corpus proportionabile, fit autem tale quantum ad æqualem complexionem, & quantum ad pulcherrimam, & multiformem organizationem, & quantum ad staturæ rectitudinem: Vnde infimum spiritus, & supremum corporis sunt vnibilia miro modo: potentiæ enim viuificandi inest animæ respectu corporis complexionis mediis spiritibus vitalibus: Potentia item vegetatiua, & sensitiua respectu multiformis organizationis mediis spiritibus naturalibus, & animalibus: Et quia anima ordinatur ad beatitudinem, hinc indiget corpore sursum erecto, vt attestetur spiritus rectitudini, & ipsius subiectioni: Et hinc partes existentes in corpore dicuntur tripliciter viuere: primò, quia recipiunt influentiam vitæ, suntque partes solidæ: secundò, quia disponunt ad vitam, suntque fluidæ: tertiò, quia ortum, & conservationem habent ab actu vitæ, suntque excrementitiæ. *Centil. part.* 3. *sect.* 25. *& lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. *& lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

P. Ex quibus sequitur, quod cùm dentur in corpore organico plures partes diuersæ rationis, etiam debet in qualibet recognosci propria forma à cæteris diuersa: Ratione enim organizationis sunt diuersæ, licèt ratione complexionis sint vniformes toti, & ob id dispositæ ad idem genus vitæ, & ab vna forma totali perfectibiles: vltra quas formas debet inueniri in corpore vna forma totalis complexionis. *Lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. *& lib.* 2. *distinct.* 26. *art.* 1. *quæst.* 5. *& lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.

§. VII.

De potentiis animæ, & de Vegetatiua.

Q. QVIA in anima debet esse multiplicitas potentiarum: Dicendum est potentias esse substantiales animæ, non tamen omninò idem per essentiam, cùm se habeant per modum egredientis ab anima, nec tamen ita differunt, vt sint alterius generis, sed sunt in eodem

dem

Digitized by Google

dem genere per reductionem, quia per ipsas anima intelligitur habere esse perfectum essentiale, seu substantiale, obidque addunt animæ plusquam potentia materiæ. *Lib. 1. distinct. 3. part. 2. articul. 1. quæst. 3. & lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 2. 3. & 4. & dist. 26. art. 1. quæst. 2.*

R. VEGETATIVA autem in plantis, licèt sit substantia, seu anima, & forma: in brutis tamen, & hominibus est potentia, cuius actus sunt generare, nutrire, & augmentari. *Centil. part. 3. sect. 21. & 22.*

S. GENERATIO autem viuentium fit per decisionem seminis, quod est superfluum alimenti, cum quo deciditur aliqua substantia radicalis ipsius generantis, & virtus eiusdem, quæ concurrit ad organizationem vsque ad animæ inductionem, & attingit geniti formationem. *Lib. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1. & 2. & lib. 4. distinct. 40. art. 1. quæst. 1. & lib. 3. distinct. 3. part. 2. art. 2. quæst. 2. per totam, præcipuè ad vltim.*

T. AN autem solùm Pater actiuè concurrat: dubium est: Ad quod dicendum est, quod vterque Parens actiuè concurrit, sed principaliter Pater: minùs principaliter Mater, quæ etiam dicitur principium passiuum per comparationem ad principalem actiuitatem Patris. *Lib. 3. distinct. 4. art. 3. quæst. 1. & lib. 2. distinct. 20. articul. 1 quæst. 2.*

V. IN nutritione verò, & augmentatione acquiritur noua pars substantiæ corporeæ, quæ dicitur caro secundùm materiam, non secundùm formam: Differunt autem, quod hæc est de prima constitutione viuentis: illa autem nequaquam, sed spectat ad integritatem ipsius. *Lib. 2. distinct. 30. art. 3. quæst. 2. & lib. 4. dist. 12. part. 1. articul. 2. quæst. 2. ad 2. & lib. 4. distinct. 44. part. 1. art. 2. quæst. 1. & Centil. part. 3. sect. 21. & 22.*

NOTATIONES hîc ad Scholium Seraphici Textus non subijciuntur, cùm verba Textus sint satis de se clara, & cùm in quæstionibus sequentibus fusè explicentur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Anima.

163. ARISTOTELES affert, & confutat varios errores Antiquorum circa quidditatem ani-

mæ, quos breuiter perstringit S. Bonauent. *in Comp. Theolog. lib. 2. cap. 30.* Aliqui enim dixerunt esse accidens, nempè harmoniam, & concentum contrariarum qualitatum, quibus componitur animus: sic Empedocles, Galenus: citatur etiam Plato eo, quia dixit animam rationalem esse numerum, seu circulum, sed reuera Plato loquutus est figuratè, cùm enim anima sit supra se reflexiua, per diuersas operationes quasi circulum committit, de quo circulo S. Bonau. *in Breuil. part. 2. cap. 4.* optimè loquitur, sicut Iauellus fusè explicat sensum germanum Platonis. Alij esse tenue quoddam corpus, nempè aliquod ex elementis. Alij lucem. Alij spiritum ex athomis compositum, quæ omnes opiniones iam obsoletæ ab Aristot. refutantur, sed antequam ad assignandam definitionem ab ipso Philosopho traditam deueniamus.

Advertendum est, quod anima, cùm sit substantia habens multiplex munus, perfectionem, & operationem, ideò est etiam capax multiplicis descriptionis, quas omnes assignat S. Bonauent. *in Centil. part. 3. sect. 19.* vt videre est in Textu suprà allato: Sed quia hîc consideratur per ordinem ad corpus, cuius est motrix, & perfectio: vt motrix describitur à Seraph. Doct. Anima *est substantia incorporea regens corpus:* vt perfectio est, definitur duplici definitione ab Aristotele: Quare sit

164. Prima Conclusio: Anima rectè definitur: *Actus primus corporis organici potentia vitam habentis:* Item Anima *est id, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus:* Sic Aristot. quæ duæ definitiones ab omnibus acceptantur, & à Seraph. Doct. *loc. cit.* tanquam bonæ, & rectè traditæ.

165. Probatur, & explicatur: Dicitur (*actus*) loco generis, per quod conuenit cum accidentalibus actibus: Dicitur (*primus*) per quod disconuenit cum actibus secundis, & accidentalibus, sed est principium operationum, & per hanc particulam conuenit cum cæteris formis substantialibus constitutiuis compositorum, à quibus proueniunt omnes actus secundi, siue immanentes, siue transeuntes; sic anima vt actus primus est forma substantialis corpus informans: Et hinc (ait Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 3. quæst. 1.*) est pars substantialis speciei humanæ physicæ, immò & ipsa est quodammodò species, licèt incompleta: Dicitur (*corporis organici*) Hîc disquirunt Philosophi, quid intelligatur nomine corporis organici, an sola materia cum accidentalibus formis, an compositum, quod coalescit ex vnione animæ cum materia, an corpus compositum ex materia, & forma corporeitatis: Negantes formam corporeitatis intelligunt materiam cum dispositionibus accidentalibus; sicque per hanc particulam anima non differt à cæteris formis substantialibus: Sic plures Authores apud Conimbric. hîc: Alij & sunt Thomistæ apud Ioan. à S. Thom. hîc, & Complut. intelligunt non materiam nudam, sed formatam gradu corporeitatis non quidem tributo ab alia forma, sed ab ipsa anima, quæ tribuit ipsi materiæ plures gradus, nempè primò gradum organizationis, & posterius natura vitam, quæ expositio verè patitur graues difficultates: nam per hoc anima non distingueretur à cæteris formis corporeis,

poreis, quæ tribuunt esse corporeum animæ, & vltra illud etiam aliud vltimatum esse, provt notauimus in Physica: Scotus cum suis intelligit de materia informata forma corporeitatis: Nos cum Seraph. Doct. ex traditis in Physica dicimus intelligi debere nomine corporis materiam informatam forma propria corporeitatis, & per ly *(organici)* idem corpus informatum forma complexionis, & organizationis: sunt enim effectus formales diuersi exigentes diuersas formas substantiales: Vide *lib. 1. Phys. tract. 4. quæst. 3.* & infra etiam de hac materia redibit sermo: Dicitur *(potentia vitam habentis)* vt intelligatur hæc vltima particula: aduerte duplicem vitam dari substantialem, & accidentalem: Prima est à principio substantiali, à quo est actus primus vitæ: Secunda consistit in operatione aliqua vitali, quæ supponit principium substantiale vitale: In hac definitione sumitur vita in eo sensu, quo anima est actus corporis, & consequenter & ipsum corpus est in potentia ad animam, ergo est in potentia ad vitam substantialem, vt anima possit esse actus primus in illo.

Ex quibus sequitur, quod si corpus est in potentia ad actum primum vitæ, debet esse proximè dispositum ad talem vitam: Dispositione inquam in ratione substantiali per formas subordinatas, & in ratione accidentali per temperamentum primarum qualitatum, quod tradit acutè Seraph. Doct. *in Breuil. part. 2. cap. 4. & lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1. & part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. alijsque locis pluribus.*

Secvnda Definitio patet ex traditis: Anima *est, quo viuimus, &c.* per hanc enim explicatur natura animæ suprà definitæ per ordinem ad operationes vitales, quarum est actus primus, & substantialis.

Dices: Definitio per additamentum competit solùm accidentibus, sed definitio prima est per additamentum scilicet per ordinem ad subiectum, quod informat: ergo vel est malè tradita, vel anima erit accidens.

Confirmatvr ex Ovied. hîc, quia organizatio corporis non exigitur ab anima secundùm suam primariam rationem essentialem, sed tantùm per ordinem ad operationes: obidque talis exigentia est à potentiis, non ab ipsa anima: ergo non definitur anima secundùm suum conceptum metaphysicum essentialem.

Respondetvr ex Seraph. Doct. quod cùm nomen animæ sit potiùs officij, quàm naturæ: Sic *in Serm. 1, de S. Agnete:* ideò anima potest considerari secundùm se, & Metaphysicè, sicque est substantia incorporea, sed provt est anima, & forma, cùm radicaliter dicat vnibilitatem ad corpus, & cùm sit corporis perfectio substantialis, sic definiri debet per ordinem ad corpus, quod non est alterius prædicamenti: hinc non est hæc definitio data per additamentum: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 3. quæst. 1. & 2. in corp. & ad 1. & aliis locis cit.*

Ad illud Oviedi Respondetur negando antecedens, licèt enim essentia præcedat potentias, non præcedit tamen ordo ad ipsas, cùm talis ordo sit transcendentalis essentialiter inclusus in essentia animæ, & consideratæ in actu primo: Sed ad maiorem, & clariorem intelligen-

tiam quidditatis animæ, cùm ipsa sit vita corporis: hinc proponitur sequens quæstio valdè necessaria, & vtilis de vita.

QVÆSTIO II.

Quid sit vita, & quænam sit ipsius ratio formalis.

166. DICTVM est suprà animã esse actum tribuentem vitã corpori, obidque & in ipsa esse rationem formalem vitæ: Hinc quæritur, in quonam consistat hæc ratio formalis vitæ, seu an ipsa sit viuens, animatumque per ipsam viuat: Sed quia Angeli etiam viuunt, & ipse Deus, qui tamen non habent animam: hinc ratio vitæ est quid superius ad eandem animam: Communiter autem recognoscitur ratio vitæ in motu, seu actione immanente, sed tamen hæc positio indiget expositione: Hinc

PRIMÒ Notandum ex S.Bonauent. *lib.* 1.*dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 1. & 2. & *lib.* 3. *dist.* 27. *art.*1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *lib.*4. *dist.*14. *part.*2. *dub.* 5. & *dist.* 49. *part.* 1. *art.*1. *quæst.*4. *ad* 1. & *lib.*1. *distinct.* 36. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. quod vita potest sumi pro actu primo, & pro actu secundo: Primo modo est ipsa anima, quatenùs seipsa est vita, seu viuens, & quatenùs potest viuificare corpus, & exire in actus vitales: Secundo modo est, quatenùs actu viuificat, vel exit in actus vitales: Primo modo est perfectio simpliciter simplex, & melior ipsa in quocunque subiecto, quàm non ipsa, quia importat principium intrinsecum se perficiendi per actiones vitales, quæ perfectio differenter inest in Deo, in Angelis, & in Animabus: nam in Deo est sine vllo motu per actionem, quæ est eius substantia, influitque vitam in aliis vt causa efficiens: In Angelis verò est vita, ita quod non possunt aliis communicare vitam per modum causæ efficientis: est enim perfectio soli Deo propria: In cæteris verò creaturis est ita vita, quod possunt aliis conferre vitam, sed per modum informationis: idque est actus perfectionis cum imperfectione admixta, & hoc est proprium animæ: Sic Seraph. Doct. *lib.*2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5.

SECVNDÒ Notandum, quod cùm vita sit actus immanens, ad rationem vitæ non satis est quæcunque actio immanens: nam etiam aqua se infrigidat per actum immanentem, & grauia tendunt deorsum: Vnde duplex actio immanens, alia est ad terminum per accidens immanentem, qui scilicet ita habetur à tali causa, quod posset etiam haberi ab alia causa, vt verbi gratiâ, aqua calefacta si refrigeretur redeundo ad suum innatum frigus, illud frigus est per actum immanentem à propria forma: posset tamen haberi ab alia causa, & si produceretur ab alia causa, esset tamen eiusdem speciei cum illo frigore, quod à propria forma producitur: Alia est actio immanens per se, cùm ab alio principio non potest haberi nisi à proprio, & hæc vel est per simplicem emanationem, quomodò potentiæ immediatè emanant ab essentia, vel est mediante aliquo principio præter principale, & hoc vel ex parte potentiæ, vel ex parte obiecti, vt sunt omnes actiones

Digitized by Google

nes vitales, quæ à potentiis eliciuntur, ſupponunt enim vel organum tanquam comprincipium, vel ſpecies receptas in potentia: Prima autem emanatio propriè non eſt actio: Secunda autem eſt, eo quia exigit aliquod extrinſecum in principio actu operante.

167. TERTIÒ Notandum, quod duplex actus à forma aduenit, alter per modum informantis, & vt forma, ſeu actus eſt, alter per modum efficientis, ſicut albedo ſeipſa albificat ſubiectum per informationem, & diſgregat viſum per efficientiam: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 26. art. 1. quæſt. 5. ad 1. & 2.* Idem & de anima dicendum eſt ſuo modo: in ſe enim conſiderata, ſeu ipſum quo eſt, dicitur eſſentia, provt verò eſt actus, quia eſt nobiliſſima inter formas, dat viuere, & id per modum informationis ſeipſam tribuendo immediatè corpori organizato, conſiderata verò per modum agentis ſic exit in actus vitales per potentias, quæ cùm ſint identificatæ cum anima, etiam ipſæ dicuntur viuere, & ob id & valentes exire in actus vitales, *lib. 1. diſtinct. 43. art. 1. quæſt. 1. ad 4. & lib. 3. diſtinct. 27. art. 1. quæſt. 3. ad 3. & lib. 3. diſtinct. 21. art. 2. quæſt. 2. fund. 2. & lib. 2. diſtinct. 1. quæſt. vlt. ad 3. & lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. dub. 2.* Differunt autem formæ non viuentes à viuentibus, quod cùm omnes dent perfectionem entitatiuam ſubiecto, ſimulque operatiuam, non viuentes non ſunt actiuæ propria actione in ordine ad aliquam perfectionem ſibi debitam, recipiunt enim in ſua prima origine omnem perfectionem poſſibilem, & ſi aliquando deturbantur ab ipſa, ſeipſis reducunt ad ipſum per emanationem, vt patet in aqua calefacta, formæ verò viuentes à ſui origine tribuunt viuenti virtutem acquiſitiuam perfectionis ſibi debitæ, & non habitæ in ſui prima productione: In eo autem, quod & ipſæ facultatem habent operandi extrinſecè, non diſtinguuntur à non viuentibus: hæc Serbellon. *diſputat. 1. quæſt. 1. art. 2. num. 17.* Ex quibus ſequitur, quod vitalitas animæ conſiſtit in propria ſua eſſentia, vitalitas corporis conſiſtit in informatione facta ab anima, & vitalitas actuum in eo, quod exeunt à principio efficiente vitali, & intentionaliter tendunt in obiectum: hinc definiuit Seraph. Doct. animam *in Breuil. part. 2. cap. 4. & 9.* tali pacto dicens, quod anima *eſt forma, ens viuens, ſentiens, & intelligens*, per quas operationes diſtinguitur viuens à non viuente: aduerte tamen, quod per ly *viuens* intelligitur vegetans.

168. PRIMA CONCLVSIO: Vita eſt actus continuus intrinſecus, & immanens ſubſtantiam ſui indiuidui complens, & perficiens ſecundùm ipſius naturam, ſcilicet primariò, & eſſentialiter, ſecundariò verò per ordinem ad operationem vitalem ſibi debitam: Eſt S. Bonauent. *loc. citat.* præcipuè *lib. 2. diſt. 8. part. 1. dub. 9. & lib. 1. diſtinct. 36. art. 2. quæſt. 1. ad vlt.*

PROBATVR, & explicatur: Dicitur (*actus*) vt ait Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 43. & lib. 2. diſtinct. 26. cit.*) non per modum actus, mutationis, ſeu operationis, ſeu potentiæ, ſed provt dicit perfectionem ſecundùm ſe entitatiuam: Dicitur (*continuus*,) quia vita eſt actus ſpiritualis, & continuus fluens immediatè ab ente quieto, & ſempiterno, vt ait Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 36.* & per id excluditur

Digitized by Google

cluditur operatio, quæ licèt procedat à natura viua, tamen cessat vt aqua calefacta, dum per suam formam se reducit ad primam naturam frigoris: at vita semper est in actu absque interruptione: Dicitur (*internus, intrinsecus, & immanens,*) vt excludantur actiones transeuntes, immò immanentes etiam præcisè sumptæ: nam vita propriè non est actio, sed est ipsa entitas animæ secundùm se habens intimè hanc perfectionem ex natura sua, per quam dicitur viuere: Dicitur (*indiuidui sui substantiam perficiens*) quia, vt docet Seraphicus Doctor *loc. citat.* non solùm anima est in se sibi vita, sed etiam est vita corporis ratione informationis, secundùm quam & actuat, & simul viuificat, & ei tribuit posse exire in actus vitales, sicut & ipsa per suas potentias potest consimiles operationes producere etiam separata à corpore, & secundùm quas obtinet omnem suam perfectionem, quam non habet necessariò ex vi suæ productionis: & per hoc patet, quænam sit ratio formalis viuentis, per quam distinguitur à non viuente: viuens enim est semper in actu suo actione permanente, quæ ab alio principio non potest esse, si sumatur in actu primo: si verò sumatur in actu secundo quoad actiones vitales, sic eas habet, quod ab alio principio non possint haberi: In qua ratione conueniunt Deus, Angeli, & Viuentia corporea licèt cum aliquali analogia, vt dictum est *in* 1. *Notabil.* Cùm autem per istas conditiones discernantur viuentia à non viuentibus, sequitur esse rectè explicatam dictam definitionem vitæ.

DICES: Grauia, & leuia à seipsis, & ab intrinseco mouentur: ergo erunt viuentia.

169. RESPONDETVR tales motus esse ad terminum extrinsecum, non ad aliquid intrinsecum, & proprium, sicut est actus vitæ. Tum quia ille terminus potest ab illis acquiri virtute extrinseca, quod non euenit in viuentium actionum terminis.

DICES secundò: Deus, & Angelus viuunt, & non per actum informatiuum: ergo malè tradita est illa definitio.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam ibi tradita est definitio de vita animæ, quæ tamen potest adaptari suo modo Deo, & Angelis ablatâ informatione, anima enim est vita corporis per suam informationem, vt notat etiam Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & 5. Angelus habet vitam per actum immanentem, nec ipsam potest corpori communicare: Deus verò habet vitam in se, & illam potest alteri communicare, sed per modum efficientis tantùm.

DICES tertiò: Motus, & Sensus sunt ea, in quibus consistit vita animantium: ergo non est actus immanens suprà positus.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 15. *dub.* 1. & *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. *in argum.* & *lib.* 3. *dist.* 21. *art.* 2. *q.* 2. *fund.* 3. & *in Luc. c.* 7. *vers.* 14. verum esse quoad signum, & manifestationem, non quoad rationem formalem.

SECVNDA CONCLVSIO: Iste actus vitæ est vnicus in quolibet viuente, nec multiplicatur ad multiplicationem partium viuificatarum: Est S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. & *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2.

quæst. 2. ad 1. & Serm. 1. Hexaëm. & lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 5. estque etiam communis.

PROBATVR: Quia cor est principium vitæ, à cuius influentia cætera membra dependent in viuere, cùm sit vnum principium influens, vnica erit vita. Tum quia ex tradendis ex Seraph. Doct. quælibet anima est spiritualis, & tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo. Tum quia vna est anima in quolibet viuente: ergo est vnus actus, quæ omnia tamen in sequentibus meliùs elucidabuntur.

170. TERTIA CONCLVSIO: Vitalitas in actibus est accidentalis.

PROBATVR: quia eis competit, vel quatenùs sunt à potentia vitali, vel quatenùs intentionaliter tendunt in obiectum, sed tales respectus non possunt tribuere vitam essentialiter, & immanenter ipsis: ergo sunt tales accidentaliter.

DICES: Ergo & potentiæ animæ non erunt vitales nisi accidentaliter, consequens est falsum: ergo.

PROBATVR sequela: quia & ipsæ emanant à principio vitali, sicut & actus: ergo.

RESPONDETVR negando consequentiam, & paritatem: nam, vt aduertit Seraph. Doct. lib. 2. dist. 26. art. 1. quæst. 5. ad 1. licèt enim potentiæ sint distinctæ formaliter ab anima: identificantur tamen cum ipsa (vt infrà patebit) & ideò secundùm quod continuantur ipsi substantiæ animæ, ipsis debetur continuus actus viuendi, non sic est de actibus, qui ab anima, & potentiis distinguuntur realiter, nec debentur ipsi viuenti vi suæ generationis, sicuti debentur potentiæ.

QVÆRES: quæ sit causa vitæ.

RESPONDETVR, quod causa intrinseca est ipsa anima, quæ per modum informationis dat vitam corpori, causa extrinseca est consistentia, seu proportio humidi innati cum calore naturali: Sic S. Bonau. lib. 2. distinct. 17. quæst. vltim. arg. 1. ad oppos. & lib. 2. distinct. 8. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 4. & 5. aliisque loc. citat.

VT autem id rectè intelligatur, sciendum est, quod, cùm sit continua pugna inter humidum radicale, & calorem innatum, semper etiam fit deperditio partis huius humidi: prouidit enim natura, vt humor alimentitius expressus ex cibo subsidium conferat, illud refocilando, & cùm calor agendo repatiatur, vt reficiatur natura, cordi calorem igneum adiunxit, quo sanguinem à iecore transfusum plenè decoqueret, ac in vitales spiritus conuerteret, quorum ductu, & vehiculo calor in omnia membra diffunderet, eaque fouens ad omnia munia exercenda excitaret, roboraret, & firmaret: Vnde hæpar vi caloris è corde emanantis sanguinis opificium perficit: Cerebrum mutuatis spiritibus vitalibus à corde naturali frigiditate modum imponit, & ad animales operationes idoneum euadit: hincque cor dicitur fons vitæ: Cùm autem hæc omnia proueniant à causa extrinseca, recognoscendum est principium vitæ ab anima, eiusque intimitate, quæ, vt ait Seraph. Doct. lib. 2. distinct. 1, part. 2. artic. 1. quæst. 2. cùm habeat potentiam viuificandi, vegetandi, & sensificandi corpus, ad primum munus respondet in corpore complexionis æqualitas: ad secundum organorum multiplicitas: ad tertium spirituum subtilitas, scilicet vitalium,

lium, qui viuificant, naturalium, qui vegetant, & animalium, qui sensificant.

Qværes secundò: quot sint genera viuentium.

171. Respondetvr, quod alia sunt incorporea, alia corporea: Prima sunt Deus, Angeli, & Anima: Secunda sunt alia vegetantia, vt plantæ: alia sentientia, vt animantia, alia rationalia, vt homo: Verum quidem est (ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 15. *dub.* 1.) quod in S. Scriptura nunquam datur nomen viuentium plantis, sed tantùm virentium; cùm vita desumatur ibi à signis, scilicet à motu, & sensu.

Dices: Si viuens est superius ad corpus, & spiritum, quare in linea prædicamentali ponitur sub corpore.

Hæc obiectio iam à nobis soluta fuit *in tract. Antepradicament. in Log. quæst.* 9. vbi diximus differentias communes non vltimatè constituentes, sed inadæquatè diuidentes posse assignari pluribus speciebus inferioribus: videantur, quæ tradita sunt ibi, &c.

Respondetvr secundò ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. quod licèt conueniant spiritus, & corpus in ratione viuentium, attamen ratio viuentis, quæ collocatur sub corpore, est differentis rationis ab illa superiori, hîc enim pro viuente sumitur vegetans. Tum etiam quia Philosophus tractans de substantiis spiritualibus, in multis defecit: vnde à nobis imbutis Theologica veritate aliter procedendum est.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit Anima: Vbi de gradibus animatorum, & potentiis vitalibus.

172. Primò aduertendũ est hîc non moueri quæstionem, an in eodem viuente sint plures animæ: hæc enim elucidabitur in sequenti, sed quot sint species animarum.

Prima sententia fuit Stoicorum apud S. Clementem Alexandrinum reducentium ad duas tantùm species animas, scilicet ad sensitiuam, & ad rationalem: Plantas enim viuere, & habere animam negabant.

Secvnda fuit Platonis non dissentientis ab antecedenti opinione in numero animarum, sed tamen posteà dissentientis in hoc, quod plantas putabat habere sensum licèt minùs acutum, quàm animalia: Manichæi vnam tantùm ponebant animam, scilicet rationalem, quia rationis capacia docebant esse animantia, & plantas; quæ opiniones sunt manifesti errores tum contra fidem, tum contra rationem, & Philosophiam.

Tertia opinio est Ægidij 2. *de Angel. cap.* 3. Caiet. quatuor species animarum recognoscentium, scilicet vegetantium, sentientium, loco mouentium, & rationalium.

Qvarta opinio est communissima Arist. Philosophorum, & Theologorum cum Seraphico Doct. *in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 32. *& lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *articul.* 3. *quæst.* 1. *fund.* 3. *& alibi pluries* tres tantùm dari

Digitized by Google

dari species animarum, scilicet vegetantium, sentientium, & rationalium: est contra Guarin. *de an.in com. exp. 3.* asserentem dari solùm duo genera animarum, nempè corporearum, & incorporearum: suprà allatam verò diuisionem in tres species non esse bonam: Pro solutione quæstionis

173. Primò Notandum, cùm anima, sicut & quælibet alia forma definiatur per ordinem ad subiectum, per ordinem etiam ad illud attendi debet ratio distinctionis ab aliis formis, & ratio etiam diuisionis in plures animas, & hinc præter relationem illam, quam habet quælibet forma, vt actus ad suum subiectum, consideratur etiam ratio quædam perfectionis, quam eidem subiecto per sui inexistentiam conferre videtur, nempè constituendo ipsum subiectum actuatum, & actiuum simul, cùm anteà non esset talis perfectio; est enim forma non solùm actus subiecti, sed & principium omnium ipsius operationum: materia enim de se non est actiua: Ex qua doctrina sequitur, quod ex diuerso modo operandi, quem cognoscimus in forma, arguimus etiam ipsius distinctionem ab alia; sicque hæc virtus operatiua, vel est omninò in ordine ad extrinseca, vel est in ordine ad suum subiectum, idest ad seipsum operans: Si primo modo, sunt formæ non viuentes, sunt enim actiuæ non in ordine ad aliquam perfectionem sibi deditam, cùm omnem perfectionem sibi debitam à primo generante acceperint, obidque absque sui præiudicio possunt à tali perfectione extrinsecâ deturbari proueniente ex operationibus, formæ verò viuentes tribuunt per se primò viuenti virtutem acquisitiuam perfectionis sibi debitæ, & non habitæ in sui prima productione: Perfectio hæc igitur intrinseca, ad quam viuens est in potentia, vel est perfectio debita præcisè corpori, & dicitur entitatiua, & materialis, vel est debita ipsi animæ: Prima est, qua viuificatur corpus: Secunda est, qua perficitur per ordinem ad operationes vel organicas, vel inorganicas: Hinc patet diuisio animarum, de qua infrà, nempè vel ratione diuersitatis vitæ, quam tribuunt subiecto, vel per ordinem ad operationes: Primo modo conueniunt genericè in eo, quod omnes sunt actus corporis organici potentia vitam habentis: Secundo modo distinguuntur per diuersum modum operandi, & contrahendi corpus: nam Vegetatiua perficit totum in ratione entitatis materialis, & per qualitates omninò corporeas, & ideò respicit totum: Sensitiua perficit totum in ratione potentiarum in ordine ad propriam operationem, & quò perfectiores sunt, eò per organa magis determinata, & perfecta operantur, & hinc sensus tactus est omnium imperfectissimus, ideò per totum corpus est diffusus: vel perficitur totum secundùm potentias inorganicas, sic est Rationalis.

Secundò Notandum, quod aliud est anima, aliud potentiæ animæ, aliud gradus vitæ, seu animatorum: Anima enim est substantia, seu forma dans vitam corpori: Potentiæ animæ sunt formalitates superadditæ ipsi substantiæ animæ, per quas agere potest, vt docet Seraph. Doctor *lib. 1. distinct. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3. & lib. 2. distinct. 24. part. 1. artic. 2. quæst. 1. & art. 1. per totum, & lib. 2. distinct. 31. art. 1. quæst. 1. ad 5.* funt-

que cum anima identificatæ: Gradus vitæ, seu viuentium species sunt modi, quibus possunt communicari separatim operationes vitales, seu quibus vita est communicabilis in ordine ad operationes: hinc habetur fundamentum diuisionis animarum, potentiarum, & animatorum: His positis

174. PRIMA CONCLVSIO: Tres tantùm species animarum sunt assignabiles, scilicet vegetantium, sentientium, & rationalium: Est communis cum S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 31. art. 1. quæst. 1. ad 5. & 6. & lib. 2. distinct. 1. part. 2. articul. 3. q. 1. fund. 3. & Centil. part. 2. sect. 21.*

PROBATVR primò: Omnis forma viuens est tantùm triplex: ergo tantùm triplex anima.

PROBATVR antecedens: forma viuens ex traditis conuenit cum cæteris formis in hoc, quod quælibet est perfectio subiecti per ordinem ad actum primum, & secundum, sed differunt, quod non viuentes tribuunt virtutem operatiuam in ordine ad extrinseca, viuentes verò in ordine ad aliquam perfectionem sibi debitam non receptam in sui prima origine, sed ista perfectio actuum secundorum vel recipitur in ipso composito, sicque perficitur totum in ratione entitatis materialis, & ecce anima vegetatiua perficit subiectum secundùm debitam magnitudinem; vel perficitur in ratione potentiarum organicarum, & ecce sensitiua, vel inorganicarum, & ecce rationalis: ergo triplex tantùm anima.

PROBATVR secundò etiam alio modo: Anima vel operatur independenter à corpore, vel dependenter: si primo modo, est rationalis, quæ separatur à corpore, & separata operatur: si secundo modo, vel operatur per organa, & qualitates omninò corporeas, vel intentionales: si primo modo, est vegetatiua: si secundo modo, est sensitiua. Tum quia anima est principium productiuum vitalium operationum, & hoc vel sine præuia cognitione, sic est vegetatiua, vel cum præuia cognitione, scilicet vel perfecta, & purè spirituali, sic est rationalis, vel imperfecta, & sensibili, sic est sensitiua: ergo tres tantùm animæ.

PROBATVR consequentia: quia licèt diuersitas operationum non inferat diuersitatem principiorum: modus tamen diuersus operandi infert diuersitatem talem, cùm quælibet res habeat ab intrinseco proprium modum operandi.

ADDIMVS hanc diuisionem esse vniuocam generis in species: conueniunt enim omnes vniuocè in hoc, quod sunt actus corporis organici, & principium suarum operationum.

175. OBIICIES primò cum Guarino: Si tria genera, seu species animarum sunt, anima sensitiua deberet esse aliquod medium inter modum operandi materialem, & spiritualem animæ vegetantis, & rationalis, sed talis modus medius non datur: ergo.

PROBATVR Minor: nam anima sensitiua operatur per species intentionales, quæ non excludunt materialitatem: ergo.

RESPONDETVR negando minorem, & ad probationem Respondetur negando antecedens quoad materialitatem specierum intentionalium: nam, vt dicit S. Bonauent. & suo loco dabitur, species abstra-

ctæ

ctæ ab obiecto habent modum potiùs spiritualitatis, quàm materialitatis, & dato, quod ipsis insit aliqua materialitas, tamen negatur istum modum non esse medium inter alios duos modos operandi animarum: nam Vegetans operatur absque speciebus: Rationalis mediis speciebus spiritualibus, & vniuersalibus: Sensitiua mediis speciebus sensibilibus.

OBIICIES secundò: Plantæ, & arbores non viuunt: Probatur assumptum: si viuunt, maximè quia nutriuntur, augentur, & generantur; sed istæ operationes competunt etiam inanimatis: magnes enim conuertit in se ferrum, si diutiùs ipsi sit coniunctum: ignis fugit in se partes subtiliores, & excrementitias respuit: immò videtur augeri per intus sumptionem, dum enim flamma comburit lignum, attrahit ad se per poros ligni oleum, vel ceram: Et confirmatur ex Seraph. Doct. dicente *lib. 2. dist. 15. dub. 1.* Plantas factas fuisse in animam potiùs virentem, quàm viuentem.

RESPONDETVR negando assumptum: ad probationem respondetur concedendo Maiorem, & negando minorem: negatur enim verè inanimata nutriri per intus sumptionem, sed per extra sumptionem: At arbores, & plantæ verè nutriuntur per intus sumptionem, vt patet ex eo, quod quando arescunt, tunc non nutriuntur: ergo signum est corruptam esse animam: Et ad authoritatem D. Bonauent. Respondetur ibi comparatiuè loqui, sed non negat habere animam licèt imperfectiorem animantibus.

OBIICIES tertiò: Plantæ fugiunt noxia, & prosequuntur commoda: sic vitis fugit laurum, amat vlmum: cucumer odit, & fugit oleum, datur etiam vterque sexus, & vt fœcundentur, alias viciniores exigunt, vt videre est in palmis. Tum etiam quia dicitur *in Psalm. 77. Occidit in grandine vineas eorum*: ergo habent animam sensitiuam.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 28. art. 2. quæst. 1.* triplicem appetitum dari, scilicet naturalem consequentem naturam rei, sensitiuum consequentem apprehensiuam, & rationalem consequentem cognitiuam perfectam: primus inest plantis, importatque quandam sympathiam, & simul antipathiam, secundùm quas operantur, qui etiam inest in non viuentibus, vt in magnete, & ferro: hinc negatur consequentia, & ad de occisione.

RESPONDET D. August. ibi sumi occisionem metaphoricè pro destructione.

176. SECVNDA CONCLVSIO: Gradus viuentium propriè sunt tres tantùm: largè verò, & accidentaliter possunt dici quatuor.

PRIMA pars patet: quia gradus vitæ importat vitam substantialem in gradu aliquo: ergo multiplicabitur ad multiplicationem principiorum, sed tria tantùm sunt ipsa principia, scilicet animæ: ergo tres gradus vitæ substantialis. Tum quia tot sunt concreta, quot abstracta, & non plura, sed tres tantùm animæ: ergo tantùm tria animata.

SECVNDA pars probatur: quia accidentaliter tantùm differunt virtus motiua, & loco motiua: ergo hæc differentia non sufficit ad constituendum gradus vitæ diuersos.

PROBATVR antecedens: quia

 virtus

virtus loco motiua non est separabilis ab anima sensitiua, nec è conuerso: non enim datur animal, quod non habeat sensum, & aliquem motum saltem imperfectum, quia licèt animalia fixa, vt sunt conchilia, ostreæ, & similia, quæ scopulis adhærent, non habeant motum progressiuum, habent tamen motus dilatationis, & restrictionis: ergo accidentaliter tantùm differunt.

Dices: Communiter assignantur quatuor species animatorum, scilicet vegetabilium tantùm, sensibilium cum motu progressiuo, & aliorum absque motu progressiuo, & rationalium, sed motus progressiuus est actus vitalis: ergo cùm dentur animantia talem actum vitalem non habentia, debent distingui animata in quatuor species: sic enim colligitur numerus animatorum non per ordinem ad animas, sed ad subiecta, in quibus animæ diuersimodè operantur.

Respondetur, vt dictum est, hanc esse diuisionem accidentalem: nam diuisio animantium specifica debet desumi penes formas constituentes species: Et deinde negatur dari animantia non habentia motum aliquem localem saltem imperfectum: Ratio est, quia anima sensitiua id habet, quod se vnire potest bono sensibili, si illi sit conueniens, & ab obiecto recedere, si sit disconueniens: hinc ad id assequendum requiruntur organa, & motus necessariò: quare necessariò, vbi est anima sensitiua, ibi est motus localis.

Dices secundò: Anima rationalis identificat sibi potentiam sensitiuam, & vegetantem: ergo istæ duæ non possunt constituere diuersas species.

Respondet S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 31. cit.* animam rationalem identificare sibi non animam sensitiuam, sed tantùm potentiam, quæ ab ipsa emanat: ideò in diuersis, cùm sint animæ in suo esse completæ, sunt diuersæ animæ.

Tertia Conclusio: Genera potentiarum vitalium sunt quinque, nempè potentia vegetatiua, sensitiua, appetitiua, loco motiua, & intellectiua, quæ diuisio non desumitur ex diuersitate animarum, vel subiectorum, sed ex diuerso modo operandi ipsarum potentiarum: nam aliqua potentia operatur absque cognitione, & hæc est vegetatiua, quæ diuiditur in generatiuam, & nutritiuam, vel cum cognitione sensibili, & hæc est sensitiua, vel cum appetitu elicito sensitiuo, & hæc vel est cum motu locali membrorum, & hæc est loco motiua, vel sine tali motu, & est merè appetitiua, vel est cum discursu independenter ab organo, & hæc est intellectiua.

QVÆSTIO IV.

An in eodem viuente sint plures animæ.

177. In Physica, & in tractatu de mixtione stabiliuimus plures formas non viuentes dari in eodem composito: nunc verò quærimus, an in brutis, & magis in homine sint plures animæ: Ratio dubitandi est, quia cùm insint in homine operationes animæ rationalis, sensitiuæ, & vegetantis, & in brutis operationes animæ

animæ ſentientis, & vegetantis: Quæritur, an procedant omnes ab vna anima, an à pluribus, quæ vel tanquam formæ totales ſint in viuente, vel tanquam partiales ſint in diuerſis partibus corporis, quibus proprium vitæ gradum conferant.

In hac quæſtione circunferuntur plures errores tum contra fidem: tum contra rectam rationem: item & variæ opiniones: Vnde Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. affert errorem peſſimum Pythagoricorum, & Varronis aſſerentium vnicam animam eſſe tam in hominibus, quàm in animalibus: hanc autem dicebant eſſe Deum: Commentaror verò poſuit vnicam animam in hominibus, quos errores hæreticos confutat idem Seraph. Doct.

Secunda opinio fuit Platonicorum, & etiam plurium Hæreticorum apud Suarez *de an. cap.* 12. exiſtimantium animam rationalem eſſe formam tantùm aſſiſtentem in homine: hominem verò conſtitui in eſſe per aliam animam, quam vocant cogitatiuam diſtinctam à phantaſia brutorum, quam dicunt eſſe ſupremum gradum animæ ſentientis. Huic affinis eſt alia opinio Caiet. *part.* 1. *quæſt.* 76. *art.* 1. *ad* 1. & Sueſſani 12. *Metaphyſ. com.* 17. Ferrar. Vulpes aſſerentium animam rationalem eſſe quidem formam informantem corpus, ſed ſecundùm gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum tantùm, non ſecundùm rationalem reduplicatiuè, ſolúmque ſpecificatiuè, & identicè: Videtur etiam id aſſeruiſſe Seraph. Doct. qui *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 4. *diſtinct.* 15. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. docet rationalem animam vniri corpori per potentiam vegetantem, & ſentientem, habereque has potentias, prout eſt vnibilis corpori, non vt rationalis eſt, de quo infrà.

Tertia opinio fuit Platonis, Galeni, Hipocr. tres animas ponentium in homine realiter, & loco diſſitas, vegetatiuam in hæpate, ſenſitiuam in corde, & rationalem in cerebro: Philoſophus eaſdem ponit ſimul vnitas in toto corpore, & ſingulis eius partibus, quam & Ocham, Zabar. Mirandul. Aliique ſuſtinent, vt videre eſt apud Meldul. *diſput.* 1. *quæſt.* 8. & Rabeſanus *diſput.* 1. *quæſt.* 5. *lib.* 2. *de an.* ipſam probabilem reputat: Immò Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 6. videtur in hanc inclinare.

Quarta opinio communiſſima Philoſoph. Theol. D. Thomæ, Scoti, S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& diſtinct.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& in Centil. part.* 3. *ſect.* 21. *& aliis locis infrà cit.* In homine adeſſe vnam numero animam rationalem includentem ſenſitiuam, & vegetatiuam potentiam: In Brutis adeſſe vnam animam ſenſitiuam includentem potentiam vegetantem pro quolibet indiuiduo: Pro ſolutione quæſtionis

178. Primò Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vltim.* quod vegetatiuum, & ſenſitiuum poſſunt ſumi dupliciter: primò prout nominant potentias vegetandi, & ſentiendi, vel prout nominant ſubſtantiam in recto, à qua tanquam à principio radicali emanant: primo modo certum eſt vnum non includi in altero, ſed ambo dicere diuerſas rationes formales, nec potentiam ſenſitiuam formaliter eſſe vegetatiuam, nec è conuerſo:

uerſo : ſecundo modo poſſunt conſiderari, vel in abſtracto, ſcilicet provt ille gradus eſt radix vt ſic indifferens ad hunc, vel illum gradum vitæ quidditatiuum, vel in concreto, provt ſunt contracta ad ſuas ſpecies infimas, verbi gratiâ, vegetatiuum ad plantas, ſenſitiuum ad animal : Quæſtio procedit in primo ſenſu, non in hoc vltimo ſenſu, cùm certum ſit non poſſe vnam ſpeciem in altera diſparata contineri, ſed in primo ſenſu, nempè an gradus vitæ vegetatiuæ contineatur in gradu vitæ ſenſitiuæ, & an vtrumque in rationali, provt important ſuum principium radicale, à quo emanant, ſcilicet an anima rationalis ſit formaliter principium vegetationis, & ſenſationis.

179. Secundò Notandum, quod continentia eſt triplex, vel formalis, vel eminentialis, vel virtualis ſolùm, vel ſimul formalis, & virtualis : formalis eſt, cùm vnum aliud verè, & realiter continet, vt vnum, & duo continentur formaliter in ternario, vel cùm per rationem omninò ſimilem poteſt aliud producere vt calor calorem, vel ignis per calorem poteſt alium producere : eminenter, ſeu virtualiter eſt, quando continens perfectius eſt effectu, qui in virtute cauſæ continetur, ſeu cùm per rationem ſuperiorem poteſt illud producere : ſic lux Solis continet calorem, quem producere poteſt per virtutem eminentialem : ſic & corpora cœleſtia continent effectus iſtos ſublunares : continentia etiam eminentialis eſt, quando ſuperius habet exceſſum eminentialem, in quo ſenſu Angelus dicitur continere perfectionem aliarum creaturarum, & Deus dicitur continere eminentialiter perfectiones omnium creaturarum. Tertio modo dicitur aliquid contineri virtualiter, & ſimul formaliter, quando ſuperius eſt eminentior in perfectione, & ſubliniori modo continet formaliter perfectionem inferiorum : vt rationalitas in Angelo eſt formaliter, & eminenter perfectior rationalitate hominis : ſic mixtum continet in Seraphica ſententia formaliter elementa, & qualitates ipſorum, & etiam eminenter, ſcilicet in gradu perfectiori, quatenùs poteſt qualitates conſimiles producere. Hunc tertium modum tamen non admittunt in anima Thomiſtæ, ſed tantùm eminentialem, quo ſcilicet anima poteſt producere operationes omnium formarum inferiorum, etiamſi non contineantur ipſarum gradus formaliter in ipſa : & hinc docent animam tribuere eſſe corporeum materiæ, quod tamen rectè non poteſt ſuſtineri : cùm enim certum ſit à forma per informationem dari ipſum eſſe formale, obidque & per ſui exhibitionem, non per efficientiam : hinc ſolùm poteſt producere effectum illum formalem in materia, quem formaliter, & entitatiuè includit : Vnde ſi anima dat eſſe corporeum, neceſſariò debet eſſe corporea formaliter, quod eſt impoſſibile : & ſi dat eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, & ipſa debet eſſe formaliter talis, quod & Nos fatemur : licèt enim anima rationalis non poſſit producere animam ſenſitiuam : poteſt tamen producere operationes proprias ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, cùm ſit formaliter talis vt quo, licèt non vt quod, ideſt licèt anima rationalis non ſit formaliter, & entitatiuè ſentiens, & vt quod, eſt tamen

vt

vt quo, qua ratione suæ entitatis eminentis potest producere effectus vitæ sentientis, & vegetantis: est enim multiplex in virtute scilicet in ratiocinati, in sensificate, & vegetate Vide S. Bonauent. *lib. 2. distinct.* 31. *loc. cit.*

180. Tertiò Notandum ex S. Doct. *lib. 3. dist. 16. art. 2. quæst. 1. in corp.* quod anima rationalis non tantùm est perfectio corporis humani secundùm potentias sensibiles, sed etiam secundùm se totam, hoc est secundùm complementum suæ essentiæ, & suarum potentiarum vniuersitatem, habetque ad ipsum naturalem appetitum, & inclinationem, & coniunctionem: ratio est, quia corpus humanum est de se ordinatum ad nobiliorem perfectionem, quam sit corpus brutale: & hinc (subdit *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2.*) in coniunctione animæ ad corpus salua est proportio & absolutè, & respectiuè ad finem: Absolutè: nam licèt supremum animæ, & infimum corporis habeant multam elongationem, tamen supremum corporis, & infimum animæ habent maximam vicinitatem: Anima enim rationalis habet potentiam viuificandi, vegetandi, & sensificandi: corpus autem ratione complexionis recipit mediis spiritibus vitalibus vitam: ratione organizationis perfectæ recipit vim vegetandi, & sentiendi mediis spiritibus naturalibus, & animalibus. Secundo in relatione ad finem: nam forma elementi est ad formam mixti, hæc ad formam complexionis, hæc ad vegetabilem, & hæc ad sensibilem, & istæ ad formam spiritualem, & rationalem: Ex quibus patet, quod anima rationalis informat corpus non solùm vt habens potentiam vegetantem, & sentientem, sed vt rationalis est: Et hinc optimè dixit S. Doct. *lib. 2. dist. 1. cit. art. 3. quæst. vlt.* differentiam essentialem animæ rationalis cum Angelo innotescere nobis ex vnibilitate ad corpus perfectissimè organizatum: His præiactis

181. Vnica Conclvsio: In quolibet viuente est tantùm vna anima: In homine vna rationalis: In animantibus vna sensitiua: In Plantis vna vegetans: Est communis S. Bonau. *lib. 2. dist. 31. aliisque locis cit.* D. Th. Scot. quam, & Aliqui eam asserunt tanquam de fide ex hoc, quod Concilium Constantinopolitanum damnat asserentes in Christo esse plures animas: Serbellonus ait contrariam esse temerariam ex decreto allato: tum ex pluribus authoritatibus SS. PP. Pererius tamen cum Rabesano, Aliisque dicunt Concilium, & SS. PP. damnasse asserentes esse in eodem homine plures animas rationales, non verò plures animas scilicet rationalem, sensitiuam, & vegetantem, istasque primæ subordinari, idque est probabilius quoad sensum Concilij.

Probatvr ergo rationibus à S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 18. cit. & distinct. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2.* primò: Anima rationalis essentialiter est actus substantialis corporis humani: ergo ei debet tribuere formaliter actus corpori humano competentes: ergo & sensationem, & vegetantem.

Probatvr consequentia, quia corpus humanum vt tale talia exigit: ergo ab actu, & forma ea habet, non à materia.

Confirmatvr, quia inter

perfectiuum, & perfectibile debet esse proportio, nec vllus debet esse excessus in tali ratione; sed anima rationalis est perfectiua corporis humani: ergo ab ipsa debet recipere omnem perfectionem debitam: ergo & sensationem, & vegetationem. Tum quia, vt arguit Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 31. cit.* vnius perfectibilis est vna perfectio: ergo vna anima.

182. PROBATVR secundò ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 31. cit. quæst. 1. fund. vltim.* Si deberent multiplicari animæ in corpore humano, maximè ob multiplicitatem operationum diuersarum, sed hæc ratio est nulla: ergo. Maior est certa apud Aduersarios.

PROBATVR Minor: Ab vnomet principio possunt prouenire operationes, & actus specie differentes: id maximè patet in anima plantarum, quæ est vnica, & tamen procedunt ab ea operationes diuersæ speciei, vt nutritio, generatio, &c. ergo multò magis ab anima rationali poterit prouenire sensatio, & vegetatio.

RESPONDENT Aduersarij negando paritatem, & distinguendo maiorem: Ab vnomet principio possunt prouenire operationes disparatæ, dummodò non sint contrariæ entitati eiusdem principij, quales sunt operationes sensitiuæ, & vegetatiuæ ipsi rationali: immò possunt retorquere argumentum contra formam corporeitatis à nobis positam ex hac ratione; quia ab vnomet principio formali non possunt prouenire diuersæ & oppositæ operationes, & ex hoc quod ipsius effectus non possit haberi per formam rationalem.

CONTRA ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. & art. 3. q. 2. & dist. 8. art. 1. & 3. quæst. 2.* quia anima rationalis est non solùm purus spiritus, sed & forma, & perfectio, & actus, & motor corporis humani: ergo ei debet tribuere aliquem actum, quo corpus de se caret, sed non potest ei tribuere esse spirituale, vel rationale: ergo esse sensitiuum, & vegetabile: & ad instantiam de forma corporeitatis negatur consequentia ex traditis: cùm enim forma rationalis, vel sensitiua non habeat in se rationem corporeitatis, nec eam potest alteri tribuere.

PROBATVR etiam à posteriori à Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 31. citat.* quæ simul corrumpuntur, simul etiam generantur, & quæ simul separantur, simul & infunduntur, sed recedente anima rationali non remanet forma sensitiua, nec vegetatiua, & in bruto recedente sensitiua non remanet vegetatiua: ergo illæ formæ non sunt realiter distinctæ in eodem viuente.

CONFIRMAT Seraph. Doct. ex Arist. *2. de An. t. 31.* dicente, quod sensitiuum est in intellectiuo, sicut tetragonus in pentagono, & vegetatiuum in sensitiuo, sicut trigonus in tetragono, sed ab eodem principio est tetragonus, à quo est pentagonus, & in eo est formaliter eminenter: ergo ex Philosopho sensitiua est in intellectiua, & vegetatiua in sensitiua, & sunt ab eadem.

PROBATVR quartò: Cùm intenditur sensus, minuitur operatio intellectus, & è conuerso: patet experientia: diuturna contemplatio impedit nutritionem, & vehemens applicatio sensibilis intellectionem: ergo

ergo signum est intellectum, & sensum esse vnam potentiam, vel esse potentias eiusdem substantiæ.

183. Obiicies primò: Quia *in pluribus locis Sacra Scriptura* distinguitur spiritus ab anima, vt 1. *ad Thessal.* scilicet *Deus pacis sanctificet vos, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus seruetur*, sed communiter per spiritum intelligitur anima rationalis, per animam intelligitur sensitiua.

Respondetur ex Seraph. Doct. *Serm.* 1. *de S. Agatha* nomen animæ esse officij, non naturæ, & ideò, vt aduertit *in Centil. part.* 3. *sect.* 19. habet rationem spiritus per ordinem ad Deum, animæ per ordinem ad corpus. Sic & *in Comp. Theolog. lib.* 2. *cap.* 29.

Obiicies secundò ex Arist. quod homo priùs viuit vita plantæ, deinde animalis, & tandem vita hominis: ergo in homine dantur tres animæ.

Respondent Thomistæ successiuè aduenire dictas animas in constitutione hominis, priùs vegetantem, & deinde adueniente sentiente perire primam, & adueniente rationali perire sensitiuam, quod tamen non potest sustineri, vt videbimus infra suo loco: nam cùm permaneant eædem dispositiones, non apparet, quomodò possint corrumpi istæ animæ.

S. Bonavent. *lib.* 2. *dist.* 31. *citat. ad* 4. *& in corp. & distinct.* 15. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in fine corp.* Respondet, quod in embrione ante infusionem animæ rationalis operationes in ipso incidentes sunt à virtute immissa generantis: at infusâ anima rationali, hæc gradatim in illo corpusculo procedit ab imperfectioribus ad perfectiores: vnde adest priùs operatio vegetantis, & sentientis potentiæ, quàm hominis, seu rationis operatio: priùs enim vegetatur, mouetur, & sentit, quàm ratiocinetur, idque totum est per animam rationalem, & hinc negatur consequentia, quod & infrà suo loco fusè explicabitur.

Obiicies tertiò ex Mair. *lib.* 2. *disp.* 17. quia sequeretur animam rationalem esse corpoream, diuisibilem, extensam, & generabilem: ista enim prædicata conueniunt animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ: ergo si sunt vnum, & idem, etiam animæ rationali conuenient. Tum etiam quia aliàs animal non diceretur vniuocè de homine, de Asino: ad vniuocationem enim requiritur vna natura ab vniuocatis participata, sed ex traditis anima sensitiua non est in homine: ergo.

184. Vt satisfiat huic difficultati, variè Authores Respondent iuxta vniuscuiusque principia, Thomistæ apud Ruuium hîc *num.* 52. distinguunt maiorem: anima rationalis erit corporea extensa, vt quo, concedunt, vt quod, negant: idest anima rationalis est id, quo in corpore aduenit corporeitatis gradus cum cæteris illis attributis, quæ responsio non potest sustineri, vt aliàs expendimus in Physica agentes de forma corporeitatis, & infrà etiam dicetur: nam, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5. dare esse per modum efficientis spectat ad Deum, per modum verò formæ informantis spectat ad animam, & ad formam: Vnde si anima rationalis est ratio, quare materia habet gradum corporeitatis, diuisibilitatis, id non potest esse nisi per informationem

tionem prouenientem à forma : ergo id facit tribuendo seipsam formaliter materiæ : ergo debet id in se formaliter habere : cùm ergo non habeat corporeitatem, aliaque attributa corporea, nec etiam potest esse ratio formalis ipsi corpori talium attributorum.

Respondet Meldul. hîc *num.* 91. sensitiuam, & vegetatiuam habere illa prædicata, prout est in brutis, non verò prout est in homine : Gratis dictum, cùm non afferat vllam rationem sui dicti, & quomodò potest tale dictum sustineri, si potentia vegetatiua, quæ est in homine, & in bruto, est omninò eiusdem rationis, sed in bruto est corporea extensa, &c. ergo & in homine.

Nos ex S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 31. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. *&* 5. *&* 6. *& dist.* 19. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. supponentes ex aliàs traditis dari formas corporeitatis, & organizationis distinctas ab anima quacunque, Respondemus primò animam vegetatiuam, & sensitiuam formaliter non esse corporeas, nec extensas, sed spirituales. Sic Seraph. Doct. de sensitiua *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 3. de vegetatiua *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1. vt in sequenti quæstione patebit : Et dato, quod essent formæ extensæ, adhuc tamen non sequitur illa participatio attributorum : nam in homine non adest anima rationalis, quæ sit verè, & formaliter sensitiua, nisi quatenùs habet formaliter eminenter virtutem sensitiuam, idest vim producendi operationes sensitiuæ : idemque in anima sensitiua respectu operationum vegetatiuæ : nominat enim sensitiua in homine substantiam cum potentia sensificandi idest substantiam realem cum facultate actuum sensitiuæ : Et hinc patet responsio ad aliud, de vniuocatione : ad quod

Respondet S. Bonauent. ibi adesse vniuocationem genericam, scilicet metaphysicam, non verò physicam ob gradus metaphysicos, in quibus conueniunt : Et per id etiam patet responsio ad aliam obiectionem desumptam ex Arist. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, sed anima sensitiua, & vegetans sunt corruptibiles, rationalis est incorruptibilis, ergo non possunt conuenire in vnum.

Respondetur enim ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 27. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. maiorem esse veram, quando corruptibilitas, & incorruptibilitas venit ex natura principiorum componentium, hoc autem non est in proposito : nam potentiæ animæ rationalis veniunt ex eadem radice, scilicet ex incorruptibilitate ipsius : licèt anima sensitiua posteà sit corruptibilis ex aliis principiis, ideò nihil concluditur contra Nos. Tum etiam quia ex nostris principiis Seraphicis formæ sunt corruptibiles tantùm secundùm existentiam, non secundùm essentiam.

185. Obiicies tertiò : Operationes sensitiuæ pendent à corpore, sicut & vegetatiuæ : at operationes rationalis non pendent à corpore : ergo Confirmatur, quia sensitiua, & vegetatiua educitur de potentia materiæ : rationalis verò creatur : ergo nullo modo istæ continentur in rationali : Confirmatur iterum, quia rationalis separata non potest exercere operationes sensitiuæ, & vegetatiuæ : ergo eas non continet.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 31. *q.* 1. *ad* 3. *& dist.* 8. *part.* 1. *q. vlt.*

q. vlt. & lib. 4. dist. 50. part. 2. art. 1. q. 1. quod cùm anima sit vt forma, & vt motor corporis: vt motor sic exercet operationes per corpus, vt etiam exerceat eas in corpus ipsum mouendo, & regendo: vt forma exercet eas in corpus, per corpus, & cum corpore: sic anima clauso oculo non potest videre: cùm autem in operationibus sensitiuis necessariò concurrat & receptio specierum, & sensationum in organo, & actio, seu iudicium ratione virtutis animæ: hinc in his operationibus anima rationalis dependet à corpore, à quo, si separatur, non ampliùs eas exercet formaliter, nec anima vtitur illa potentia, nec tamen est frustrà, cùm inseruiat ad ipsius entitatiuam perfectionem, & cùm aliam operationem perfectiorem habeat, quod & fusiùs tradetur, cùm de anima separata agemus. Hinc negatur consequentia.

Obicies quartò: Homo est formaliter vegetans, & sentiens: ergo per propriam formam: quod enim formaliter tale, est per formam informantem.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 3. quæst. 2. ad 3. & ibid. quæst. 1. fund. 3.* Hominem esse rationalem per animam, & per eandem esse vegetantem, & sentientem: prout enim perficit corpus humanum seipsa, & non per potentiam, sic est seipsa principium omnium operationum propriarum hominis: anima enim humana facit per essentiam suam animal, vt ait Seraph. Doct. *citat.* Vnde dicitur esse in eo potentiam sensitiuam, & vegetantem, quatenùs formaliter ipsa anima est principium talium operationum.

Obicies tandem ex S. Doct. *lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. q. 3. ad 6.* vbi habet hæc verba: Potentiæ animæ non sunt accidentales, & fortasse rationale, sensibile, & vegetabile non accipiuntur à potentiis, sed à diuersis naturis repertis in anima: Idem *lib. 1. dist. 9. art. 1. quæst. 2. ad vltim. & distinct. 8. part. 2. dub. 2.* ergo ex his patet Seraph. Doctorem admittere plures naturas formales, sed istæ sunt formæ, vt vltimo loco citato dicit: ergo admittit pluralitatem formarum.

Respondetur, quod sicut à nobis traditum fuit *in tractatu formalitatum*, Seraph. Doct. appellat formalitates sub nomine modò naturarum, modò formarum, vt expresse tradit *dist. 8. cit.* dicens dari varietatem formarum, scilicet generis, speciei, differentiæ, &c. vnde nihil ad rem contra Conclusionem.

QVÆSTIO V.

Vtrum omnis anima sit indiuisibilis.

186. Quæstio non procedit de diuisione in partes physicas, & essentiales: nam licèt ad aures Seraph. Doct. anima rationalis sit composita ex materia, & forma, vt in sequent. quæstione patebit, obidque & diuisibilis in partes physicas saltem de potentia Dei absoluta: tamen cùm cæteræ animæ careant tali compositione, & cùm de istis principaliter moueatur quæstio, scilicet de vegetatiua, & sensitiua; ideò non est sermo de hac diuisibilitate: nec item de diuisione in partes metaphysicas, seu in potentias: certum enim est quamlibet animam præditam esse multiplici potentia: sed quæstio est de diuisione integrali, seu-

ſeu quantitatiua, & quia certum eſt animam rationalem carere hac diuiſione, quæſtio reſtringitur ad ſenſitiuam, & vegetantem: an iſtæ ſint diuiſibiles ſecundùm entitatem, & quantitatiuo modo: in qua Multi confundunt hanc quæſtionem cum alia: an anima componatur ex materia, & forma, licèt ſint diſparatæ, & diuerſæ, vt in ſeq. patebit.

Prima Opinio igitur eſt Scoti, & Sequac. apud Meldul. aſſerentium omnem animam præter rationalem eſſe diuiſibilem: Addit Guarinus *diſput. 7. exp.* 1. animam ſentientem eſſe indiuiſibilem quoad informationem, quoad entitatem verò eſſe diuiſibilem, cum qua moderatione credit poſſe conciliare ſimul Thomiſtas, Bonauenturiſtas, & Scotiſtas.

Secvnda Opinio eſt D.Thomæ, & Sequacium docentium animas perfectorum animalium eſſe indiuiſibiles: imperfectorum animas verò, & vegetantem omnem eſſe diuiſibiles.

Tertia Opinio eſt Seraph. Doct. Simplicij 1. *de an. t.* 47. *& lib.* 2. *t.* 20. apud Toletum, Thienenſis 2. *de an. intent.* 16. Ioan. de Magiſtr. 2. *de an. quæſt.* 2. *dub.* 2. docentium omnem animam eſſe indiuiſibilem; quam & ſequuntur, ſuſtinentque Marſ.Ficicin. *de immort. an. lib.* 1. *cap.* 3. *& lib.* 8. *cap.* 1. *lib. de Theol.* Platon. D. Nemeſius D. Gregor. Niſſ. 3. *de an.* Hugo Senenſ. D. Auguſt. apud Ruuium *lib.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 2. & apud P. Benedict. à S. Iacobo Diſcalc. Auguſtin. *cap.* 4. *de an.* Amon. Pomponat. & communiter Platonici. Pro ſolutione

187. Primò Notandum, quod communiter Authores confundunt in vnum educi formam de potentia materiæ, & eſſe diuiſibilem, & corpoream, vel ſaltem docent, quod ad eductionem formæ in materia conſequatur neceſſariò diuiſibilitas, & corporeitas in forma educta: hincque aſſerunt animam ſentientem, & vegetantem eſſe corpoream, & diuiſibilem ex eo, quia vtraque educitur de potentia materiæ, quod tamen eſt falſum: ſunt enim rationes diſparatæ, & ſeparabiles: Vnde aduerte ex S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 18. *quæſt. vltim.* vbi quærit, an anima rationalis ſit ex traduce, arguitque quinto loco contra ſuam Concluſionem; Anima bruti eſt ex traduce, ergo multò magis anima hominis: eſt enim vis generatrix in homine perfectior: Et Reſpondet negando paritatem; ratio eſt, quia anima bruti eſt forma tantùm, & corruptibilis, ideò poteſt educi de potentia materiæ: Anima verò rationalis, cùm ſit hoc aliquid, & incorruptibilis, nec educatur de materia præiacente (in qua ſit vt in ſeminario in eſſe incompleto *ex lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& diſt.* 15. *quæſt.* 1.) neceſſe eſt eam educi ex nihilo, & ita creari. Hæc Seraph. Doct. Hinc habemus conditiones neceſſarias, ad hoc vt forma aliqua educi poſſit ex materia: Prima eſt, vt ſit purè forma, non hoc aliquid, ſicut eſt rationalis anima, quæ eſt tertia entitas coaleſcens ex materia, & forma, & per ſe ſubſiſtens: Secunda, vt ſit forma ſimplex: Tertia, vt materia præëxiſtat ſub aliqua forma ante eductionem: Quarta, vt forma præëxiſtat in eſſe incompleto in ſeminario materiæ, & ob id ſit corruptibilis ſaltem ab extrinſeco: Quinta, vt per agens particulare poſſit educi de potentia materiæ: Quod verò iſta forma

Digitized by Google

forma educibilis sit extensa, & diuisibilis, vel indiuisibilis, vel corporea, vel spiritualis, id non spectat ad rationem eductionis; quod patet in gratia, quæ est quid incorruptibile, & spirituale, & tamen secundùm opinionem D. Thomæ educitur de potentia subiecti: est etiam immunis ab extensione quantitatiua: Item & punctum educitur de potentia materiæ, & tamen est indiuisibile. Ex quibus patet, quàm malè confunduntur isti termini: nam potest dari aliqua forma, quæ educatur de materia extensa, & simul sit immunis à materia, & ab extensione.

188. SECUNDÒ Notandum, & Supponendum ex traditis in Physica quantitatem inesse in materia corporea interminatam, & incompletam, complerique, & variè terminari diuersimodè secundùm diuersitatem formarum, quæ educuntur de potentia materiæ, & entitatum completarum: Sic ex S. Bonauent. *lib. 2. dist. 12. art. 2. quæst. 1. in fund. & dist. 3. art. 1. quæst. 2. ad 4. & lib. 4. distinct. 12. art. 1. quæst. 3. alibique in locis cit. in quæst. cit. lib. 1. Phys. de quantitate interminata materiæ:* Ex quo fundamento Seraphico sequitur, quod extensio in loco primò, & per se competit quantitati passiuè, & actiuè, scilicet ipsa per se habet partes ratione sui, & non alterius rei, & ipsa dat cæteris rebus propriè extendi, scilicet in ordine ad locum, vt aliàs traditum est: Quare extensio competit aliis rebus secundariò tantùm, idest non ratione sui, sed ratione alterius, idque euenit cum isto ordine: nam primò competit ipsi subiecto formaliter affecto quantitate, quale est corpus, verbi gratiâ, lapis: Secundò formæ accidentali informanti illud subiectum, & ipsam extensionem, vt est albedo in subiecto: Tertiò dicitur extensum aliquod per accidens, & secundariò ratione alicuius extensi formaliter, vt forma ignis, quæ neque est immediatum subiectum receptiuum magnitudinis completæ, neque immediatè recipitur in magnitudine, sed compositum immediatè recipit magnitudinem ex eo, quod quantitas incompleta inest in materia, & in tali composito completur, atque ad diuisionem compositi in partes quantas, & forma eius, & materia diuiduntur in partes quantas, atque adeò per accidens, & secundariò: Hoc pacto communiter dicitur ab Aduersariis formas sensitiuas, & vegetatiuas extendi, & habere partes: at de formis non viuentibus dicit S. Bonauent. *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 4.* ipsas non esse natas esse in materia nisi cum extensione, licèt in se sint simplici essentia existentes: Sed de cæteris viuentibus alio modo est loquendum, vt mox dicetur: Hinc oritur fundamentale discrimen inter Aduersarios, & Nos: Ipsi enim sustinent animas istas subiici quantitati: S. Bonauent. verò oppositum docet: Cùm enim anima rationalis, sensitiua, & vegetatiua non sint subiectum quantitatis molis, hanc enim præsupponunt, nempè corpus elementatum, mixtum, & organicum, per consequens nec ipsam quantitatem formaliter afficiunt, nec afficiuntur à quantitate, nisi impropriè: nec enim quantitas vegetatur, sentit, vel discurrit: Hinc sequitur, quod de se sint inextensæ, & abstrahentes à quacunque extensione quantitatiua: E conuerso verò formæ non viuentes afficiuntur à

à quantitate, quia extenduntur, & etiam afficiunt quantitatem: sic ignis quantitatem comburit.

189. Tertiò Notandum, quod ex doctrina tradita clarè patet discrimen inter formas corporales, & spirituales (inter has autem spirituales adnumeramus etiam sensitiuam, & vegetantem, de quo infrà in fine quæstionis in quæstione laterali). nam, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. forma corporalis perficit, extenditur, & dependet, idest quia perficit per informationem, est tota in toto, & in partibus, quia extenditur (cùm sit subiectum quantitatis terminatæ) sic tota respondet toti subiecto, & pars parti subiecti, ideò etiam perfectionem totius communicat partibus: vnde quælibet pars ignis est ignis, nempè ratione extensionis: quia verò dependet in operari, nec agit per se, hinc non solùm perfectionem totius, sed & operationem totius communicat partibus, sic quælibet pars ignis est ignis, & vrit: Anima verò sensitiua, & vegetans perficit totum corpus, obidque est tota in toto: quia verò non extenditur, ideò perfectionem totius non communicat partibus: pars enim animalis non est animal: quia verò dependet in operari, ideò operationem totius communicat partibus: Sic quælibet pars sentit, & viuit: Anima autem ratione vnionis ad corpus quantum ad actum sentiendi, & vegetandi pendet à corpore, cùm talis actus exerceat per corpus, & in corpus, & cum corpore (vt docet *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 6. *in corp.*) Anima autem rationalis perficit corpus vt forma, nec extenditur, nec dependet, ideò informat totum corpus, estque tota in toto, & tota in qualibet parte ob suam inextensionem: sicut est etiam anima sensitiua, & vegetans: nec dependet à corpore in operari, idest licèt in vegetando, & sentiendo dependeat, non tamen in intelligendo, & volendo: Verum quidem est (subdit S. Doct. *loc. cit. lib.* 2. *dist.* 25.) quod licèt quoad intelligere, & velle non dependeat absolutè à corpore, quandiu tamen est alligata, & vnita corpori, non omninò intelligit præter corpus, nempè exigéndo in corpore quasdam dispositiones proportionatas, & debitas tali corpori.

190. Dices: Anima sensitiua, si est tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo, in qualibet parte communicabit perfectionem totius: sicque quælibet pars animalis erit animal: si enim cæteræ formæ non viuentes id præstant, multò magis id poterunt viuentes.

Hoc argumentum posset etiam fieri de anima rationali, quod etiam sibi obiicit Toletus, cuique nihil respondet: Cui Nos ex Seraph. Doct. Respondemus concedendo Antecedens, & negando vtramque Consequentiam, & paritatem de cæteris formis: nam cæteræ formæ corporeæ primò respiciunt partes, cùm informant diuisibiliter, & extenso modo: vnde etiam perfectionem totius communicant partibus: at formæ viuentes primò respiciunt, & informant totum, nempè corpus organicum perfectè, & inextenso modo, & posteà partes: Hinc, &c.

Et si quæras: quare istæ animæ inextenso modo informant, obidque primò respiciant totum, & non aliæ formæ corporeæ.

Respon:

RESPONDETVR ex traditis, quia viuentes formæ non subiacent, nec sunt subiectum quantitatis, at non viuentes subiiciuntur quantitati, quia enim adest quantitas interminata in materia informata forma incompleta corporeitatis: hinc ad aduentum istarum formarum corporalium non viuentium terminatur, & completur: obidque & quia subiiciuntur quantitati, ideò extenso modo etiam informant: at formæ viuentes superueniunt ipsi corpori iam organizato, & informato tum à quantitate, tum à formis corporeis: hinc cùm ipsæ sint inextensæ, & etiam inextenso modo informant. Ex quibus sequitur, quam difficultatem patiatur assertio Aduersariorum circa nutritionem, dum dicunt partem animæ sensitiuæ educi ex alimento nouo: nam sequeretur partem illam esse animal, sicuti pars ignis est ignis ob talem extensionem ad partes: Nos verò dicimus educi ex nouo alimento formam corporeitatis, seu organizationis, tuncque animam extendere indiuisibiliter suam præsentiam, & operationem ad illam partem substantialem in eodem instanti vnionis cum toto eo modo, quo fit ab anima rationali.

191. QVARTÒ Notandum ex S. Doct. *lib. 2. dist. 15. quæst. 1. ad argum.* quod anima sensitiua licèt differat ab anima rationali ex hoc (inter alias differentias) quod rationalis est hoc aliquid, & forma corporis, & vt ipsius motor sufficiens, idest ita mouet, & per se agit, vt etiam distet à mobili, differtque à corpore, in quod agit (sic etiam suo modo Intelligentiæ in mouendo Cœlum) & ita mouet vnam partem, in qua est tota, quod etiam ab illa distet, cùm sit tota in alia: Anima verò sensitiua non est hoc aliquid tali modo: idest non est entitas per se subsistens, nec composita ex materia, & forma: est enim pura forma: attamen in mouendo, & agendo in corpus, cùm absque extensione agat, dicitur esse in vna parte tota, quod etiam est in alia: sed quia dependet à corpore in operari, ita mouet corpus, quod mouendo vnam partem, mouet aliam, & ipsum corpus, vt patet in gradientibus, qui effectus non potest haberi in formis non viuentibus: Vnde aduertit Seraph. Doct. Si Deus poneret animam sensitiuam in lapide, ipsum non posset mouere ex *lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 1. ad 2.* quia partes lapidis non mouentur nisi ad motum totius, cùm sint similares, & informatæ forma extensa situaliter, quæ per se non potest agere absque illa quantitate, & subiecto totali: Ex quibus patet, quod de ratione formæ est informare subiectum seipsam tribuendo materiæ: quod verò dependeat à subiecto, quod commensuretur, vel extendatur in illo per quantitatem, est ipsi merè extrinsecum, & per accidens, quod & notauit Ruuius in hac quæstione *num. 92.* Vnde cùm sensitiua, & vegetatiua non dependeant à quantitate, nec informentur extensione situali, nec extendantur nisi secundùm actus, & operationes, sequitur etiam, quod sint indiuisibiles.

192. QVINTÒ Notandum, & Supponendum ex traditis in Physica *in lib. 1.* omnes formas subiectas generationi, & corruptioni concreatas fuisse in materia prima, solúmque ab agente naturali recipere esse completum, & hinc sequitur formas depēde-

re à materia dependentia non ex his, nec ab his, sed tantùm cum his, scilicet secundaria, & per ordinem ad cōpositum, vel quoad operari, solaque anima rationalis caret hac dependentia, sed aduerte, quod inter cæteras formas aliquæ dependent in operari à subiecto, quatenùs quanto, & extenso: idest quia forma, vel compositum formaliter informatur ab extensione, hinc etiam sunt & ipsæ extensæ, & diuiduntur in partes quantas ad diuisionem subiecti: Aliæ verò præscindunt ab extensione, vt sunt omnes animæ, ideò sic vegetatiua, & sensitiua dicuntur dependere à subiecto tantùm secundario per ordinem scilicet ad compositum, & accidentaliter, quatenùs est quantum, scilicet in ordine ad operari: quam doctrinam tradit etiam Scot. *quodlib.* 9. & *lib. de prim. princ.* Et hinc corruit fundamentum Aduersariorum dicentium, quod ratione dependentiæ animæ sensitiuæ à materia, à qua educitur, non potest dependere à noua, quæ per nutritionem superuenit, sed alia forma, vel pars formæ debet ex ea educi.

Respondetvr enim dependere sufficienter, sed non adæquatè quoad operari à materia, à qua educitur, cùm possit etiam dependere à noua materia superueniente, cùm non euacuetur tota ipsius formæ actiuitas, vt infrà fusiùs tradetur. Et quia inter istas formas concreatas in materia à Deo aliquæ sunt animalium perfectorum, quæ ob ipsorum maximam perfectionem, & rectum ordinem vniuersi exigunt perfectam organizationem, & proportionatam perfectionem in agente naturali, qua per suæ substantiæ immissionem valeat per generationem sibi consimile producere: ideóque istæ formæ solùm cum difficultate, diuturnitate, successiuaque dispositione possunt educi. Aliæ verò (& sunt, quæ communiter dicuntur fieri ex putri) exigunt modicam organizationem, & quasi consimilem in toto, & partibus; ideò in qualibet parte est anima in proxima dispositione, ad hoc vt sit in actu: agens verò illas educens non est necessariò consimile in natura, sed virtus illarum productiua sapienter tributa fuit terræ, & elementis vt Matri, Soli, & Cœlis vt Patri: Idque patet experientia, dum videmus tempore æstatis breuissimo tempore, immò quasi in instanti educi formas ranarum, & aliorum vermium cadentibus guttis aquæ ex aëre. Vide S. Bonauenturam egregiè hæc edocentem *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. & *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & 5. & *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4. & 5. His positis sit

193. Prima Conclvsio: Anima rationalis est indiuisibilis absolutè, obidque & incorruptibilis. Est communis omnium Philosophorum, quam & Aliqui reputant esse de fide confundentes in vnum indiuisibilitatem, & immortalitatem, quod tamen est falsum, nam licèt sit de fide ipsius immortalitas, non est tamen de fide ipsius indiuisibilitas: cùm enim in principiis Seraphicis componatur ex materia, & forma, licèt non sint separabiles istæ duæ entitates naturaliter: nulla tamen implicantia adest, quin sint separabiles à Deo, & quia materia recipit suum actum completum à forma, & forma animæ est indiuisibilis, ideò & præbet indiuisibilitatem ipsi animæ,

quoad

Digitized by Google

quoad diuiſionem partium integralium, licèt non quoad locum, vt diximus in Logica *cap. de quantitate*, eſt igitur indiuiſibilis entitatiuè in conſenſu omnium: Difficultas tamen eſt, vnde oriatur tanquam à priori, & quomodò poſſit probari hæc indiuiſibilitas: Communiter deſumitur à ſpiritualitate: ex eo enim, quod rationalis anima eſt ſpiritualis, eſt indiuiſibilis; cæteræ animæ non ſunt tales, obidque & diuiſibiles: Sic apud Meldul. Ruuium, Alioſque. Sed hæc ratio non conuincit. Tum quia quantitas non facit, ſed ſupponit corpus, ergo ante diuiſibilitatem differunt corpus, & ſpiritus. Tum quia in noſtra ſententia Seraphica Angeli, & Anima rationalis componuntur ex materia, & forma, & tamen ſunt ſpiritus. Tum quia corpus glorioſum per virtutem ſibi vt glorioſo connaturalem eſt alterius penetratiuum (*ex lib. 4. diſt. 49. part. 2. art. 6. quæſt. 1.*) & tamen non eſt ſpiritus: ergo nec impenetrabilitas eſt ratio formalis corporis diſtinctiua à ratione formali ſpiritus, ſicut voluerunt Arriaga, & Serbellon. *diſp. 3. num. 16.* Tum quia non eſt de ratione rei ſpiritualis carere partibus, in quas integraliter diuidi poſſit: quod & notarunt Guarin. *tract. de ſpirit. locat. & de quantitate exp. 1.* & Ouied. *de an.* Gratia enim eſt diuiſibilis: Sic vnio animæ cum corpore: locatio Angeli in Aduerſariorum opinione: Item ſpecies intentionales ſunt indiuiſibiles, & tamen educuntur de potentia ſubiecti ſecundùm Ipſos, ergo aliundè deſumenda eſt hæc indiuiſibilitas animæ rationalis: Hinc cæteris omiſſis, ſupponentes cum Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 1. part. 2. quæſt. vltim. & lib. 1. diſt. 13. art. 1. quæſt. 3.* formas ſeipſis, non per alias formas diſtingui: ratio eſt, quia res per formas diſtinguuntur in ſpecies, & quodammodò etiam & indiuidua: hinc ſequitur, ne detur proceſſus in infinitum, quod formæ ſeipſis differant, ſicut & differentiæ: & hinc tantùm à poſteriori quaſi ab effectu poteſt diſcerni forma corporea, & ſpiritualis: Cùm autem informatio formæ abſtrahat ab omni commenſuratione, dependentia, & extenſione ſubiecti, ſequitur etiam, quod poſſit aliqua forma informare corpus, & ipſam ob ſui eminentiam eſſe indiuiſibilem, & ſuperiorem omni quantitate. Et hinc ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 8. part. 2. quæſt. 3.* dicimus, quod anima rationalis eſt indiuiſibilis: quia eſt talis naturæ: ſic eſt & anima ſentiens, & vegetans: cæteræ verò corporeæ, & diuiſibiles licèt per accidens: Addimus tamen, quod ad aures Seraph. Doct. poteſt etiam à poſteriori deſumi indiuiſibilitas animæ à ſpiritualitate ſubſtantiali, prout contradiſtinguitur à corpore ſubſtantiali vt patebit in fine huius quæſtionis inquæſito ſecundo laterali: non verò à quacunque ſpiritualitate.

194. PROBATVR autem Concluſio primò ex D. Auguſtino citato à S. Bonau. *lib. 2. diſt. 31. cit. & lib. 1. diſt. 8. citat.* quod ſicut Deus eſt in mundo maiori ſcilicet indiuiſibiliter: ſic & anima in corpore. Tum ex informatione: non enim informat niſi in vltimo inſtanti organizationis totum corpus, ergo inextenſo modo. Tum experimento, quia in ictu oculi ſentit læſionem in omnibus partibus, & etiam in ſeparatione per totum corpus ſentitur dolor, ergo ſignum eſt animam adeſſe indiuiſi-

Digitized by Google

bili modo. Tum quia est simplex carens quantitate molis. Tum quia si abscindatur brachium ab hominis corpore, pars animæ destrueretur, quod posset inferri de cæteris partibus, sicque esset mortalis.

Obiicies primò: Anima informat corpus diuisibile: ergo est diuisibilis. Probatur consequentia: Quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur, sed recipitur in corpore diuisibili: ergo & ipsa erit diuisibilis.

Respondetur negando consequentiam: Ad probationem respondetur proportionem debere esse, quatenùs receptiuum sit potentiale, receptibile actus, nec requiritur similitudo omnimoda, & maximè in diuisibilitate: sufficit enim, vt anima, quatenùs est actus, virtualiter sit extensibilis in informando secundùm se totam.

Obiicies secundò: Si anima est indiuisibilis, & tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo denominabit æquè totum, & partes: ergo quælibet pars animalis erit animal: sicut quælibet pars est substantia animata sensibilis, & quælibet pars ignis est ignis.

Respondet S.Bonau. *lib.1.dist.8.cit.* negando consequentiam, & paritatem de cæteris formis non viuentibus: istæ enim informant, & simul extenduntur extensione quantitatiua, prout sunt subiectum quantitatis: non sic anima rationalis: immò nec cæteræ animæ, licèt sit aliqualis differentia, vt dictum est in tertio Notabili: Anima enim sensitiua, quia non extenditur, ideò actum totius non communicat partibus, vnde pars non est animal, sic & anima rationalis: quia verò in operari dependet, ideo operationem totius communicat partibus, vnde quælibet pars sentit: non sic anima rationalis: quælibet enim pars non intelligit, nec vult.

Contra instabis: Si non communicat actum, & operationem partibus: ergo non est actus ipsarum: ergo nec corporis, cùm constet ex partibus.

Respondet Seraph.Doct. quod anima est actus totius corporis, & ob id & perficit partes tribuendo perfectionem debitam iisdem partibus, nempè vitam, quatenùs sunt in toto: non sic forma extensa, quæ priùs perficit partes, & ratione partium ipsum totum.

Obiicies tertiò: Corpus organicum habet partes diuersæ rationis, & perfectionis: ergo si anima perficit totum quantum ad essentiam, perficiet partes tantùm secundùm potentiam: ergo in ipsis non erit vt actus.

195. Respondetur, quod duo sunt in anima, nempè & perficere, & operari: sic & in corpore est complexio, & organizatio: primus actus in anima competit ei, vt est quodammodò illimitata perfectio: idest vt est totalis quædam essentia, & forma corporis organici: secunda competit ei ratione potentiarum: hinc corpus per formam complexionis importat vniformitatem necessariam ad informari ab anima: sicque & anima respicit essentialiter corpus tali pacto formatum: prout autem in eo adsunt diuersa organa, sic per illa operatur anima: Sic S. Doct. *l.2. dist.18. art.2. q.2. ad 2.*

Obiicies quartò: quia sequeretur, si anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte, & indiuisibilis,

nisibilis, quod à seipsa distaret: simulque tota quiesceret quiescente, verbi gratiâ, manu, & tota moueretur, motâ alia manu, quæ implicant.

Respondetur dici animam distare à seipsa inadæquatè respectu diuersorum: nam tota est in capite, & tota in pede: sed quia istæ partes se habent vt loca inadæquata animæ, & totum corpus adæquatus locus: hinc non sequitur, quod à seipsa propriè distet, nec quod moueatur motâ manu, cùm ibi non sit definitiuè, sed tantùm ad motum totius dicitur moueri: Sic *lib.* 1. *dist.* 8. *cit.* & *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. & *quæst.* 1 *ad* 2.

Contra: Ergo poterit intelligere pes, cùm ibi sit tota, & intellectio sit actus independens à corpore.

Respondetur negando sequelam: Ratio est, quia operatio formæ, prout est illimitata, si communicetur toti, communicatur ei, quod est in actu performam, & hoc est totum, non pars.

Quæres: an anima rationalis sit in omnibus partibus per plures præsentias: an per vnicam tantùm: quod est idem, an sit talis præsentia diuisibilis.

Respondetur esse maximum discrimen inter D D. an præsentia animæ in corpore sit diuisibilis: Multi negant: Suarez 2. *Met. disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 11. *apud Hurtad. de an. disp.* 2. *sect.* 3. cum aliis affirmat, quod & ex principiis Seraphicis etiam sequitur, vt diximus de Angelorum præsentia ad locum *in cap. de quantitate*: est quidem vnica præsentia animæ in corpore, sed virtualiter diuisibilis, cùm sit limitata, nec possit se extendere ad quodcunque corpus sine maximum, siue minimum, vt dictum est in Phys. *lib.* 4. vnde aliquam extensionem habet hæc præsentia, & etiam informatio, ideò dicitur tota in toto, & tota in qualibet parte, sed non totaliter.

196. Secunda Conclusio: Anima sensitiua, & vegetatiua est similiter indiuisibilis entitatiuè, loquendo de diuisibilitate tam physica, quàm integrali, & quantitatiua. Est S. Bonau. *loc. cit.* & *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. & *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. & *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. & *lib.* 4. *dist.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. *in corp.* & *Itiner. ment. cap.* 2. Conueniunt in hac conclusione de possibili, licèt non de facto: Ovied. *de an. contr.* 1. *part.* 6. *num.* 14. Arriag. *disput.* 1. *num.* 110. Aliique plures. Ferchius tamen de Angelis *tom.* 1. *quæst.* 44. *num.* 9. & *tom.* 2. *quæst.* 62. *num.* 6. aliàs fidelissimus Bonauenturista in hac assertione recedit à Seraph. Doct. sententia: nec meliùs P. Baudunius *disputat. sect.* 4. dum citat Seraph. Doct. pro opinione opposita dicens Seraph. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 3. *art.* 2. *q.* 3. dixisse animam rationalem esse indiuisibilem; alias verò diuisibiles, quia educuntur de potentia materiæ: quæ Conclusio est falsa, & causalis antecedentis magis falsa in sententia Seraphica, & eò magis, quia in loco ibi citato nec vnicum verbum ponet de hac materia, idque forsan ob incuriam impressorum: sed his omissis, antequam probetur Conclusio

Supponendum, quod infrà suo loco probabitur, quod in nutritione fit additio nouæ partis secundùm materiam ad corpus, non ad animam: Ratio est, quia nutritio terminat ad corpus: hoc enim est, quod indiget restauratione: Vnde & ipsi

Digitized by Google

ipsi competit per se augmentum, quæ pars posteà, si fiat viuens, est per accidens, & tantùm ratione vnionis ab anima productæ: Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Cùm autem anima respiciat corpus heterogeneum, organizatumque, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 3. *& lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* sequitur, quod non educitur pars formæ sensitiuæ de illa noua materia homogenea, sed tantùm forma corporea, per quam disponitur ad vitam recipiendam, quam recipit ab eadem forma sensitiua, vel vegetatiua absque sui extensione entitatiua, sed indiuisibiliter post vnionem, licèt cum extensione operationis, quod & notauit P. Gallitius *de gen. lib.* 3. *tract.* 3. *quæst.* 4. *num.* 5. His suppositis.

Probatvr Conclusio primò, authoritate Arist. *lib.* 1. *de an. t.* 94. vbi asserit omnem animam esse indiuisibilem, & 1. *de gen. t.* 35. docet in accretione remanere partem secundùm formam, & non secundùm materiam, ergo eadem forma remanet sub maiori materia: ergo ab eadem anima indiuisibiliter informatur etiam illa, quæ additur in nutritione, alioquin acquireretur noua forma: Meldul. *de an. disp.* 1. *num.* 67. respondet debere Arist. intelligi de diuisione essentiali, & specifica: Ad secundam authoritatem respondet Arist. intelligere per partem secundùm formam non ipsam substantiam iam informatam, sed nouam de nouo aduenientem, quæ expositio est extorta, & falsa, cùm Arist. semper intelligat per partem secundùm formam illam, quæ est de prima constitutione viuentis: sed quicquid sit de hoc: nam aliàs agemus de carne secundùm formam, & secundùm materiam, nempè *in tract. de nutritione.*

Probatvr ratione à Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. iisdem rationibus, quibus probata est præcedens Conclusio: & iterum hîc refricantur: Primò, quod dat esse toti, & partibus vnitur toti, & partibus secundùm essentiam: forma enim est, quæ per sui essentiam dat esse ei, cui essentialiter vnitur, sed anima sensitiua, & vegetatiua est huiusmodi: ergo secundùm essentiam est in toto simul, & partibus. Secundò in oculo est simul videre, sentire, & viuere: sed isti sunt diuersi actus, & ablato vno actu, verbi gratiâ, visione, adhuc sensus remanet & vita: ergo ibi est anima per essentiam. Tum quia anima operatur in toto corpore, sed potentia animæ est simplex: ergo & anima sensitiua: non enim est simplicior potentia ipsa anima. Tum quia anima in partibus distantibus à corde ita citò sentit, sicut & in propinquis. Tum quia vt rectè adnotauit Arriag. hîc *n.* 117. si Bos, aliudque animal torqueatur in pede, animæ pars, quæ est in capite, physicè torquetur. Vnde enim illa boat, rugit, fremit: ergo est vna, & eadem anima indiuisibilis: Idem & proportionaliter videtur in plantis: nam si læditur in vna parte, tota planta etiam patitur detrimentum, & è contrario sicut animal per totum simul crescit, fouetur non per partes post partes, sic & planta: ergo signum est indiuisibilitatis animæ, vt euenit in homine: ergo est simul secundùm essentiam in omnibus. Tum quia vt ait D. Aug. si vna est forma sanitatis in toto corpore, multò magis erit forma spiritualis: Tum

Tum quia anima sensitiua, & vegetatiua est forma simplex, & motor sufficiens, vt forma est in toto: vt simplex est non secundùm partem, & partem: vt motor sufficiens non habet situm determinatum, sed est in omnibus partibus æqualiter. Ex quibus rationibus patet S. Doct. vt plurimùm in solutione quæstionum plùs tribuere, quàm proponat, vt in hac quæstione, vbi titulus est pro anima rationali,& resolutio est etiam pro cæteris animabus.

197. PROBATVR secundò ex S. Bonauent. *lib. 2. dist. 15. quæst. 1. ad 4. in fine.* Quod in se est vnum essentialiter, & vnum numerò, non potest fieri multiplex, sed anima sensitiua, & vegetatiua est huiusmodi: ergo.

RESPONDENT concedendo maiorem de vno ex per se actu, & potentia, vt Petrus, verbi gratiâ, non potest multiplicari: negando de vno integrali, quod constituitur ex pluribus partibus eiusdem rationis vnitis per indiuisibilia, vti est anima sensitiua, & vegetatiua.

CONTRA: Pars animæ discissa est eiusdem rationis cum toto (siue partes sint homogeneæ, vt volunt Thomistæ, siue heterogeneæ, vt volunt Suarez, Aliique) sunt, inquam, eiusdem rationis in ratione animæ actuantis materiam: ergo pars sensitiuæ simul cum alia materia poterit facere animal; consequens est falsum: ergo.

CONFIRMATVR: Quia in cæteris formis substantialibus quælibet pars facit vnum totum consimile, sic pars ignis est ignis,sed id habent ex diuisibilitate integrali partium eiusdem rationis,ergo & idem eueniet in istis animabus, si sunt diuisibiles, consequens nec admittitur ab Aduersariis ergo sunt indiuisibiles, & inextensæ. Probatur consequentia: quia ratio formalis, quare quælibet pars formæ ignis est ignis, est extensiua in forma tio, qua priùs informatur pars,& postea totum, ergo si non adest in animantibus hæc denominatio, nec erit talis ratio formalis, siue extensio: anima enim de se respicit totum simul, & indiuisibiliter: forma corporea respicit partes, & ratione partium ipsum totum.

PROBATVR tertiò ex doctrina Seraphica *lib. 4. dist. 49. part. 1. art. 1. quæst. 4. in corp.* Si istæ animæ essent diuisibiles, sequeretur, quod in nutritione superadderetur, & educeretur noua pars animæ: sed id est impossibile: ergo.

PROBATVR Min. (Maior enim conceditur ab Aduersariis.) Illa pars materiæ, quæ superadditur, est homogenea, sed forma sensitiua, & vegetatiua est forma corporis heterogenei: ergo ex parte homogenea non potest educi: alioquin educeretur de vna parte, & informaret aliam.

RESPONDET Meldul. concedendo Maiorem, negando Minorem: nam (subdit) licèt anima sensitiua sit forma corporis heterogenei, secundùm partem tamen est etiam corporis homogenei: immò ipsa anima secundùm se totam est forma corporis heterogenei, quia priùs informat partes homogeneas.

198. CONTRA ex eodem Seraph. Doct. Pars animæ est eiusdem rationis in ratione sensitiuæ cum toto: ergo si tota anima est forma heterogenei corporis, etiam pars erit talis. Tum quia responsio, quam citatus Author cum cæteris assignat, est petitio principij: Quærimus enim, an

habeat partes, & in hac inquisitione supponitur, quod est certum, nempè quod anima secundùm suam essentiam est forma corporis heterogenei, non autem homogenei, & licèt etiam sit anima in parte homogenea, id est, quia est in toto, cuius pars est illa pars homogenea: hinc rectè Nos inferimus non posse educi ex corpore homogeneo, nec ipsum secundùm essentiam suam informare, nec tollitur vis rationis respondendo, quod informat secundùm partem, cùm id sit, quod quærimus.

Confirmatur: Quia inter animam, & corpus organicum adest ordo essentialis: obidque & exigitur organizatio, & heterogeneitas, vt necessaria dispositio ad informationem: quod in formis non viuentibus non est necessarium; & ratio est iam adducta: quia anima est forma corporis organici, vnde producitur dependenter à corpore organico saltem sufficienter, nec producitur priùs in hac, vel illa parte corporis, sed æquè primo in toto corpore adæquatè disposito: sicque causa adæquata productionis sunt omnes dispositiones, quæ sunt in toto corpore, quod & notauit Serbellon. *disp.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. *num.* 53. ad rem nostram: Et hinc ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *citat. ad* 4. quod requiritur complexio, idest vnio substantialis partium proueniens à forma, quæ ab ipso appellatur complexionis, & organizationis, ratione cuius vnionis partes licèt sint heterogeneæ, sunt vniformes toti, & capaces eiusdem generis vitæ, & perfectibilis ab vna forma, & ratione cuius organizationis potest anima per suas potentias exercere suas operationes in diuersis partibus corporis: & hinc vt idem Seraph. Doct. notauit *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Si anima sensibilis poneretur in lapide, nunquam illud moueret: ergo homogeneitas est ratio omninò opposita informationi animæ.

Dices: Anima sensitiua, & vegetatiua non est educta ab illa parte de nouo per nutritionem superaddita: ergo nec poterit eam informare, nec ab illa dependere: informatio enim, & dependentia formæ consequitur ab eductione ex sua materia, à qua materialiter habet, & conseruatur in esse. Sed

Contra primò: Quia dependentia formæ à materia est quid consequens ad formam, quæ præsupponitur in esse ante talem dependentiam, vt aliàs probatum est.

Contra secundò: Quia eductio, productio, informatio, & depēdentia sunt formalitates diuersæ, disparatæ, separabiles, & non necessariò subordinatæ: ergo nulla responsio: Probatur antecedens. Potest Deus creare animam sensitiuam immediatè, ipsamque collocare per informationem in aliquo corpore organico, & tunc productio non est subordinata informationi: ergo potest dari forma, quæ informet materiam, à qua non fuit educta.

Probatur quartò, & magis vrgentur rationes adductæ ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. suprà *in* 3. *Notab.* Anima rationalis, vt forma est corporis, in aliquo conuenit, & in aliquo disconuenit cum forma corporea non viuente: Conuenit in hoc, quod vtraque informat, & actuat subiectum extensum, & cum ipso constituit tertiam entitatem: Disconuenit in hoc, quod rationalis ita informat subiectum extensum,

Digitized by Google

extensum, vt partes per se non possunt recipere denominationem totius: Vnde quælibet pars hominis non potest dici homo: forma verò corporea ita informat subiectum extensum, vt quælibet pars ipsius recipit denominationem totius, sic quælibet pars ignis est ignis: quo supposito

QVÆRO, quænam est ratio formalis huius tam magni discriminis? Non potest alia assignari, nisi dicendo, quod anima rationalis informat corpus indiuisibiliter absque sui extensione, ita quod seipsam non tribuit totam totaliter cuilibet parti subiecti, vt facit forma corporea; sed hæc eadem omninò disconuenientia est inter formam sensitiuam, vegetantemque, & formam corpoream: ergo currit paritas in informatione indiuisibili. Vnde benè diximus animam respicere adæquatè totum non partes: formam verò corpoream respicere partes, nempè informat partem post partem subiecti adæquatè.

DICES: Differentiam prouenire ex eo, quod rationalis non educitur à potentia subiecti: at forma corporea educitur à potentia materiæ.

CONTRA: Deus potest immediatè creare formam ignis, & ipsam collocare in subiecto, & tamen eadem denominatio prouenit à subiecto, ac si educta esset: ergo dicendum est prouenire hoc discrimen ex natura ipsarum formarum, nempè quia animæ respiciunt totum subiectum adæquatè, & indiuisibiliter præscindendo ab omni quantitate, & extensione molis: formæ verò non viuentes respiciunt partem post partem, quia subiiciuntur extensioni, & quantitati: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 4.*

199. PROBATVR quintò: Quia si istæ animæ essent diuisibiles, sequeretur, quod quælibet esset aggregatum plurium animarum: consequens est falsum: nam animal est vnum per vnam animam, & vnum totum physicum essentiale: ergo: Probatur sequela: totum continuum in ratione continui per hoc differt à toto physico essentiali, quod illud constat pluribus partibus, quarum quælibet per se est totum vnum continuum eiusdem rationis cum toto illo, antequam diuideretur: totum verò physicum essentiale constat partibus, quarum quælibet est diuersæ rationis à toto; Vnde totum essentiale, vt tale, est indiuisibile in partes eiusdem rationis: sed anima per Aduersarios est vnum totum continuum, vt ait Meldul. *cit.* ergo est aggregatum plurium animarum: ergo quælibet pars poterit simul cum corpore facere animal, quod est falsum.

RESPONDENT negando sequelam vltimam ex hoc, quod anima essentialiter respicit corpus organicum.

CONTRA: Ergo non poterit educi anima, vel pars animæ à parte homogenea, quod est contra superiùs dicta ab Aduersariis.

PROBATVR sextò: Si anima haberet partes, sequeretur adesse partem in animali, quæ in vitalitate non dependeret à corde; sed hoc est naturaliter impossibile, cùm cor sit sedes principalis animæ, & à quo procedit vitæ influentia in cætera membra, vt notat Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 8. cit. & serm. 1. Hexaëm.* ergo.

PROBATVR sequela: nam pars superueniens per nutritionem esset animata à noua forma vitali: ergo in vitalitate ab ipsa non dependeret

ret tum in actu primo, tum in conseruari: forma enim per Aduersarios non dependet in conseruari ab eo, à quo non dependet in educi: sicque nulla esset pars principalis in corpore, quo vita dependeret.

RESPONDET Meldul. *de gen. disp.*8. *n.* 81. *ad* 2. negando sequelam: nam in dato casu anima partialis dependeret in conseruari, & in produci à corde in genere causæ efficientis, & ab illa materia in genere materiali.

CONTRA: Quia vita est à forma non solùm in genere formali, sed etiam efficiente, quatenùs vtitur partibus heterogeneis vt instrumentis, & præcipuè corde: ergo si illa forma tribuit vitam illi nouæ parti in genere formali, tribuit etiam in genere efficientis causæ: sicque non à corde.

200. PROBATVR septimò à Ioan. à S. Thom. Quotiescunque plures partes materiæ requiruntur ad informationem faciendam ab vna forma numero, tunc illa forma respicit omnes illas partes indiuisibiliter, sed anima sensitiua, & vegetatiua sunt huiusmodi: exigunt enim corpus heterogeneum: ergo indiuisibiliter omnes illas partes informant.

RESPONDET Medul. *disp.* 1. *de anim. num.*68. si hoc argumentum valeret, probaret de omni anima (quod & Nos intendimus) Addit, probaret de omni forma: quælibet enim respicit omnes partes materiæ dispositas.

RESPONDET secundò dictus Doctor: Si *ly indiuisibiliter* excludit partes entitatiuas animæ, negatur: si illas includit vt vnitas, conceditur: nam tota anima indiuisibiliter respicit corpus heterogeneum, & pars partem homogeneam: sed hinc non sequitur esse totam in toto, & totam in qualibet parte.

CONTRA primò: Quia illatio de qualibet forma non viuente non valet; nam ex dictis formæ non viuentes non respiciunt primò totum, sed partem: anima verò respicit totum sub vna ratione, scilicet corpus heterogeneum: ergo indiuisibiliter ipsum respiciunt.

CONFIRMATVR ex Seraph. Doct. *lib.*4. *dist.*49. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.*4. *in corp.* Anima, vt talis est, respicit essentialiter corpus non solùm complexionatum, idest, vnitum secundùm partem, sed & organizatum: ergo indiuisibiliter: non enim est actus partis; sed corporis. Tum quia anima simul, & semel concurrit ad actum visionis in oculo, & ad sensationem in pede: id enim non competit formæ extensæ nisi remotè; vt magnus ignis immediatè non applicatur totus primæ parti ligni, & mediæ: vnde non potest dici, quod totus ignis comburat, non sic anima sensitiua. Tum etiam quia actus visionis in oculo, & sensationis in pede sunt immanentes: ergo in tota anima debent recipi: ergo indiuisibiliter istos actus operatur: Ex quibus sequitur, quod anima formicæ non est minor anima elephantis, nec forma herbæ minor forma cedri.

201. OBIICIES primò: Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; sed istæ animæ recipiuntur in corpore diuisibili: ergo: ob id enim formæ non viuentes diuisibiles.

IAM suprà responsum est huic obiectioni *in præced. Concl.* quæ & potest fieri contra indiuisibilitatem animæ rationalis, vnde sufficit proportio

tio requisita inter receptiuum, & receptibile, & extensio virtualis. Et ad id de cæteris formis negatur paritas ex eo, quod istæ sunt subiectæ quantitati, à qua afficiuntur, non istæ animæ, quæ exigunt tantùm corpus, quantum per ordinem ad suos actus.

Obiicies secundò: Repugnat eandem rem naturaliter esse in duplici loco etiam partiali: ergo repugnat animam esse indiuisibiliter in pluribus partibus corporis diuersis.

Respondetur negando paritatem de corpore locato, & de anima informante; nam, vt dicit S. Bonau. *lib. 1. dist. 8. cit. ad 6.* anima est in toto corpore indiuisibiliter, & totum corpus comparatur ipsi animæ tanquam vnus locus, & ideò in pluribus partibus non est, nisi inquantum in vno loco, & in qualibet parte est inadæquatè, quare nihil contra Nos vrget argumentum Aduersariorum, qui supponunt istas animas esse corporeas, & materiales, quod Nos negamus.

Obiicies tertiò: Istæ formæ educuntur de potentia materiæ; sed subiectum, ex quo educuntur, est extensum: ergo & ipsæ formæ: Antecedens communiter conceditur, alioquin essent formæ per se subsistentes, & spirituales independentes à materiali concursu subiecti: Probatur consequentia: quia non potest tota forma educi ex qualibet parte materiæ, sed tota ex tota materia: exigit enim corpus dispositum, & extensum: ergo ex qualibet parte materiæ debet educi pars formæ; quod enim educitur de materia extensa, est extensum.

Confirmatur: Quia si forma equi educitur ex materia, quæ in primo instanti generationis recipit eam formam, illa materia fuit causa materialis adæquata talis formæ: ergo non potest causari ex noua materia, quæ acquiritur per nutritionem, cùm iam causata fuerit: duæ enim causæ totales, vel vna totalis, & altera partialis non possunt naturaliter concurrere ad eundem effectum numero.

Confirmatur secundò: Quia vel forma equi, quæ est in capite, dependet à materia pedis, vel non: Si dependet: ergo ablatâ materia pedis destruetur & forma: si non, ergo neque causatur, cuius oppositum Nos docuimus.

Hoc argumentum est Achiles Aduersariorum, vt videre est apud Ouied. Arriag. & Serbellon. *disp. 2. quæst. 2. num. 8.* Aliosque, quod tamen nullo modo vrget, nec infringit veritatem nostræ Conclusionis.

202. Respondetur igitur concedendo Maiorem, & Minorem, & negando Consequentiam. Ad probationem respondetur negando antecedens, & consequentiam: & ratio est, quia cùm forma dependeat à subiecto, à quo educitur non dependentia essentiali, & entitatiua, sed secundaria, & tantùm per ordinem ad existere completè, & ad constituendum compositum: vt latè ex Seraph. Doct. probatum est in Physica *in quæst. de Seminario materia:* Hæc dependentia, quam habent istæ formæ à materia vel tota, vel partiali, est sufficiens, sed non adæquata: possent enim educi à quacunque parte materiæ: sed quia ordinantur ad constituendum animal, ideò exigunt corpus organicum, ex quo educuntur, ita tamen quod quælibet pars corporis ad præsentiam alterius attemperat

Digitized by Google

temperat suum concursum, & concurrit partialiter tantùm sic exigente natura, quæ intendit productionem animalis, vel plantæ: & si aduenit noua materia, anima, quæ priùs informabat priorem materiam producendo vnionem substantialem ipsius nouæ materiæ, & educendo nouam partem formæ organizationis ab illa, extendit suam influentiam vitæ ad hanc nouam partem informando ipsam: & tunc cùm non euacuetur actiuitas animæ per informationem prioris materiæ, incipit viuificare nouam, sicuti & euenit in anima rationali.

Dices: Ergo incipit dependere à noua materia, ex qua non fuit educta.

Respondetur concedendo sequelam, nempè dependere in conseruari ab ista noua dependentia inadæquata: nec vllum est absurdum, & id euenit in multis aliis casibus, verbi gratiâ, calor meæ manus, qui in hoc instanti non pendet à calore ignis, si applicetur ad ignem ab ipso conseruandum: & si iterum recedat manus, poterit ab alia causa conseruari, & iterum applicata ad ignem ab ipso conseruari poterit.

Et ad id de abscissione pedis: Respondetur eodem modo, nempè animam dependere dependentia sufficiente à capite, à pedibus, &c. sed non totali: vnde deficiente vna parte dependebit sufficienter à cæteris, in quo casu cæteræ partes materiæ supplent defectum materiæ abscissæ.

Dices: Forma, prout est in capite, dependet à materia pedis: sed hoc non potest esse: quia non est vnita cum illa materia pedis: ergo vel est neganda dependentia illius formæ ab omnibus partibus: vel si conceditur, debet poni in ea diuisibilitas.

Respondetur, vt suprà dictum est, dependere ab omnibus, & à qualibet dependentia sufficiente non adæquata: & quando dicitur forma, prout in capite est, dependet à materia pedis, vel reduplicatio est circa formam, vel vbicationem in capite: Si primo modo, forma simul dependet à capite, & à pede: negatur tamen non esse illi vnitam: eadem enim forma est vnita & capiti, & pedi: Si secundo modo, sic negatur vbicationem in capite dependere à materia pedis: sunt enim plures vbicationes, quæ simul sumptæ se habent vt vnus locus, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 8. citat.* & secundùm hanc rationem scilicet vbicationis non est necesse, vt sit immediatè vnita cum materia pedis, sed sufficit absolutè, vt forma sit vnita materiæ pedis: vnde abscissâ manu non desinit simpliciter anima quoad entitatem, quia adhuc seruatur in corpore, sed definit vt informans manum: hæc autem desitio, quæ est ratione connotati, non ratione propriæ entitatis, contingit in rebus spiritualibus, quæ sunt in toto spatio per virtualem extensionem tantùm cum replicatione totius entitatis in singulis eius partibus ex eo præcisè, quod cessat virtualis illa extensio in spatio, in quo erat pars, antequam abscinderetur, sublatâ ergo virtuali extensione ab illa parte adhuc remanet eadem entitas indiuisibilis: vnde non est verus motus localis, sed cessatio sola vitæ in illa parte.

Instas iterum: Viuens propria virtute augetur, & vi talis actionis aduenit forma in materia de nouo per nutritionem adueniente: ergo ex

Digitized by Google

ex vi talis actionis forma ibi existit, & conseruatur, sicque eadem anima erit causa productiua, & conseruatiua sui ipsius in illa noua parte.

Hoc argumentũ est Ouiedi, in quo latet maxima æquiuocatio: quod & notauit Arriag. *cit. n.* 109. nam dũ supponit animã esse causam adgenerationis, & nouæ vnionis: putat etiam esse causam ipsius formæ, per quam incipit viuere, quæ duo sunt toto cœlo diuersa, vt patet in anima rationali, quæ est causa nutritionis, & nouæ vnionis, non sui ipsius: Addimus hunc Authorem petere principium, dum arguendo supponit aduenire nouam partem animæ per nutritionem, estque id, quod est in quæstione: Hinc respondetur terminum proprium nutritionis esse nouam partem corporis, & vnionem nouam productam ab anima, & tunc in eodem instanti indiuisibiliter extendere suam præsentiam, informationem, & influentiam vitæ: non autem producere se, vel partem sui.

203. Obicies quartò ex Arist. apud Ruuium dicente assimilari plantas insectis: diuisæ enim viuunt, & ex vna multæ fiunt: Insecta verò diu non viuere possunt ob defectum organizationis: ergo sunt diuisibiles.

Respondetur primò Arist. multa non agnouisse, & multa malè dixisse de animabus, & cæteris entibus spiritualibus, quod & sæpè notauit Seraph. Doct. vnde omisso textu Arist. qui & potest interpretari etiam pro nobis, Respondetur ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. in casu diuisionis plantarum, & insectorum corrumpi animam priorem, & duas, vel plures educi non quidem per diuisionem animæ, quæ est indiuisibilis, sed quia planta, & corpus annulosum est modicæ organizationis, & quasi consimilis in partibus, & in toto: ideò in qualibet sui parte est anima in proxima sui dispositione ad educi foras, & ad actum: ideò factâ diuisione virtute dispositionum prioris formæ, & beneficio corporum cœlestium subitò inducitur forma remanente altera in alia parte, si est sufficiens: & si non educitur alia anima, vel non diu durent, id euenit ob imperfectionem compositi.

Instat Ruuius *n.* 104. Si aliæ animæ succedunt factâ diuisione: ergo corrumpitur compositum, & cum eo prior anima: sed id non potest esse ergo. Probatur: quia ad corruptionem compositi viuentis naturaliter sequitur non alia anima, sed forma cadaueris: mors enim est diuisio animæ, & corporis, obidque & desitio vitæ: ergo & consequitur cadauer. Sed nihil vrget hæc obiectio. Respondetur enim concedendo Majorem, & negando Minorem. Ad probationem respondetur naturaliter sequi non formam cadaueris: hæc enim non datur in nostra sententia, sed remanet corporeitatis forma, seu organizationis, quæ est dispositio secundùm diuersitatem suam ad diuersas formas viuentes, & remanet sine vita, quando non adest in proxima dispositione ad aliam animam, vt est in casu nostro: Et hoc pacto respondetur consimilibus obiectionibus factis à Ruuio, & Aliis circa animam vegetantem plantarum, quæ abscissæ inter se videntur viuere. Sed vide, quæ diximus in Physica *in quæst. de Seminario*, vbi fusè hanc difficultatem ex Seraph. Doct. enodauimus.

Obicies quintò cum Ruuio: Si

abſcindatur pars aliqua ab animali, ſtatim corrumpitur, ergo ſeparatur anima ab illa parte: tunc vel tota anima, vel pars ſeparatur: Si pars, ergo habet partes: Si tota, vel corrumpitur tota, vel permanet tota ſeparata ab illa parte, vel reducit ſe ad alias partes materiæ informandas, ſeparatam permanere impoſſibile eſt naturaliter: dependet enim ab illa materia, à qua educta fuit: impoſſibile etiam eſt ſe reſtringere, quia tranſiret de ſubiecto in ſubiectum: ergo totam corrumpi dicendum eſt, quod eſt falſum: ergo.

Nec valet (ſubdit Ruuius *n.*123.) ſi dicas nihil horum fieri in corruptione partis, ſed ſolùm totam animam deſinere informare illam partem, quam inadæquata ratione informabat, vt euenit in homine, ſi illi abſcindatur manus per ſolam diſſolutionem vnius cum illa parte abſque corruptione animæ: Non valet, inquam, (ait Ruuius) ob euidens diſcrimen inter animam rationalem, & cæteras animas: rationalis enim independenter informat corpus, à quo poteſt ſeparari, & ob id etiam à qualibet parte abſciſſa per ſolam ceſſationem ab informatione vnione diſſoluta: ita vt nec deſinat eſſe, nec ſeparata permaneat, nec ſe reſtringat ad alias partes corporis, ſed deſinat informare illam in cæteris permanens: anima verò equi, cùm informet dependenter à materia, ob id quia non poteſt naturaliter ab ea ſeparari, vel ſine illa eſſe, idem eſt ipſam deſinere, & deſinere informare partem, quam informabat.

Respondetvr ex traditis ex Seraph. Doct. quod licèt anima ſenſitiua non poſſit naturaliter ſeparari à materia, & permanere ſeparata: quia tamen informat totum indiuiſibiliter: obidque etiam partes inadæquatè, ideò ab ipſis partibus per ſe non dependet niſi accidentaliter, & ſecundariò: Vnde abſciſsâ parte remanet informando corpus, quod priùs informabat deſinere vnione, & influentia in illam partem: & ſecundùm hunc effectum poteſt dici ipſam informare diuiſibiliter, licèt non entitatiuè: id patet exemplo Solis illuminantis cameram, & ceſſantis illuminare ob aliquod impedimentum ſuperueniens: tunc mutatur quoad effectus, non quoad ſe.

Contra inſtabis: Ergo non erit differentia inter animam rationalem, & iſtas.

Respondetvr concedendo totum quoad iſtam partem, ſolúmque diſcrimen eſt, quod rationalis ſeparata à toto corpore per ſe ſubſiſtit, non ſic iſtæ: ſed quoad informationem non eſt diſcrimen niſi ſuprà allatum in fundamentis, nempè quatenùs anima rationalis independens eſt in operari à corpore, non ſic aliæ animæ: vnde corruit tota argumentatio Ruuij.

204. Obicies ſextò cum Ouied. *num.* 4. Dum inſecta, & plantæ diuiduntur, tunc vel corrumpitur prior forma, vel diuiditur: Si ſecundum, habeo intentum: Si primum: ergo priùs viuens moritur, ſed non apparet cadauer animalis, nec ceſſatio vitæ in ramis plantæ: videmus enim, ſi abſcindatur cauda lacertæ, adhuc viuere, & ramos abſciſſos adhuc germinare folia: ergo ſignum eſt diuiſionis formarum iſtarum: Ad hanc rem affert D. Aug. *cap.* 31. *de quant. animæ* exemplum animalis multipedis, quod diſcectum à ſuis diſcipulis in plures partes quamlibet ambulare in

in varias partes eadem velocitate, ac priùs ante discissionem, ergo signum est diuidi.

Respondetvr ex traditis à Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 15. *cit.* quod in abscissione partium viuentis si adest organizatio sufficiens cessante influentia vitæ prouenienti à priori forma, quæ totum informabat, ex eo quod corrumpitur, educitur noua forma licèt cum maxima imperfectione dispositionum: obidque diu non potest viuere, si non adsit sufficiens organizatio ad educendam animam nouam, remanent quidam spiritus animales in animante, seu in cadauere, quorum virtute fit aliquis motus, & quibus cessantibus cessat motus: idque etiam videtur in detruncatione capitis hominis, quod facit plures saltus aliquando, & emittit aliquando vocem truncatam, & imperfectam. In plantis etiam idem proportionaliter est dicendum, nempè ob modicissimam ipsorum organizationem, & facilitatem eductionis ipsarum formas educi: & si remanet aliquando viriditas absque eductione nouæ animæ ob defectum dispositionum prærequisitarum, id euenit virtute quorundam spirituum naturalium in ipsa planta existentium, qui adiuuantur etiam aliquando à causis extrinsecis, verbi gratiâ, ab aëre humido, &c.

Dices cum Atriaga: Natura nunquam introducit formam per se in corpus ineptum præcipuis operationibus sensitiuis sine capite, sine corde, &c. ergo.

Respondetvr negando antecedens: nam semper natura agit, quantum potest: & si ob aliquod impedimentum extrinsecum non efficit opus perfectum, sed monstrum, & aliud consimile, id est præter sui intentionem, vt in nostro casu.

Et ad id de morte allata ab Ouiedo in suprà dato argumento: Respondetur, quod propriè in talis formæ sensitiuæ corruptione non euenit mors, cùm non sequatur cessatio vitæ, licèt enim cesset vita, quæ ab ipsa priori forma influebatur, tamen in eodem instanti temporis, vel vt dicit S. Bonauent. in sequenti instanti temporis intrinseci desinente vita in antecedenti instanti immediato aduenit vita ex noua forma educta: & per hæc patet solutio consimilium difficultatum, quæ coaceruantur ab Aduersariis in hac materia.

Ad experientiam verò D. August. notat Ruuius *num.* 110. & P. Bened. à S. Iacobo Augustin. Discalc. in sua D. August. naturali Philosophia *t.* 3. *cap.* 4. *Concl.* 4. mentem S. Doctoris fuisse, quod anima sensitiua est indiuisibilis, vnde valdè mirabatur, quomodò tam citò aliæ animæ eductæ fuerint. Ex quibus omnibus patet, quomodò tam anima vegetatiua, & sensitiua, quàm rationalis sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte, & quale discrimen inter ipsas inest: nempè ex eo quod rationalis non dependet à corpore nec in esse, nec in operari: potest & separata permanere, quia est hoc aliquid, & exercere suas proprias operationes: licèt dum est vnita corpori, dependet aliqualiter ab ipso eo modo, quo dictum est: at aliæ duæ animæ, cùm non sint hoc aliquid, educuntur de potentia materiæ: cum quo tamen stat, quod ipsum corpus informant indiuisibiliter, ex eo quod non sunt subiectæ quantitati molis, licèt posteà in operari omninò dependeant ab ipso. Ex qua doctrina etiam patet

tet solutio alterius quæstionis, in qua cæteri tantùm laborant: nempè an anima sensitiua, & vegetatiua sint homogeneæ, an heterogeneæ, heterogeneas existimant Suarez, Aliique. Homogeneas Thomistæ.

Nos verò, cùm ponamus eas indiuisibiles, dicimus esse formas simplices, obidque cùm non habeant partes, possunt informare æquè totum corpus, quocunque modo sit organizatum: Vnde ait S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. non est mirum, si in dissectis annulosis tam faciliter educantur animæ, cùm ipsa, licèt sint heterogenea, tamen sunt tam modicæ organizationis.

QVÆSTIO I. LATER.

Quasnam partes corpoi s informet Anima.

205. QVÆRES: an anima informet omnes partes corporis: an vnam tantùm, verbi gratiâ, cor tantùm, vel caput.

RESPONDETVR informare omnes partes corporeas, esseque totam quamlibet in toto, & totam in qualibet parte, vt dictum est, in qua adest aliqua operatio vitalis: Sed aduerte ex Ruuio, quod totum, aliud est essentiale, quod totam essentiam continet: aliud integrale, quod continet omnes partes integrantes: aliud poteṡtatiuum, quod omnes potentias, & virtutes continet.

DICIMVS autem animam secundùm essentiam esse totam in corpore, & totam in partibus, non verò totalitate integrali: quia anima non est totum integrale, cùm sit indiuisibilis: sed nec totalitate potestatiua, quia non est in qualibet parte corporis secundùm omnes potentias, sed tantùm secundùm vnam, vel plures. Et hinc Arist. ex Seraph. Doct. dixit animam residere in corde, idest, quia in illa parte præcipuè influit virtutem vitalem, quæ deriuatur in totum corpus: Hinc patet, in quo sensu possit dici animam intelligere in pede, in brachio, per cerebrum, nempè intelligere verè absque pede, &c. cùm sint operationes inorganicæ, & receptæ in anima, & cùm dicitur intelligere in cerebro, id dicitur intelligi vulgari dicto, & solùm, quia in capite vigent sensus, quorum operationibus mediis intelligit: propriè verò tantùm dicitur totus homo intelligere, & non pars absque parte: quia istæ operationes communicantur toti homini, quem adæquatè respicit.

QVÆSTIO II. LATER.

Quid sit Anima vegetatiua, & sensitiua.

206. QVÆRES: an anima vegetatiua, & sensitiua sint substantiæ spirituales: an corporeæ: & an possint verè dici Spiritus. Pro responsione

ADVERTENDVM est ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 10. *quæst. vlt.* quod nomen spiritus est æquiuocum: primò enim dicitur à spiritualitate contra corpulentiam, seu crassitiem, seu corpus crassum, & densum, & hoc pacto verificatur de substantia corporea rara, & subtili, in quo sensu aër, & ignis dicuntur spiritus: sic & vapores, & exhalationes terreæ.

Digitized by Google

terreæ, & aqueæ: Item, & quædam substantiæ subtiles, quæ sunt in corpore animato, quæ dicuntur spiritus vitales, animales, & naturales: Secundò dicitur à spiratione, vel à spirare, sic flatus, & ventus dicitur spiritus, & in rationalibus dicitur amor interior *lib.* 1. *distinct.* 11. *art.* 1. *quæst.* 1. dicitur etiam vita, in quo sensu dicitur *Gen. cap.* 1. *Anima spiraculum vitæ*: hocque vltimo pacto dicitur de quacunque anima spirituali, & vitali: non verò aliis primis duobus: Tertiò dicitur à spiritualitate, provt est quid oppositum corpori, & à corpore abstrahens *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argum.* & in hoc datur gradualis latitudo, & hæc est propria spiritualitas, quæ, vt aliàs dictum est ex Seraph. Doct. per id differt à substantia corporea, quod hæc subiacet quantitati molis, illa nequaquam: obidque cùm importet spiritualitas abstractionem à corpore, & à quantitate molis, etiam fert secum immunitatem quandam licèt non totaliter, & omnimodè loquendò in creatis à loco corporeo: obidque ratione simplicitatis, & existentiam eiusdem totius in pluribus locis: & quia solus Deus est omninò spiritualis, ideò est vbique per immensitatem: Creaturæ autem quædam sunt spirituales per abstractionem per ordinem ad intellectum, vt vniuersale, & numerus, quæ possunt esse in pluribus propter communitatem ad plura, sed cum sui plurificatione: quædam sunt per sciunctionem, & distinctionem à materia corporali: vt animæ, istæque (subdit *in Itiner. ment. cap.* 2.) vel sunt omninò coniunctæ corpori, suntque brutales, & plantarum animæ: vel coniunctæ separabiliter, vt anima rationalis: vel omninò separatæ à corpore, vt Angeli, & omnes istæ sunt in pluribus locis, non tamen multiplicatæ, idest sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte: Hinc

207. Respondetvr, quod anima vegetans, & sentiens continentur propriè sub ratione generica spiritus, quatenùs sunt species diuidentes ex æquo simul cum spiritu rationali, & Angelico spiritualem substantiam contra corpus: primò enim sub hoc genere subalterno spiritus dicitur de Angelo: secundò de anima rationali: tertiò de sensitiua: quartò de vegetatiua, sed cum hoc discrimine, quod vt (ait S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *&* *lib.* 4. *dist.* 5. *part.* 2. *quæst.* 1. *in corp.*) solùm anima rationalis, cùm sit hoc aliquid, & per se existens, potest dici in ratione spiritus species completa physica, licèt provt est forma, sit pars speciei: At cæteræ animæ, cùm non sint per se existentes, dicuntur solùm pars speciei physicæ: Addimus tamen, quod metaphysicè loquendo etiam istæ possunt poni directè in prædicamento substantiæ: Sic *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 3. *& Itiner. Ment. cap.* 2.

Probatvr autem animarum spiritualitas: Quia cùm constituant simul cum corpore totum physicum viuens, necessariò exigunt partes diuersæ rationis: ergo anima erit immunis à corpore. Tum quia non subiacent quantitati molis. Tum quia earum extensio est solùm secundùm quantitatem virtutis, & spiritualem: ergo. Confirmatur *ex Eccles.* 3. *quis scit, si spiritus iumentorum descendat deorsum.*

Dices: Anima sensitiua, & vegetatiua

tatiua educuntur de potentia materiæ: ergo sunt corporeæ.

Probatur consequentia: Quia ex Seraph. Doct. solùm formæ corporeæ fuerunt concreatæ in materia: vnde dixit *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 3.* quod materia, quæ aliquando subiecta fuit formæ corporali, nunquam exui potest, ita vt sit sub forma spirituali: ergo.

Respondetur, quod cùm Seraph. Doct. assignet discrimē inter animam rationalem, & cæteras animas, quia illa est coniuncta materiæ, & corpori separabiliter: Istæ verò sunt coniunctæ inseparabiliter: Sic *in Itiner. Ment. cap. 2.* dicuntur aliquando corporeæ ob istam conjunctionem, licèt posteà consideratæ secundùm se, sint spirituales: & in hoc sensu aliquando eas collocat in numero formarum materialium, ex hoc quod sunt concreatæ in materia simul cum cæteris propriè corporeis.

Adverte tamen pro intelligentia dictorum Seraph. Doct. quod semper animæ sensitiuæ tribuit veram propriam spiritualitatem: vt videre est (*in Itiner. Ment. cap. 2. & lib. 2. dist. 15. art. 1. quæst. 2. fund. 3. & ad 3. & 4.*) vbi eam appellat valdè spiritualem, nunquam tamen (quod sciam) hanc spiritualitatem expresè tradidit animæ vegetatiuæ: sed quia *in lib. 1. dist. 8. part. 2. quæst. 3. ad 1. & 2.* tribuit indiuisibilitatem consimilem animæ sensitiuæ, & rationali, hinc & ipsa in eius sententia debet dici spiritualis.

Dices: Ergo forma spiritualis residet in materia simul concreata cum formis corporabilibus: sed consequens est falsum: Probatur minor, quia formæ corporeæ ideò subiacent extensioni, quia educuntur de materia quanta, & extensa, ergo & animæ.

Respondetur concedendo sequelam Maioris, & negando Minorem. Ad probationem Respondetur formas corporeas subiacere extensioni, non quia fuerint concreatæ in materia, sed quia non sunt natæ informare materiam, & constituere compositum nisi cum extensione, cui subiacent, & cùm dependeant à materia quanta, & ob id si educi habent ex materia, educuntur cum extensione: Sic S. Bonau. *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 4.* non sic forma spiritualis, quæ non subiacet tali extensioni, sed naturaliter tantùm educi potest ex composito corporeo iam constituto in esse, & ob id non dependet à quantitate, & extensione in esse, sed tantùm in operari.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Anima aliqua sit composita ex materia, & forma.

208. Qvæstio hæc à Multis omittitur etiam à profitentibus Seraphicam Doctrinam, vt à P. Baudunio nostro: vel pertrahitur ad communem opinionem Seraph. Doct. quasi admittat tantùm materiam, & formam metaphysicam, scilicet actum, & potentiam: & hoc vel amore Thomisticæ doctrinæ: vel ad euitandas difficultates: Sic P. Trigos. *part. 1. quæst. 3. ad nott. marg.* & Coriol. *part. 1. q. 2. art. 11.* Excipio tamen P. Ferchium Veliens. qui semper fidelissimus Bonauenturista ipsam doctissimè, & philosophicè pertractat *tom. 1. de Angel. quæst. 28.* cui multum.

Digitized by Google

multùm debeo in intelligentia plurium Textuum Seraph. Doct. valdè difficilium: Suarez item *in Metaph. disp.* 13. *sect.* 14. *num.* 5. notat Seraph. Doct. loqui de vera materia: sed ipsam asserit esse spiritualem, omittitur autem communiter ex eo, quod tanquam certum existimant ipsam animam esse formam simplicem, immunemque à compositione physica, quod quàm falsum sit, in præsenti quæstione patebit: In qua

PRIMA opinio communior negat ab anima quacunque, præcipuè à rationali compositionem physicam ex vera materia, & forma.

SECVNDA affirmat: Estque Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *dub.* 3. *& lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fund. & dist.* 19. *art.* 1. *quæst.* 1. quam & probabiliter sustinent Scotus *quæst.* 15. *de an.* Richard. *lib.* 2. *disp.* 17. *quæst.* 1. Cauell. in Scotum ibid. Vorrilon. *lib.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *& disp.* 17. *q.* 1. *Concl.* 2. Gratian. Brix. *lib.* 2. *disp.* 17. *quæst.* 1. Scotellus *lib.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 4. Capullius *lib.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *&* 2. *& disp.* 17. *quæst.* 2. Gulielm. de Lamare in Correctorio apud Ægid. *art.* 10. Nysse *tract.* 2. *part.* 2. *port.* 1. *quæst.* 3. *fol.* 133. *& part.* 2. *quæst.* 1. *fol.* 157. Petauius *t.* 3. *lib.* 1. *de Ang. c.* 4. *num.* 3. Brulefer *lib.* 2. *disp.* 3. Et nouissimè doctissimus, & fidelissimus, P. Ferchius *tom.* 1. *de Ang. quæst.* 28. *& tom.* 2. *quæst.* 25. & P. noster Gallitius in Phys. *lib.* 1. *tract.* 2. *quæst.* 6. *num.* 10. licèt obiter. De possibili verò (licèt non de facto) eandem sustinent Arriag. Ouied. Aliique. Pro solutione quæstionis

209. PRIMÒ Notandum, & tanquam certum supponendum, & ab omnibus Philosophis, & Theologis receptissimum aliquam compositionem necessariò debere admitti in anima rationali, & in Angelis, cùm omnis creatura deficiat à Dei simplicitate, qui est purissimus actus. Vnde admittuntur communiter in Angelo, & in anima rationali sequentes compositiones: Prima ex essentia, & dependentia in ordine ad principium primum efficiens: Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *& dist.* 33. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. nihil enim est sua dependentia, de qua alibi est sermo: De dependentia verò animæ à suis principiis componentibus dicetur infrà: Secunda ex entis, & esse, idest essentiæ, & existentiæ, quæ distinguuntur vel realiter, vel formaliter: Tertia ex essentia, & potentiis, quæ distinguuntur vel realiter secundùm Thomistas, vel formaliter secundùm D. Bonauent. & Scotum, de quo infrà suo loco: Quarta ex quo est, & quod est, idest ex natura communi, & differentia indiuiduali: anima enim rationalis est indiuidua *lib.* 1. *dist.* 19. *quæst. vlt. & lib.* 1. *dist.* 1. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. Quinta ex quod est, & qui est, idest ex indiuiduo, & suppositalitate *lib.* 1. *dist.* 19. *cit.* Sexta ex substantia, & accidente: subiectantur enim in ipsis accidentia spiritualia *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2.

SEPTIMA ex potentia, & actu: & quia hæc compositio ab omnibus ponitur in anima, per quam nituntur se eximere ab omnibus rationibus allatis ex Seraph. Doct. quibus intendit demonstrare in anima compositionem ex materia, & forma, admittentes tantùm hanc compositionem metaphysicam actus, & potentiæ: Hinc explicandum est, in quo

Digitized by Google

ſenſu debeat admitti, & recognoſci.

Sciendum igitur eſt, quod actus, & potentia eſt æquiuocum, & pluribus modis vſurpatur à Philoſophis: Primò igitur ſumitur pro modis entis, quibus eadem res modò eſt in potentia, modò in actu, ſic formæ dicuntur educi de potentia materiæ ad actum: Secundò pro potentia obiectiua, ſecundùm quam res dicuntur eſſe in virtute ſuæ cauſæ, cui opponitur actus ſecundus ſcilicet exiſtentia actualis: Tertiò pro potentia paſſiua, & transmutabili ab alio, & pro actiua, & tranſmutatiua alterius: ſic actiuum, & paſſiuum ſunt primæ differentiæ diuidentes potentiam, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *quæſt.* 1. quomodò dicitur materia eſſe in potentia ad tranſmutari per aduentum alicuius formæ, vel quomodò intellectus poſſibilis ponitur in actu ab intellectu agente *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 3. & confunditur etiam cum potentia ſubiectiua, & actu accidentali, vel ſubſtantiali: Quartò pro realitate, & realitate metaphyſica, ſcilicet genere, & differentia, quæ coincidit etiam cum alia proximè poſita tertio loco: Quintò pro principiis conſtitutiuis, quorum vnum eſt per ſe potentia, vel materia, & aliud per ſe actus, ſcilicet forma ſubſtantialis: Aduerſarij auferunt hanc vltimam ab anima, & ab Angelis, & vltrò admittunt cæteras, præcipuè quartam: concedunt enim componi ex genere, & differentia, ſiue ex actu, & potentia, ſed volunt iſtas realitates deſumi ab eadem entitate ſimplici formæ, ſeu animæ: immò Rouius *tract. de an. ſepar. quæſt.* 1. *num.* 12. appellat hanc compoſitionem ſubſtantialem animæ: licèt neget materiam, & formam in anima: Sanctus Bonauentura verò ſuſtinet oppoſitum, nempè neceſſariò debere deſumi genus, & differentiam, potentiam, & actum à duabus partibus phyſicis materia, & forma: immò ex hac compoſitione ex actu, & potentia, ex genere, & differentia infert neceſſariò in anima materiam, & formam: Hinc

210. Secundò Notandum, quod S. Doct. in adſtruenda compoſitione ex materia, & forma in anima, & in Angelo ductus eſt ex duobus fundamentis, ſeu rationibus à priori, & aliis à poſteriori.

Prima ratio à priori eſt: Quia cùm Angelus, & anima in ratione ſpiritus per ſe exiſtentis, & ob id completi in ſuo eſſe, reponantur directè in Predicamento ſubſtantiæ, conſequenter etiam continent compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, ex actu, & potentia: cùm autem talis compoſitio ſit vera ex realitate, & realitate diſtinctis ex natura rei, & oppoſitis ex eo, quod actus, & potentia diuidunt primò, & ex æquo ens, ſeu potentiam, vt dicit ex Ariſt. Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *quæſt.* 1. hinc etiam, quia emanant à ſubiecto phyſico, in hoc debent recognoſcere duplex principium originale, cuius ratione inſunt in eodem ſubiecto: impoſſibile enim eſt, vt ab eadem entitate indiuiſibili oriantur, & præcipuè ab eo, quod eſt purè forma, ſeu actus, alioquin etiam poſſet talis compoſitio recognoſci in Deo: iſta autem principia ſunt materia, quæ eſt principium, & ſubiectum omnis potentialitatis, & forma, quæ eſt principium omnis actualitatis: Videantur

Digitized by Google

deantur ea, quæ à nobis ex Seraph. Doct. tradita fuere *in Log. ad Cap. de Differentia quæst.* 2. præcipuè *ad Concl.* 2. & 3. & de qua materia fusè ex Aristot. tractat ad rem nostram Doctissimus Bonauenturista Ferchius *tom.* 1. *de Angel. quæst.* 27. *à num.* 24. & deinceps.

Secunda ratio à priori est, quia anima est ens per se existens, & hoc aliquid, & substantia singularis, ideóque exigit principia, ex quibus desumatur fixio talis per se existentiæ, sed non à forma, quia de se nata est esse in alio, & sub hac ratione etiam anima est nata esse in alio: ergo à materia: hæc enim est primum subiectum receptiuum irreceptibile, ad quod omnia tanquam ad primum principium per se existentiæ reducuntur: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. & 2. & *lib.* 2. *dist.* 17. *quæst.* 2.

Rationes verò à posteriori desumptæ sunt fundatæ in proprietatibus materiæ existenribus in Angelo, & Anima, de quibus infrà.

211. Tertiò Notandum, quod cùm in Physica probatum à nobis fuerit materiam ab omni forma posse à Deo separari: hine videtur, quod anima rationalis possit ex tali separabilitate subiecta fieri corruptioni, & mortalitati, quod est contra ipsius naturam. Quare aduertendum, quod rectè possunt stare simul in eodem subiecto separabilitas partium componentium ipsum subiectum, & ipsius incorruptibilitas: ratio est, quia, vt tradidimus in Phys. *lib.* 1. *tract.* 2. *quæst.* 10. corruptio oritur ex qualitatibus contrariis: vnde solùm illa forma naturaliter est expulsibilis à subiecto, & corruptibilis, cum qua adest contrarietas: vt patet in formis Cœlorum: separabilitas verò, & inseparabilitas formæ à subiecto sumitur per ordinem ad agens vel naturale, vel supernaturale, cum hoc tamen, quod si agens naturale poterit separare naturaliter materiam à forma, necessariò exiget in subiecto qualitates contrarias: si verò tantùm id poterit fieri per agens supernaturale, non necessariò exiguntur qualitates contrariæ in subiecto, cùm id possit fieri solùm per potentiam obedientialem, in quo casu, ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 42. *art.* 1. *q.* 3. & 4. & *dist.* 44. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. illa forma est inseparabilis absolutè, & simpliciter, & separabilis secundùm quid, quod in quæstione de potentia obedientiali *in lib.* 2. *Phys.* fusè traditum est.

Dices: Vnde oritur, quod forma animæ sit absolutè inexpulsibilis à sua materia: videtur enim oppositum, cùm appetitus materiæ semper ad aliam formam inhiet, nec per vnam possit exsaturari: & hinc oritur separabilitas, & corruptibilitas formæ.

212. Respondet Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 1. *quæst. vlt. ad* 1. & *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* & *ad* 3. & *quæst.* 3. *fund.* 6. & *lib.* 2. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 6. & *art.* 2. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. quod licèt nulla forma totaliter expleat appetitum materiæ secundùm totam suam amplitudinem aliquando tamen materiæ applicatur forma tam perfecta, & cum tam perfectis dispositionibus, quod capacitatem tam bona coniunctione perficit, vt in tali forma quietatur, nec ad alias actu ob carentiam etiam dispositionum contrariarum inhiet:

Digitized by Google

Hinc Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 19. art. 1. quæst. 1. in corp.* loquens de nobilitate animæ dicit, quod ipsius immortalitas, & incorruptibilitas non solùm debet desumi à causa ipsius finali formali, & efficiente, sed etiam à materiali: nam ipsum, quo est anima, scilicet forma animæ, est tantæ dignitatis, vt ipsam anima reddat imagine Dei insignitam, ita vt ipsa materia, quæ huic formæ vnitur, tanto appetitu ei coniungitur, & ita in eius appetitu quietatur, & terminatur, quod nullatenus aliam formam appetere queat, cùm optima colligantia iungantur, idest cum vnione, & dispositionibus perfectissimis: & *lib. 1. dist. 44. quæst. 1. ad 3.* notat, quod materia secundùm se est in omnimoda possibilitate secundùm potentiam obedientialem, non secundùm naturalem: Deus enim secundùm diuersitatem materiatorum eius capacitatem debitis dispositionibus limitauit, ipsique proportionatas formas adiunxit: & hinc (*ex lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1. & 2. & dist. 12. art. 2. quæst. 1.*) in sublunaribus indidit in materia hac seminarium omnium formarum corporalium generabilium cum subiectione ad qualitates contrarias: In Cœlis ipsam affecit formis perfectioribus, & incorruptibilibus cum quantitate, & qualitatibus perfectiuis proportionatis. In Angelis, & in animis ipsam affecit forma inexpulsibili absque quantitate scilicet molis, sed cum qualitatibus nobilissimis, & carentibus contrario: Hinc sequitur, quod forma animæ licèt per absolutam Dei potentiam sit à materia separabilis, est tamen absolutè ipsa incorruptibilis, sicut & anima, quia nullum agens naturale potest eas separare.

Dices: Si Deus eas separaret, tunc corrumperetur.

Respondetur primò ex Seraph. Doct. in simili *lib. 2. dist. 3. part. 1. quæst. 1. in fine* quod hîc non quærimus, quid Deus possit, sed quænam sit natura animæ.

Respondetur secundò, quod in tali casu duplex, immò triplex miraculum concurreret: primum esset separatio: secundum conseruatio vtriusque, & præcipuè formæ: tertium esset corruptio animæ: Sed miraculum non est, immò naturale; si forma illa sibi relicta seruetur perpetuò vnita suæ materiæ, ex quo elucescit ipsius formæ independentia à materia in essendo, & in informando, cùm ipsius inseparabilitas à materia non eueniat à materia in esse, sed ob ipsius dignitatem: talis enim forma & necessariò est, & necessariò informat, ita vt à nulla causa secunda quoad vtrunque possit inturbari, licèt posteà anima ipsa possit perturbari quoad effectum, scilicet quoad informare corpus, licèt non quoad esse, in quo forma animæ præeminet ipsi animæ.

213. Qvartò Notandum ex Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 17. art. 1. quæst. 2. ad 6. & aliis locis cit. in præcedenti Notabili*, quod cùm ex materia, & forma constituatur compositum substantiale, id tamen multipliciter potest euenire, nempè aliquando absque eo, quod forma terminet appetitum materiæ, sed potiùs disponendo illam ad nouam formam, vt euenit ex forma corporeitatis; aliquando complendo totaliter, vt euenit in productione compositi completi, & viceuersa; aliquando materia terminat omnem possibilitatem

Digitized by Google

tem informationis formæ: aliquando nequaquam, sed potiùs disponendo ad vlteriorem materiam perficiendam: Hinc sequitur, vt notat Ferchius *cit.* infrà, quod in doctrina Seraphica duplex materia, & forma debet admitti: duplex materia scilicet prima, & secunda: item & duplex forma prima, & secunda: Docet enim, vt suprà pluries traditum est præcipuè *ex lib. 2. distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. vltra materiam primam dari in materia plures formas subordinatas scilicet corporeitatis, elementaris, &c. quæ ita actuant materiam, quod etiam tale compositum disponant ad vlteriorem perfectiorem formam: in quo casu materia prima est illa, quæ primò subiacet formæ, materia secunda erit compositum perfectibile per vlteriorem formam: simili modo forma prima erit simplex non resolubilis in aliam formam, vel materiam ex quibus: estque in entibus corporeis forma illa corporeitatis, quæ in principio mundi indita fuit in materia prima: forma secunda est forma vlterior perficiens compositum ex prima forma, & materia, & magis posteà est forma totius, quæ coalescit ex vnione talis compositi cum forma vlteriore: vti sunt forma elementaris respectu corporis, forma mixtionis, organizationis, & vitalis.

RATIO huius positionis Seraphicæ est *ex lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 6. & Richard. *lib.* 2. *disp.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. quia ex parte materiæ cùm forma prima non terminet omnem appetitum materiæ in suo ordine, immò illam disponit ad vlteriorem formam, hinc tale compositum dicitur materia secunda perfectibilis per vlteriorem formam, in quo casu forma ipsa transit in rationem materiæ, cùm tale compositum sit informabile, & perfectibile per aliam perfectiorem formam.

214. Ex parte verò formæ, quia materia primò informata non terminat omnem appetitum formæ in suo ordine: appetitus autem formæ, seu ipsius officium formale est esse terminum formalem actionis: item & esse informantem materiam, & esse constitutiuam specificè compositi totalis, & vltimò complentem: Sic S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5. Cùm autem non sit terminatus totaliter appetitus formæ per talem materiam: ideò forma illa nata est informare duas materias, vnam immediatè, ex quibus vnum compositum coalescit, & aliam materiam mediatè, nempè corpus, vel istud compositum, quod immediatè informatur ab anima sic composita: in quo casu in ista forma secunda materia ipsa transit in rationem formæ, non quod materia informet, vel sit ratio informandi, sed quia ex ipsa constat compositum, quod est forma secunda respectu materiæ vlterioris: Hinc sequitur, ait Seraph. Doct. *loc. citat.* quod si forma vltimò terminat appetitum materiæ, constituit ens completum non ordinabile ad aliud, si non terminat, constituit compositum materiam ordinabilem ad aliam formam: & si materia vltimò terminat appetitum formæ, sic constituitur cōpositum completum, si non terminat, constituit compositum incompletum ordinabile ad constituendum per modum formæ aliud compositum: sic enim forma actuando materiam ipsam attrahit ad se, & constituendo compositum sibi proportionatum ordinatur ad vlteriorem

 formam

formam actuandam, in quo casu dicit Richard. *citat.* materia animæ benè proportionatur suæ formæ quantum ad constitutionem vnius per essentiam, sed non quantum ad terminandum totam possibilitatem animæ, quæ est in posse recipi in alio, & in constituere compositum: & hinc vlteriùs simul cum sua materia est tota receptibilis in alio scilicet in corpore: vnde applicando hanc doctrinam ad animam, primò materia prima actuatur à forma corporeitatis, quæ simul cum tali materia induit rationem materiæ secundæ actuabilis per formas elementares, quæ simul cum dicto composito corporeo sunt adhuc perfectibiles per formam organizationis, deinde per formam sensitiuam, & vltimò per rationalem: sed quia in anima rationali adest materia cum forma, quæ forma, cùm sit nobilissima, non satiatur in sua actuatione à materia illa, sed ipsa materia attrahitur à tali forma ad se, & tunc induit simul cum dicta forma rationem formæ secundæ in sensu suprà allato valentis actuare corpus organizatum: quæ doctrina est conformis iis, quæ Arist. tradit 12. *Metaph. t.* 12. vbi ostendit, quod forma, & materia non fiat ex aliis, quia ex alia materia, & ex alia forma essent, sed limitat se loqui de extremis, idest de forma vltima, & materia vltima, quod & notauit S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 5. *& lib.* 2. *dist.* 17. *cit.*

Dices: Quare hoc compositum animæ non appellatur potiùs materia secunda, quàm forma secunda, cùm constet vtrisque.

Respondetur, quia vt ait Seraph. Doct. cùm forma prima in anima totaliter satiet appetitum materiæ, è conuerso verò formæ actiuitas, & appetitus non satiatur à materia, idest ampliùs tale compositum non est perfectibile, vti erant antecedentia composita, sed benè est perfectiuum, cùm induat rationes talis nobilissimæ formæ continentis perfectionem non solùm formalem, sed eminentialem perfectiuam & materiæ primæ, & secundæ: Hinc tale compositum dicitur iuremeritò forma secunda, quod tamen non euenit in Angelo, cuius materiæ, & formæ appetitus mutuò totaliter expletur, obidque nec est vlteriùs perfectibilis, nec perfectiuus alterius materiæ: Hanc doctrinam verè Seraphicam, & sublimissimam tradunt etiam Scotus *quæst.* 15. *de an.* Gulielmus de Lamare *in Correctorio art.* 28. *apud Ægidium:* Aliique cum Ferchio *t.* 1. *de Ang. q.* 28. *num.* 3.

215. Sextò Notandum, & Supponendum, quod à nobis fusiùs traditum est in Physica *lib.* 1. *tract.* 2. *q.* 2. *& in seq.* ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. *& dist.* 17. *q.* 2. *aliisque locis infrà citat.* quod materia potest considerari sub triplici notione, seu statu: Primò secundùm se, & prout abstrahit à quacunque forma: Secundò simul cum priuatione: Tertiò cum forma sibi vnita: In primo statu competunt ei semper, & vbique prædicata siue primi, siue secundi modi dicendi per se, verbi gratiâ, esse ens reale, physicum, substantiam, quid absolutum, puram potentiam fundatiuam omnis alterius causabilis, cùm sit primum omnium principium originale, esse potentiam ad priuationem, & positionem formæ, siue esse indifferentem ad esse, vel non esse absque forma, esse ingenerabilem, & incorruptibilem, primum transmutabile,

Digitized by Google

tabile, primum passiuum esse non fundabilem in alio: & hæc, si sunt absoluta, competunt ei in primo modo, si respectiua, in secundo modo dicendi per se, scilicet vel vt quid essentiale, vel vt proprietates: In secundo statu competit ei priuatio priùs natura, quàm forma: vt notat Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 12. art. 1. quæst. 1. ad 1.* In tertio statu consideratur vt actuata à forma, quare prædicata secundi, & tertij status competunt materiæ non secundùm se, sed contingenter, cùm priuatio, & forma non sint essentiales materiæ: Et licèt materia de se non includat formam, obidque videatur de se includere priuationem: attamen vt diximus ex Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 1. part. 1. dub. 3. & dist. 34. art. 2. quæst. 3. lib. 1. Phys. tract. 3. quæst. 4.* Priuatio sumpta in materia, prout materia abstrahit à quacunque forma, & à priuatione, quæ est principium entis naturalis, importat indifferentiam positiuam ad vtrunque, sicque priuatio sumitur concretiuè, idest concernendo materiam de se abstractam à forma, & hæc est proprietas ipsius materiæ positiua: Vtque id rectè intelligatur

216. Septimò Notandum, quod cùm materiæ præcipua proprietas sit potentia: Aduertendum, quod materia secundùm se considerata in statu præcisionis est indifferens: ob id habet potentiam recipiendi formam vel corporis, vel spiritus à solo primo agente. Sed postquam à Deo indura fuit forma corporea, de qua dictum est *in lib. 1. Phys. de forma tract. 4. quæst. 3.* cum qua concreatæ fuerunt in seminario materiæ corporeæ omnes formæ, quæ inseruire debebant generationi, & corruptioni rerum, sic materia ista corporea est in potentia ad formas tales respectu agentis naturalis, quatenùs scilicet sola virtute naturali possunt educi, & dicitur proxima potentia. Et quia talis materia de se præcisè habet intrinsecè indifferentiam, & potentiam ad quascunque formas, si verò ad istas non poterit peruenire agens naturale, tunc dicitur esse in potentia remotissima, quæ secundùm S. Doct. *lib. 1. dist. 42. art. 1. quæst. 4.* dicitur potentia secundùm quid, cùm sit solùm obedientialis: & hæc est ratio (ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 3.*) quare materia, quæ iam fuit subiecta formæ corporeæ, nunquam eadem exuitur, & illa, quæ subiicitur formæ spirituali, nunquam eadem expoliatur.

Ratio est, quia in tali materia adest quidem priuatio formæ, quæ forma non potest ibi collocari nisi per potentiam obedientialem, & absolutam Dei, sed talis priuatio est alligata tempore, modo, agente, aliisque consimilibus circunstantiis. Et ob id materia Animæ, Angelorum, & Cœlorum per aduentum formæ nobilissimæ est eleuata suprà esse priuationis talis, quæ nullo modo naturaliter potest esse terminus generationis, & hoc, vt dictum est, ratione formæ actuantis ob sui nobilitatem materiæ appetitum, & auferentis potentiam proximam, dispositionem, & potentiam, & dispositiones ad alias formas remanente sola obedientiali: ita quod à nullo efficiente secundo nullis transmutationibus quouis tempore, vel modo potest deiici forma talis de possessione suæ materiæ: Sic Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 1. quæst. vltim. ad 1. & lib. 2.*

Digitized by Google

lib. 2. *distinct.* 3. *artic.* 1. *part.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* & *ad* 3. & *quæst.* 3. *fund.* 6. *aliisque locis infrà citandis*. His præmissis sit

217. PRIMA CONCLVSIO: Anima rationalis, sicut & Angeli componuntur ex materia, & forma vera, & reali: Est S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 17. *artic.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. & 2. & *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fund.* 5. & *dist.* 19. *q.* 1. & *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. & *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. & *Serm.* 2. & 4. *Hexaëm. aliorumque suprà cit.*

PROBATVR primò variis authoritatibus, & primò ad aures. Aristot. *in lib.* 1. *de longit.* & *breuit. vita* proponit hoc dubium, an si corruptibile poneretur, vbi non esset vlla contrarietas, an esser corruptibile: & respondet, quod esset incorruptibile de facto, licèt secundùm quid, & per se corruptibile ob potentialitatem materiæ ad esse, & non esse sub talibus contrariis: & *lib.* 1. *de Cæl. textu* 20. reducit incorruptibilitatem cœlorum ad carentiam contrarietatis: ergo licèt Aristot. non agnouerit aliam materiam præter sublunarem, dato, quod aliam agnouisset immunem à contrarietate, etiam eam agnouisset immunem à corruptibilitate.

ET D. Ambrof. *lib.* 2. *de Abr. cap.* 8. asserit omnem creaturam (intellige substantiam completam) esse compositam ex materia, & forma, solamque Sanctissimam Trinitatem ab hac esse immunem: Idem & D. Aug. *lib.* 1. *de Mirab. Sacr. Script.* (apud S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2.) & *lib.* 1. *in Gen. contra Manich. cap.* 11. & *lib.* 1. *de Genes. ad lit. c.* 5. & *lib.* 12. *Confess. cap.* 20. idem fatetur: Idem S. Cyrill. Alexand. *lib.* 2. *contr. Iul.* & D. Boet. *lib. de vnit.* & *vno*. Idem & Auicebron. qui fuit antiquissimus, & piissimus Theol. & insignis Philos. D. Boetius *cit.* habet hæc verba: Vnum enim aliud est simplicitate vnum vt Deus; aliud simplicium coniunctione vnum, vt Angelus, & anima, quorum vnumquodque est vnum coniunctione materiæ, & formæ: quæ verba cùm sint clarissima, vt effugiant vim, D. Thomas dicit hunc non esse librũ Boetij: Thomistæ dicunt se loquutum fuisse ad mentem Aliorum: sed hæc responsio est debilis nimis, aptaque diludere quamlibet authoritatem: Et quoad D. Aug. P. Benedictus à S. Iacob. Augustin. Discalceatus in suo cursu Philosophico ad mentem D. August. composito *part.* 3. *cap.* 12. docet D. August. patenter reiecisse hanc opinionem de compositione ex materia, affertque textum *ex Gen. ad liter. lib.* 7. *cap.* 7. Vnde infert S. Patrem oppositum docere, reiicereque omnem materiam tam spiritualem, quàm corpoream ab anima: sed pace amicissimi, & doctissimi viri dico, quod mens S. Patris fuit reiicere opinionem asserentem animam fuisse factam ex traduce, scilicet ex materia præiacente: vt *in cit. loco cap.* 5. clarè patet: & in hoc etiam valdè dubius fuit, immò id asserit *in lib.* 1. *cap.* 1. *de Mirab. S. Script.* (apud S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *fund.* 1.) attamen posteà *in cap.* 6. patenter recognoscit materiam, vbi est aliqua mutabilitas, obidque & in in anima: Vide Ferchium *quæst.* 28. & *quæst.* 27. *num.* 9. & deinceps: Sed omissis authoritatibus.

218. PROBATVR primò ratione à priori

priori à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 3. cit.* Quæcunque substantia composita est ex duabus naturis, communi, per quam conuenit, & propria, per quam disconuenit ab alia substantia, illa est composita ex materia, & forma: sed Anima rationalis (sicut & Angelus) est huiusmodi respectu corporis: ergo.

PROBATVR Maior: Impossibile est plures naturas concurrere ad constitutionem tertij, nisi sit vna potentialis vt materia, reliqua actualis vt forma: ex duobus enim entibus in actu non fit per se vnum essentiale: ergo.

PROBATVR Minor primi argumenti: Omne per se definitum in aliquo prædicamento habet naturam generis communem aliis speciebus, & naturam differentiæ, per quam differt ab aliis speciebus, & constituitur in specie peculiari ab aliis distincta: Sed Angelus, & Anima rationalis per se definitur in genere substantiæ: ergo habet naturam generis, per quam conuenit in substantia cum corpore, & naturam differentiæ, per quam differt à corpore: ergo: sed duplex natura vna potentialis, altera actualis est materia, & forma: ergo.

RESPONDENT sufficere diuersos conceptus intentionales generis, & differentiæ: obidque & compositionem ex actu, & potentia, vt patet in cæteris formis tum substantialibus, & multò magis in accidentalibus, quæ definiuntur, & tamen non habent materiam, & formam.

CONTRA, inquit S. Bonauent. Alia est ratio de accidentibus, quæ habent ortum à substantia, eiusque principiis, & cùm in recta linea ponantur per se vt formæ simplices, & in abstracto, ideò species non sunt cópositæ ex diuersis naturis, de hac re vide, quæ diximus in Logica *à n. 289. & deinceps.* Vnde si reponeretur totum nempè ipsa forma cũ suis principiis, esset vnum per accidens: at substantia non ponitur in prædicamento, siue vt generalissimum, siue subalternum, siue vt specialissimum nisi in concreto, obidque ex principiis realibus eiusdem generis: ergo quod ponitur directè in genere substantiæ, vel causatur à duabus naturis potentiali, & actuali eiusdem generis, vel ex diuersis naturis in prioris generis subiecto repertis: hoc secundum non est in Angelo, nec in Anima: ergo primum: secundum enim spectat ad puras formas, & maximè accidentales: igitur si Angelus, & Anima sunt ex genere, & differentia, tales realitates debent fundari in re, & in eius principiis, quæ sunt materia, & forma: ergo componuntur & ipsa ex materia, & forma: alioquin tales realitates essent figmenta.

CONFIRMATVR: Quod est directè in genere reali, habet principia realia illius generis: substantia est vnum genus reale, cuius principia sunt materia, & forma *ex 2. de an. t. 2. & 12. Metaphys. t. 22. & alibi sæpè.* Et hinc Boëtius, & Simplicius, Aliique dicunt Arist. in prædicamento substantiæ non tractare de materia, & forma, sed de composito: ergo quod ponitur directè in prædicamento substantiæ, est ex materia, & forma, ergo ex destructione consequentis: quod non est ex materia, & forma, non est in prædicamento.

RESPONDENT Thomistæ concedendo totum in substantiis corporeis: negando in spiritualibus: sed in his sufficit,

sufficit, vt eadem substantia simplicissima concipiatur vt quid indeterminatum sub ratione generis, & potentialis,& vt quid determinatum per modum actualis, & differentiæ.

Contra: Nullis duobus contradictoriis veris, & realibus potest esse communis vna ratio per se vna realis: sed materia, & negatio materiæ sunt contradictoria vera, & realia: ergo non potest esse ratio per se vna ipsis communis: sed materia à qua per se vna prædicamenti substantiæ est in corpore, & in Angelo est negatio materiæ, ergo nec est per se vnum prædicamentum commune corpori, & Angelo, animæque:ergo debent assignari duo genera generalissima substantiæ, vnum commune corporibus, aliud spiritibus: consequens est falsum, ergo & antecedens.

Confirmatur: Quidditas fundata in re, & non fundata in re, sed in solo conceptu, & ratione non sunt vna per se quidditas: at substantia pro generalissimo in corpore est quidditas fundata in re, quæ est materia in Angelo, & Anima, non est fundata in re, in qua nihil est indeterminatum, cùm sit pura forma, & actus, estque tantùm genus secundùm rationem: ergo quidditas substantiæ in corpore, & in anima non erit per se vna, quod est falsum.

Confirmatur iterum: Genus substantiæ in corporibus sumitur à materia, in spiritibus ab actuali secundùm se determinato, non verò potentiali formaliter: at materialitas, & immaterialitas, indeterminatum formaliter, & determinatum formaliter vt talia in nullo re conueniunt: ergo nec habent vnam per se rationem communem: sed hoc est contra Arist. 12. *Metaph. c.* 21. & contra principia Philosophiæ docentis in omni genere oportere habere vnum per se principium illius generis, & secundùm Aduersarios corporalia resoluuntur in materiam primam vt in principium per se ipsorum, & immaterialia in nullum per se principium: ergo. Tum quia sequeretur, quod in spiritibus intellectus considerans eos indeterminatè, & determinatè haberet considerationem includentem contradictoria: considerans enim obiectum sub modo repugnante naturæ talis obiecti, considerat obiectum, & modum ipsi repugnantem, sed intellectus considerans spiritum, & corpus sub modo indeterminato attribuit modum repugnantem spiritui, facitque conuenientiam duorum contradictoriè disconuenientium, scilicet corporis habentis verè indeterminationem, & spiritus ipsam non habentem, nec valentem habere, & tamen ipsi attributam ab intellectu: ergo intellectus ita intelligẽs includit contradictoria in obiecto. Tum quia sic spiritus essent in prædicamento non reali metaphysico, sed tantùm secundùm nostram considerationem: eo enim modo sunt in prædicamento, quo habent genus, & differentiam: sicque etiam Deus posset poni in prædicamento: Vide, quæ dicta sunt *in Cap. de Different. quæst.* 2.

Respondent habere actum, & potentiam: Sed

Contra: Quia in genere substãtiæ actus, & potentia desumuntur à materia, & forma ex Arist. 11. *Metaph. cap.* 1. & 12. *text.* 2. Tum etiam quia sunt entia vera, & realia, & per se existentia: ergo habent, in quo conueniunt cum corpore, & in quo disconue

conueniunt : sed materia in genere physico se habet vt genus, forma vt differentia : ergo : Explicatur hæc ratio; inter materiam, & genus adest hæc proportio : genus est quid de se indistinctum, sic & materia, illud per differentias, ista per formas distinguitur, illud de se nullam differentiam habet, sed ad omnes est indifferens, sic & materia ad formas : hinc materia de se non est corporea, nec spiritualis, sed per formam contrahitur vel ad corpus, vel ad spiritum, & hinc etiam in vtroque statu consequuntur necessariò materiæ proprietates, vt infrà dicetur.

219. PROBATVR secundò à Seraph. Doct. In quacunque substantia finita sunt proprietates materiæ, ipsa substantia vel est materia, vel habet materiam : sed Anima, & Angelus est huiusmodi : ergo : Maior est certa : proprium enim est, quod conuersim prædicatur de subiecto, inestque omni soli, & semper. Tum quia omnis per se proprietas requirit subiectum primum vniuersale (in quo) & primum radicale, seu virtuale, propter quod inest subiecto primo vniuersali, verbi gratiâ, disciplinæ capax habet pro subiecto hominem pro primo radicali animam rationalem in re; alioquin duplex subiectum primum, ex quo emanant istæ proprietates, quibus subiectis essent communes, quod est impossibile. Probatur minor. Proprietates materiæ præcipuè sunt suprà enumeratæ, nempè esse primum mutabile, primum receptiuum, primum passiuum, primum fundamentum, & primum potentiale : sed istæ insunt in Anima, & in Angelo : ergo : Probatur Minor : & primò de mutatione : transmutabilitas est passio scibilis in Physica : ergo habet subiectum primum, de quo est demonstrabilis, sed id aliud non est nisi materia prima : Sic enim D. August. 7. *in Gen. cit.* arguit ex mutabilitate materiam : alioquin aliud subiectum primum transmutabilitatis ante materiam esset assignandum, cuius ratione inest aliis per se, sed non primò, sed in Angelo, & Anima rationali adest hæc transmutatio, verbi gratiâ, à statu peccati ad gratiam, ad locum, & ad varias qualitates, ad actus, ad habitus, ad passiones : D. autem Thom. cum communi, & Aristot. *Met.* 12. *t.* 6. infert in Cœlo materiam ex his mutationibus : ergo & in Angelo, & Anima. Et hinc Aristot. qui recognouit substantias immutabiles, reiecit ab ipsis materiam.

220. PROBATVR iterum ex hoc, quod materia est primum receptiuum irreceptibile : ergo in quocunque adest receptio formarum, adest hoc primum receptiuum, ratione cuius subiectum potest eas recipere : Sed in Angelo, & in Anima adest talis receptio, ergo : & hinc à Deo excluditur talis receptio, quia est purus actus : & ob id etiam D. Boët. à Seraph. Doct. *cit.* dixit puram formam non esse per se subiectum formarum : subsumo, sed materia est primum receptiuum, ad quod tanquam ad primum subiectum reducitur omnis potentialitas passiua : ergo & in Anima, & in Angelo adest materia prima.

PROBATVR tertiò à Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 17. *cit.* Materia est primum passiuum. Tum quia in Angelo, & Anima est vera passio, & est de fide : nam boni patiuntur benè, & mali malè, idest secundùm affectionem iusti, & commodi, vel mali.

Digitized by Google

Respondent D.Thom. & Ægid. esse in ipsis passionem absque abiectione: at materia est principium passiuum cum abiectione, & corruptione.

Contra: In Cœlo adest passio non abiectiua: Cœlum enim patitur ab actiuo motiuo ratione materiæ, & in corporibus damnatorum itidem adest absque abiectione. Tum quia si ex negatione passionis abiectiuæ infertur negatio materiæ: ergo in Cœlo non erit materia, quod est falsum. Tum quia passio vera, quæcunque illa sit, semper est cum aliqua abiectione, scilicet boni esse, & quietis, vt docet Seraph. Doct. *lib.*4. *dist.* 44. *part.* 2. *artic.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. Tum quia omnis passio realis requirit potentiam passiuam realem in eo, quod patitur, siue sit abiectiua, siue non. Tum quia in Anima, & Angelo adest potentia passiua intellectiua. Tum quia, quæ sunt eiusdem rationis, exigunt principium eiusdem rationis: sed passio perfectiua est in corporibus cœlestibus, & sublunaribus: nam cœli verè mouentur, receptiui sunt qualitatum, verbi gratiâ, lucis, illuminationum, &c. sublunaria recipiunt qualitates perfectiuas species sensibiles, sed in istis adest hæc passiuitas ratione materiæ: ergo & in quocunque alio subiecto, cùm ab eodem principio sint eædem proprietates: alioquin daretur aliqua passio, vel qualitas terminans passionem, quæ esset extra prædicamentum, quod est falsum, cùm ex Arist. omnia reducantur ad materiam primam, ipsa autem ad nihil aliud.

Confirmatur à Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 17. *citat.* & *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. Quicquid idem substantialiter agit, & patitur secundùm eandem formam terminantem, habet in se aliud, quo agit, & aliud, per quod patitur: sed Anima, & Angelus sunt huiusmodi; ergo. Minor est certa: Anima enim eadem numero, & vna agit in seipsam, & seipsa patitur secundùm eandem formam terminantem, verbi gratiâ, ad quale, ad vbi, ad intellectionem, volitionem, quæ producit, & recipit in se. Tum quia Angelus potentior mouet imbecilliorem coactum, vt Tobiæ 8. *Raphaël dæmonium ex Media in Ægyptum detraxit*: potentior agit: sed quo, nisi forma? Debilior patitur: sed quo, nisi materia? Maior est Aristot. 9. *Metaphys. cap.* 1. & 5. *Metaphys. t.* 17. qui distinguit potentiam per actiuum, & passiuum, passiua est principium transmutandi passiuè ab alio: actiua est principium transmutandi aliud: sunt enim, ait Seraph. Doct. *lib.*4. *dist.*50. *part.* 2. *quæst.* 1. duæ differentiæ ex æquo diuidentes potentiam in communi, quæ eidem secundùm idem non possunt competere *ex lib.* 2. *dist.* 3. *p.* 1. *q.* 1. *fund.* 2. nec enim in genere substantiæ sunt duæ potentiæ reales passiuæ: omnis enim pluralitas reducenda est ad vnitatem saltem in passo, quod non est ratio distinguendi: Sic ex Arist. 1. *Phys. t.* 56. ad patiendum sufficiens est vnum: ergo non possunt conuenire in vno contento sub communi simul, & semel: ergo impossibile est, quod vnum, & idem secundùm idem sit principium actiuum, & passiuum. Tum quia idem secundùm idem non potest simul esse in actu, & in potentia, sed vnumquodque agit, secundùm quod est in actu, & patitur, secundùm quod est in potentia: ergo secundùm diuersa principia: nam si est

est in potentia: ergo non habet actum, ad quem est in potentia: Si habet actum, iam non est in potentia: sicque si non adsunt diuersa principia, erit, & non erit in potentia: Subsumo: Sed materia est primum passiuum, forma est primum actiuum ex Arist. 1. *de Gen. t.* 55. & 2. *t.* 53. ergo.

221. PROBATVR quartò à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. quæst. 2. in corp.* Materia est primum fulcimentum, & fundamentum, quo res est per se, & existens, & non est in subiecto, sed Anima, & Angelus sunt huiusmodi: ergo habent materiam.

PROBATVR Maior (nam Minor est certa) Proprietas substantiæ prædicamentalis est, vt in alio non sit, sed aliis substet: ergo exigit vnum primum subiectum, à quo emanet, sed id non est forma, cùm fundetur in alio, & in materia, ergo erit materia: hincque Arist. reduxit omnia prædicamenta ad materiam primam: accidentia enim resoluuntur ad substantiam tanquam ad subiectum inhæsionis, & formæ ad materiam primam tanquam ad primum subiectum, & principium.

CONFIRMATVR: Quia anima est hoc aliquid, & verè indiuiduum substantiæ: ergo habet formam, secundùm quam est hoc aliquid vt actum, & materiam, quæ secundùm se non est hoc aliquid, sed est potentia subiectiua actui danti esse hoc aliquid: Sic & Arist. 12. *Met. t.* 26. & 27. docet omnium principia prima esse actum, & potentiam, nempè materiam, & formam: Vnde sic arguitur ex Arist. Omnis substantia, quæ est hoc aliquid, habet formam, secundùm quam est hoc aliquid vt actum; habet & materiam, quæ secundùm se præcisè non est hoc aliquid, sed est potentia subiectiua actui tali danti esse hoc aliquid, scilicet formæ: ergo & anima, quæ est hoc aliquid. Tum quia anima rationalis & dat vitam corpori, & ipsa viuit: vel igitur est sua vita, vel non: non primum: Solus enim Deus viuit per essentiam, creatura non, sed per participationem, vt dicunt D. August. & Boet. apud Seraph. Doct. *loc. cit.* ergo secundum: Si ergo non est sua vita, oportet ponere in anima secundùm se, quod det vitam, & aliquid, quod recipiat: ergo habet principium actiuum, & passiuum.

CONFIRMATVR ex dictis in argumento primo principali suprà posito primo loco, scilicet ex eo quod Anima, & Angelus sunt species sub genere spiritus, reponuntur in Prædicamento substantiæ non solùm Logico, sed etiam Metaphysico: ergo in ipsis debet esse aliquid originale, per quod conueniunt in ratione substantiæ cum cæteris omnibus, & simul in ratione spiritus: & aliquid, per quod differant à substantia corporea: non enim istæ duæ rationes oppositæ generis, & differentiæ Metaphysicæ possent desumi ab eadem entitate, & principio: ergo à principio passiuo genus, & à forma differentia, vt dictum est *in Notab.* 2. & fusè probatum est in Log. *ad cap. de differentia.*

CONFIRMATVR: quæcunque differunt specie, differunt sub genere ex Arist. 5. *Met. t.* 12. & ista differunt etiam numero, sed non differunt per aliquid accidentale, ergo per aliquid substantiale, & intrinsecum constitutiuum, & distinctiuum, sed differentia specifica est à forma; numerica est à materia, vt probatum

est *in cap. de substantia:* ergo si Animæ distinguuntur ab Angelo specie, & inter se numero, etiam habent materiam contractam à forma hîc, & nunc.

222. Probatur quintò à Scoto: Ingenerabilitas, & incorruptibilitas sunt proprietates materiæ ex traditis *in lib.* 1. *Phys.* sed anima plus cæteris participat de istis: ergo: sed quia Aduersatij nituntur euadere omnes difficultates per illud suum vnicum refugium compositionis ex actu, & potentia.

Probatur sexto: Actus, & potentia sunt proprietates materiæ, & formæ, scilicet potentia materiæ, actus formæ: ergo & in anima.

Probatur antecedens: Vbi est verum contrahibile potentiale, ibi est subiectum, à quo talis potentialitas emanat, sed primum subiectum potentialitatis est materia prima: ergo.

Probatur vltimò: Nulla adest repugnantia talis compositionis, quod & admittunt Plurimi ex Aduersariis, obidque & de possibili: ergo dum adsunt rationes conuincentes, & inducentes, ipsam debet admitti: sed adsunt, vt suprà pluribus locis probatum est: ergo.

Probatur Maior: Omnis repugnantia ad hæc tria capita reduci potest, scilicet vel ad spiritualitatem animæ vel ex parte causarum, vel ex parte effectuum: non hoc vltimum, vt probatum est ex proprietatibus materiæ: secundò nec ratione spiritualitatis: hæc enim nullam habet contrarietatem ad materiam: est enim ens indeterminatum nec quid, nec quale, nec quantum, sed indifferens ad omnia prædicamenta: & in homine eodem adest spiritualitas coniuncta cum corporeitate: tertiò nec ratione causarum siue efficientis, & finalis, qui est Deus, vt per se patet, nec ratione formæ: forma enim spiritualis potest informare corpus: ergo multò magis materiam puram. Tum quia materia de se est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt suprà dictum est, ergo habet maiorem conuenientiam cum tali forma, quàm ipsa anima cum corpore: ergo constat ex materia, & forma.

223. Secvnda Conclvsio: Materia Animæ rationalis, & Angeli est eiusdem rationis cum materia sublunarium, & omnium materiatorum. Est Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. Patet hæc Conclusio ex traditis in Phys. *tract. de materia quæst.* 1. *& tract. de Cælo quæst.* 1.

Probatur à Seraph. Doct. præcipuè ex hoc, quod proprietates materiæ sunt communes Animæ, Angelo, & Corporibus: ergo insunt eis secundùm aliquid commune vniuocum receptum in ipsis. Tum quia materia secundùm se nec est quanta, nec qualis, nec corporea, nec spiritualis: ergo est indifferens de se, nec in se habet vllam differentiam.

224. Tertia Conclvsio: Anima vegetatiua, & sensitiua non componitur ex materia, & forma, sed est forma simplex: Est S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *q.* 2. *& lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* contra Aliquos, quos suppresso nomine citat *in corp.* & est etiam communis Aliorum.

Notandvm autem est hîc, quod docet Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. vbi dicit, quod sicut in omni potentia, vel natura est aliquid,

Digitized by Google

quid, quo est fieri, & aliquid, quo est facere, sic est & in omni cognitione: est enim hæc prima diuisio potentiæ per actiuum, & passiuum: obidque & hæc duo necesse est differre, verumtamen secundùm gradus minoris, & maioris spiritualitatis habent maiorem, & minorem differentiam: intellectiua namque eo, quia est spiritualior, & abstractior, habet vtramque potentiam, quæ respicit substantiam spiritualem, ita quod actiua est ratione formæ, & passiua ratione materiæ: In potentia sensitiua, quæ est minùs spiritualis, actiua potentia est ex parte animæ, & passiua ratione organi, & quia sensus non est sine passione, ideò sensus est operatio coniuncti: qua doctrina suppositâ, ex qua habetur fundamentum carentiæ talis compositionis in anima sensitiua.

Probatvr. Tum quia istæ animæ non sunt hoc aliquid, scilicet indiuiduum per se existens: ergo non habent materiam tribuentem esse fixum ipsius. Tum quia sunt formæ simplices, & perpetuò coniunctæ materiæ, & in operari dependentes à corpore: ergo non habent materiam puram sui. Tum quia sunt generabiles, & corruptibiles per naturam: ergo seminaliter sunt in materia: ergo educuntur de potentia materiæ; dixit enim Deus *Gen. cap. 1. Producat terra animam viuentem*, quare si haberent materiam, materia educeretur ex materia.

Obicies primò contra primam Conclusionem ex D. Thom. & Scoto: Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti: sic Arist. quam propositionem etiam habet S. Bonau. *lib. 3. dist. 14. art. 3. quæst. 2. in fund. vltim.* alioquin idem recipiet seipsum, essetque simul mouens, & motum secundùm idem: sed anima recipit formas existentes in materia sine materia, scilicet species abstractas à materia: ergo & ipsa est denudata à materia: intelligere enim est actus omninò immaterialis: ergo anima debet esse immunis à materia, vt sit denudata à materia rei intellectæ, & cognitæ.

225. Respondetvr ex S. Doct. *lib. 2. dist. 17. quæst. 2. ad* 4. requiri immaterialitatem specierum in intellectione, non ex eo quod anima sit immunis à materia, sed quia res sensibiles secundùm suum esse physicum non possunt vniri potentiæ, sicut est necessaria talis vnio ad intellectionem, ideò vniuntur secundùm esse intentionale: immò ex hoc necessariò infertur (ait Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 50. part. 2. quæst. 1.*) compositio ex materia in anima, vt habeat in se principium passiuum receptiuum talium actuũ. Vnde ex eodem S.D. *lib. 2. dist. 17. citat.* distinguenda est Maior: Omne receptiuum debet esse denudatum à materia recepti, concedo, à propria, nego: & per hoc satisfit pluribus consimilibus obiectionibus: Quia ex Seraph. Doct. *cit.* non valet inferri ex immaterialitate obiecti recepti immaterialitatem potentiæ, vel è contra: sic enim proceditur cum fallacia non causæ vt causæ: cùm enim ob immaterialitatem animæ cognoscentis anima recipiat formas sine materia, sed ob rationem suprà adductam, nempè vt vniatur potentia cum obiecto, & vt ponatur in actu primo: alioquin (ait Seraph. Doct.) etiam in sensibus valeret inferri immunitas à materia, cùm in ipsis recipiantur species immunes à materia obiecti, Tum etiam quia cùm reci-

piat

piat formam non materiam obiecti, deberet esse denudata à forma.

Dices : intellectum cognoscere vniuersalia , sensum singularia , & ob id anima intellectiua plus abstrahit à materia , quàm sensus , & ideò non est par ratio : Sed

Contra : Quià hæc differentia non est ex parte speciei receptæ : nulla enim particula materiæ obiecti recipitur in sensu, sed omnes species sunt abstractæ à materia obiecti:totū autem discrimen est ex parte potentiarum cognoscentium, quia sensus est secundùm actum singularium tantùm , quia sunt secundùm materiam extensam : intellectus verò recipit speciem depuratam immediatè repræsentantem obiectum in vniuersali, ex hoc quod est inorganicus , & ob id est ex consequenti etiam singularium : de quo Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 2. quod verò pro statu isto non immediatè percipiat singularia , venit ex impedimentis corporis, & quia priùs debent recipi per sensus : sed aliàs agemus de hoc.

Instas ex D. Thom. Quicquid recipitur , per modum recipientis recipitur , sed recipitur forma sine materia in intellectu : ergo & ipse est sine materia.

226. Respondet S.Bona.*lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *art.* 3. *quest.* 1. *ad* 1. *&* *lib.* 2. *dist.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quest.* 3. *ad* 4. quod verum est , quando receptum dependet à recipiente : tunc enim induit modum recipientis : sic species recipitur in intellectu , & ab eo dependet , induit modum intentionalem , & spiritualem : quando verò non dependet , vt forma recipitur in corpore , tunc non induit modum recipientis. Tum etiam quia si intelligatur de omnimoda similitudine, est falsa propositio : nam accidens recipitur in substantia non per modum substantiæ , sed sufficit proportio , nempè passiuitas in recipiente, & actus in recepto , & ideò exigunt conditiones oppositas, immò ex hoc infertur in anima esse rationem passiuam , scilicet materiam receptiuam.

Obiicies secundò : Aliæ formæ non sunt compositæ ex materia , & forma : ergo multò minùs rationalis: Antecedens est communis omnium cum Seraph. Doct. Probatur consequentia à S. Thoma : quò forma est nobilior, eò est simplicior perfectior, & magis propinqua enti simplicissimo , quod est maximè vnum , sed anima rationalis inter formas est huiusmodi : ergo.

227. Respondet S.Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ad* 5. concedendo antecedens , negando consequentiam, & paritatem : Ad probationem respondetur , si comparatio est inter ea , quæ sunt eiusdem ordinis , vt formæ simplicis cum forma simplici, & compositi cum composito , vera est maior , falsa Minor , cùm anima rationalis sit non solùm forma , sed per se existens etiam , ob id & composita : Vnde si comparatio fiat variato ordine scilicet formæ simplicis cum composito , idest cum forma , quæ est simul hoc aliquid , & per se existens , nego Maiorem , & Consequentiam : Vt autem intelligatur hæc responsio S. Doct. notat ipse , quod est multiplex genus simplicitatis , item & compositionis , & partium : sunt enim partes substantiales partes quantitatiuæ,& compositio ex vtrisque , sicque simplex dicitur vel per carentiam partium constitutiuarum, vel partium quantitatiuarum : simplicitas per carentiam partium quantitatiua

Digitized by Google

titatiuatum dicit perfectionem simpliciter, quia, vt aliàs dixit *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 3.* in tali simplici accessus ad summum est per additionem quantitatis virtutis, & ob id per accessum ad maiorem simplicitatem, & perfectionem: Et hac ratione anima rationalis est cæteris perfectior: nam aliæ formæ per accidens possunt habere extensionem vel secundùm id, quod sunt, vt sunt formæ corporeæ: vel secundùm id, quod operantur, vt sunt forma sensitiua, & vegetatiua: loquendo verò de simplicitate per carentiam partium constituentium, & complentium, sic est falsa maior: talis enim compositio facit rem esse per se, & ad rei complementum, & perfectionem: Sic & *lib. 2. dist. inst. 15. art. 1. quæst. 2. ad 3. & lib. 4. dist. 50. part. 2. quæst. 1. in corp.* vbi docet animam rationalem eo, quod est spiritualior, & abstractior, habet vtramque potentiam, quæ respicit substantiam spiritualem, scilicet actiuam ratione formæ, & passiuam ratione materiæ, anima sensitiua eo, quod est minùs spiritualis, & simplex, habet actiuam ratione sui, & passiuam ratione organi distincti, cui subordinatur in operando, & ideò sentire est totus coniuncti.

Dices: Ergo anima rationalis minùs appropinquat summè simplici, quàm cæteræ formæ, cùm ipsa sit composita, non cæteræ.

Respondetur negando consequentiam ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. cit. & lib. 1. dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 1. & lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad. 2.* Ratio est ex Ferchio *citat.* quia quando ad vnum primum plura reducuntur secundùm eandem rationem, quæ magis appropinquant secundùm illam eandem, magis participant illam rationem: at quando vnum appropinquat secundùm vnam rationem, non est necessarium, vt appropinquet secundùm alteram, verbi gratiâ, Cœlum, & homo secundùm rationem durationis reducuntur ad æternitatem, sed Cœlum magis participat eam, & appropinquat: homo verò magis in ratione vitæ, sapientiæ, libertatis, &c. quàm cœlum: Ad rem, si accipiamus rationem simplicitatis quantitatiuæ, magis ad simplicitatem Dei appropinquat anima rationalis, quàm cæteræ formæ: non verò si accipiamus simplicitatem substantialem: sic enim homo minùs accedit ad Deum, quàm mixtum similare, quàm elementum, quàm materia prima, & tamen secundùm alias rationes magis Deo appropinquat, nempè non in hac ratione simplicitatis, sed in ratione actualitatis, vitæ, intellectualitatis, libertatis, &c. & maximè secundùm vnitatem sui summi: Quare conceditur formas simplices esse magis simplices quoad constitutionem completiuam substantialem: non verò quoad quantitatiuam, & quoad entitatem, quæ importat dependentiam maiorem.

228. Obiicies tertiò: Si in anima est materia: ergo non potest esse in subiecto, illudque informare.

Probatur consequentia: Vbi est idem principium per se primum, & tale, ibi est idem principiatum: sed materia est primum subiectum, id est per se primum principium repugnantiæ ad informare, & sibimet, & aliis: ergo si hæc est in anima, in ipsa etiam erit repugnantia ad esse in alio, & ad informare.

Respondetur cum Ferchio negando

Digitized by Google

gando sequelā antecedentis. Ad probationem distinguo Maiorem: Vbi est idem principium per se, est idem principiatum, quando adest secundùm eandem rationem, concedo: quando est sub diuersa ratione, nego: Ad Minorem eiusdem probationis distinguo: Materia est primum subiectum repugnantiæ ad informare, & sibi, & aliis, si consideratur secundùm se, & præcisè, concedo: si consideratur, prout est vnita formæ, adhuc & distinguo, si totaliter appetitum formæ quoad informare terminat, concedo: si non totaliter terminat talè appetitum, nego, vt est in casu nostro: nam in primo casu terminationis appetitus formæ exercet totaliter munus principij: in secundo casu non totaliter exercet, cùm non adsit ratio completi totalis, & terminati: sed adhuc ad aliud informabile remanet ordinabilitas: exemplum habemus etiam in formis: nam formæ per se competit primò ratio informandi, sed tamen quando non totaliter complet talem rationem, tunc remanet in tali constituto adhuc noua ordinabilitas ad compleri per aliam formam perfectiorem: sic & materia, dum non complet appetitum formæ, qui consistit in actuare materiam, adhuc remanet in tali composito ratio informatiua vlterior, vnde aliud est posse per se esse, & non in alio per informationem: aliud non posse esse in alio quocunque modo, sed necessariò per se esse: Primum competit materiæ, & cuicunque enti ratione materiæ: ideóque anima ex hoc, quod est composita ex materia, & forma, per se est: Secundum verò competit etiam aliis: vt chymeræ, nempè negatio potentiæ essendi in alio: vnde hæc negatio licèt competat materiæ per se, & præcisè, non tamen aliis, nisi addatur ratio completi, vel terminati, vt dictum est, si namque constitutum ex materia est per se ordinabile ad aliud, adhuc potest esse per se pars, cùm non sit per se totum completum: Hanc doctrinam S. Bonauent. *loc. cit.* innuit, & clariùs *lib. 2. dist. 13. art. 2. quæst. 2. ad 5.* vbi docet posse dari in eodem composito duas formas, quarum nobilior non habeat suum vltimatum esse, nec tamen completur per aliam, sed per istam compleatur ipsum compositum illa remanente in tali esse: sic & forma animæ constitutiua animæ est nobilissima, nec habet totaliter suum appetitum terminatum ab informatione receptiua materiæ, obidque & ipsa anima constituta in esse adhuc potest compleri in sua informatione per sui exhibitionem ad corpus.

229. Obicies quartò: Quia sequeretur animam esse corruptibilem, &c. Probatur: Materia est principium transmutationis, ex hoc quod ipsi inest appetitus interminatus ad omnes formas: ergo si in anima, &c. Confirmatur; quia posset separari materia à tali forma: ergo tunc, &c. Tum quia cùm materia habeat partes integrantes, sequitur posse diuidi in partes eiusdem rationis.

Respondetur negando sequelam Maioris: Ad probationem respondetur ex suprà traditis materiam esse principium transmutationis corruptiuæ secundùm se remotissimum, concedo: proximum, nego: ad hoc enim requiruntur dispositiones, & qualitates proximæ, & contrariæ. Et ad id de appetitu iam responsum est: quando adest appetitus

satiatus

satiatus per formam nobilissimam cum proportionatis dispositionibus, negatur appetitum tunc exercere suum actum: vt est in Anima rationali, in Angelo, & in Cœlis. Et ad illud de diuisibilitate

RESPONDETVR concedendò totum quoad potentiam obedientialem: negando secundùm potentiam creatam, & realem: Ad aliud de diuisibilitate materiæ in partes integrantes

RESPONDETVR ex Aristot. 1. *de an. Cont.* 90. *&* 91. apud Ferchium *cit. num.* 30. *ad finem quæst.* 28. materiam, quantum est de se, habere partes diuisibiles, & vnibiles, sed vnitatem formæ continere partes materiæ vnitas, & partes materiæ contineri vnitas, & secundùm vnitatem formæ robustiorem, vel debiliorem partes materiæ, vel diu, vel breui seruari vnitas, vel etiam semper: sed quia forma animæ continens partes materiæ est inexpulsibilis, & inseparabilis, ideò ipsis etiam participat impartibilitatem iuxta doctrinam S. Doct. *lib.* 1. *dist.* 1. *quæst. vlt. ad* 1.

INSTAS: Adest in materia animæ priuatio formarum omnium: ergo appetitus ad illas est in actu: Probatur Consequentia: Nulla priuatio aufertur per illud, quo necessariò priuatio inducitur, vel retinetur in materia, verbi gratiâ, materia habet formam equi: corrumpitur equus, & ponitur in tali materia forma Leonis, tunc ad positionem alterius formæ introducitur priuatio formæ equi, & omnium aliarum: sic in illa materia animæ ponitur sua forma: ergo & priuatio simul omnium aliarum: ergo appetitus actu exercet suum officium, quod est inhiare ad alias.

230. RESPONDETVR distinguendo antecedens: In anima adest priuatio absolutè, & remotè, concedo: adest priuatio proximè, & secundùm circunstantiam, nego: Explico hoc dictum: In materia animæ per aduentum suæ formæ ponitur quidem priuatio aliarum formarum, sed quia est coarctata per talem formam nobilissimam, ideò cùm eminenter contineat perfectiones omnium aliarum formarum, tollitur actualis priuatio, & omnimoda ad alias formas, & relinquitur priuatio restricta, & modificata, quæ potiùs est priuatio de nomine, quàm de re: hinc negatur consequentia. Ad probationem

RESPONDETVR: Nulla priuatio tollitur per id, quod ipsam inducit, si id, quod ipsam formaliter inducit, est nobilissimum continens eminenter perfectionem aliarum, nego Maiorem: Si non continet, concedo. Et ad Minorem

RESPONDETVR formam animæ ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 19. *quæst.* 1. *& lib.* 3. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & clariùs *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* esse nobilissimam subleuantem suam materiam suprà esse extensionis, & priuationis, & corruptionis, per quam tollitur quidem priuatio in genere, licèt non tollatur priuatio supra genus, quæ potiùs est negatio: vnde per id non ponitur materia in statu violento: ad hoc enim exigitur forma corruptibilis cum dispositionibus pugnantibus: & hinc negatur consequentia.

231. OBIICIES quintò ex D. Thom. Anima est forma corporis: ergo non est composita ex materia, & forma.

PROBATVR consequentia. Tum quia

quia ens completum non potest ingredi compositionem alterius. Tum quia si anima est forma corporis, aut est secundùm se totam, aut secundùm aliquid sui: Si primo modo: ergo non est composita ex materia: potentia enim passiua non potest esse actus alterius: Si secundum: ergo primum informans est anima, & corpus primum informatum: ergo alia pars ad nihil inseruit.

Respondetvr negando consequentiam: Ad probationem Respondetur per compositionem non fieri animam ens vltimatè completum: sic negatur consequentia. Et ad aliud Respondetur animam secundùm se totam informare, non secundum partem: sic negatur consequentia.

Instat Caietanus: Vel informat, provt habet materiam: vel non: Si secundum: ergo non secundùm se totam: Si primum: ergo potentia passiua erit actus: vel anima secundùm materiam est actus, quod implicat: Suarez *infrà cit.* proponit idem argumentum sic: Anima non informat ratione materiæ, quia hæc est potentia passiua: nec ratione formæ, quia eadem forma non potest informare duas materias: ergo nullo modo.

Respondetvr; si ly *secundùm se*, sumitur specificatiuè, seu vt totum Cathegorematicum, sic anima secundùm se totam, idest provt est forma constituta ex materia, & forma, informat, & vt quod: Si reduplicatiuè, seu Syncathegorematicè sumitur, sic anima ratione formæ, qua est anima, & vt quo, informat non ratione materiæ: Vnde vt quod informat non ratione materiæ: sed quia est totum constitutum ex materia, & forma, in quo constituto ratio formalis est forma, quæ primitate originis primò informat materiam primam partialem, ex quibus coalescit anima, cui correspondet corpus vt materia secunda, in qua recipitur. Et ad argumentum Suarez Respondetur eodem modo 1 in informatione adest quod, & quo, nec materia est ipsum quod, nec forma, sed ipsa anima, quæ informat, quo autem informat tanquam causa, propter quam anima tota nata est informare, est non materia, sed ipsa forma spiritualis constituens cum materia animam: hæc est forma composita, illa simplex.

232. Instat iterum: Sicut formæ repugnat informari, sic & materiæ informare: ergo anima non potest informare, si habeat materiam.

Probatvr antecedens: Quia forma est actus purus nihil habens de potentialitate: ergo & materia est pura potentia passiua nihil habens de actualitate per ordinem ad informare: ergo.

Respondetvr concedendo antecedens, si sumitur materia secundùm se, & forma secundùm se: negando, si sumitur materia vt informata à forma, & forma vnita materiæ eo modo, quo dictum est *in* 4. *Notabili.* Et ad id, quod forma est actus purus, &c. transeat de pura forma: negatur de illa, quæ est hoc aliquid: Ratio autem Seraph. Doct. est, quia licèt materia, vt materia est, & vt potentia vt sic, non possit esse actus, sed vt iam perfecta, & in actum redacta per formam, vt imbibita cum forma potest esse perfectio alterius materiæ: sicut ex opposito diximus formam inferiorem, provt est capax vlterioris perfectionis ratione materiæ

teriæ non completè actuatæ, potest adhuc simul cum tali materia informari: Idem & notat S. Bonau. *lib.3. dist.36. q.vlt. ad 5.* Er ad id, quod dicitur, materiæ repugnare actum, negatur absolutè: nam licèt sit pura potentia, adhuc tamen verè habet actum entitatiuum: Addit, materia ex qua non est actus, concedo, est tamen pars illius, quod est actus alterius, sicut in homine forma corporeitatis non est potentia receptiua animæ, sed est pars illius corporis, quod est potentia: vnde dicimus, quod si materia actuatur, & perficitur à forma nobilissima, poterit simul cum ea constituere vnum, quod est perfectio alterius materiæ.

Obiicies, sextò cum eodem D. Thom. Formæ non est forma, scilicet informans, nec perfectionis perfectio, nec vltimi vltimum, sicut nec materiæ materia: alioquin daretur processus in infinitum: sed quælibet forma non mediante alia forma est forma, & perfectio, & vltimum constituens: sic & quælibet materia est primum subiectum, nec aliud subiectum requiritur ad tale munus, cùm sint talia immediatè per suam naturam: ergo hæc multiplicatio formarum, & materiarum est superflua: Hoc argumentum conficitur à D. Thom. *lib.2. disp. 17. quæst. 1. ad 2. contra nostram Conclusionem:* Idem conficitur à Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 36. quæst. vltim. ad 5. contra seipsum.*

Cui & Ipse Respondet: Formæ non est forma, prout est forma, & actus, & perfectio, & immediatè recipiens in se formam, concedo: prout adhuc est informabilis, & mediatè recipiens, nego, scilicet quatenùs actuando disponit subiectum ad vlteriorem formam, & qua dispositione subiecti mediante adhuc illud totum est denuò actuabile, sic nego: id patet in forma corporeitatis, elementaris, & mixtionis: Pari modo dicendum est de forma spirituali animæ per ordinem ad ipsam animam ad suam materiam, & ad corpus: formæ spiritualis animæ non est forma immediatè recepta, concedo: vt mediatè, nego: sic & materiæ non est materia immediatè recipiens, concedo, mediatè, nego: Explico dictum; forma animæ immediatè informat suam materiam constituendo compositum animæ, quo mediante ordinatur ad corpus vt prior forma ad posteriorem naturam constituendam, & ad recipi in posteriore materia; vnde vera est Maior, si intelligitur immediatè: falsa, si mediatè: sic & materiæ recipientis immediatè non est materia: mediatè est materia; nam materia prima animæ ratione suæ formæ prioris, & mediante composito animæ recipitur in corpore: & ratio est allata suprà, nempè hanc vlteriorem ordinationem formæ ad aliam formam prouenire ex incompletione formæ respectu suæ materiæ: sic & ordinationem materiæ ad aliam materiam ex incompletione materiæ respectu suæ formæ, cuius appetitus non satiatur.

Instat Spinula: Illa forma, qua componitur anima, est nobilior ipsa anima: ergo & ipsa indigebit alia materia, sicque dabitur processus in infinitum.

Respondetur negando antecedens absolutè: nam illa est pura forma: ista est hoc aliquid: vnde prima forma nullam aliam excedentiam habet supra animam, nisi quatenùs est ipsius principium formale, & quia

est simplicior quoad compositionem substantialem.

233. Obiicies septimò cum Suarez *in Met. disp.*13. *sect.* 14. *num.*8. Non est necessaria talis compositio in anima.

Probatur: Non est necessaria ratione substantiæ creatæ vt sic: nec ratione proprietatum; ergo nullo modo: Probatur antecedens; de ratione substantiæ vt sic est, quod sit ens per se subsistens, siue per se aptum ad subsistendum: Sed ad id sufficit compositio Metaphysica, & dependentia à Deo: ergo ex hac parte &c. Secundò nec ratione proprietatum: quia non repugnat eandem rem esse in actu in genere substantiæ, & in potentia ad accidentia, ad actus, ad receptionem variarum formarum accidentalium: quod patet in anima separata, quæ absque vnione ad corpus potest operari, intelligere, velle, se mouere: ergo etiam sine materia, si sit purus actus. Tum quia id est valdè alienum à recta Philosophia, & à principijs fidei, ex hoc quod sequitur animam de se esse corpoream, sicut & Angelos: Sic *num.*10. *&* 13. *& seq.*

P. Ferchivs *tom.* 1. *de Ang. quæst.* 17. *num.*62. *& seq.* notat argumenta Suarez non esse contra conclusionem, sed tantùm contra rationem, immò nihil concludere, cùm procedat ab insufficienti enumeratione, & ob id cum fallacia consequentis: nam, si dixero, propter neutrum requiritur compositio ex materia, sed ob concursum substantiæ agentis, & patientis in eodem propter proprietates materiæ, propter indiuiduationem substantiæ, satis patebit ipsum nihil concludere, & dum dicit sufficere compositionem Metaphysicam, Nos negamus, immò ex tali compositione infert Seraph. Doct. compositionem ex materia, & forma, cùm actus, & potentia non possint eidem inesse ex eadem entitate indiuisibili: Et hinc cum Suarez docent eandem rem posse esse simul in actu, & in potentia, proponit ipsum quod, Nos verò ipsum propter quid, nempè animam posse agere, & pati ratione formæ, & materiæ: Quare dicta, & alia argumenta, quæ proponit Suarez, sunt mera petitio principij, maléque notare nostram Seraphicam Conclusionem esse contra principia fidei, cùm ex ipsa non sequatur animam esse corpoream, vel corruptibilem, vt supra fusè probatum est.

Obiicies octauò ex D. August. 7. *de Gen. ad liter. cap.* 7. 8. *&* 9. & ex Magistro *disp.*17. dicentibus animam non esse factam ex materia corruptibili, vel spirituali.

Respondet S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. 2. *& seq. & dist.* 17. *quæst.* 2. *ad* 3. *& dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 3. D. August. valdè dubitasse, an anima fuerit facta ex materia præexistente, vt facta fuerunt elementa, & corpora, & tandem negat, quod & Nos cum ipso negamus: sed volumus in eodem instanti creari simul materiam, & formam: & dum dicitur non fieri ex materia corporali, neque spirituali, concedimus totum: sed dicimus illam materiam de se nec esse spiritualem, nec corpoream, sed indifferentem ad vtramque formam, & si informatur per formam spiritualem, tunc spiritualizatur, si per corporalem, tunc fit corporea.

234. Obiicies nonò contra secundam Conclusionem: Corruptibilium & incorruptibilium non est

materia

materia vna ex Aristot. 12. *Met. text.* 26. ergo non est materia eiusdem rationis.

RESPONDET S. Bonau. concedendo Antecedens de materia secundùm esse, & vt informata: negando de materia vt sic.

OBIICIES decimò ex eodem Arist. quæ habent eandem materiam, sunt adinuicem transmutabilia: ergo anima poterit corrumpi.

RESPONDETVR primò Aristotelem non agnouisse aliam materiam, quàm istam sublunarem, & hinc nihil contra Nos.

RESPONDETVR secundò, quod ad inuicem sunt transmutabilia vel per potentiam obedientialem, vel naturalem, conceditur primo modo: negatur secundo modo ob rationes adductas.

DICES ex Arist. materiam esse in potentia contradictionis ad esse, & non esse, scilicet sub hac, vel illa forma; sed materia animæ non est in tali potentia, ergo non est eiusdem rationis.

RESPONDET S.Bonau. *lib.2. dist.3. part. 1. quæst.2.* verum esse de materia secundùm esse, idest quæ est sub Formis corruptibilibus, non secundùm se: transmutabilitas enim respicit modum vnionis materiæ cum forma, & dispositiones, non ipsam materiam præcisè: Sic & P.Gallicius de Cœlo *tract. 1. quæst.6. n.10.* alioquin ex quolibet posset fieri quodlibet, cùm omnia habeant eandem materiam, sed hoc est falsum; ergo id est ratione dispositionum.

OBIICIES vndecimò contra tertiam Conclusionem: Sola anima rationalis est composita, ergo est ignobilior cæteris formis, & animabus. Probatur consequentia, quia simplicitas est perfectio simpliciter: ergo quod est simplicius, est perfectius, sed anima sensitiua, & vegetatiua est minùs composita: ergo simplicior: ergo perfectior, quàm anima rationalis.

SED iam responsum est huic obiectioni suprà secundo loco positæ, quæ non vrget contra Nos; nam simplicitas maior, quæ importat perfectionem in creatis, est illa, quæ maiorem remotionem ab extensione quantitatiua continet, & ob id maiorem independentiam ab alio, in quo statu anima rationalis, cùm sit hoc aliquid, & per se existens, & independens à corpore, superat omnia alia creata corporea: vnde compositio ex partibus constitutiuis facit ad perfectionem.

EX quibus omnibus inferuntur hæc Corrolaria.

235. PRIMVM Corrolarium: Anima rationalis simpliciter, & essentialiter dependet à sua materia, & forma tanquam ex his, ob idque sub tali consideratione est substantia per se posita directè in prædicamento licèt non simpliciter; nam prout est forma reductiuè, tantùm est in prædicamento substantiæ: Sic Seraph. Doct. *lib.2. dist.1. part.2. art. 1. quæst. 1. & lib.2. dist. 17. quæst. 2. fund. 5.* quæ dependentia tamen est relatio transcendentalis cum ipsa anima identificata: Sic *lib.2. dist.1. part.2. art. 3. quæst.2.*

SECVNDVM: Anima rationalis est simplex quoad quantitatem molis, & in hoc est simplicior cæteris formis; sed vt est hoc aliquid, non est magis simplex, & hoc ob sui perfectionem maiorem: Sic *lib. 2. dist. 17. cit.*

TERTIVM: Forma Angeli, & Animæ per vllam potentiam creatam potest

potest separari à sua materia: ideò est separabilis secundùm quid, idest secundùm potentiam obedientialem, inseparabilis simplicirer, quia secundùm suum esse naturale non potest separari.

QVARTVM: Forma in Angelo, & Anima vnitur suæ materiæ, quæ non dicitur naturalis, quatenùs naturale importat motum, seu priuationem antecedentem in materia, quia anima non sit ex traduce, vel ex materia præiacente, sed dicitur naturalis, quatenùs in vtriusque creatione simultanea materia ordinatur per se ad talem formam, & talis ad talem materiam, & vtraque ad compositum, per quam vnionem arctatur eius appetitus, ita quod non ampliùs appetit actu aliam formam, cùm hæc sit omnium nobilissima, & eminentialiter perfectionem cæterarum contineat.



APPENDIX RESPONSIVA QVIbusdam oppositionibus factis à P. Benedicto à S. Iacobo Excalceato Augustiniano contra meas assertiones suprà traditas ex Seraph. Doctore, & D. Augustino.

POSTQVAM ad finem properarer editio huius Tomi de Anima, & Metaphysica ad mentem S.Doct. incidi in Opusculum quoddam de Angelis recusum Ferrariæ hoc an. 1676. in quo dictus Author me suppresso nomine citato intendit probare me inuehere in Scholis nouum modum philosophandi, & perperam interpretari textus S. Augustini: quod, quàm falsum sit, in hac additione legenti patebit.

DICTVS igitur Author *in axiom.* 1. *dub.* 1. *fol.* 26. & iterum *in axiom.* 3. *dub.* 1. *fol.* 40. notat se mihi obiecisse (quod & verè fecit in quodam discursu familiari mecum habito in hoc Conuentu Ferrariæ de hac materia Animæ, & Angelorum) textum quendam S. August. *ex lib.* 7. *de Gen. ad liter. cap.* 7. quem & ad extensum ponit *in* 3. *part. Philos.* vbi videtur S. Pater excludere ab anima omnem materiam.

CVI Ego respondi idem, quod Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 18. *quæst. vltim.* notat super eundem textum, nempè ibidem S.August. negare animam rationalem fuisse ex traduce, seu per eductionem ex materia præiacente: non verò quærere, vel dicere, quòd anima non sit composita ex materia, quòd alibi in locis suprà à me citatis docet: vnde infert S. Bonauent. de mente S. Augst. & secundùm veritatem materiam de se, & præcisè nec esse spiritualem, nec corpoream: sed fieri talem ex aduenìente actualitate formæ: Sic S. Bonauent. *ibid.* & *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2.

CONTRA quam responsionem insurgit

Digitized by Google

ſurgit dictus Author in dicto Opuſculo de Angelis notans me inuehere in ſcholis nouum genus philoſophãdi: quam nouitatem probat duplici medio: Primò, quia non materia ex forma, ſed è contra forma ex materia accipit corporeitatem, & ſupponens hanc propoſitionem indubitatam, relinquit eam improbatam: Secundò (addit) quia deberet ſic etiam admitti genus, verbi gratiâ animalitas, quæ nec formaliter, nec identicè eſſet vel rationalis, vel irrationalis, eſſetque diſtincta realiter à ſuis differentiis, hancque ſequelam ſimiliter improbatam relinquit.

Dicit igitur me ipſum notaſſe vt ſingularem inter Diſcipulos S. Auguſtini in reiicienda compoſitione materiæ, & formæ ab anima: hæc dictus Author.

Cvm autem totus ſim in exponendo opiniones germanas Seraph. Doct. in materiis Philoſophicis, & cùm ex aſſidua lectione eiuſdem operum perceperim ſe ſemper, & conſtanter profiteri fidelem ſequacem doctrinæ S. Auguſtini, hinc in gratiam doctrinæ Seraphicæ cogor me expedire ab hac nota.

Et primò quoad ſingularitatem obiectam dicto Patri, fateor me ſolùm ipſum notaſſe ſe in textu, quem ipſe ad extenſum affert *in 3. part. ſuæ Philoſophiæ*, & mutilatum, deinde *in cit. axiom. de Angelis* non fideliter, & germanè exponere mentem S. Auguſt. ſed trahere ipſum licèt inuitum ad partes Thomiſtarum, non verò quod ſit ſingularis in hac parte: non enim me latet ſuam ipſius opinionem amplexatam ab omnibus Thomiſtis, & etiam ab aliquibus non ab omnibus Scotiſtis; vnde pro iſta parte, cùm ſit quæſtio de facto, ſufficit expendere verba S. Auguſt. & ex ipſis eruere ſenſum germanum, quod ex profeſſo acutiſſimè fecit S. Bonau. vt videre eſt *lib. 2. diſt. 18. quæſt. vlt.* & mox patebit.

Secvndò quoad nouitatem philoſophicam, quam mihi obiicit: peto ab amiciſſimo, & doctiſſimo Viro, quo fundamento id inferat?

Respondet, quia non materia ex forma, ſed è contra forma ex materia accipit corporeitatem, oppoſitúmque eſt contra rectam Philoſophiam.

Sed Contra: Corporeitas, & ſpiritualitas ſunt actus materiæ: ſicut enim in ordine prædicamentali Metaphyſico ſunt differentiæ ex æquo diuidentes, & actuantes genus ſupremum ſubſtantiæ, ſic & in ordine Phyſico proueniunt à diuerſis formis primò contrahentibus, & actuantibus primum potentiale ſubſtantiale, quod eſt materia prima ex Philoſopho: igitur non forma ex materia, ſed è contrà materia ex forma fit vel corporea, vel ſpiritualis: igitur materia prima, quod eſt ſupremum, & primum potentiale, de ſe nec eſt ſpiritualis, nec corporea.

Præterea: Si Deus educeret animam rationalem ex materia, ſicut educitur anima ſenſitiua (quod nullam implicantiam inuoluit, vt cum aliis docet Serbellon. *de creat. diſp. 1. art. 1.* & de quo valdè S. Auguſt. dubitauit de facto ita fuiſſe) peto, an in tali caſu anima rationalis eſſet corporea? Si non, vti debet reſpondere: ergo corporeitas non ineſt formæ ex ipſius eductione ex materia.

Præterea Seraph. Doct. firmiter ſuſtinet animam ſenſitiuam, & vegetatiuam eſſe formaliter ſpiritualem: corpoream verò tantùm per accidens, ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet quatenùs in operari dependet à corpore,& tamen admittit ipſã educi ex materia (quod & Ego fusè probo *in quæſt. proximè antecedente*) ergo hoc ſuum dictum non eſt adeò euidens,vt ſupponit : obidque nec ſufficiens ad inferendam nouitaté in Philoſophia in Aduerſario negãte:Immò meum dictum eſt certum in Philoſophia,& ratio eſt,vt dixi,quia ſpiritualitas, & corporalitas ſunt actus Metaphyſici diuidentes ex æquo genus ſupremum ; ſed iſti deſumũtur tanquam emanantes à formis Phyſicis : ſic formalitas corporis ex forma corporeitatis , ſic animalitatis formalitas ab anima ſenſitiua : ſic rationalitatis formalitas ab anima rationali , quod & Ego probaui ex Seraph. Doct. *in tract. formalit.* & ſæpè ſupponit ex Scoto etiam Maſtrius præcipuè *in Met. tom. 2. diſp. 8. n* 210. Hinc ſequitur, quòd ſicut genus Metaphyſicum de ſe , & formaliter non eſt tale , vel tale, ſed ſolùm identicè,cùm formaliter ex natura rei à differentiis diſtinguatur , ſic & proportionaliter dicendum eſt de materia in ordine ad formam vel ſpiritualem , vel corpoream , de quo vide me ipſum in Log. *quæſt. 2. de Differentia* , & in Phyſ. *tr. de forma. quæſt. 3. in fund. 5.*

Seqvitvr ergo,quòd educi ex materiâ non eſt acquirere eſſe corporeum , vel etiam materiale , niſi ſubiectiuè ; cùm educi formam ex materia formaliter loquendo , ſit tantùm fieri dependenter à materia , dependentia tamen à poſteriori,non à priori : de quo vide me ipſum in Phyſ. *in quæſt. cit. de Seminario formarum : & in quæſt. 5. huius tract. fund. 1. & 5.* ergo hoc fundamentum huius Authoris nihil probat contra Seraphica principia : Immò ſequitur ſuum eſſe nouiſſimum, & inauditum , cùm intendat negare indifferentiam materiæ,& generis ad quamlibet formam, & differentiam , notiſſimam etiam ipſis Tyronibus Logicæ.

Dicet. Materia cum tali indifferentia non præceſſit ad formas ſpirituales, & corporeas ; ergo non habet hanc indifferentiam : ſemper enim fuit aliqua forma corporea informata.

Respondetvr poſſe fieri maximam æquiuocationem in intelligendo dicta Seraph. Doct. In Phyſica enim fusè probauimus ex S. Doct. Deum creaſſe materiam primam non præcisè nudam omni forma, ſed cum forma ſubſtantiali corporea , ex qua poſteà facta fuere tot mixta , quod ſat ſit nunc innuere : diximus etiam Deum creaſſe Angelos non ex illa materia induta forma corporea , ſed immediatè ex materia , & forma ſubſtantiali de nouo creata , ſicut & continuè idem efficit in creatione ſucceſſiua animarum rationalium ; Cum hoc tamen ſtat , quod materia de ſe , & ſecundùm ſuam eſſentiam conſiderata importat intrinſecam indifferentiam ad quaſcunque formam ſiue ſpiritualem , ſiue corpoream , & per conſequens nulla adeſt repugnantia , quin quælibet materia poſſet de potentia Dei abſoluta informari quacunque forma , licèt de facto ob ſeruandum ordinem vniuerſi id per naturam creatam non poſſit fieri , nempè non poteſt denudari materia , quæ eſt in Angelo , & informari forma corporea, & vice verſa , licèt id Deus poſſet : quæ omnia fusè explicauimus , & probauimus in Phyſ. & etiam in antecedentibus quæſtionibus de anima : Hinc negatur conſequentia illata in obiectione.

Dicet

DICET iterum non benè fieri illationem ex indifferentia generis in ordine ad suas differentias Metaphysicas ad indifferentiam materiæ primæ ad formam corpoream, & spiritualem; cùm genus non distinguatur realiter à differentia, sicut distinguitur materia à forma.

SED Contra: quia hæc est optima illatio, vt suprà docuimus, estque fundata in principiis Philosophiæ, de quo ne dicta repetam, vide tradita à nobis in Logica *quæst.*2. de differentia, & in hac præsenti quæstione: Vnde ad illud, quod Aduersarius dicit, quod genus, verbi gratiâ, animal est vel formaliter, vel identicè rationale, vel irrationale: respondeo hoc dictum laborare maxima æquiuocatione: non enim animal est formaliter rationale, est quidem identicè, cùm identificentur simul formalitates: at formaliter nec est rationale, nec irrationale, cùm ab vtroque præscindat, sicut materia de se non est corporea, vel spiritualis formaliter, sed fit talis ex aduenìente forma: sicque sicuti animal distinguitur formaliter ex natura rei à differentiis, cùm sint formalitates eiusdem rei, sic materia distinguitur realiter à formis, cùm sint entitates veræ, & reales, Physicæque, à quibus tales formalitates emanant, quod fusè probauimus in tractatu formalitatum.

HINC patet non rectè dictum Authorem inferre, Angelus est spiritus purus, sicut Anima: ergo caret materia: valet quidem inferre, ergo caret corpore, esse enim materiale, & esse corporeum sunt attributa valdè disparata: illud enim prouenit ex compositione ex materia: istud ex forma corporeitatis, & in hoc Aduersarij sæpè hallucinantur transeuntes ex ratione materialitatis ad corporeitatem, & è conuerso.

HINC etiam inferr: Si Angelus componitur ex forma: ergo illa forma erit anima faciens Angelum viuentem, & animatum: Non est recta illatio hæc: quia transitus ex vno latere prædicamentali ad aliud est error patens in Philosophia: In latere corporis est viuens, & animatum ratione animæ, non in latere spirituum, qui licèt sint viuentia, non tamen sunt talia per animam, sed per vitam altioris ordinis intrinsecam tali formæ spirituali: de quo possunt videri, quæ affero *in quæst.*9. Antepraedicamentali.

REPLICAT idem Author *fol.* 26. *col.* 1. D.August. reiicere patenter materiam spiritualem ab Angelis, & hinc allato textu S.Patris *ex lib.*7. *de Gen. ad lit. cap.* 7. subdit hæc verba, hic S. Pater vsque adeò rejicit materiam spiritualem ab Angelis, vt locus iste non indigeat explicatione, sed solùm attenta lectione: Ita citatus Author.

CVI iterum respondeo Seraph. Doct. habuisse attentissimam lectionem ad omnes authoritates S. Augustini, quem profitetur constantissimè suum ipsius Magistrum, & atttentissimè expendisse mentem S. Augustini in hoc textu citato, vt patet *in loc. cit. lib.* 2. *dist.* 18. *quæst. vlt. in fund.* 5. & *in corp.* & *ad* 5 & inuenisse D.August. ibi solùm inuestigare, an Anima Adæ fuerit ex traduce, & educta ex potentia materiæ, sicut eductæ fuerunt aliæ formæ corporeæ, & post multas dubitationes tandem resoluit fuisse factam per immediatam creationem, & non per eductionem ex hoc, quòd illa materia debuisset

esse vel spiritualis, vel corporea: sed non potuit esse, cùm materia fiat talis ex adueniente forma: Et quod hæc sit mens S. Augustin. videatur non illud solùm fragmentum textus, quem affert dictus Author, sed totum textum positum *in 3. part.* suæ Philosophiæ: vbi clarissimè intelligenti textum latinum patebit: vndè cùm hîc non agat, an anima sit composita, an non, sed alibi in locis suprà in Conclusione citatis, iste textus, qui est Achiles Aduersarij nihil facit ad rem: videatur S. Bonau. *loco cit.*

Ex quibus manifestum fit, quàm facilè Discipuli S. Bonauenturæ possint deglutire hunc bolum (quod impossibile credidit dictus Author) absque eo, quod teneantur admittere eandem distinctionem inter genus, & differentiam, quæ est inter materiam, & formam: & etiam absque eo, quod teneantur dicere hanc materiam Animæ, & Angelorum esse solùm potentiam obiectiuam, obidque reduci hanc dubitationem ad quæstionem de nomine, vt contendit Aduersarius.

Hæcqve dicta volo absque præiudicio nostræ necessitudinis: semper enim suspexi dictum P. Benedictum vt virum religiosissimum æquè ac doctissimum, valdéque benemeritum de doctrina Augustiniana: disceptationes enim litterariæ non solùm non minuunt, sed potiùs augent amicitias, vnusquisque enim in suo sensu abundat.

QVÆSTIO VII.

Explicantur natura, & munera partium corporis animati, & præcipuè humani.

236. Qvæstio hæc est veluti apparatus ad sequentem quæstionem, in qua quærimus, qua forma informentur partes corporis; Hîc autem intendimus facere veluti anathomiam corporis animati, & deinde in sequenti quæstione transitum facere ad formam informantem istas partes.

Primò dicimus cum Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 44. part. 1. art. 1. quæst. 1. & 2.* quod partes corporis præcipuè humani ad tria capita reduci possunt, scilicet vel sunt principales de intrinseca constitutione; vel sunt integrantes, & complentes corpus; vel spectant ad decorem, & pulchritudinem; Quæstio procedit non de constituentibus præcisè: sunt enim corpus, & anima, sed partibus secundo, & tertio modo sumptis, quænam sint, & quomodò distinguantur.

Secundò dicimus cum Seraph. Doct. *in Comp. Theolog. lib. 2. cap. 57. & loc. citat.* quod corpus humanum habet similitudinem totius mundi, quia tanta est distantia inter extremitates duorum longorum digitorum vtriusque manus, quanta est à vertice capitis vsque ad plantam pedis: sicut tanta est distantia à centro capitis ad oppositum tropicum in cœlo, quanta est ab Oriente in Occidentem: Corpus humanum ex quatuor elementis componitur, sed magis apparet terra in ossibus, &

Digitized by Google

& carne : aqua in humoribus, ſcilicet ſanguine, phlegmate, cholera, melancholia : Aër in pulmone continetur : eſt enim ventilabrum cordis, & ſemper eſt in motu : ignis in corde : & ideò inferius eſt latum, ſuperius acutum ad formam ignis.

Corporis partes aliæ ſunt diſſimilares, & heterogeneæ, & dicuntur etiam membra officialia, quæ exercent præcipua officia : aliæ ſunt ſimilares, & homogeneæ : quæ omnes ſunt ita artificialiter ordinatæ, vt mutuò deſeruiant ſcilicet ſuperiora inferioribus, & è contra : quod etiam explicat Seraph. Doct. *loc. cit.* Primæ diuiduntur in tres præcipuas partes ſecundùm tres regiones corporis, nempè ſuperiorem, mediam, & inferiorem, in quarum qualibet adeſt vna pars cæteris præeminens : Prima eſt caput : Secunda eſt thorax, vel pectus : Tertia eſt venter inferior : Et in his omnibus adſunt membra, ſeu partes triplices : ſunt enim quædam radicalia : vt hepar, cor, cerebrum, & genitalia : prima tria ſunt de eſſentia indiuidui, quia in his reſident ſpiritus naturales, ſcilicet in hepate : vitales ſcilicet in corde : & animales in cerebro : quartum ſcilicet genitalia ſunt de conſeruatione ſpeciei : Alia ſunt membra deſeruientia : vt venæ, arteriæ, & nerui, per quæ vehitur ille triplex ſpiritus ſuprà dictus : Alia ſunt membra officialia : vt manus, pedes, & huiuſmodi, quæ omnia habent communicationem, & ordinationem talem inter ſe, vt ſibi mutuò deſeruiant, vt dictum eſt.

337. In ſuperiori igitur regione eſt caput, quod diuiditur in faciem, frontem, tempora, ſinciput, verticem, & occiput : Item in partes ſimplices, & compoſitas, in continentes, & contentas : primæ ſunt cutis, pericranium, cranium, & meninges cerebri : Secundæ ſunt cerebri ſubſtantia, quatuor ventriculi, nerui, proceſſus mamillares, plexus chorrides, aliæque, adſunt & oculi, manus, aures, lingua, & os. In capite præcipua pars eſt cerebrum, quod eſt temperamenti frigidi, & humidi : & diuiditur in anterius, diciturque propriè cerebrum, & poſterius, quod ob paruitatem dicitur cerebellum, in hoc cerebro adſunt quatuor ventriculi certis ductibus inter ſe coniuncti, per quos ſpiritus cum ſpeciebus ſenſibilibus ab vno in alium commeare poſſunt : de quibus agit S. Bonauent. *in Comp. citat. & 36. & ſeq.* & Nos agemus, cùm de anima ſenſitiua, &c. De iſtarum partium phyſiognomia bona, vel mala vide S. Bonauent. *loc. cit. cap.* 57.

238. In ſecunda regione corporis eſt thorax, cuius partes aliæ ſunt continentes, aliæ ſunt contentæ : primæ ſcilicet continentes ſunt cuticula, cutis adeps panniculus neruoſus, membrana communis, muſculi, mammæ, pectus, quod eſt anterior pars thoracis, cuius & media dicitur ſternum, quod in medio coſtarum ſternitur, cuius latera dicuntur coſtæ : & pars poſterior dicitur dorſum, & tergum, cuius latera dicuntur ſcapulæ, ſcoptulæ, apertæ, & alæ : Item & membranæ, quarum illa, quæ coſtis ſubtenditur, dicitur pleura, aliæque dicuntur mediæ, ſeu mediaſtinum : Contentæ verò thoracis ſunt cor, pulmones, vena caua, vena aſcendens, arteria magna, vena arterioſa, arteria venoſa, aſpera arteria, oeſophagus, & neruus ſextæ coniugationis : Harum omnium præ-

cipua est Cor, quod non est multùm dissimile figuræ nucis spineæ: estque præcipua sedes, & principium vitæ inuolutum in pericardio, seu membrana, in qua est humor quidam serosus aquæ similis, frigidus, vt temperet intensam caliditatem cordis: In homine est breuius, & latius, quàm in cæteris animantibus, quia thorax etiam est breuior, & latior: In Bouibus, & Equis adest intra ipsum os, vt præ magnitudine sit firmius: eius materia est solida caro, eius nutrimentum est sanguis crassior, qui transit per venam cauam, coronariamque à iecore: Sola basis cordis medium thoracis occupat, reliquum cordis corpus turbinato mucrone sensim in anteriora,& sinistrum latus infra læuam papillam exporigitur, vt amplificet locum hepati: reliqua de corde possunt videri apud Meldul. *cit.* & meliùs apud Andream Laurentium, Aliosque Anathomicos. In Thorace adest etiam pulmo, qui est organum spirabile, & vocale, eiusque officium est haustum excipere aërem, ipsumque præparare cordi, & emittere ad efformationem vocis: hinc animalia pulmone carentia carent etiam voce.

239. In Tertia, & infima regione corporis, & dicitur venter, qui diuiditur in tres partes, in superiorem, mediam, & infimam: Suprema dicitur epigastrica, quæ xiphride cartilagine ferè vsque ad vmbelicum extenditur: Media dicitur Vmbilicalis, quæ occupat latitudinem trium tantùm, vel quatuor digitorum: Infima dicitur Hypogastrica, quæ procedit vsque ad ossa pubis, cuius latera dicuntur hypocondria, vel præcordia, in dextro latere totum ferè hepar est locatum, in sinistro liens, & maior pars ventriculi: Hepatis officium est præparare sanguinem virtute facultatis, & spirituum naturalium: organum est nobilissimum plures hominis particulas, & carnem sibi propriam, constat & venarum cauæ, & portæ radicibus arteolis, nerueolis, & tunica valdè tenui ipsum totum inuestiente. Et quia aliæ partes sunt necessariæ ad perfectam coctionem, ad hoc vt chyli materia possit in sanguinem dulcem, & puniceum commutari, item in amarum, & flauum,item in atrum, & acidum: item in serosum, & salsum: Et hinc quia non omnis sanguis est aptus ad alendum animal: hinc propè hepar fit excollatio sanguinis puri ab excrementitio, qui est triplex, scilicet melancholicus, & terreus, & grauior, ipsiusque tenuior recipitur in liene, crassior in intestina crassiora ad recipiendas fœces apta, & biliosus, qui est leuior, aëreusque, & recipitur in quadam vessicula: & aqueus, & serosus, & recipitur in renibus, è quibus per vasa ingredientia, & egredientia fit expurgatio sanguinis, ex qua oritur vrina, &c.

Notandvm hîc, quod ex hoc sanguine seroso gignitur principaliter Semen, nempè partim ex superfluo alimenti, & partim ex substantia generantis, quæ à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 30. art. 3. quæst. 1.* dicitur pars secundùm materiam, estque purificatum vsque ad tertiam decoctionem, estque superfluum ad nutritionem indiuidui, necessarium ad conseruationem speciei, de quo suo loco: lac item est sanguis per venas vsque ad vbera attractus, ibique denuò concoctus, & à glandulosa mammillarum substantia (quæ in viris

ris

Digitized by Google

tis est imperfecta, in mulieribus perfecta) quæ est calidissima in albedinem, & dulcedinem conuersus: generatur autem potissimùm ex sanguine menstruo, quo quia in mulieribus abundat, ideò etiam ab ipsis facilè generatur lac: licèt etiam in viris adsit, sed valdè imperfectus: Adest & pinguedo, seu adeps, fitque (ait S. Bonauent. *loc. citat.*) ex sanguine, qui non potest conuerti in carnem secundùm speciem: Adest & medulla, quæ est duplex: alia spinalis, quæ est in spina dorsi, idemque cum cerebro: alia intra poros ossium in ipsorum alimentum. Adsunt & dentes, quorum officium est cibum stomacho præparare, & ad vocis efformationem concurrere: triginta in hominibus enumerantur, aliquando sunt pauciores, aliquando sunt plures, diuiduntur in incisores, suntque quatuor anteriores: in caninos, & in molares, qui facilè in pueris excidunt, quia nimis teneri sunt, vt natura meliores possit reponere: in senectute excidunt ob caloris, & humoris inopiam, quo fit, vt neruus, qui dentem implantabat, contrahatur.

Adsunt & pili, quæ sunt ex materia crassa fuliginosa, quæ exiens per poros indurescit, & aliam superuenientem propellit, & in longum protrahitur: & si pori sunt recti, etiam pili nascuntur recti, si curui, & cutis dura, capilli nascuntur crispi: Adsunt & vngues, quæ sunt excrementum neruorum, arteriarum, & ligamentorum, sic & plumæ, rostra, cornua, aliaque, de quibus dicemus aliqua in sequenti quæstione: Vide citatos Authores præcipuè Dandinum, Zanardum, &c.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum anima informet omnes partes corporis.

240. QVÆSTIO hæc non procedit de partibus merè excrementiciis: certum enim est in ipsis non adesse operationes vitales, obidque vt inutiles à corpore expelluntur; nec etiam de partibus solidis, quæ ad consistentiam primam corporis spectant: certum enim est ipsas esse animatas, quia pertinent per se ad rationem corporis organici, siue sint heterogeneæ, officialesque, inseruiunt enim ad diuersa officia vitæ, vt caput, manus, &c. siue homogeneæ, vt caro, ossa, &c. istæ enim omnes spectant ad primam constitutionem animalis, & respiciunt essentialiter ipsum totum, vt notat cum communi S. Bonauent. *lib. 4. distinct. 44. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2.* Sed quia aliæ sunt, quæ spectant ad secundam constitutionem animalis, nempè vel ad conseruationem vitæ: vt sunt sanguis, pituita, atra bilis, flaua bilis, spiritus vitales, aliæque consimiles: vel ad conseruationem speciei, vt semen: aliæ ad decorem, & ornamentum, vt sunt capilli capitis, pili, vngues, & de his omnibus procedit quæstio. In qua diuersificant valdè Authores: nam Aliqui asserunt omnes esse animatas, & præcipuè de sanguine asserunt Thomistæ: Alij negant de partibus fluidis, & concedunt de aliis, vt Ruuius, Roccus, citaturque à Mastrio Seraph. Doct. sed malè, & perperam: Alij negant de pilis; affirmant de vnguibus:

vnguibus: quid sentiat Seraph. Doct. mox patebit: Pro solutione quæstionis

241. PRIMÒ Notandum ex Seraph. Doct. *in Centil. part. 3. sect. 25. & lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2.* quod cùm anima sit purus spiritus, ideò; ad hoc vt vniatur corpori, indiget medio, & debita proportione: fit autem proportionabile ipsi animæ per complexionis æqualitatem, & per organorum multiplicitatem: cùm enim anima habeat vim viuificandi, vegetandi, & sensificandi: primam scilicet viuificatiuam recipit corpus ratione complexionis æqualis, & vniformis per medium, seu vinculum spirituum vitalium: secundam scilicet vegetatiuam, & sensitiuam ratione multiformis organizationis mediantibus spiritibus naturalibus, & animalibus: hincque forma, quam appellat Seraph. Doct. complexionis, est, quæ connectit omnes partes organicas, & heterogeneas, estque substantialis, & est, quæ vltimò disponit ad vitam recipiendam, cum qua exerceri possunt postea opera vitalia diuersa per potentias animæ informantis tale corpus organicum: Sic *lib. 2. dist. 8. part. 2. art. 1. q. 3. ad 4.* ex qua Seraphica doctrina patet, quænã sint partes, quæ animantur per animam, nempè omnes illæ, quæ subiiciuntur virtuti sensitiuæ, & vegetatiuæ siue per generationẽ, siue per nutritionem, siue per motum vitalem, & quæ continuatur ad inuicem, quia per eandem formam informantur forma illa complexionis coadiuuantibus, & cooperantibus spiritibus ad ipsarum nexum: nec obstat, quod vna pars aliquando sit alimentum alterius, cùm adsint necessariò in animali partes heterogeneæ, quarum vna alterat aliam, & ad sui naturam attrahit: Sed pro maiori intelligentia dictorum

242. SECVNDÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 2. & vlt.* quod augmentum viuentium differt ab augmento non viuentium per hoc, quod augmentum in non viuentibus fit ab extrinseco agente, & ab extra tantùm, scilicet per additionẽ alicuius ad extra, scilicet per iuxtapositionem partiũ nouarum ad partes præcedentes: In viuentibus verò fit ab intrinseca virtute, obidque per omnes partes, & per intus sumptionem, scilicet per nutritiuam virtutem conuertendo illud in substantiam aliti; vnde ignis, verbi gratiâ, licèt habeat vim intrinsecam conuertendi lignum in ignem, illudque sibi copulandi iam redactũ in ignem, etiam ad omnem partem extrinsecam, tamen non habet vim ad se intrinsecè attrahendi per conuersionem in omnem partem etiam intrinsecam; vt habet animal. De hac re vide infra *num. 333.*

243. TERTIÒ Notandum ex S. Doct. *lib. 4. dist. 44. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 3.* quod aliquid potest dici viuere tripliciter, primò quia recipit influentiam vitæ: secundò, quia disponit ad vitam: tertiò, quia ortum, & conseruationem habet ab actu vitæ: primo modo viuificantur partes solidæ, scilicet corpus, & caro: secundo modo dicuntur viuere spiritus, & humores: tertio capilli, & vngues, & prima est propriè vita: secunda dicitur vita dispositiuè tantùm: tertia impropriè solùm, quia tales partes sunt effectus producti per actus vitales: Vt autem intelligatur hæc doctrina Seraphica, ordoque iste.

Digitized by Google

244. QVARTÒ Notandum ex Arist. *lib. de part. anim. cap. 3.* cibum in ſtomacho receptum primam obire decoctionem, conuertique in chylum, ſeu maſſam, quæ in duas partes diuiditur, ſcilicet in partes impuriores, & craſſas, ſeu fœces, quæ in ſeceſſum demittuntur, & in partes puriores, & nutritioni aptiores, quæ per venas meſenterias ad hepar transmittuntur, vbi fit ſecunda concoctio, & talis materia in quatuor partes diuiditur, nempè primò in ſanguinem, qui eſt humor calidus, & humidus, & coloris rubei aëri correſpondens: ſecundò in pituitam, quæ eſt humor frigidus, & humidus coloris albi, & aquæ ſimilis: tertiò in bilem flauam, quæ eſt calida, & ſicca coloris crocei igni comparata: quatrò in bilem atram, quæ eſt frigida, & ſicca coloris ſubnigri terræ non abſimilis, & iſtorum humorum tantùm ſanguis eſt aptus nutritioni: cæteri verò inepti, & ob id ad peculiaria loca ſe recipiunt; nam bilis flaua locatur in felle: atra in ſplene, pituita non habet peculiarem locum, ſed veluti vehiculum quoddam defert ſanguinem ad partes corporis, & hoc munere perfuncto ad vexicam deſcendit: omneſque iſti humores, ſicut & ſpiritus diſponunt ad vitam vel recipiendam, vel conſeruandam, & cùm ex ſanguine gignantur ſpiritus, per conſequens cùm iſti humores augeantur per iuxtapoſitionem, nec ipſi ſunt animati, & hinc appellantur partes fluidæ.

245. QVINTÒ Notandum ex eodem Ariſtot. *loc. citat. & lib. 2. gen.* quod cùm nutritio fiat in partibus animantium concurrente, & fluente ſanguine ad ipſas partes: hinc quædam excrementa ſub cute circa neruos, ligamenta, tendines, & arterias relinquuntur, quæ cùm ſint in continuo flûxu, nec reſolui poſſint in vrinam, ſudorem, vel quid ſimile, vi expultricis facultatis excutiuntur, ſicque vel generantur vngues, vel pili: vngues cùm ad digitorum vertices peruentæ inibi exſiccantur, ac duriores fiunt, & in vngues euadunt, expelluntur ad extra nouis excrementis ex imo ſuperuenientibus per extrapoſitionem: Pili item generantur ex ſuperfluitate terreſtriori, ait S. Bonauent. *in Ioan. collat.* 37. nam cùm excrementa ſub cute relicta ſint ſpiſſa, ſicca, & fuliginoſa, detinentur in quibuſdam foraminibus, ad quæ alius vapor ex imo adueniens ipſis iuxtaponitur, raliaque impellit ad extra in figuras oblongas: quare cùm & iſta per iuxtapoſitionem creſcant, hinc & animata non ſunt: S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 20. art. 1. quæſt. 2. ad* 1. quod & ſuo modo dicendum eſt de ſemine, & lacte, quæ gignuntur ex ſuperfluitate ſanguinis, nempè ex ſuperfluo alimenti, &c. His poſitis

246. PRIMA CONCLVSIO: Partes ſolidæ viuentis ſiue heterogeneæ, ſiue homogeneæ informantur anima: Sic S. Bonauent. *lib. 4. diſtinct. 44. citat. & lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 3. & lib. 2. diſt. 30. art. 3. quæſt. 1. & 2.* eſtque communis, & certa: nam augentur per intus ſumptionem, ſentiunt, aliaque opera vitæ exercent tum vegetantis, tum ſentientis: vt experientia, & ſenſu patet. Tum quia ſunt de veritate animantis.

DICES Ariſtot. Alioſque aſſerere animam eſſe in corde: ergo ſolùm cor viuit.

RESPONDETVR dici eſſe in corde,

corde, ideſt reſidere quoad opera vitæ magis in corde, quàm in cæteris membris, ex eo quod, vt dicit Seraph. Doct. in ipſo gignuntur ſpiritus vitales, & ad cæteras partes tranſmittuntur, qui faciunt ad conſeruationem vitæ.

247. SECVNDA CONCLVSIO: Partes fluidæ, & ſolidæ excrementitiæ, quæ diſponunt ad vitam, non ſunt animatæ, vt ſunt humores, lac, ſemen, & ſanguis nutrimentalis. Quoad humores, & ſpiritus animales, & naturales id aſſerit S. Bonau. *lib.* 4. *diſtinct.* 44. *cit.* Quoad ſemen id aſſerit *lib.* 1. *diſtinct.* 9. *dub.* 12. De Sanguine ſcilicet nutrimentali id aſſerit *lib.* 4. *diſtinct.* 44. *cit.* De ſpiritibus id aſſerit *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. *&* *lib.* 4. *diſt.* 44. *cit. fund.* 4.

PROBATVR autem Concluſio hæc quoad primam partem. Tum quia iſtæ partes ſunt tantùm diſponentes ad vitam, vt ait Seraph. Doct. Tum quia non nutriuntur. Tum quia creſcunt per iuxtapoſitionem: Sed quomodò id probatur? ait Arriaga.

RESPONDET Meldul. anathomica arte: totus enim ſanguis, & alij humores in iecore generantur, & facta humorum ſegregatione per partes corporis diffunduntur, ſed id eſt augeri per extrapoſitionem: ergo & ſanguis, & alij humores non ſunt animati. Tum quia animatum non nutritur ex animato. Tum quia ſanguis eſt diſcontinuus animali. Tum quia ſanguis eſt vltimum nutrimentum animalis: ergo, antequam conuertatur in ſubſtantiam aliti, habet aliam formam à viuente, & dum conuertitur, noua forma inducitur in eo, ſed hæc eſt anima: ergo prius non erat informatus: & hæc ratio eſt efficaciſſima. Tum quia ſi eſſet vera reſponſio Thomiſtarum, nempè dari duplicem ſanguinem, ſcilicet nutrimentalem, & eſſentialem, ſequeretur non continuari totum ſanguinem exiſtentem in corpore, ſed continuatur: ergo omnis ſanguis eſt eiuſdem rationis. Tum quia ſemen, & lac non ſunt animata in omnium ſententia, ſed iſta fiunt ex ſanguine: ergo. Et quia ſpiritus gignuntur ex humoribus, & ſanguine, hinc & ſequitur nec ipſos eſſe animatos.

248. OBIICIES primò: Sanguis eſt vera pars animalis attinens ad veritatem naturæ ipſius. Tum quia ſanguis eſt organum, quo viuens exercet aliquas operationes vitæ: ergo eſt animatus, ſicut cætera organa.

RESPONDET S. Bonauent. dici veram partem animalis, quatenùs eſt diſpoſitiuus ad vitam animalis: nec propriè eſt organum animæ niſi diſpoſitiuè.

OBIICIES ſecundò *ex Leuit.* 17. *Animam omnem in ſanguine eſſe:* ergo.

RESPONDET S. Bonau. *lib.* 4. *diſtinct.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. dici ſanguinem ſedem animæ ratione dependentiæ vitæ, quam habet ad partem nutrimentalem, cuius potior pars eſt ſanguis, & hac ratione dicitur pars ſubintegralis hominis aſſumpta à verbo immediatè, non mediante anima, & vt talis eſt in hoſtia.

OBIICIES tertiò: Humores ſunt de integritate corporis animalis: ergo debent eſſe animati.

RESPONDET S. Bonauent. eſſe de integritate, prout ſunt diſponentes ad vitam.

OBIICIES

Obiicies quartò: Lac, & semen habent vim assimilatiuam: per id enim Pater assimilat sibi filium, sed id importat residentiam animæ: ergo & informat.

Respondet S. Bonauent. esse veram maiorem dispositiuè, & instrumentaliter, non formaliter: & negando Min. Vide *lib.* 2. *dist.* 31. *art.* 1. *q.* 1. *in corp.* post medium.

Obiicies quintò: Sanguis est pars Christi, quem & Verbum assumpsit, & ipsius effusione dicitur mundum redimisse. Tum quia vinum conuertitur in sanguinem Christi, cum quo est ipse Christus, ergo est animatus, sicut caro.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. quod licèt sanguis non sit de radicali complexione hominis; tamen est de ratione complexionis nutrimentalis faciens ad complementum hominis, & hac ratione dicitur Christus ratione sanguinis in Eucharistia, & redimisse mundum ex eo, quod sanguis est dispositio necessaria ad conseruationem vitæ: Vide *lib.* 4. *dist.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2.

Obiicies sextò: Sanguis mouetur in omnes partes per venas: ergo ad hoc vt non sit motus violentus, debet esse ab intrinseco, sed nihil mouetur ab intrinseco per omnes partes, nisi sit animatum: ergo.

Respondetur moueri non ab intrinseco, sed à virtute expulsiua, & attractiua, & calore naturali existente in omnibus partibus corporis: dicitur tamen motus naturalis, quia est ab anima originaliter.

Obiicies septimò: Quod est principium vitæ attingens vitam, viuit, semen est huiusmodi ergo.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* & *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. semen esse instrumentum attingens formationem fœtus, & animæ vnionem: obidque sufficit, vt vita sit in anima, & in causa principali, sed de hac materia habebitur Sermo ex professo infrà, vbi de generatione, &c. exigit enim peculiarem considerationem.

249. Tertia Conclusio: Capilli, & vngues non sunt animati.

Probatur à Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 44. *cit.* quia solùm dicuntur habere vitam, quatenùs ortum habent ab actu vitæ, scilicet sunt effectus actuum vitalium. Tum quia augentur non secundùm omnem partem, sed tantùm per iuxtapositionem.

Dices: Non sine dolore possunt auelli: ergo sunt animati.

Respondetur dolorem inferri ex auulsione, quia radicantur in carne viua, & neruosa, in qua sensorium tactus, & doloris reperitur.

Quæres: an Dentes, & cornua sint animata.

Respondetur affirmatiuè: Ratio est, quia dentes augentur per omnem partem, & sunt eiusdem materiæ cum ossibus, sed ossa sunt animata. Tum quia & eodem modo nutriuntur: habent enim medullas, & venulas, & neruos ad radices, quibus alimentum trahunt: immò probabilius esse dentes ob has rationes: & hoc tanquam certius amplector.

Dices: Dentes non sentiunt, nec habent omnia opera cæterarum partium animatarum: ergo.

Digitized by Google

RESPONDETVR habere operationes vegetantis animæ, non verò sensitiuæ defectu organorum, quæ requiruntur ad sensationem, sed hinc non sequitur non esse animatos.

DICES secundò: Dentes sunt contigui, non continui cum ossibus: ergo non sunt animati.

RESPONDETVR, quod licèt non continuentur cum ossibus: sunt tamen vniti ipsis mediis ligamentis, & per neruos, quæ ligamenta sunt prouisa à natura ad iungenda diuersa ossa in iuncturis, de quibus aliàs agemus.

ADDIMVS tamen etiam oppositam sententiam non carere sua probabilitate.

QVÆSTIO IX.

An in viuente præter animam dentur plures formæ partiales.

250. QVÆSTIO hæc non procedit, an dentur plures animæ in eodem viuente: suprà enim id fuit resolutum; nec item an sint in eodem composito plures formæ totales subordinatæ, quia & hoc à nobis fuit resolutum *in tract. de Elementis, & Mixtione, &* in Physs. *lib.* 1. sed an in corpore heterogeneo adsint tot formæ substãtiales partiales, quot partes heterogeneæ: an verò omnes informentur ab vna forma totali.

PRIMA Opinio est Thomistarum nullam aliam formam in composito recognoscentium præter animam, quam sequuntur Suarez. *Met. disp.* 15. *sect.* 8. *n.* 29. Tolet. Fons. Hurtad. Ouied. immò Arriag. liberè deridet oppositam, & dicit in tota Hispania neminem ipsam amplecti, & ob id dedignatur ipsam ex professo impugnare: contra quem ad hominem inuehitur P. Mast. *de gener. disp.* 7. *num.* 78. quod & aliàs notauimus.

SECVNDA Opinio est Scoti, & Scotistarum recognoscentium in viuentibus vltra animam etiam formam corporeitatis pro toto corpore, & pro partibus formas partiales etiam, verbi gratiâ, in corde, in capite, &c. Sic Scotus *lib.* 4. *dist.* 11. *q.* 3. Faber. *Theor.* 73. Hanc eandem secutus fuit Auuer. 6. *Phys. com.* 59. cum aliis apud Suarez *cit. num.* 30. qui dicunt has partiales formas informare partem propriam corporis, esseque veluti dispositiones materiales ad ipsam animam: Et hæc est Opinio germana Seraph. Doctoris, vt infrà patebit: Pro solutione quæstionis

251. NOTANDVM ex eodem S. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. *& lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 5. quod in corpore organico sunt necessariò partes heterogeneæ, quæ cùm sint diuersæ rationis, ordinantur ad constituendum vnum totum corpus informabile ab anima: hincque ratione organizationis sunt diuersæ: ratione verò dispositionis, & ordinis ad idem genus vitæ habent vniformitatem, seu potiùs subordinationem ad vnicam formam, quæ dicitur forma complexionis: Sic *loc. cit. infra ad* 2. *Concl.* quæ forma, si importat inæqualem conciliationem elementorum, est origo caloris elementaris consumentis: Si æqualem conciliationem, est origo caloris cœlestis conseruantis: Sic *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 4. His positis sit

252. PRIMA CONCLVSIO: Partes heterogeneæ corporis viuentis habent proprias formas substantiales partiales:

Digitized by Google

les : Est S. Bonau. *cit.* Scoti, & Seq. Iandun. Trombetæ , Dandini, Aliorumque apud Morand. *lib. 2. quæst.6.*

PROBATVR primò : Quia anima est forma corporis organici : ergo supponit diuersas partes heterogeneas , & completas in suo esse substantiali proprio, sed talis completio substantialis est à forma substantiali : ergo.

RESPONDENT Thomistæ corpus organicum dici per ordinem ad animam tale esse ipsi tribuētem. Contra : Quia corpus organicum est potentia vitam habens tantùm : ergo si anima supponit corpus potens viuere , ipsum & supponit organicum, & in tali esse completum.

PROBATVR secundò : Caro, & nerui differunt substantialiter : ergo partes heterogeneæ habent propriam formam substantialem : Antecedens patet ad sensum ex diuersitate accidentium,proprietatum, & effectuum: Consequentia etiam patet : quia si differunt substantialiter , differunt per formam.

RESPONDET Arriaga differre tantùm accidentaliter eo , quod per corpus organicum intelligi debet materia diuersimodè disposita per accidentia.

CONTRA : Quia in sententia Aristotelis per corpus intelligitur substantia completa in ratione substantiæ : materia enim affecta solùm accidentibus non est propriè corpus de genere substantiæ. Tum quia , vt rectè docet S. Doct. accidentia maximè quantitas non educuntur de materia nuda absque forma substantiali. Tum quia in definitione animæ intelligitur corpus eo modo , quo est subiectum animæ , at est subiectum animæ secundùm diuersas partes heterogeneas , & quatenùs entitatiuè excludit animam , vt subiectum est : ergo vt tale habet proprias partes diuersas substantialiter.

CONFIRMATVR : Quia si denominatio corporis desumitur ab eo, quod consequitur,scilicet ab anima , sequitur, quod definitio animæ tradita ab Arist. erit negatiua.

PROBATVR, quia dicendo anima est actus corporis organici potentia vitam habentis , esset sensus, anima est actus corporis animati : sicque non explicatur natura animæ per ordinem essentialem ad subiectum , quod informat vt actus: hoc autem non est corpus , vt anima informatum : non enim vlla forma dici potest actus illius , in quo ipsa includitur ; quia actus est constitutiuus rei ; sed corpus esset iam constitutum per animam , nec item forma dicitur rectè actus compositi , idest actus primus , sed actus in composito. Tum etiam quia responsio Thomistarum est petitio principij : id enim est , quod quærimus, an corpus organicum sit tale de se : an ab anima. Tum etiam quia anima tribuit vnitatem , non heterogeneitatem, & discontinuitatem.

PROBATVR tertiò : Caro , ossa , nerui sunt formaliter talia : ergo non id habent ab anima : quia tantùm virtualiter in ipsorum sententia potest dici talis , sed sunt formaliter caro , ossa, &c. ergo à propria forma.

CONFIRMATVR : Quia in corpore mortuo differunt specie tales partes : ergo & dum erat viuum : Nec valet effugium Thomist. dicentium post separationem animæ produci nouam formam à causa prima , non valet , inquam , est enim indi-

Digitized by Google

gnum Philoſopho recurrere ad cauſam primam, quando poteſt aſſignari cauſa ſecunda abſque abſurditate, vt eſt in caſu noſtro.

PROBATVR quartò: Si in triduo mortis Chriſti D. Petrus conſecraſſet panem, verè confeciſſet Sacramentum, & poſuiſſet corpus verum Chriſti ſub ſpeciebus abſque anima, & tunc caro, & oſſa &c. differebant ſpecie; ergo & nunc, dum eſt viuum: eſt enim idem terminus cuiuſcunque conſecrationis: Sed de hac materia alibi actum eſt.

253. OBIICIES primò: Si poneretur anima ſola in materia, compoſitum eſſet homo: ergo ſunt ſuperfluæ iſtæ formæ: Antecedens probatur: quia conſtaret ex materia, & forma perfectiſſima valente tribuere eſſe corporeum tali materiæ: ergo.

RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib. 2. diſt. 15. art. 1. quæſt. 1. ad 2.* negando antecedens: ſi enim anima poneretur in lapide, nihil faceret, multò minùs in materia prima: & ad probationem antecedentis reſpondetur concedendo animam eſſe perfectiſſimam per exceſſum eminentialem ſuper omnes formas: non verò per continentiam formalem niſi per ordinem ad formam ſenſitiuam, & vegetantem, quæ ſunt ſpirituales: obidque non poſſe tribuere eſſe corporeum, vt aliàs traditum eſt.

OBIICIES ſecundò: Forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter: ergo non præſupponuntur formæ ſubſtantiales antecedenter: alioquin non haberetur tale eſſe per generationem, quæ eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente. Tum etiam quia fieret aggregatum per accidens.

HOC argumentum eſt Caietani, quod magni facit; ſed nihil contra noſtram ſententiam concludit: Reſpondetur igitur forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, ideſt, ſubſtantiale non eſſe ſecundùm quid, ſicut facit forma accidentalis: ſic negatur conſequentia: Ad probationem reſpondet Serbellon. generationem eſſe mutationem totius in totum, ideſt illius, quod erat hoc aliquid, verbi gratiâ, corpus, vel caro in totum, ideſt in nouum eſſe ſimpliciter, ob cuius rationem non ampliùs dicitur, hoc eſt caro, hoc eſt os, ſed hæc eſt caro hominis, cuius fit pars: Sed meliùs

RESPONDETVR cum Meldul. *de gener. diſp. 5. num. 30. ſeq.* hanc non eſſe rectam definitionem: alioquin & materia deberet corrumpi in generatione. Tum etiam quia competit tranſubſtantiationi Euchariſtiæ. Tum etiam quia competit corruptioni: vnde in ſententia Seraphica hæc erit aptior. Generatio eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu: Et ad illud de pluribus formis iam aliàs probatum eſt poſſe dari plures formas ſubordinatas, ipſaſque ordinari ad vnam totalem, & vltimò complentem.

254. SECVNDA CONCLVSIO: Præter formas partiales corporis heterogenei datur etiam vna forma totalis dans vnicum eſſe ipſi corpori organico, quam S. Bonau. appellat formam complexionis: Scotus formam corporeitatis: Sic Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 3. ad 4. & lib. 2. diſt. 1. part. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 3. & lib. 2. diſt. 26. art. 1. quæſt. 5.* & Scot. 4. *diſt. 11. quæſt. 3. &* Sequac. contra Thomiſtas, Alioſque plures, vt Morand. *hic quæſt. 4.* Conimbric. Ruui.

PROBATVR rationibus deſumptis

Google

ptis ex Seraph. Doct. Tum quia omnes partes organicæ sunt vnitæ: ergo per vnionem constituitur vnum totum corpus, sed vnitas substantialis dependet à forma substantiali, ergo est vnum corpus per vnam formam substantialem. Tum quia anima omnibus partibus vniformiter præbet vitam: ergo habent vniformitatem ad vitam: sed hanc non possent habere, provt partes sunt: sic enim sunt differentes specie: ergo per aliud; sed id non potest esse nisi forma vnica substantialis: ergo.

PROBATVR Minor: Quia corpus organicum est vnum corpus substantiale: Et hinc acutè notauit Seraph. Doct. *lib.2. dist.8. part. 1. art.3. quæst. 3. & lib.4. dist.44. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad 3. & dist. 49. part.2. art. 2. quæst. 1. in corp.* quòd anima vnitur corpori vt perfectio, seu vt forma, & vt motor; vt est perfectio, respicit corpus vt vnum, scilicet complexionatum per formam propriam substantialem: vt motor, respicit partes heterogeneas, & organa, per quæ operatur.

OBIICIES cum Morando: Hæc forma vel est homogenea, vel est heterogenea: non primum, cùm respiciat partes dissimiles: nec secundùm, quia sic nec esset vna, sed multiplex.

RESPONDETVR esse homogeneam: posseque ratione suæ perfectionis informare omnes partes ipsas disponendo ad vitam: alioquin etiam anima deberet esse heterogenea, quæ respicit varias, & dissimiles partes.

OBIICIES secundò: Talis forma est diuisibilis: ergo est multiplex.

RESPONDETVR ex aliàs traditis esse diuisibilem per accidens: vti sunt omnes aliæ corporeæ; sed negatur consequentia: quia respicit vnum totum informabile, vt dictum est.



PARS

Digitized by Google



PARS PRIMA
DE ANIMA.
TRACTATVS SECVNDVS.
De Potentiis animæ.

255. ABSOLVTIS iis, quæ ad essentiam animæ spectant: nunc restat, vt ad explicationem communium proprietatum, & passionum accedamus: & hoc quidem sub communi ratione: nam sub peculiari infrà per suos tractatus propriam naturam vniuscuiusque animæ, & potentiæ inuestigabimus.



QVÆSTIO PRIMA.
Quomodò potentiæ animæ ab ipsa Anima distinguantur.

HIC titulus quæstionis quærit, an substantia, vel anima sit de se potens secundùm suam essentiam tanquam principium proximum, & immediatum elicere actus vitales: an verò necessariò exigat aliud comprincipium superadditum, quod illi sit ratio formalis, secundùm quam anima valens sit tales actus elicere: In qua quæstione

PRIMA opinio est D.Thomæ, & Sequac. Toleti, Ruuij, Suarez, Aliorumque plurium dicentium Potentias animæ realiter distingui ab anima tanquam accidentia de secunda specie qualitatis: Durand. idem asserit de facultatibus sensitiuis, & rationalibus, negat de vegetatiuis.

SECVNDA opinio est Nominalium, Ocham. *lib. 2. distinct. 16. quæst. 24. & 26.* Greg. Arriag. Hurtad. Ouied. vllam distinctionem inter animam, & potentias non admittentium, sed volunt animam dici intellectum, dum intelligit, voluntatem, dum vult.

TERTIA opinio est Scoti, & Sequac. & Plurium Aliorum admittentium tantùm distinctionem formalem ex natura rei, esseque idem realiter

ter cum anima sustinentium: quibus præiuit Seraph. Doct. vt mox patebit. Pro solutione quæstionis

Primò Notandum, quod essentia rei dicit ipsam entitatem absolutam consideratam secundùm se: hæc autem potest considerari per ordinem ad actum primum, & ad secundum: ad actum primum dupliciter potest sumi, scilicet provt est in potentia ad esse actu per suam formam, sic essentia Rosæ in hyeme est in potentia, scilicet obiectiua ad esse actu in vere per suam formam: secundò in ordine ad operationem, idque exigit aliquid superadditum ipsi essentiæ actuali: nihil enim est suum esse, sua virtus, & operatio, nisi solus Deus, ait S. Doct. *lib. 1. dist. 8. part. 2. art. 1. q. 2. & dist. 43. art. 1. q. 1. & dist. 7. dub. 5. & 6.* quælibet autem creatura alio est, & alio potest: alioquin semper esset in actu secundo: Sed vlteriùs est aduertendum, quod in creaturis cùm detur gradualis latitudo perfectionum, quò res est perfectior, eò etiam est virtuosior, & hinc in perfectiori creatura etiam exigitur multiplicitas potentiæ per ordinem ad diuersos actus, & diuersos modos tendendi in terminum, & operandi, & cùm anima inter cæteras formas sit perfectissima, indiget etiam multiplici potentia: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad vltim. & distinct. 26. artic. 1. quæst. 5.* aduertens, quod anima, vt est forma corporis, respicit ratione suæ essentiæ corporis complexionem: ratione verò potentiarum respicit corporis organizationem: anima enim in se, & viuere, & agere habet, sed viuere per seipsam, & propriam formam, & agere per potentias: Sic & *lib. 1. distinct. 8. part. 2. articul. 1. quæst. 3. ad 4.*

256. Secundò Notandum ex S. Doct. *lib. 1. distinct. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3. in corp.* quod potentia naturalis animæ potest sumi tripliciter: primò, provt dicit aliquid superadditum ab extrinseco ipsi potentiæ, seu substantiæ, idest mediante aliqua proprietate accidentali: vt est potentia syllogizandi, sic est qualitas de prima specie: secundò, provt dicit modum existendi naturalis potentiæ in subiecto, quatenùs talis modus accidentalis prouenit ab intrinseco, vt facilitas agendi, currendi, ingeniositas, &c. & hæc est de secunda specie qualitatis: tertiò dicitur potentia naturalis naturaliter egrediens à substantia immediatè, & hoc potest esse dupliciter: vel enim aliqua potentia egreditur à substantia cum accidente, vt potentia calefaciendi exit ab igne cum calore, & hæc est accidentalis, & eiusdem rationis cum calore: vel quatenùs egreditur immediatè à substantia absque medio accidente: & hoc vltimo modo sumuntur potentiæ animæ, quatenùs ab animæ substantia immediatè emanant naturaliter: quia omni accidente circunscripto statim ac anima est in esse, simul habet potentiam ad memorandum, & intelligendum se: Vnde istæ potentiæ animæ sunt animæ substantiales, & in eodem genere per reductionem: sed quia egrediuntur ab anima: potentia enim se habet per modum egredientis, non sunt omninò idem per essentiam, nec tamen adeò differunt, vt sint alterius generis: Quare cùm SS. PP. & DD. dicunt, quod anima est suæ potentiæ: talis prædicatio non est accidentis de subiecto, nec eiusdem

eiusdem animæ per essentiam, idest quasi prædicatum dicat essentiam, vel partem constituentem animam in esse, sed quatenùs potentiæ sunt de integrali perfectione animæ, & ob id non ita sunt idem cum anima, quod anima non possit concipi sine illis, & è conuerso: Sic Seraph. Doct. *ibid. ad* 1. hinc patet in sententia S. Bonauent. distinctio formalis, & identitas realis potentiarum cum anima.

257. Tertiò Notandum, quòd potentiæ animæ aliæ sunt organicæ, aliæ inorganicæ: primæ sunt, quæ non habent esse completum, nisi habeant organa, à quibus compleantur per ordinem scilicet ad operandum, nec possunt agere absque organis, vt est potentia visiua, vegetatiua, &c. secundæ sunt, quæ non dependent ab organo in operari, vt intellectus, &c. primæ scilicet organicæ possunt adhuc considerari dupliciter, primò præcisè, provt important solùm esse virtutes animæ: secundò materialiter, provt inuoluunt organum: & hoc secundo modo certum est distingui ab anima saltem inadæquatè, cùm anima separata non habeat organa secundùm se: Quæstio igitur procedit de omnibus potentiis secundùm se, & præcisè, an distinguantur.

258. Qvartò Notandum, quod cùm dixerimus has potentias egredi immediatè à substantia, aduertendum est, quod duobus modis potest intelligi id posse fieri: primo per veram influentiam, & Physicam causalitatem, tuncque terminus productus fundat veram distinctionem realem: secundo modo per emanationem Metaphysicam absque eo, quod concurrat vera ratio causalitatis, & influentiæ distinctæ: sed tantùm dicitur prouenire hoc modo vnum ab alio, quatenùs vnum est ratio prior, & causa essendi aliud ita, quod primum est terminus Physicæ causalitatis, sed quia necessariò ad ipsius positionem intelligitur aliquid consequi: hinc dicitur emanare Metaphysicè.

Et si quæras: Vnde disgnoscenda est differentia inter has duas emanationes.

Respondetvr, quod illa, quæ per emanationem Metaphysicam egrediuntur, exeunt absque medio accidente à principiis intrinsecis, & essentia subiecti, & in eodem recipiuntur, per modumque permanentis se habent quasi cōnaturalia, & essentialia subiecto: quę verò exeunt medio accidente, & causalitate Physica, vel non recipiuntur in eodem principio; vel si recipiuntur, vt sunt actus immanentes, & vitales, tamen non se habent vt connaturales, & per modum permanentis: vnde adsunt, & absunt præter subiecti corruptionem: hinc ista realiter distinguuntur à suo principio, illa nequaquam: sed tantùm habent conceptus obiectiuos, ita quod fundant distinctionem formalem: Hincque patet discrimen inter Nos, & Thomistas, & Nominales: Thomistæ enim volunt potentias produci ab anima per veram causalitatem Physicam: Nominales negant produci vllo modo: Nos verò dicimus emanare emanatione Metaphysica tantùm. His positis

259. Prima Conclvsio: Potentiæ animæ non distinguuntur ab anima realiter, vt dicunt Thomistæ, nec solùm per intellectum, vt dicunt Nominales: sed tantùm formaliter ex natura rei, seu, vt dicit S. Bonauent. media distinctione inter realem, & rationis. Est S. Bonau.

lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. *dist.* 3. *part.* 2. *quæst.* 3. *& lib.* 2. *distinct.* 26. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. *& distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. 3. *&* 4. Scoti *lib.* 2. *distinct.* 16. *aliisque loc. cit.* à Mastrio hîc

Hic autem aduertendum est circa intelligentiam sententiæ S. Doct. ne fiat æquiuocatio, quod ipse *in lib.* 1. *distinct.* 3. *citat.* mouet quæstionem, an potentiæ sint idem in essentia cum anima. Et in solutione quæstionis videtur asserere ipsas non esse idem, sed differre realiter ab anima: proponit enim argumenta in contrarium probantia non esse idem, & ipsa soluit relinquens intacta illa, quæ probant distinctionem: Attamen si rectè perpendatur in corpore quæstionis, & in responsionibus ad obiectiones, & maximè in fine, patebit ipsum excludere distinctionem realem inter ipsas, item & identitatem formalem: concludit enim tali pacto: Vnde potentiæ animæ sunt substantiales animæ, & in eodem genere per reductionem: nec sunt omninò per essentiam idem, nec tamen ita differunt, vt sint alterius generis; sed sunt in eodem genere per reductionem. Et in responsione *ad* 1. *&* 2. & ad illud D. Bern. & D. August. quod anima est suæ potentiæ, dicit hanc non esse prædicationem eiusdem per essentiam, scilicet identicam, nec accidentis de suo subiecto, sed esse essentialem, non quod potentiæ dicant animæ essentiam totam, vt species, nec partem constituentem, vt materia, & forma: nec idem ita, quod non possit esse, vel intelligi anima sine potentiis, idest per identitatem formalem: habent enim diuersos conceptus obiectiuos, sed esse talem, quod sine potentiis anima non habet esse perfectum: ideóque dicitur anima esse suæ potentiæ, idest identicè, & realiter, quia non transit in aliud genus: Et *ad* 4. dicit potentias addere animæ, plusquam faciat potentia passiua materiæ: ideóque diuersitas potentiæ in materia ad plures formas non est multiplex, sed est vnica ad omnes formas: ratio est, quia id imperfectionis est, & ratione priuationis: at potentiæ animæ superaddunt aliquid positiuum: quia agere dicit perfectionem superadditam substantiæ: Idem *ad* 6. & *in fine* addit. Argumentum autem factum ad oppositum, quod differunt, quia sunt in diuersis generibus, soluendum est per interemptionem, quia sunt in eodem genere per reductionem: Idem omninò habet *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1. vnde patet Seraph. Doct. excludere distinctionem realem, admittereque tantùm mediam, vel formalem secundùm tradita *in tract. formalitatum*: His positis

Probatvr prima pars contra Thomistas primò authoritatibus D. August. *Serm.* 3. *de temp. & tract.* 15. *in Ioan. & lib.* 10. *Confess. cap.* 14. & D. Bern. *Serm.* 11. *in Cant.* & Vgon. Victor. *lib. de spiritu, & an. cap.* 4. quorum aliqui Textus citantur à S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 3. *citat.* qui omnes dicunt animam, & potentias esse vnum inter se.

Respondent Thomistæ hos Patres locutos fuisse ita non propter identitatem, sed ob intimam coniunctionem animæ cum potentiis, & inseparabilitatem in operatione.

Contra: Quia datâ hac inseparabilitate in operatione, si etiam inter se distinguuntur realiter tanquam

substantia, & accidentia, nunquam poterunt dici vnum in essentia: Sic loquitur D. August. *cit.* à S. Bonau. hæc tria memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna mens, vna vita, vna essentia, & substantia: & S. Bernard. hæc tria sunt ipsa anima.

260. PROBATVR secundò ratione: Potentiæ istæ producuntur ab anima immediatè absque potentiis superadditis: ergo anima ante ipsas potentias habet potentiam ipsas producendi: tunc quæro, vel ergo ista potentia distinguitur ab anima: vel non: si distinguitur: ergo est abire in infinitum: si non: ergo potentia non distinguitur ab anima realiter: ergo nec cæteræ, cùm non sit maior ratio de istis, quàm de illa.

PROBATVR tertiò: Si distinguuntur realiter: ergo poteruut separari à Deo; sed hoc est falsum: Probatur, quia in casu separationis anima non esset potens, sicque erit principium absque potentia, sed id implicat: ergo.

PROBATVR quartò: Quia si sunt accidentia realiter distincta: ergo poterunt separari absque corruptione animæ; sed hoc est falsum: Probatur, quia si à planta, vel ab animali tollatur potentia vegetatiua, vel sensitiua, vtique perit, nec per Diuinam potentiam potest esse viuens, & multò magis id dicendum de anima rationali: potentiæ enim vitales non possunt à Deo suppleri: nam potest quidem Deus nutrire aliquid, sed illa nutritio non esset actio vitalis, quia non promanaret à principio, in quo recipitur: ergo.

PROBATVR quintò: Quia anima rationalis, si esset realiter distincta ab intellectu, diceretur per accidens intellectiua, & accidentaliter distingui ab irrationalibus.

RESPONDENT esse radicaliter, & seipsa intellectiuam.

CONTRA: Ergo non habet potentiam ad intelligendum de se, sed tantùm indifferentiam; sed eodem modo se habet homo ad albedinem: ergo.

PROBATVR sextò: Si distinguuntur potentiæ ab anima realiter: vel ipsæ sunt substantia, vel sunt accidentia: non primum, quia essent aggregatum plurium substantiarum; nec secundum, quia anima sensitiua per nutritionem producit substantiam: Sed accidens non potest attingere productionem substantiæ, vt in Phys. probatum est: ergo. Tum quia anima per accidens, non per se esset beata, intelligens, volens, quod est falsum: Patet sequela, quia actus primus quando per accidens conuenit alicui, etiam per accidens ei tribuitur actus secundus. Tum etiam quia impossibile esset animam absque ipsis posse conseruari viuere, &c.

RESPONDENT negando sequelam ex hoc, quod licèt potentiæ sint accidentia, conueniunt tamen animæ per se: quia se habent per modum passionum, & sunt veluti instrumenta, quibus vtitur anima ad exercendas vitales operationes.

CONTRA: Ergo anima influxu distincto à potentiis producit actus, & influxus potentiarum erit instrumentalis: sicque ipsa anima erit immediatè operatiua absque potentiis: alioquin si solùm ageret per potentias tanquam per rationem vt qua: si hæc est instrumentalis, & anima aget tanquam causa instrumentalis: ratio enimque agendi si est principalis

Digitized by Google

palis facit causam principalem, si est instrumentalis, facit instrumentalem.

CONFIRMATVR: Quia animam agere mediis potentiis, vt instrumentis vel dicit aliquam actiuitatem immediatè in anima respectu actus spectantem ad genus efficientis, vel dicit simplicem sustentationem potentiarum, quatenùs sunt in anima inhæsiuo modo: si primum: ergo anima immediatè agit non medio aliquo distincto realiter: Si secundum: ergo actus liberi non imputantur animæ, sed solùm voluntati: Patet consequentia: quia anima semper se habebit naturaliter in his actibus, scilicet sustentando potentias, quæ omnia sunt maxima absurda.

PROBATVR septimò: Potentiæ per Aduersarios producuntur per veram causalitatem ab anima: ergo multò magis ipsa poterit producere actus earundem immediatè; non enim maior virtus, & adiutorium alicuius superadditi requiritur ad actus accidentales producendos per veram causalitatem, quàm ad productionem Physicam potentiarum: immò minor virtus ad actus requiritur, quàm ad potentias, sicque potentiæ erunt superfluæ.

PROBATVR octauò: Quia actus intellectus, & voluntatis non essent vitales, cùm non procedant immediatè à vita, sed ab aliquo realiter distincto à vita.

PROBATVR nonò: Quia præciso intellectu, adhuc anima est intellectiua essentialiter: ergo non distinguitur realiter.

RESPONDET Ruuius fore intellectiuam radicaliter, non formaliter.

CONTRA: Quia gradus viuendi sunt formaliter tales, sed isti competunt animæ immediatè, & formaliter: ergo non sufficit ista radicalitas. Vlteriùs: Illa potentia separata, vel seipsa immediatè esset potens elicere, vel medio alio accidente superaddito: Si primum: ergo idem poterit dici de prima potentia respectu animæ, quod non sit distincta realiter, non enim est maior ratio: Si secundum: dabitur processus in infinitum.

PROBATVR decimò à Seraph. Doct. ex experientia, & *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1. fund. 6.* quod & affert Suarez *sect. 5.* & Mastrius *hic*: Cùm vigoratur actus vnius potentiæ, minoratur actus alterius, vt si anima attendit ad alia, etiam si oculus recipit speciem coloris, non ipsum conspicit: ergo signum est animam immediatè concurrere ad actus vitales: Patet consequentia: quia quando duo principia realiter distincta non sunt contraria, vnum non impedit actus alterius: Nec valet, si dicas id prouenire ex summa coniunctione, & subordinatione; nam potentia, verbi gratiâ, visiua non est subordinata auditiuæ, & tamen actus vnius impedit actus alterius.

261. PROBATVR secunda pars contra Nominales à S. Bonau. *lib. 1. dist. 3. cit.* & simul tertia pars cum eodem Seraph. Doct. & Scotistis primò ex D. Aug. qui assignat differentiam imaginis creatæ ad Trinitatem increatam: quia in Trinitate creata habens non est id, quod habetur, in increata habens est id, quod habetur, & D. Dyonis. dicit, quod in quolibet creato differunt hæc tria, substantia, virtus, & operatio, & D. Boet. in quolibet creato differunt, quo est, & quod est: ergo multò magis quo potest, & quod potest.

PROBATVR secundò ratione à Seraph. Doct. *ibid. ad* 3. Si omninò idem

est principium essendi, & operandi in anima, sequitur, quod sit similis identitati Diuinæ: In Deo enim solo non differunt esse, virtus, & operatio. Tum quia si idem omninò sunt esse,& principium formale operandi, sequitur, quod semper erit anima in actu secundo operandi: Probatur sequela, quia semper est in actu secundo essendi: ergo & operandi

PROBATVR tertiò: Quia sequerentur contradictoria prædicata de eodem principio, scilicet operari naturaliter, & liberè: sunt enim istæ duæ differentiæ primò diuidentes principium actiuum: ergo non possunt eidem competere simul,& semel secundùm idem. Tum quia D. Aug. *tr.* 15. *in Io.* dicit intellectum non esse animam, sed aliquid animæ. Tum quia habent diuersas definitiones, nec se includunt formaliter mutuò, sunt & disparatæ: ergo.

Ex quibus sequitur, quod identificantur cum anima, cui sunt essentiales.

262. OBIICIES primò pro Thomistis: Anima est imago SS.Trinitatis, sed potentiæ repræsentant tres personas realiter distinctas: ergo & ipsæ sunt realiter distinctæ.

RESPONDET S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 3. *cit. quæst.* 2. *& lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. sumi imaginem non præcisè in potentiis, sed in mente, notitia, & amore, sic nego Minorem, & consequentiam: de quo aliàs redibit sermo.

OBIICIES secundò: Potentiæ recipiunt magis, & minùs,nam vnus intellectus est perfectior altero, & vnus beatus intensius videt Deum alio: ergo sunt accidentia, substantia enim non recipit magis, & minùs.

RESPONDETVR in Seraphica Doctrina dari latitudinem gradualem in substantiis quoad perfectionem indiuidualem,& entitatiuam, quod & infrà suo loco probabitur.

RESPONDETVR secundò, hoc magis, & minùs posse prouenire ex perfectiori organizatione: vel ex perfectiori habitu existente in intellectu, vnde nihil contra Nos.

OBIICIES tertiò: Anima est actus corporis organici: sed intellectus non est talis actus: ergo non sunt idem realiter.

RESPONDETVR distinguendo Minorem: Intellectus non est actus corporis identicè, nego: formaliter, concedo: sic enim importat præcisè rationem principij actiuam, non vt est identicè forma: sic negatur consequentia.

OBIICIES quartò: Anima essentialiter est actus corporis, sed potentiæ sunt idem essentialiter cum tali anima: ergo cùm anima semper sit actus, & potentiæ erunt actus, & semper agent, consequens est falsum: ergo & antecedens: ergo non sunt idem realiter.

RESPONDETVR latere æquiuocationem in hoc argumento. Anima est essentialiter actus, prout est forma, concedo: potentiæ sunt actus in genere efficientis causæ: sic anima, vt est forma, semper est in actu, non verò prout est principium effectiuum actuum. Tum etiam quia id verificatur de agente totali, & independente, quale est Deus: non verò de dependente: Solus enim Deus est semper in actu

263. OBIICIES quintò: Potentia, & actus sunt in eodem genere, sed actus sunt accidentia: ergo & potentiæ: & confirmatur, quia

debent

debent proportionari ad inuicem: ergo.

Respondetvr esse veram maiorem de potentia obiectiua, & actu entitatiuo; non de potentia actiua, & effectibus, vt est in proposito: sufficit enim, vt proportionentur non in entitate, sed in actiuitate, scilicet vt effectus contineatur in virtute suæ causæ: alioquin nullum accidens posset à substantia produci.

Obicies sextò: Totum distinguitur realiter à suis partibus: ergo multò magis potentiæ ab anima, cùm ipsæ integrent animam.

Respondetvr negando potentias esse partes animæ nisi impropriè: non enim causant animam, sed potiùs ab ipsa causantur: dicuntur tamen esse de perfectione animæ, quatenùs sunt perfectiones virtuales animæ: sunt enim ratio, vt qua ipsa operatur.

Obicies pro Nominalibus primò: Anima est immediatum principium essendi, & operandi: ipsa enim est, quæ intelligit, non intellectus: ergo intellectus non est aliquid distinctum ab anima.

Respondet S. Bonauent. anima est immediatum principium essendi, & operandi remotum, concedo, siue vt quod: proximum, nego, & vt quo: explico dictum: licèt enim anima sit immediatum principium essendi, & vt quo ipsi composito: non tamen operandi: non quod inter animam, & actus mediet alia causa siue principalis, siue instrumentalis: Sed quia mediat ratio qua, nempè potentiæ, quæ sunt animæ rationes formales ipsam constituentes in actu primo operandi.

Obicies secundò: Potentia ad operandum præsupponit essentiam vltimò completam: ergo potentia illi adueniens erit animæ accidentalis: vel potentia erit omninò idem cum anima.

Respondetvr potentiam præsupponere essentiam animæ in suo esse vltimo quoad esse, concedo, & etiam quoad operari remotè: non verò quoad posse, cùm constituatur in statu proximo, & immediatè per potentiam: Vel dic, potentiam præsupponere essentiam completam secundùm esse ante actum: non verò ipsam completam quoad posse.

Obicies tertiò: Sol eadem potentia plures effectus producit oppositos: sic & aliæ substantiæ absque potentia superaddita producunt varios effectus: ergo & anima multò magis id poterit.

264. Respondet S. Bonau. *lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 2. fund. vltim. & ad 7. & 8.* primò negando antecedens: nam nulla creata substantia est immediatè operatiua, sed exigit virtutem superadditam: Solque alia virtute calefacit, alia desiccat.

Respondetvr secundò: transeat antecedens, & negatur paritas de Sole: Sol enim non est formaliter, sed tantùm virtualiter, & effectiuè calidus, siccus, &c. habet tamen virtutem superadditam distinctam: Anima verò est talis formaliter, scilicet intellectiua, volitiua, ideò tales potentiæ sunt aliquid ab anima distinctum.

Respondetvr tertiò, quod anima, cùm sit inter substantias omnium perfectissima, licèt quoad esse primum sit maximè vna, non tamen quoad esse secundarium, scilicet quoad posse: cùm enim sit in se limitatæ

Digitized by Google

mitatæ naturæ, ideò indiguit multiplicitate potentiarum, quæ identificatæ cum ipsa reddunt eam perfectissimam, & quibus potest per varios modos operandi producere suos actus.

Obiicies quartò: Impossibile est, quod vnum, & idem realiter sit productiuum, & non productiuum, receptiuum, & non receptiuum: Sed intellectus est productiuus intellectionis, & non volitionis: ergo vel distinguuntur realiter, vel ratione tantùm, & per ordinem ad actus.

Respondetur hoc argumentum militare contra ipsos Nominales: & ad saluandas istas contradictiones sufficere distinctionem formalem ex natura rei, vt aliàs probatum est.

Obiicies quintò: Anima est immediatum principium producendi, & recipiendi actus suos: ergo non indiget aliquo superaddito.

Respondetur esse immediatum principium quod, non quo: vel si est etiam quo, id erit, quia simul cum ipsa identificantur potentiæ: quibus mediis est immediatum principium, & producendi actus, & recipiendi ipsos.

Obiicies sextò cum Serbellon. Si potentiæ distinguuntur ab anima, id est, vel quia anima non potest immediatè operari absque ipsis: vel quia sunt comprincipium cum ipsa operandi, sed vtrumque est falsum: ergo.

Probatur Min. Non hoc secundum, quod & Nos fatemur contra Thomistas, nec primum, & probatur, quia anima per Aduersarios est principium immediatum potentiarum: ergo multò magis actuum sine potentiis.

Respondetur concedendo primam partem Maioris: Ad probationem respondetur negando paritatem de productione potentiarum, & actuum: ratio est, quia anima non est principium productiuum potentiarum per veram influentiam, sed dicitur tantùm principium per emanationem Metaphysicam, quatenùs ad productionem animæ intelliguntur, & consequenter productæ potentiæ cum ipsa identificatæ: at respectu actuum, cùm ipsi producantur per veram influentiam, requiritur, vt sit proximè potens, & in actu primo per suam rationem formalem potentiæ: hinc patet hallucinatio Serbelloni.

Obiicies septimò: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed potentiæ sunt idem realiter cum anima: ergo & inter se: sed consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondetur ex Scoto verificari illam maximam, quando extrema, vel alterum ipsorum est infinitum: non verò quando est finitum.

Respondetur secundò verificari de ea identitate, qua sunt in illo tertio, scilicet in illo tertio identificantur, ita vt constituant vnam rem, licèt cum diuersis formalitatibus simul identificatis in anima.

Obiicies octauò: Si potentiæ separarentur à Deo ab anima: tunc anima esset adhuc intellectiua: ergo sunt idem omninò cum ipsa.

265. Hvic obiectioni tenentur respondere Thomistæ admittentes talem separabilitatem: Nos negamus cum Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 1. art. 1. quæst. 5. in fine corp.* posse separari ex hoc, quod potentiæ dependent

Digitized by Google

pendent ab anima entitatiuè, & intrinsecè, cum qua sunt radicatæ, & identificatæ, nec possent à Deo suppleri, quia se habent cum anima veluti formæ in ea receptæ. Ex qua positione euanescunt tanquam frustatoriæ plures quæstiones, quas proponunt Multi maximè Ruuius ex suppositione, quod sint potentiæ vitales separabiles ab anima: An potentia vitalis separata possit à Deo vniri subiecto extraneo, verbi gratiâ, lapidi: An talis potentia separata existeret per se, an in statu violento, an naturali: qui Author proponit etiam alias quæstiones, an potentiæ producantur ab anima per veram actionem Physicam distinctam in genere causæ efficientis: an verò in genere causæ materialis, siue finalis: vbi Niphus, Iandun, Ægid. admittunt tantùm in genere materiali: Ipse verò cum pluribus in genere causæ efficientis, & hoc per veram actionem Physicam, nempè quia educuntur de potentia animæ ab eadem anima.

Sed ex traditis patet, istas quæstiones euanescere: nec enim possunt istæ potentiæ separari, nec producuntur per veram actionem, sed tantùm emanatione Metaphysica resultant, & verè producuntur ab ipso producente animam.

Qværes: quodnam sit subiectum potentiarum vitalium.

Ratio dubitandi est: quia aliquæ sunt organicæ, aliæ inorganicæ, & quæritur, an organicæ subiectantur in organo, an in anima: Ruuius cum aliis docet organicas subiectari in organo, inorganicas in anima, & ob id in morte cuiuslibet deperdi organicas. Scotus è contra docet omnes subiectari in anima, sed in statu separationis organicas non exercere suos actus ob dependentiam ab organo, cui præiuit Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. addens, deperdi in separatione animæ à corpore vsum sensitiuarum potentiarum eo, quod anima habet quidem illas, sed quia vsus earum exigit potentiam passiuam in organo: hinc omisso organo non ampliùs potest operari: Anima autem intellectiua eo, quia est composita ex materia, & forma, ideò potest exercere omnes illos actus, sed perfectiori modo, quos exercebat per sensitiuas in corpore, scilicet sentire, imaginari, & intelligere per potentiam intellectiuam: Sic & *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *quæst. vltim. ad vlt.* quod & fusiùs tradetur à nobis, cùm de anima separata.

Ex quibus etiam habetur solutio alterius quæstionis, an operationes potentiarum recipiantur in anima: an in potentiis: an in organo: nam actus producti ab anima per potentias inorganicas recipiuntur immediatè in ipsa anima mediante potentia: actus verò producti per organa producuntur quidem ab anima, scilicet media potentia, & organo tanquam comprincipio, sed recipiuntur in organo: Sic Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *articul.* 1. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *distinct.* 8. *citat.*

QVÆSTIO II.

Vndenam sumatur distinctio potentiarum.

166. COMMVNE est axioma in Philosophia potentias specificari per actus, & actus per obiecta, sed quia variant DD. in sensu huius propositionis, nempè an verè specificatio potentiarum desumi debeat ab actibus, an ab obiecto, an aliundè.

THOMISTÆ dicunt specificationem potentiarum desumi per ordinem ad actus, & specificationem actuum ab obiectis, eo quod potentia intrinsecè dicit relationem ad suos actus, & ad obiectum, relationes enim specificantur à terminis formalibus: Citatur S. Bonauent. pro hac opinione à P. Baudunio, sed malè, vt demonstrabitur infrà.

SCOTVS, & Scotistæ docent specificari per suas proprias differentias intrinsecas: dici autem specificari per actus, & obiecta tanquam per rationes extrinsecas, & per manifestationem, & innotescentiam, & hæc est Opinio Seraph. Doct. vt mox patebit. Interim

PRIMÒ Notandum, quod Seraph. Doct. pluribus locis affert hoc axioma Aristotelicum, ipsumque explicat, asserens, quod est verum, dummodò sumantur actus proprij, & per se, & obiecta secundùm rationem non materialem, sed formalem, & per se, & secundùm rationem motiui, & actiui: Sic *lib. 3. distinct. 23. art. 1. quæst. 3. ad 1. & dist. 35. art. 1. quæst. 1. ad vltim. & lib. 2. distinct. 7. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 5. & lib. 4. distinct. 14. part. 1. articul. 1. quæst. 2. ad 3.*

ADDIT tamen *lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 3.* quod potentiæ distinguuntur immediatiùs per actus, quàm per obiecta: vnde ad differentiam essentialem potentiarum sufficit diuersitas obiectorum secundùm rationem tantùm, sic verũ, & bonum sunt idem secundùm essentiam, diuersa secundùm rationem, & tamen verum est obiectum intellectus, & bonum voluntatis: cognoscere autem, & amare sunt actus realiter differentes: Potentiæ verò, quæ sunt ad hos actus, per seipsas diuersitatem habent: Hinc patet Seraph. Doct. velle potentias non differre absolutè per actus, sed per seipsas, idest per proprias differentias, quæ tamen, cùm sint nobis ignotæ, patefiunt per actus diuersos ad diuersa obiecta formalia: vnde potentiæ sunt quid in se absolutum, includentes tamen in se respectum transcendentalem ad actus, & obiecta: Potentia enim (ait S. Doct. *lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 3.*) dicit formaliter proximum, & immediatum principium operandi: & *lib. 1. distinct. 7. dub. 6.* potentia potest considerari secundùm id, quod est, & sic dicit naturam (idest quid absolutum,) & secundùm id, ad quod est, & sic dicit relationem ad aliud, nempè ad actus, & obiecta, & cùm relatio sit post esse absolutum *ex lib. 1. distinct. 26. quæst. 1. ad 6.* hinc priùs per seipsas distinguuntur, antequam intelligantur relatiuæ.

267. SECVNDÒ Notandum, quod cùm dicat Seraph. Doct. specificari potentias (modo suprà dicto) per actus, & obiecta per se, id intelligendum

ligendum est hoc modo, & primo in ordine ad actus: secundo in ordine ad obiecta; & quoad actus aduerte, quod actus alicuius potentiæ possunt sumi dupliciter, vel adæquatè, vel inadæquatè: Primò, quatenùs complent totam latitudinem potentiæ valentis producere plures actus, & secundùm se diuersos, & multiplicatos in infinitum, quorum tamen quilibet spectat ad rationem formalem distinctiuam potentiæ, quatenùs non possunt elici ab alia potentia: secundo modo scilicet inadæquatè, quatenùs actus partialiter tantùm correspondet potentiæ, vel vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 19. dub. 2.* quatenùs actus non circumplectitur totam potentiam: sic, verbi gratiâ, simplex apprehensio est actus inadæquatus intellectus, oculi autem est visio albedinis tantùm: Distinctio autem ex actibus non debet desumi ex actibus inadæquatè sumptis, sed ex adæquatè sumptis, & secundùm propriam rationem formalem distinctiuam, quæ nobis elucescit à posteriori, scilicet quatenùs omnes, & singuli sunt inseparabiles à potentia, nec valent produci à qualibet alia, & hæc est ratio formalis actuum distinctiua, quia isti actus (ait Seraph. Doct.) circumplectuntur totam potentiam.

268. Tertiò Notandũ, quod circa obiectũ potentiæ in ipso obiecto non consideratur ratio materialis, & communis pluribus potentiis, verbi gratiâ, sensibilitas respectu actus visionis: est enim quid commune cæteris sensibus ratio formalis primo motiua, quæ adæquat totam potentiam, vt, verbi gratiâ, color, vel lux colorata in obiecto visionis: hæc autem ratio, cùm sit formalis, & distinctiua potentiæ, fert secum necessariam connexionem inseparabilitatis ab actu, & à potentia: Sic Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 23. art. 1. quæst. 3. ad 1. & 5. & distinct. 24. art. 1. quæst. 2. in corp. & aliis loc. citat.* quæ doctrina etiam potest inseruire in materia morali ad dignoscendum distinctionem specificam actuum, & circunstantiarum peccati: De qua materia agemus Deo dante in tractatu de actibus humanis in Theologia: His positis

269. Vnica Conclvsio: Potentiæ non distinguuntur per actus, & actus per obiecta tanquam per distinctiua formalia, & intrinseca, sed tantùm à posteriori: dummodò sint actus, & obiecta formalia, & adæquata: Est S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 3. & pluribus aliis loc.*

Probatvr prima pars: Actus, & obiecta sunt posteriora ipsis potentiis: ergo non sunt intrinsecè distinctiua potentiarum: sunt enim effectus potentiarum, similiter obiecta concurrunt cum potentiis ad producendos actus in genere causæ efficientis: ergo non sunt illis intrinseca, cùm distinguantur realiter. Tum quia potentiæ sunt quid absolutum: ergo non possunt specificari à relatione.

Probatvr secunda pars: Relatiua dignoscuntur ex terminis formalibus, sed potentiæ includunt relationem transcendentalem ad actus tanquam ad proprium finem: item & ad obiecta: ergo actus, & obiecta sunt à posteriori specificatiua potentiarum.

270. Obiicies primò ex Arist. *in hoc 2. lib. de an.* asserente actus esse priores potentiis: ergo.

Digitized by Google

RESPONDETVR esse priores quoad Nos, idest quoad innotescentiam, & etiam quoad finem: non verò propriè.

OBIICIES secundò: Potentiæ intrinsecè, & essentialiter sunt relatiuæ ad actus, & obiecta: potentia enim ponitur propter actus, & operationes: ergo dicunt ordinem essentialem ad actus: ergo per actus tanquam à priori specificantur.

RESPONDETVR potentias esse in se quid absolutum, continentes tamen relationem transcendentalem ad actus, & obiecta, vt dictum est: sic negatur consequentia: Vt autem id intelligatur, adnotanda est doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 26. art. 1. quæst. 5. in corp.* quod potentiæ possunt considerari, provt sunt identificatæ cum anima, ad quam identicè continuantur, sicque dicunt esse quid absolutum, sicut anima: provt verò referuntur ad operationes, includunt respectum: Hinc talis respectus est in eis quid consequens.

OBIICIES tertiò: Eadem potentia tendit in diuersa obiecta formalia aliarum potentiarum, ergo ratio formalis obiecti non facit ad specificationem potentiæ.

PROBATVR antecedens: quia intellectus cognoscit sensibile, imaginabile, & intelligibile, sed sensibile, imaginabile sunt obiecta etiam sensuum: ergo.

RESPONDENT Rabesan. Aliique, quod potentiæ subordinatæ in eodem genere, verbi gratiâ in genere cognitiuo, vel appetitiuo, vt sunt sensus interni, & externi, qui subordinantur tãquam quid medium potentiæ intellectiuæ, & appetitus sensitiuus appetitui rationali, istæ potentiæ distinguuntur per actus propriè, & per obiecta inadæquatè: Potentiæ verò subordinatæ alterius generis, vt sunt intellectus, & voluntas, non distinguuntur per obiecta, sed per actus: ens enim vt ens est obiectum vtriusque potentiæ: quæ responsio tamen patitur maximas difficultates, & primò, quia falsum est ens vt ens esse obiectum vtriusque potentiæ, quia, vt suprà diximus, & suo loco fusiùs tradetur, ens vt verum, est obiectum intellectus, voluntatis verò ens vt bonum: & licèt à parte rei sint vnum, & idem, tamen quia continent diuersas rationes formales, hinc & possunt terminare etiam diuersas relationes diuersarum potentiarum: Hinc respondetur ad id, quod intellectus sentit, imaginatur, & intelligit, concedendo intellectum cognoscere sensibile, imaginabile, sed non sub ratione entis sensibilis, sed sub ratione veri, vt aduertit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 39. dub. 1. & lib. 1. dist. 40. art. 1. quæst. 2. in corp.* hinc negatur consequentia concludendo, quod specificatio potentiæ est ratione actus, sed per ordinem ad obiectum formale.

PARS



PARS PRIMA DE ANIMA.

TRACTATVS TERTIVS.

De Anima vegetante, eiusque Potentiis.

271. AM, quæ ſpectant ad animam in communi, expendimus: nunc in particulari de ſingulis examen eſt faciendum: Vnde in hoc tractatu de Anima vegetatiua agendum eſt, & eiuſdem potentiis.



QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Anima vegetatiua, & quanam, quotque ſint ipſius Potentiæ.

VPPONENDVM eſt primò ex Serap. Doct. *in Centil. part.* 3. *ſect.* 21. & 22. & communi, quod Vegetatiua in plantis eſt Anima, quæ ſimul cum corpore conſtituit viuens completum ſubſtantiale: in animantibus eſt potentia tantùm, ſicut & in rationalibus, vt ſuprà dictum eſt in tractatu primo.

SVPPONENDVM ſecundò tanquam certum animam vegetantem eſſe actum corporis organici potentia vitam vegetantem habentis, vnde eſt principium operationum vitalium dependenter ab organo per qualitates omninò corporeas, per quod differt ab anima ſenſitiua, quæ ab organo dependet, ſed mediantibus ſpeciebus intentionalibus, & ab anima rationali, quæ operatur independenter ab organis, & iſta ſunt certa apud omnes ferè: Difficultas tota reducitur circa potentias, nempè quot ſint potentiæ animæ vegetatiuæ, & qualiter diſtinguantur: Circa quam

PRIMA Opinio tres potentias vegetatiuæ aſſignat, haſque diſtinctas eſſe realiter docet: Sic Thomiſt. apud Ruu. Meldul. Alioſque Pro hac opinione citatur etiam licèt

malè Seraph. Doct. à P.Baudunio *tr. de Augment. sect.* 11.

Secunda Opinio tria docet: Primum est, quod potentiæ ab anima tantùm formaliter distinguantur, quod & satis suprà *in praced. tract.* ostensum est ex Seraph.Doct. & Scoto: Secundùm est, quod duæ tantùm potentiæ distinctæ recognosci debeant in anima vegetante, scilicet nutritiua, & generatiua: Augmentatiua enim est eadem essentialiter,& formaliter cum nutritiua: Tertium est, quod in anima sensitiua istæ potentiæ non sunt distinctæ nisi virtualiter, sed solùm per vnicam potentiam vegetantem exercent tales actus diuersos: Hæc omnia colligo ex Seraphica doctrina, de qua infrà: Vtque meliùs pateant

272. Primò Notandum ex S. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *& quæst.* 2. *ad vlt.* quod augmentum est, quando minori succedit maius, idque vel est præcisè ad quantitatem molis: sicque augmentatio quantitatiua terminat ad quantitatem vt ad per se terminum; vel ad quantitatem,simulque ad substantiam nouam, vel est ad quantitatem virtutis, & substantialem, sicque est ad substantiam: Hoc augmentum autem aliter fit in viuentibus: aliter in non viuentibus: nam in non viuentibus fit per virtutem extrinsecam possibilitate sola, & vnibilitate existente in augmentabili, quod augmentabile se habet in ratione passiui,quatenùs imperfectum est:augmentans in ratione actiui, & complectiui, quia id, quod additur, dat completionem: In viuentibus verò fit è conuerso, scilicet per virtutem intrinsecam existentem in augmentabili, scilicet animato,in quo augmentabile ipsum se habet in ratione actiui perficientis, & conuertentis aliud: augmentans verò scilicet id, quod conuertitur, se habet in ratione passiui, & materialis, est enim id,quod recipit mutationem, & conuersionem, & id fit propriè per potentiam nutritiuam, vnde augmentatio vitalis non auget animal per accidens, sed substantialiter: & cùm augmentatio fiat per virtutem nutritiuam media nutritione, sequitur, quod habeat vtraque eundem terminum formaliter:Sic etiam Guarinus *disp.*6. *exps.* 12.

273. Secundò Notandum ex S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. & præcipuè *quæst.* 2. quod generatio differt à nutritione ratione vtriusque termini à quo, & ad quem: nam generatio pro termino à quo habet ipsam materiam seminalem, seu semen, quod est de alimenti parte partim de superfluo alimenti, & partim de substantia radicali generantis, (quod & in sequenti quæstione patebit,) terminus verò ad quem est quidem substantia noua, sed tamen est totalis, idest corpus organizatum, obidque est caro secundùm speciem, vel formam, quæ est de prima, & essentiali constitutione viuentis: In nutritione verò terminus à quo est de alimenti parte: terminus ad quem est caro secundùm materiam, quæ scilicet non est de prima constitutione viuentis, sed superadditur corpori organizato, ad hoc vt compleatur vsque ad complementum, ad quod caro secundùm formam habet virtutem suam limitatam, quod & in sequentibus magis explicabitur.

274. Tertiò Notandum ex traditis *in præced. tract.* 1. *quæst.* 1. quod cùm substantia creata de se non

fit

ſit immediatè operatiua, indiget aliquo ſuperaddito, quod ſit ipſi ratio formalis, qua poſſit exire in actum ſecundum, idque ſunt potentiæ ſuperadditæ, quæ ſunt rationes quibus, ſcilicet formales: hinc ſequitur, quod anima vegetatiua, ſeu viuens vegetabile, cùm ſit ſubſtantia in ſe completa, indiget potentiis tanquam rationibus formalibus ad operandum, iſtæque ſunt generatiua, & nutritiua: ſed quia in primis eſt ſtatus, differentiæque, ſeu rationes formales ſeipſis differunt, non per alias rationes formales: vt docet de omnibus rationibus, & differentiis formalibus Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 13. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* hinc rationis formalis non datur ratio formalis, nec potentiæ potentia, nec perfectionis perfectio, quando talis potentia, & ratio formalis eſt completa in ſuo ordine, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 36. *quæſt. vltim. ad* 5. Hinc patet ratio, quare generatiua potentia, & nutritiua multiplicatur in plantis, non verò in viuentibus ſenſitiuis, & rationalibus: in his enim vegetabile dicit potentiam perfectam, obidque & multiplicem in virtute, nec multiplicat iſtas potentias generatiuam, & nutritiuam, niſi ſecundùm officia, & actus, quod & in ſimili docet S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fine corp.* quæ tamen multiplicari actualiter debent in planta, cùm vegetabile formaliter dicat ſubſtantiam completam: in ſenſitiuis dicat tantùm potentiam formaliter: ratio autem poteſt aſſignari huius differentiæ ex doctrina, quam tradit *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. quia ex diuerſitate actuum poteſt inferri diuerſitas principiorum in corporeis, non verò ſemper in ſpiritualibus, quæ habent potentiam multiplicem, & virtualem valentem ſe extendere ad actus plures ſubordinatos: Sic & *lib.* 2. *diſt.* 24. *citat. ad* 8. His poſitis

275. Prima Conclvsio: Anima vegetatiua habet potentias, quibus ponitur in actu primo operandi, quæ ſunt generatiua, nutritiua, & augmentatiua: Sic Seraph. Doct. *in Centil. part.* 3. *ſect.* 21. *&* 22. *& in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 33. quæ tamen ab ipſa non diſtinguuntur niſi formaliter, & cum ipſa realiter identificantur: Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 3. Hæc Concluſio patet ex traditis *in citat. quæſtione* de diſtinctione potentiarum ab anima: vnde non eſt, cur hîc rationes ibi datas replicemus.

276. Secvnda Conclvsio: Potentiæ animæ vegetatiuæ ſunt tantùm duæ formaliter, ſcilicet generatiua, & nutritiua: augmentatiua enim non differt à nutritiua niſi virtualiter: Eſt S. Bonau. qui *in Centil. part.* 3. *ſect.* 21. habet hæc verba: vegetabilis ſubdiuiditur in generatiuam, & nutritiuam: prima eſt ad conſeruationem ſpeciei, nutritiua ad conſeruationem indiuidui: Nutritiua habet duos actus, ſcilicet nutrire, & iſte eſt actus ſemper neceſſarius, & augmentare, & iſte non eſt ſemper neceſſarius, ſed ſolùm vſque ad complementum rei: vnde nutriuntur ſemper animalia, non autem ſemper augmentantur (nota hîc Seraph. Doct. ſumere augmentatiuam, prout dicit complementum rei) addit & *lib.* 2. *diſtinct.* 30. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.* hæc notabilia verba: virtute generatiuæ generatur caro ſecundùm formam, ſeu corpus, in

in quo consistit fundamentum, & fabrica nostri corporis, cui virtuti competit operari, quousque anima infunditur corpori, & in tale nihil potest transire opere nutritiuæ, & augmentatiuæ, secundùm quod nutritiua operatur post animæ vnionem: potest enim solùm conuertere alimentum in carnem secundùm materiam, quæ scilicet est necessaria ad complendam corporis fabricam: vnde Seraph. Doct. reducit ad vnicam potentiam ipsam nutritiuam, & augmentatiuam, & sciungit generatiuam.

Probatur autem prima pars: Generatiua, & nutritiua habent diuersos terminos formales à quo, & ad quem, vt suprà traditum est *in 2. Notab.* ergo differunt inter se: sed non possunt differre realiter, cùm sint quid essentiale animæ vegetatiuæ, nec virtualiter tantùm, cùm habeant diuersos conceptus obiectiuos: potentiæ enim specificantur penes actus, & obiecta formalia: ergo.

Probatur secunda pars: Potentia nutritiua, & augmentatiua formaliter exercent idem munus, scilicet conuertendi alimentum in carnem, secundùm materiam pro completione viuentis geniti: ergo non differunt formaliter. Tum quia, vt rectè discurrit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1. fund. 5.* non potest fieri nutritio nisi per additionem alicuius extrinseci, sed idem euenit in augmentatione: ergo sunt vnum, & idem formaliter: sed hæc materia infrà ex proposito suo loco examinabitur, vbi de augmentatione.

277. Obiicies primò: Potest separari potentia generatiua ab anima vegetante: ergo distinguitur realiter.

Probatur antecedens: Quia est in corporis parte talis potentia, & potest tolli à corpore talis pars. Tum quia in pueris, & spadonibus, & in aliquibus plantis non adest: ergo differt realiter.

Respondetur negando antecedens: Ad probationem respondetur, quod dato pro nunc, quod possit esse in actu exercito in parte determinata organi, de quo in sequenti quæstione, adhuc non infertur hæc separabilitas: est enim radicaliter identificata cum anima, & ob id in toto corpore: Et ad id de pueris, & spadonibus negatur in his non adesse, cùm adsit anima, seu potiùs anima sensitiua, sed impeditur ob aliquod impedimentum, & defectum: de quo in sequenti quæstione.

Addimus ex Seraph. Doct. *in Centil. cit. sect. 22.* eodem modo discurrendum esse de aliis quatuor actibus, seu viribus nutritiuæ, quæ differunt tantùm penes officia, suntque appetitiua, quæ appetit nutrimentum, appellaturque etiam attractiua: digestiua, quæ separat cibum conuenientem à non conueniente, illumque concoquet: retentiua, quæ transmittit ad singulas partes corporis, quod conueniens est in nutrimento, vt facta deperditio restauretur: & expulsiua, quæ expellit inconueniens, & noxium.

Obiectiones contra secundam partem Conclusionis infrà soluentur: vbi agetur de augmentatione.

278. Tertia Conclusio: In anima sensitiua, & rationali non datur hæc distinctio formalis potentiarum

tiarum vegetantium, sed est vna formaliter, & multiplex virtualiter, infertur ex traditis ex S.Doct.*in* 3.*Not.* estque expressissima sententia Arist. 2. *de gener. an. cap.* 4. *&* 2. *de an. t.* 42. *&* 54. vbi dicit vegetantem potentiam esse communem, eiusque actus esse generare, & nutrire: Nec valet expositio Medul. hîc dicentis Arist. loqui de identitate generica, nam Arist. expresse asserit de specifica, easque comparat in agendo, & ratione termini docet esse vnicam potentiam.

PROBATVR ratione euidenti: Si sunt in animali potentiæ distinctæ vel realiter, vel formaliter generatiua, & nutritiua, & augmentatiua: ergo datur potentia potentiæ, & rationis formalis ratio formalis, sed hoc est procedere in infinitum: ergo

PROBATVR sequela Maioris: quia vegetatiua in animantibus est potentia: ergo est ratio, quæ ipsius substantiæ animatæ: ergo generatiua, & nutritiua, cùm ipsi competant ratione vegetatiuæ, erunt potentiæ superadditæ ipsi potentiæ vegetatiuæ.

OBIICIES: Habent terminos diuersos, & de ipsis verificantur contradictoria: ergo distinguuntur formaliter in animali:

PROBATVR antecedens: Quia vegetatiua, vt est generatiua, terminat ad corpus organicum, & ad viuens, nutritiua ad partem. Tum quia vt generatiua, non nutrit, vt nutritiua, nutrit: ergo.

RESPONDETVR, transeat antecedens, & negatur consequentia; nam eadem potentia, cùm sit virtualiter multiplex, potest terminare multipliciter, vt patet etiam in multis aliis, vt infrà probabitur: Et ad id de contradictione.

RESPONDETVR, quod potentia vegetatiua, prout generatiua generat, si *ly vt*, quatenùs reduplicat virtutem, negatur: nam vt dicit virtutem, & generat, & nutrit: si reduplicat actus, conceditur, scilicet quod actus sunt differentes: hinc non sequitur differentiam in potentia

279. QVÆRES: In quo subiecto sint, & subiectentur istæ potentiæ, scilicet generatiua, & nutritiua.

RESPONDETVR primò potentiam nutritiuam, quia radicaliter est in anima, quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte: hinc ex consequenti est in toto coniuncto: sed quia est organica, ideò in actu exercito est etiam in organo: quod itidem est totum coniunctum, quod nutritur; quælibet enim pars viuentis, & viuit, & nutritur.

DICES: Effectus nutritionis sunt plures specie, scilicet in ossibus, in carne, &c. ergo & multiplicari debet ad multiplicationem effectuum.

RESPONDETVR negando consequentiam: habet enim virtutem æquiuocam valentem producere istos effectus: Præcipua difficultas est circa generatiuam, quæ licèt radicaliter sit identificata cum anima, & ob id sit in toto corpore: tamen quæstio est, in quonam organo resideat quoad exercitium, an in toto corpore, an in aliqua determinata parte, an in solo semine, quæ difficultas in sequentibus soluetur: exigit enim longiorem discursum.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

De potentia generatiua respectu seminis soluuntur varia quæsita.

180. SVPPONENDVM primò generationem posse sumi vel communiter, sicque conuenit cuicunque productioni nouæ siue substantiæ, siue accidentis, & præcipuè substantiæ, vel propriè, & strictissimè, estque viuentium tantùm, sicque definitur: *Origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ:* Dicitur, *Origo*, idest processio, seu productio loco generis: Dicitur, *viuentis*, vt excludantur inanimata: Dicitur, *à viuente*, quia principium producens vitam in alio, debet eam habere in se, quod intellige de principaliori, non de instrumentario agente: semen enim non est animatum, & vt excludantur etiam, quæ generantur ex putri: hæc enim non est strictissima generatio viuentium, cùm sit à causis non viuentibus, & æquiuocis: Dicitur, *principio vitæ coniuncto:* quia principium generans debet aliquo pacto esse coniunctum viuenti genito per aliquid sibi intrinsecum vitale, quod verificatur primò per potentiam generatiuam, quæ vitalis est, deinde per semen, quod, antequam decidatur, coniunctum est, & intrinsecum ipsi generanti, & per hanc particulam excluduntur creationes, & cæteræ productiones, in quibus non est hæc coniunctio, vti etiam est Resurrectio mortuorum: sic etiam Dæmon incubus excluditur, dum causat generationem hominis per semen viri allatum in matrice matris, vt fertur de Merlino sic generato (ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1.) nam in tali casu generans est homo, ex quo decisum fuit semen: Eadem ratione Pulli non dicuntur filij gallinæ incubantis, & fouentis oua, sed illius, quæ oua peperit: nec Eua potest dici genita ab Adamo, licèt fuerit formata ex eius costa *lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. Dicitur, *in similitudinem naturæ*, vt exprimatur finis generantis, qui consistit in perfecta assimilatione effectus cum seipso, & quò perfectior est generatio, eò perfectior assimilatio: vnde in Diuinis est assimilatio perfectissima, quia generatio infinita assimilat terminum infinito modo, idest in identitate naturæ: hinc pullices, & alia animalcula, quæ in homine nascuntur, non fiunt per talem generationem: licèt enim producantur aliquando ex carne nostra, quia non producuntur in similitudinem naturæ, ideò filij nostri non sunt appellandi: quæ omnia sparsim tradit Seraphicus Doct. *locis citat. in tractatu de gener. quæst.* 1.

HIC autem quæritur: quid intelligatur nomine naturæ, quando dicitur in similitudinem naturæ, & quid per productionem naturalem, valdéque inseruit pro notitia productionum in Diuinis.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *& seq.* quod generatio potest sumi, vt productio est, & vt mutatio *ex lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. provt est mutatio, naturalitas eius attenditur ex parte principij passiui, scilicet subiecti inclinati naturaliter ad formam recipiendam: provt productio est, naturalitas

naturalitas ipsius debet sumi ex parte principij actiui, quatenùs scilicet agens producit per formam naturalem, & naturaliter inclinatam, & determinatam ad terminum sibi similem: sicque generatio dicitur naturalissimum opus, scilicet quatenùs forma, seu natura habet hanc inclinationem intrinsecam producendi sibi simile, vt perpetuetur, & per id generatio filij in Diuinis differt à spiratione, quæ est à principio libero, in quo sensu etiam filius dicitur imago naturalis Patris, non sic Spiritus Sanctus.

Hinc etiam sequitur, quod genitum producitur in similitudinem naturæ, idest essentiæ, quæ habeat conuenientiam vel in substantia, vt euenit in mulo, vel in specie athoma. Addimus tamen, quod generatio presse sumpta est tantùm intellectualium agentium, quæ intendunt expressè generationem similis: Vnde solus homo propriè dicitur Pater: alia animantia impropriè: quæ materia tamen habet proprium locum etiam *in lib. 1. Sententiarum.* Ex quibus sequitur, quod generatio habet pro termino quoad intentionem generantis substantiam, seu naturam communem consimilem: & quoad productionem actualem substantiam primam, hæcque reperitur tantùm in habentibus formam nobilem, quæ est vita: Sic *lib. 1. dist. 5. art. 2. per tot. & distinct. 9. quæst. 1. & pluries alibi.*

Infert secundò Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 9. quæst. 1.* generationem in Diuinis differre à generatione creata: quod illa est cum omnimoda perfectione, nempè quia Pater generat Filium ex se toto, ex eo quod eius essentia est vna in pluribus, & tota, hincque ipsi genito tribuit suam essentiam totam absque sui detrimento: in creatis generationibus verò fit, quia Pater producit Filium non ex se toto, sed ex parte sui, scilicet transmittendo, & discindendo aliquid suæ substantiæ, & hæc est necessariò cum transmutatione: quia enim pars decisa non habet actum totius, necesse est, quod per mutationem acquirat, obidque & varietur, & consequenter interuenit etiam corruptio eiusdem partis, & cum conuersione adiuncta scilicet ex parte generantis per nouum alimentum receptum, & ex parte geniti, scilicet quod illa pars conuertatur in substantiam geniti, & hæc est communis omnibus viuentibus: Cùm igitur ad generationem viuentium concurrat vis generatiua, quæ (vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 18. artic. 2. quæst. 3. ad 4.*) residet principaliter penes animam per modum mouentis, & agentis, & ipsum corpus per modum veluti materiæ, idque per Semen. Hinc

281. Quæritur primò: Quid sit semen, & quomodò concurrat ad generationem.

Semen definitur à Scoto *lib. 2. dist. 18. Corpus quoddam, cuius forma non per se est intenta à natura, sed propter aliud:* A Laur. Andrea apud Hurtad. sic definitur *Corpus humidum, album, spumosum ex reliquiis alimenti vltimi, & spirituum vbique oberrantium permixtione vi sola testium elaboratum ad perfectam animalis generationem:* A Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 20. art. 1. quæst. 2. & distinct. 3. art. 3. quæst. 1. in fine* sic definitur: Semen *est superfluum nutrimenti relictum ex tertia digestione, necessarium speciei, virtutique generatiua, & superfluum indiuiduo, &*

virtuti nutritiuæ, obidque ordinatum ad aliud: Circa quam definitionem dubitatur, an Semen propriè sit verè superfluum: an etiam contineat aliquid substantiæ generantis.

PRIMA Opinio est communior docens esse quid merè superfluum: Sic Meldul. *disputat*. 8. *num.* 12. Aliique.

SECVNDA Opinio est S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *&* *lib.* 4. *dist.* 40. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* *& ad* 3. asserentis in illo superfluo, & cum illo decidere etiam aliquam portionem substantiæ radicalis ipsius generantis, ex eo quod licèt sit superfluum generanti, provt est indiuiduum, est tamen necessarium ipsi, & virtuti generatiuæ, provt respicit & idem generans vt tale, & conseruationem speciei: in quo conuenit etiam Serbellon. *disp.* 3. *de an. art.* 4. *num.* 65. asserens aliquando semen fieri ex substantia aliti.

282. PROBATVR autem à S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corp. ad finem in improbatione penultimæ opinionis.* Videmus aliquando genitum assimilari proauo: sed id euenit ratione seminis, in quo est vis actiua, & assimilatiua ex *lib.* 3. *dist.* 4. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. *& lib.* 4. *dist.* 40. *art.* 1. *quæst.* 1. ergo non consistere potest totum in superfluitate alimenti generantis.

PROBATVR consequentia: Quia tale superfluum est omninò quid extrinsecum generanti: ergo debet habere aliquid intrinsecum receptum à prioribus generantibus, cùm assimilatio non sit in superfluo, sed in substantia.

PROBATVR secundò: Videmus ex coitu hominem attenuari, & ex frequentatione talis actus mortem accelerari: ergo id euenit ratione substantiæ radicalis: alioquin, si esset omninò superfluum, deberet potiùs alleuiari: hincque dicunt plures Medici magis detrimentum pati viuens ex emissione vna seminis, quàm ex emissione magna sanguinis. Tum quia si semen esset omninò de superfluitate generantis, generatio non esset vera generatio.

PROBATVR sequela: Quia generatio est de substantia generantis. Tum quia nec esset vera cognatio, immò magis attineret homo genitus porco (vt verbis Seraph. Doctoris vtar) de quo sumptum est nutrimentum, quàm Patri generanti: cognatio verò (ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 40. *cit.*) dicit duo, scilicet relationem ad eandem originem, & principium substantiale, non verò ad aliquod extrinsecum, & naturalem affectionem, quæ oritur ex inclinatione intrinseca ipsius geniti ad suam originem, & vice versa. Tum quia dicit August. *lib.* 10. *de Gen. ad lit.* quod omnes fuimus in Adam secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem rationem: ergo filij spectant ad patrem, quatenùs sunt aliquid Patris, sed superfluum generantis est quid sibi extrinsecum. Tum quia ex hoc meliùs saluatur participatio peccati Adæ in omnibus ab ipso descendentibus, quia omnes in lumbis ipsius eramus: ergo.

MELDVL. *disputat. de gen. n.* 14. affert his rationibus varias responsiones, quæ omnes reducuntur ad recognoscendum istas connexiones in sanguine excrementitio, eo quod (ait ipse) talis sanguis est aliquid generantis: sed verè nullius sunt roboris, cùm talis sanguis semper sit quid extraneum generanti, obidque concludi

concludimus necessariò debere recognosci in semine aliquid substantiæ radicalis generantis.

Insvrgit contra D. Bonauent. *citat.* Mastrius dicens non posse subsistere hoc assertum Seraph. Doct. ob graues difficultates, quas inuoluit: & primò, quia illud humidum radicale in genito transfusum necessariò debet habere propriam formam substantialem, sicque in semine erit duplex forma, scilicet competens superfluo sanguini, & alia competens ipsi humido radicali: alioquin in nulla parte esset assignabile tale humidum radicale: vel erit vna forma in duabus materiebus, quod implicat naturaliter, sed hæc obiecta sunt nullius roboris: vnde secundùm nostra principia.

Respondetvr ex Seraph. Doct. Semen esse corpus heterogeneum, obidque habere vnicam formam substantialem corporeitatis informantem totam illam massam, & hanc formam in generatione viuentis vel corrumpi, generarique viuens: vel si non corrumpitur, subordinari formæ viuentis.

Addimvs eandem difficultatem occurrere in aduersa opinione: nam illud semen, etiam si sit superfluum, habet suam formam: ergo & ipsa in generatione debet corrumpi: idem & Nos dicimus de eodem semine continente varias partes heterogeneas, quod & docent Multi apud Ruuium *lib. 2. de Anima cap.* 4. *q.* 3. *num.* 59.

283. Qværit deinde *cit.* Mastrius in obiiciendo, & est secundum Dubium pro solutione huius quæstionis, quomodò tam parua pars possit cum tota substantia geniti commisceri, immò cum omnibus descendentibus? id enim est inintelligibile (subdit ipse) sed Seraph. Doct. *lib. 2. dist.* 30. *cit. & lib.* 3. *distinct.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *præcipuè ad vlt.* occurrit dicens, quod hæc assertio non solùm est intelligibilis, sed est valdè rationabilis: Illa enim materia corpulenta licèt parua, commixta cum ratione seminali, & humido radicali, & quantitate virtutis ex generante transmissis est virtuosissima, habetque potentiam conuertendi ad se aliam naturam, ita vt sufficeret ad omnium procreationem addito sibi illo, in quo possit se multiplicare: & est exemplum, si aliquis haberet fermentum, quod commisceret commixtione perfecta toti pastæ, nihil fieret de illa totali pasta fermentata, quod non diceretur fermentari de illa pasta: similiter si illa pasta commisceretur adhuc alij maiori pastæ, & sic procedendo quasi innumerabiles panes fermentati possent fieri ex modico fermento per appositionem rei fermentabilis: sic & in proposito ex modico semine per appositionem humoris susceptibilis rationis seminalis possent innumerabiles homines propagari, & in hoc sensu dicimus fuisse in Adam, non quod alia materia non fuerit conuersa in corpus nostrum, sed per coniunctionem cum illo humido radicali, quod ab Adam fuit decisum, quod transit in veritatem humanæ naturæ prolis: Ratio autem est, quia semen est quantum mole, & quantum virtute: quantitas autem virtutis se tenet ex parte formæ, & potest dici ratio seminalis, & hæc cùm sit forma, etiam multiplicabilis est, & ex hoc potest sibi similem inducere in materiam sibi appositam: quantitas autem molis, licèt sit parua, potest tamen extendi

tendi, adeò vt commisceatur valdè magnæ quantitati per eam naturam, qua omne corpus est in infinitum diuisibile, potestque commisceri magnæ quantitati, & virtute seminali totum trahere ad naturam suam, & ex illa tota quantitate potest fieri aliud, quod non fieret ex illo paruo semine per se: Hinc Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 3. cit.* infert, quod licèt Christus fuerit genitus secundùm hanc corpulentam massam Adæ, tamen quia Corpus Christi non fuit formatum secundùm seminalem rationem, idest secundùm cursum, & legem naturæ, sed secundùm causalem tantùm: semen enim illud decisum ex lumbis Beatæ Virginis non erat sufficienter actiuum respectu Corporis Christi efformandi ex ipso, sed tantùm secundùm potentiam obedientialem, ideò exemptum fuit à labe originali: huic rationi adde & alias, de quibus Theologi in tertio libro sententiarum. Quod & dicendum est proportionaliter de B. Virginis conceptione, cuius materia fuit excepta, & sublimata supra omnem maculam, & omnem legem concupiscentiæ: Sed de hac materia alibi.

Obiicies tertiò: Illa virtus, quam ponimus in semine cum illo humido radicali, vel est substantia, vel accidens: si primum: ergo erit corporea, sicque dabitur multiplex corporeitas in genito: Si secundum, ergo transit de subiecto in subiectum:

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 31. art. 1. quæst. 1. in corp.* esse substantialem, quia est virtus illius substantiæ actiua, & penetratiua, & generatiua corporis geniti, de qua in Physica egimus, & quam ponit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 13. art. 3. quæst. vlt. & lib. 2. dist. 18. art. 1. quæst. 2. & lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3. & lib. 2. dist. 31. art. 1. quæst. 1. in corp. & ad* 4. Qua responsione soluitur alia quæstio, quæ ab Aliquibus proponitur, præcipuè à Guarino *disp. 5. de viu. gener. expos.* 12. An detur aliqua virtus vniuersalis conformatiua, quæ fœtum organizet: Cui respondetur affirmatiuè, & à S. Bonau. *in Itin. ment. cap.* 2. appellatur virtus regitiua substantiæ spiritualis, idest, animæ: *& in Centil. part. 3. sect.* 22. appellatur potentia corporis regitiua: & *lib. 3. dist. 4. art. 1. quæst. 2. ad* 1. appellatur virtus actiua, & assimilatiua, in quo sensu dicitur etiam corporalis, licèt ad aures S. Doct. minùs propriè: estque naturalis competens potentiæ generatiuæ, & nutritiuæ: & ratio est, quia si non adesset hæc forma, seu virtus vniuersalis respiciens omnes partes efformandas corporis, deberet multiplicari ad multiplicationem partium, & membrorum, vt sunt duo pedes, duo oculi, &c. sicque in manu deberent decem virtutes recognosci pro decem digitis, & tot alias, quibus componitur manus, quod est maximum absurdum, & multiplicatio superflua.

Adverte tamen hanc virtutem, de qua hîc loquimur, non esse eandem, de qua suprà dictum est, non distingui realiter ab anima, sed esse quandam substantialem qualitatem immissam, & à generante decisam, & simul impressam in semine, seu cum illa substantia radicali connexam: de qua satis suprà dictum est.

284. Obiicies quartò: Quia sequeretur talem substantiam radicalem esse essentialem & generanti, & genito, quo dato: In Resurrectione in quonam ex his resurget?

Respon

RESPONDET S. Bonau. *lib. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1. ad 6. & quæst. 2. & lib. 2. dist. 10. art. 1. quæst. 2.* esse vtrique essentialem, sed differenti modo: nam generanti est essentialis secundùm partem tantùm, & radicalis virtuti generatiuæ ipsius, non nutritiuæ, obidque est ordinata ad aliud efformandum: vnde hæc substantia generatiua, si decidatur ab ipso, siue aliud generetur, siue non, nunquam resurget in eo, sed in genito, quia ex ea fabricatur totum corpus, & est sicut totius corporis fundamentum, & quando ei vnitur anima, tunc incipit esse de veritate humanæ naturæ geniti, & cum eo resurget: est enim caro secundùm speciem, obidque, cùm sit tota species eiusdem geniti, nunquam potest fieri caro secundùm speciem alterius, etiamsi ab altero manducetur, & per nutritionem conuertatur in ipsum, sed erit caro secundùm materiam, obidque ad ipsam carnem secundùm formam anima illius semper seruat peculiarem ordinationem: Vide ibid. Seraph. Doct. & præcipuè *lib. 4. dist. 44. part. 1. art. 2. quæst. 1.* vbi egregiè pertractat hanc materiam: Hinc etiam sequitur, quod humiditas radicalis in genito, cùm habeat quantitatem virtutis gradualis, etiam secundùm quantitatem ipsius tum ex parte caloris, tum ex parte extensibilitatis ipsius virtutis existentis in carne secundùm formam conuertit alimentum in carnem secundùm materiam, vsquequo crescat ad suum terminum: quodlibet enim viuens habet determinatos terminos in paruitate, & magnitudine, inter quos statura Christi dicitur medium tenere inter homines, & hinc vnus homo magis augmentatur, quàm alter, & alquando stat augmentum, quia caro superueniens facit in fine quasi aquosum, quod & videtur in vino commixto cum aqua: Sic *& lib. 4. dist. 44. part. 1. dub. 3.* Vide, quæ dicta sunt *in tract. de mixtione à num. 152.*

OBIICIES quintò cum eodem Medul. Pars decisa substantialis tendit ad corruptionem, vt patet de manu, pede, &c. sed quod tendit ad corruptionem, non potest esse principium generationis in eadem specie: ex corruptione enim vnius aliud generatur.

RESPONDET S. Bonau. quod Pars decisa, quando non ordinatur intrinsecè ad aliud efformandum, tendit ad corruptionem, quando verò in ea adest vis generatiua, & ordinatio ad aliud, non est via ad corruptionem, sed ad generationem:

DICES: Ergo semen aget in seipsum: dum enim propriam materiam disponit ad formam filij, molitur sui destructionem, quod videtur impossibile.

RESPONDETVR ex S. Doct. dari in semine partem passiuam, & actiuam: actiuam agere in passiuam, sicque per accidens moliri sui destructionem, cùm talis actio ordinetur ad generationem filij.

285. OBIICIES sextò: Illa substantia radicalis erat animata ab anima Patris: ergo dum deciditur ab ipso, moritur, sicque tendit ad corruptionem.

ET si respondeatur remanere in ipsa virtutem substantialem, qua talis substantia informata potest generare embrionem, ipsum vegetare, & tandem attingere generationem viuentis, & ob id quia mors naturalis ex S. Bonau. *lib. 2. dist. 19. art. 3. quæst. 1.* in

Digitized by Google

*in corp. & dist.*43. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. euenit vel ex dissolutione humidi radicalis causata à pugna elementorum, & ab actione caloris naturalis, cùm talis consumptio non interueniat in nostro casu, non potest dici mors.

CONTRA hanc responsionem est, quia sequeretur adhuc semen esse animatum, cùm habeat virtutem vegetantem, quod est falsum ex traditis.

RESPONDETVR admissâ responsione data inter obiiciendum, negatur sequela, scilicet quod semen sit animatum: quicquid dicant plures Thomistæ, & Alij, licèt sit informatum tali virtute: vt autem rectè intelligatur hæc responsio: Adnotandum ex Seraph. Doct. quod licèt talis substantia ante decisionem à Patre generante sit animata, post decisionem tamen remanet priuata anima, simulque informata illa virtute substantiali, qua potest exercere actus vegetationis: verum quidem est, quod ab Aliquibus apud Ruuium *lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 3. *num.* 62. appellatur anima vegetatiua, sed tamen impropriè tantùm, cùm sit virtus Patris generantis, quæ disponit, mouet, regit, & operatur in carne, & semine vsque ad animæ infusionem, in quo sensu dicitur embrio priùs viuere vita plantæ, posteà vita sensitiua, & tandem vita rationali adueniente anima. Quod autem semen non sit animatum, patet ex traditis suprà *in tract.* 1. Tum ex eo quod (vt ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 9. *dub.* 12. viuum gignitur ex viuo per non viuum, scilicet per semen. Tum quia non viuit vita Patris, nec Matris, nec geniti. Tum quia exigeret nutritionem, ad hoc vt conseruetur diutissimè, vt euenit in multis seminibus plantarum, & ouis piscium, papilionum, &c. Tum quia est ex reliquiis vltimi alimenti, deciditurque sponte à toto: ergo non viuit: nulla enim pars diuiditur, quæ sit animata sponte à toto, sed naturaliter retinere nititur vnionē cum eo.

DICES: Semen concurrit ad generationem viuentis effectiuè, sed viuum non potest produci à non viuo effectiuè: ergo erit animatum, vel non concurrit nisi materialiter. Tum quia embrio, qui fit ex semine, vegetatur, & mouetur sensibiliter, ergo. Si dicas concurrere dispositiuè, non valet, cùm accidentia ex aliàs traditis non possint attingere productionem substantiæ, nec valeant producere actus vitales, quia viuentia exigunt principium vitale: Hinc propter hanc obiectionem, & difficultatem plures cum Fabro *Theor.* 69. recurrunt ad Deum vt Authorem viuentium, & efficientem tales motus, quod tamen est indignum Philosopho, qui non debet recurrere ad vniuersales causas sine euidenti necessitate.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp. versus finem, & lib.* 3. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & ad* 4. *& dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *&* 2. In semine adesse virtutem substantialem Patris cum illo humido radicali attingentem organizationem corporis, & productionem viuentis: vnde licèt semen sit non viuum, potest tamen dici instrumentaliter aliquo modo viuum ratione talis virtutis instrumētariæ: qua responsione soluuntur plures, & maximæ difficultates, quæ occurrunt in hac materia & cum Thomistis, & cum Scotistis.

286. ET vt habeatur sensus S. Doct. subiicio

subiicio hæc verba ipsius verè digna, & sublimia *ex lib. 2. distinct. 15. art. 1. quæst. 1. in corp.* Sic dicens Philosophus *lib. 16. animal.* ostendit, quod vegetabilis, & sensibilis priùs sunt in semine in potentia, quàm educantur in esse: & ibi videtur innuere, quod illud, quod format membra, non est aliud, quàm ipsa animæ virtus, & illam vocat potentiam actiuam intrinsecam ipsi semini, quæ vt corpus ex semine productum est, & organizatum, vt possit ab eadem perfici, prodit in actum, & efficitur perfectio corporis Physici organici: Aut certè illud, quod format membra, potiùs est anima Patris, & Matris, ex cuius operatione in brutis dicitur inesse anima prolis, secus autem in hominibus, vt infrà videbitur: Nota hîc apud Seraph. Doct. valdè differre productionem animalium, & hominis: nam in animalibus adest ratio seminalis, & virtus actiua concurrens cum virtute existente in semine generantis ad eductionem animalis: & in homine concurrit cum eadem virtute ad eductionem formæ organizationis non attingendo productionem animæ rationalis, quæ ab extra aduenit, subdit Seraph. Doct. vnde Philosophus *ibid.* dicit, quod res corporales plenæ sunt virtute animæ: & D. Aug. ait, terra prægnans est seminibus non tantùm respectu arborum, sed & animalium: & *lib. 2. dist. 31. art. 1. quæst. 1. in corp.* notat, quod sensualitas, seu sensibilitas tribus modis accipitur: primò, prout dicit dispositionem ex parte carnis ad actum virtutis sensitiuæ: secundò, prout dicit dispositionem ex parte carnis ad sentiendum cum virtute spirituali mouente, nondum anima carnem perficiente, & ista est in embryone ante ipsius completam animationem: cùm enim non sit corpus organicum, non potest ibi esse anima propria geniti, sed ibi est virtus animæ Patris, quæ quidem est in semine, sicut in subiecto deferente, sicut virtus motoris defertur simul cum lapide proiecto; & ideò hæc cessat, quando eius operatio consumatur, quod fit, quando corpori organizato inducitur anima: tertiò, prout dicit non solùm dispositionem cum virtute mouente, sed habilitatem, & potentiam, quæ inest ex anima perficiente: primo, & secundo modo sensibilitas est in nobis à generante: quia cùm semine deciduntur calores, & spiritus, per quos caro disponitur ad sentiendum: transfunditur etiam simul cum hoc aliqua virtus animæ, quæ mouet, & regit, & operatur vsque ad inductionem animæ: tertio modo est ab anima informante. Hæc S. Bonauent. Per quæ patet solutio alterius difficultatis, quare semen aliquando appellatur caro: aliquando Sanguis.

RESPONDET Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 3. part 1. dub. 3.* quod ille humor dicitur caro respectu carnis, quæ ex ipso formatur: item sanguis respectu suæ originis: item & semen ratione suæ formæ, quam habet.

QVÆRES tertiò: Ad quid inseruiunt calor innatus, & spiritus vitales, animales, & naturales, si sufficit illa virtus substantialis.

287. RESPONDET S. Doct. ex traditis, quod duplex qualitas concurrit ad formationem animalis: altera substantialis, hæcque attingit productionem substantiæ, vt dictum est, altera accidentalis, estque dispositiua ad recipiendam formam substan-

ſubſtantialem, & conſeruatiuam dictæ virtutis ſubſtantialis in ſubſtantia radicali exiſtente in ſemine, & hæc prouenit à calore innato, & à ſpiritibus exiſtentibus in ſemine, qui calor, & ſpiritus dicuntur de natura cœleſti, nempè per conformitatem, ſcilicet propter ſubtilitatem, actiuitatem, & ſubleuationem à natura contrarietatis *ex lib.* 2. *diſtinct.* 17. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* ad differentiam caloris conſumentis, qui oritur ex inæquali complexione: calor autem innatus oritur ex complexione æquali, & dicitur etiam complexionalis: Sic *lib.* 4. *diſt.* 49. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 4. Explicat hoc totum optimè Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& in Centil. part.* 3. *ſect.* 25. dicens, corpus hominis ſit proportionabile animæ rationali, licèt entitatiuè ſint diſtantia, & longè diuerſa ſecundùm ſupremum animæ, & infimum corporis, ſed fiunt proportionabilia, & proxima ſecundùm infimum animæ, & ſupremum corporis hoc pacto: Spiritus enim rationalis habet potentiam viuificandi, potentiam vegetandi, & potentiam ſenſificandi: corpus humanum habet complexionis æqualitatem, ſic recipit vitam per medium, ſiue vinculum ſpirituum vitalium ipſum diſponentium ad vitam recipiendam, habet & organorum multiplicitatem, & organizationem, ſecundùm quam recipit vegetationem, & ſenſationem per ſpiritus animales, & naturales diſponentes ad talem vegetationem: qui ſpiritus, ait *Serm.* 1. *Hexaëm.* à corde prodeunt omnes per totum corpus, qui prout emittuntur per arterias, dicuntur vitales: dicuntur & animales, prout emittuntur per neruos ad cerebrum, & à cerebro per omnem partem corporis: & naturales, prout emittuntur per venas ad hepar, & ab hepate ad reliquas partes: Hincque cor dicitur principium motus, & ſenſus *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. Ex quibus patet, qualis ſit proportio animæ, & corporis, explicaturque exemplo ignis, & terræ, quæ multùm diſtant, & tamen nectuntur duplici medio: Vno, quod magis communicat cum terra, eſtque ſiccitas: Altero, quod magis communicat cum igne ſcilicet calore, calor enim, & ſiccitas non ſunt contraria: Rurſus adeſt proportio inter corpus, & animam rationalem in ordine ad finem: nam animæ data eſt vertibilitas liberi arbitrij, ideò datum eſt ei corpus potens mori, & in ſempiternum viuificari: & quia anima creata eſt veluti tabula raſa, & nuda, datum eſt ei corpus habens organa multiplicia, vt in illo poſſit perfici in ſcientiis. Rurſus in corpore adeſt recta proportio ad finem, eſt enim ordo in formis corporalibus: forma enim elementi eſt ad formam mixti, & hæc ad formam complexionis, hæc ad alias ſuperiores diſponentes, quæ cùm ſint imperfectè, tandem diſponunt ad vltimam, ſcilicet ad rationalem, per quam corpus, & anima efficitur particeps æternæ beatitudinis: Hæc S. Bonauent. clarè, & acutiſſimè de more ſuo.

HÆC igitur ſit Concluſio: quod ſemen efformatur non ex chylo, qui eſt cibus primò concoctus in ſtomacho, nec ex ſanguine concocto in hepate, ſed ex eodem ſanguine concocto in corde, à quo cùm tranſmittatur pro alimento ad omnes partes corporis, reliquiæ huius alimenti inſeruiunt ad efformandum ſemen: ſanguis

sanguis enim ille tractus ad vasa seminaria ibi denuò concoquitur, dealbatur, & commixtus cum substantia radicali decisa à generante fit aptus ad generationem: quarè principium radicale huius effectus mirabilis est cor, à quo, & sanguis, & calor naturalis, & spiritus vitales, & animales, & arteriæ venæ, nerui, & similia dependent.

288. QVÆRES quartò: An Semen decidatur ab omnibus membris corporis: an à determinata parte.

HIPOCRATES, & Alb. Mag. cum Aliquibus Aliis videntur sentire decidi ab omnibus membris.

SED communissima Opinio est opposita, scilicet decidi à determinata parte corporis: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. *fund.* 4. vbi docet adesse in animali vasa, & organa virtutis generatiuæ ad humoris seminarij generationem, decisionemque: idem *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 2. vnde cùm immittatur à corde residuitas vltimi alimenti ad vasa seminarij, & à lumbis generantis fiat decisio substantiæ radicalis, ibi efformatur semen completum, prolificum, & aptum ad generationem viuentis: Idque patet ex similitudine seminum plantarum, quæ formantur in parte determinata. Tum quia alioquin si in generante deficeret aliqua pars integralis, vt brachium, pes, etiam deberet deficere in genito, quod tamen est falsum. Tum quia si non concurrerent vasa seminaria ad complendam actiuitatem seminis, Castrati, & Eunuchi possent generare, cùm aliquod semen emittant.

ADDIMVS posse dici semen spectare ad omnia membra originaliter, idest quatenùs est ex sanguine in corde concocto, ex quo si fuisset necessarium, transfundi deberet ad omnia membra, sed quia est superfluus, hinc recipitur in determinata parte.

OBIICIES: Virtus generatiua ex traditis est in omnibus partibus corporis: est enim potentia animæ: sed anima est in toto corpore: ergo & hæc potentia.

CONFIRMATVR: Quia in omnibus membris adest virtus generatiua producendi consimile: nam, vt ait Guarin. *disp.* 5. *exp.* 3. si aliquod membrum deformetur ex aliqua parte, & ibi relinquatur modus, quo possit nutriri, & seruari organi forma, reparat se, & ad pristinam integritatem se restituit: sed hoc non est officium virtutis nutritiuæ, ergo virtutis generatiuæ: Virtus enim nutritiua habet reparare minimas partes, quas calor naturalis destruit: non autem magnas disruptiones, vulnera, &c. illa enim consistit in reparatione substantiæ aliti, non in coniunctione vnius partis ad aliam.

RESPONDETVR concedendo totum primum argumentum, si sermo est de anima, ipsiusque potentiis quoad entitatem: negando quoad exercitium, eo quia est potentia organica, tantúmque in organo habet operari, qualia sunt vasa seminaria.

AD Confirmationem respondetur illos effectus esse à virtute nutritiua, quæ est simul adgeneratiua, & augmentatiua: sic negatur consequentia: idque clarissimè patet, quia per nutritionem tot membra diuersa perficientur.

DICES: Ex semine formantur omnia membra: ergo requiritur correspon

correſpondentia ad omnia membra: ſed hæc non poteſt eſſe niſi per aliquid emiſſum à membris generantis: ergo:

RESPONDETVR ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 3. quod ſemen habet rationem totius, & partium rei generandæ: ſed id habet ratione virtutis generatiuæ exiſtentis in ſemine, cum quo concurrunt ſpiritus vitales, & animales, & à corde, & à membris prodeuntes: in quo ſenſu poteſt dici prodire ab omnibus membris, vt dictum eſt ſuprà, ſed non propriè per deciſionem alicuius ſubſtantiæ membrorum.

DICES iterum debilitationem ſentiri per totum corpus ex nimia ſeminis effuſione: vnde ſcribit Laurentius ex Auicenna, plùs quadrageſies debilitati animal ex emiſſione ſeminis, quàm ſanguinis: Et hinc Ariſt. *lib. de longit. vitæ* ſcribit animalia ſalacia citò ſeneſcere: Et Confirmatur ex motu vniuerſali totius corporis, qui in generatione concurrit: ergo ſignum eſt, &c.

RESPONDETVR debilitationem fieri per totum corpus ex eo, quod pars illa, in qua fit ſemen, & ex qua deciditur ſubſtantia radicalis, ſcilicet ex lumbis, fugit ſanguinem ex vicinioribus partibus, quæ per hoc debilitantur: tum & ob correſpondentiam, quam habent omnes partes ad inuicem, & maximè poſt coïtum ob deperditionem maximam ſpirituum vitalium, & animalium, quorum motus etiam eſt cauſa agitationis corporis, & maximè vt dicit S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 20. *artic.* 1. *quæſt.* 3. quia virtus naturalis hominis poſt peccatum exiuit rationis imperium, ideò laxatis ſibi habenis toto impetu ſe præcipitat in delectabile ſibi oblatum ob defectum virtutis retardantis: Vide *ibid.* Seraph. Doct. Et hæc de Semine.

QVÆRES quintò: an ſemina plantarum viuant?

289. RESPONDETVR, quod Multi id negant: Alij affirmant: Nos ex Seraph. Doct. eiuſque principiis *lib.* 2. *diſt.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. in fine & ad* 4. *&* 5. dicimus primò ineſſe in illa materia ſeminarium omnium formarum, ſed ratione peculiarium diſpoſitionum, & virtutis ſubſtantialis deciſæ à planta producente, ex ea poſſe educi tantùm plantam vniuocam ipſi plantæ generanti, & ſi aliquando oppoſitum accidit, id euenit ratione contrariarum diſpoſitionum: Secundò dicimus probabilius eſſe ſemina plantarum eſſe viua, & informata anima vegetatiua: id patet ex eo, quod augentur per intus ſumptionem, & ſecundùm omnem partem habent & organa, ſcilicet quaſdam venulas, ratione quarum per propriam potentiam attrahunt ad ſe alimentum, quod non facit ſemen viuentis ſenſitiui. Tum etiam quia & in plantis continuantur, & poſtquam deciſa ſunt à plantis, magis matureſcunt per decoctionem humorum, & retinent ſuam virutem generatiuam in parte determinata, vt patet continua experientia: Hæc, inquam, dicta volumus probabiliter tantùm; nam in hoc potiùs proceditur diuinando, cùm tot, & diuerſi effectus videantur in plantis, & in ſeminibus, quorum cognitio nobis occulta eſt.

QVÆS

QVÆSTIO III.

De causis principalibus generationis Patris, & Matris: Vbi & de generatione cæterorum animantium, & plantarum.

290. DE Causa minùs principali, & instrumentaria generationis hucusque egimus: Nunc ipsam generationem per ordinem ad principalem causam consideramus, & quærimus, an vtrumque Parens, scilicet tam Mater, quàm Pater concurrant ad generationem actiuè: an verò Mater passiuè tantùm.

PRIMA Opinio est D. Thom. 3. *part. quæst.* 32. *art.* 4. & Sequac. negantium Matrem concurrere actiuè, verumque semen emittere, sed passiuè tantùm, sustinentque solùm generationem à Patre actiuè prouenire: Hinc dicunt Matrem solùm subministrare sanguinem menstruum: dicitur autem menstruus, quia post 14. *annum* regulariter quolibet mense transmittitur ex vtero, estque superfluum, quod remanet ex nutritione, & cùm mulier plus viris abundet sanguine, etiam abundat tali menstruo: circa quem operatur virile semen in generatione prolis.

SECVNDA Opinio est communis his temporibus, estque Scoti, & Sequac. quam priùs docuit Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 3. *dist.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. communiter asserentium vtrumque Parentem concurrere actiuè, est & Medicorum, qui in hac materia preferri debent Philosophis. Pro solutione

PRIMÒ Notandum, quod vt suprà dictum est, cùm generatio viuentium, & præcipuè rationalium sit productio viuentis ex simili viuente coniuncto in similitudinem naturæ, ad hoc vt quis possit dici verè Pater, & Mater, istæ conditiones requiruntur: Prima, quod Pater, & Mater generant de substantia viua naturali, cuius defectu cadauer respectu vermium; & sol respectu ranæ non sunt Pater, vel Mater, cùm non sint principia viua, hæc conditio traditur à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 9. *dub.* 13. & *quæst.* 1. *seq.* & *lib.* 3. *dist.* 4. *dub.* 2. & *q.* 2. *ad* 1. & 2. Secunda, quod generent per modum naturæ: sic Deus non dicitur propriè Pater creaturarum, cùm ipsas producat liberè, & contingenter: Sic Seraph. Doct. *ibid.* Tertia, quod generent substantiam viuam: sic corpus humanum non dicitur Pater excrementorum: sic *lib.* 1. *dist.* 9. *dub.* 12. Quarta, quod Pater generat subministrando semen ad differentiam Matris, quæ non solùm proprium semen subministrat, sed & organizat corpus: Quinta, quod substantia genita sit eiusdem speciei propriæ, vel proximæ cum generante: vnde asinus dicitur Pater Muli, cùm sint eiusdem speciei proximæ, licèt non propriè: non est enim necesse, vt conueniant in specie athoma, licèt nec sufficiat, vt conueniant tantùm in aliqua ratione generali entis, vel substantiæ, sed sufficit, vt conueniant in aliquo genere vltimo, in quo diuersæ species conueniunt, & tale reperitur commune asino, & mulo, licèt tale genus sit innominatum: Sic ex Scoto Meldul. *de gen. disp.* 8. *num.* 7. & S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 1. *dub.* 11. sic enim exit extra genus generantis quantum ad formam communem, & naturam scilicet specificam, & athomam.

291. Secundò Notandum, quod communiter dicitur Mater in generatione se habere vt principium passiuum, Pater vt actiuum: quod tamen intelligendum est non absolutè, sed comparatiuè: vt ait S. Bonauent. *lib. 2. dist. 20. art. 1. quæst. 2.* Mater enim recipit semen à Patre decisum in matrice, sed simul etiam dedifscindit semen proprium, quod ad organizationem, & generationem habet suam actiuitatem, licèt inferiorem, & subordinatam, & diuersam specie ab actiuitate Patris: & hinc ratio Matris ratione huius passiuitatis non transfertur ad Diuina, sed tantùm ratio Patris licèt transferatur ad Diuina actus maternus, vt concipere, & parturire, pro eo quod in Diuinis agit vnum vt principium, at in creatis duo sunt principia: Sic Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 5. dub. 9.* Ratio autem, quare talis actiuitas debeat vtrique parenti assignari, est, quia semen de sui ratione dicit duo, scilicet vim actiuam, & vim assimilatiuam in natura: Sic Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 4. art. 1. quæst. 2. ad 1. & 2. & lib. 4. dist. 40. art. 1. quæst. 1.* ex quo sequitur, quod cùm filius necessariò dicatur productus de substantia Patris, & Matris, *ly (de,)* debet importare terminum formalem actionis generatiuæ, super quam fundatur relatio paternitatis, & maternitatis: sumitur enim substantialiter originaliter, vt ait S. Bonau. *lib. 1. distinct. 5. art. 1. quæst. 2.* obidque in actione decisiua seminis ab vtroque parente actiuè deriuatur per generationem, non verò in organizatione, aliisque actionibus secundariis per Matrem præstitis, in quo sensu dicitur filius genitus de substantia Patris, & Matris, in qua propositione *ly (de,)* non dicit tantùm habitudinem principij actiui, nec tantùm passiui, sed consubstantialitatem cum habitudine originis: Sic *lib. 1. distinct. 5. artic. 1. quæst. 2. ad 3.*

292. Tertiò Notandum, quod in generatione prolis in vtero plures motus, ac transmutationes concurrere debent: primò deciditur semen à Patre, & Matre: secundò semen Patris vtpotè fortius, & perfectius agit in semen Matris ipsum alterando, alteratoque isto, alteratur & semen Patris: omne enim agens in agendo repatitur. Tum quia, vt notat Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 20. art. 1. quæst. 2.* ambo semina se debent commisceri ad inuicem, & vniri, in quo vnum se habet veluti materiale, & minùs validum: aliud vt formale, & fortius: tertiò corrumpuntur ambo, & ex eis virtute generatiuæ fit embryo, in quo incipiunt fieri organa, ac partes corporis ordine quodam: nam priùs gignitur cor: deinde hepar, posteà cerebrum, successiuéque ossa, nerui, &c. & peractâ organizatione inducitur anima, ad quas tres transmutationes vtrumque parens concurrit actiuè, sed principalius Pater, licèt quoad organizationem possit dici principalius agens Mater, cùm ibi immediatè concurrat: Pater verò mediatè tantùm, scilicet mediante illa virtute substantiali immissa in semine.

293. Quartò Notandum, quod vt notat Seraph. Doct. *Serm. 11. Hexaëm. & lib. 1. distinct. 9. artic. 1. quæst. 1. & seq.* Deus dedit virtutem cuilibet rei, vt gigneret sui similitudinem ex naturali fœcunditate: communicatio enim sui est perfectio maxima naturæ, obidque communicata naturæ cuicunque creatæ modo magis

magis, vel minùs perfectò, secundùm maiorem, vel minorem ipsius naturæ perfectionem. Hinc mouetur quæstio, an detur aliqua natura, quæ sit sterilis siue in plantis, siue in animantibus vel masculis, vel fœminis: & an in omni generatione viuentium requiratur duplex comprincipium diuersi sexus tanquam conditio essentialis, & necessaria: & an quodlibet viuens emittat semen ad sui similis generationem: quæ omnia per sequentes Conclusiones soluentur: Hinc

294. PRIMA CONCLVSIO: Non solùm Pater, sed & Mater actiuè concurrit ad generationem, licèt principaliùs Pater: Est. S. Bonauent. *loc. cit. in princ. quæst.* Scoti, & communior, cuiusque probationes præcipuè desumuntur à DD. ex principiis anathomicæ artis.

PROBATVR igitur primò ex eadem arte, & simul ex principiis Philosophiæ: Vbi sunt eadem principia formaliter, ibi est idem concursus: sed tam in Matre, quàm in Patre adsunt eadem principia actiua generationis: ergo si Pater concurrit actiuè, & Mater. Probatur Minor ex S. Doct. *lib. 2. dist. 20. art. 1. quæst. 2. fund. 2. & 4.* principia generationis sunt duo, alterum ex parte animæ, estque potentia generatiua, & alterum ex parte corporis, suntque vasa apta, & materia ordinata ad generationem: sed ambo hæc principia sunt in vtroque parente, adest enim eadem anima scilicet eiusdem rationis: ergo & eadem potentia: est enim inseparabilis ab anima: idem enim inquantum idem semper est natum facere idem ex Arist. adsunt & vasa apta in vtroque parente ad generationem: ergo: Et quia tota difficultas consistit quoad alterum principium ex parte corporis respectu Matris. Probatur Min. In fœminis adsunt ista vasa generatiua, quæ ad tria capita reducuntur; primò vasa seminantia: secundò testes: tertiò parastatæ: at in mulieribus adsunt vasa seminantia à testibus sursum ascendentia, & deferentia semen ad testes, & simul spiritus vitales: habentque vim concoctiuam, & conseruatiuam seminis, suntque duo, scilicet dextrum à trunco venæ cauæ oriens, & sinistrum ab emulgente ramo: secundò habent testes, suntque partes molles, glandulosæ, albæ, cauernosæ, in quibus semen excoquitur, & perficitur: tertiò in fœminis adsunt parastatæ, suntque duo vasa candida, glandulosa, & cauernosa orta à testibus, & semen in testibus elaborata deferentia in viris ad penis radicem, in mulieribus ad fundum matricis: solúmque differunt, quod in viris testes sunt maiores, & extra corpus, in fœminis sunt minores intra corpus in dextero, & sinistro vuluæ collocati: ergo cùm adsint æquè in vtroque, si Pater concurrit actiuè, & Mater.

NEQVE dicas in vasis fœmineis nihil coctum inueniri, sed quid aqueum, serosum, & crudum, obidque eundem vsum habere hæc vasa in fœminis, ac mammæ in viris. Non valet, quia vasa ista in fœminis intorta gyris, ac anfractibus conspiciuntur, sicut in viris, quos anfractus natura prouidit ad concoctionem seminis: vnde ambo flammis luxuriæ ante seminis emissionem torquentur, & post quiescunt: Neque est par ratio de mammillis virorum: nam istæ in viris sunt ad ornatum, & robur tantùm; sed vsus testium, & aliorum vasorum in fœminis ad nihil aliud potest

Digitized by Google

potest esse, quàm ad seminis productionem, & concoctionem: ergo: Immò plures Viri apud Mastrium, aliosque graues, & doctos Viros visi sunt cum mammis non minoribus, ac mammæ fœminarum, præcipuè in Brasilia, & plures viros ex ipsis lac emisisse.

295. PROBATVR secundò: Quia cùm semen habeat vim actiuam, & simul assimilatiuam, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 4. *cit.* filius multoties magis assimilatur Matri, quàm Patri: ergo non potest prouenire nisi ex actiuitate seminis Matris: Nec enim potest dici talem assimilationem prouenire ex sanguine materiali, quo concurrit Mater ad productionem corporis: nam etiam hoc pacto pediculus fit ex carne hominis, & tamen non assimilatur homini: ergo est ob aliquam rationem actiuam assimilatiuam: Hinc videmus generari ex ariete, & oue Caprum, ex equo, & Asina Burdonem, & ex equa, & asino mulum: Si autem fœminæ non concurrerent actiuè, in talibus casibus generaretur semper filius similis Patri.

PROBATVR tertiò à Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 4. *artic.* 3. *quæst.* 1. Quia B. Virgo verè actiuè concurrit ad conceptionem Christi Domini: ergo & aliæ Matres effectiuè concurrunt.

PROBATVR antecedens: Quia B. Virgo verè generauit Christum, sed generare est agere, & actio virtutis generatiuæ: alioquin si tantùm materialiter cooperata fuit generationi Christi, sicut & aliæ Matres, non erit maior affinitas filij ad Matrem, quàm sit hominis ad limum, ex quo formatus est, & quàm sit Euæ ad Adam, quàm habeat homo ad generationem pediculi: ex eo enim, quod homo se habet tantùm materialiter ad vermes ex ipsius carne genitos, non dicitur Pater ipsorum, & ex concursu materiali limi, & Adæ ad Euam, limus non dicitur Pater hominis, & Adam Mater Euæ: Addimus, quod licèt Mater concurrat actiuè cum Patre ad generationem filij, attamen quia concursus principalior est Patris, & quia Matris proprium est recipere semen Patris: ideò comparatiuè Mater dicitur principium passiuum non absolutè, & ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. quia generare est efficientis, concipere est recipientis, vterque actus competit Matri: Patri verò tantùm primus actus: vnde quoad actiones secundarias consequentes ad generationem nempè quoad organizationem, & concursum sanguinis necessarij ad tale corpus efformandum Mater est principalius agens *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. *in corp.*

OBIICIES primò Arist. *lib.* 1. *de gen. anim. cap.* 20. negare mulierem emittere semen, habereque se passiuè: ergo secundùm Philosophum, &c.

RESPONDETVR in hoc non esse audiendum Arist. sed Medicis est deferendum.

296. OBIICIES secundò: Si mulier emittit semen, aut est eiusdem rationis, aut alterius à semine viri: sed neutrum est dicendum: ergo.

PROBATVR Min. non potest dici esse diuersæ rationis, cùm Pater, & Mater sint eiusdem speciei: nec esse eiusdem rationis: alioquin posset dari talis actiuitas in semine Matris, vel augeri, ita vt se sola generaret,

Digitized by Google

neraret hominem, sed hoc est falsum saltem naturaliter: ergo.

Respondetur, quod siue dicatur semen mulieris esse eiusdem, siue diuersæ rationis, quod est probabilius, tenendum est Patrem, & Matrem duas esse causas subordinatas essentialiter in generatione filij: vnde, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 20. *quæst.* 1. & 2. neutrum per se est sufficiens, sed ambo requiruntur, ita quod principalior virtus residet penes Patrem, minùs principalis penes Matrem: & ideò sine commixtione seminum non potest dari naturaliter generatio, & sic quando mulier non seminat, tunc non fit generatio: Notanter dixi naturaliter, quia supernaturaliter potest dari vera generatio ex concursu solo Matris: vt patet de fide in Christo nato ex B. Virgine sine concursu seminis virilis: & tamen Maria Virgo est vera, & naturalis Mater ipsius.

Dices Ecclesiam dicere hominem Christum processisse ex Virgine sine semine: ergo sine semine Matris potest esse aliquis ipsius verè filius naturalis.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 3. *distinct.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. tale dictum, & consimilia ex SS. PP. non excludere à B. Virgine potentiam actiuam, sed consuetum modum operandi naturæ, qui est per seminis commixtionem Patris, & fœminæ: certum enim est, & de fide Beatam Virginem habuisse eandem potentiam generandi, ac cæteras mulieres, immò perfectiorem: quæ tamen naturaliter considerata non poterat per se attingere prolis productionem sine viri concursu, & sine successione temporis: sed Spiritus S. sua virtute illam materiam perduxit in instanti ad actum completum cooperante virtute ipsius Beatæ Virginis naturali, & etiam vt eleuata per aliud superadditum supernaturale: quia modo supernaturali & attigit generationem hominis, & etiam vnionem animæ, & corporis, & etiam modo instantaneo: An verò attigerit instrumentariè vnionis hypostaticæ productionem, alibi suo loco tradetur.

An verò Beata Virgo excitata à Spiritu Sancto seminauerit, idest ad locum matricis semen emiserit: id potiùs est vitiosæ curiositatis, ait Seraph. Doct. laudabiliusque est in hac materia silentium: sufficit enim nobis scire Beatam Virginem materiam aptam generationi ministrasse intacta remanente ipsius purissima Virginitate: potest videri Abul. in suis paradoxis.

297. Dices: Mulus, vel Burdo non assimilatur Patri, nec Matri: ergo semen non habet virtutem assimilatiuam: sic ait Porta se vidisse semicolumbum natum ex gallina, & columbo, aliaque animalia tali pacto generari.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 19. *dub.* 11. quod degenerare est exire extra genus, idque est quantum ad formam communem, & naturam, scilicet speciem athomam: & sic est degeneratio in æquiuocis: Vnde talis generatio non est propriè vniuoca, quia est in genere non proximo, sed superiori, & communiori: attamen quia tales partus repræsentant delineamenta tum Patris, sed maximè Matris ita contemperata, vt participata tum ab vno, tum ab altero dignoscantur, ex quibus signum est ambo concurrere actiuè.

Obiicies tertiò: In omni re-

Digitized by Google

rum procreatione requiritur agens, & patiens : sed mascula vis agentis vires subit : ergo Mater vires solius patientis.

Respondetvr concedendo Maiorem, distinguendo Minorem, solùm mascula vis, &c. negatur Minor : simul cum muliere, conceditur : Ad consequens distinguo, solùm mulier habet rationem patientis, nego : cum semine viri, concedo : nam, vt suprà diximus, in semine viri adest ratio agentis, scilicet virtus generatiua existens in humido radicali, & alia pars seminis crassior, quæ est ex superfluo alimenti, est passiua : & in semine mulieris idem proportionaliter dicendum, licèt minùs principaliter mulieris Semen concurrat actiuè : idque patet in semine plantarum, & in ouis, &c. quæ non requirunt fœmineum Semen.

Dices : Dæmon potest generare absque discissione suæ substantiæ : sic enim fertur de Merlino generatum fuisse ex Dæmone incubo : ergo sola Mater absque viro potest generare.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. *in argum.* 5. *ad oppos.* negando dæmonem propriè posse aliquem hominem generare : Ratio est, quia dæmon est spiritus incorruptibilis, ab ipsoque non potest fieri discissio materiæ, sed in Merlino, & similibus Diabolus succumbit viris in specie mulieris, & semen suscipit, & postmodum fit incubus mulieri, & transfundit in vas mulieris semen, fitque commixtio, ex qua potest generari homo : vide *ibid.* Seraph. Doct.

298. Secvnda Conclvsio : Non datur viuens absque potentia generandi sibi simile : Est S. Bonau. *citat. in* 4. *Notab.* & communior : Et ratio euidens est : quia potentia generatiua identificatur cum anima : ergo vbicunque est anima, ibi est talis potentia, sed frustra est illa potentia, quæ non est reducibilis ad actum : ergo.

Dices : Adsunt aliqua animantia, vt Mulus, & Castrati, quæ non possunt generare : ergo.

Respondetvr ex Aristot. negando antecedens, ait enim Mulos in Syria generare, & si multis id non euenit, id est ob impedimentum organorum, vel ob aliquam corpoream imperfectionem, vt est in Castratis.

299. Tertia Conclvsio : In omni generatione viuentium sensitiuorum, ad hoc vt generatio sit sensitiua, duo comprincipia sunt necessaria.

Probatvr : Quia nulla fit sensatio sine obiecto : ergo in animali exigitur obiectum excitans ad generationem ineundam, ad ipsamque spectans : Potentia enim, & obiectum aliquam debent habere conuenientiam, & proportionem : ergo duo exiguntur, quorum vnum inseruiat pro obiecto alteri ad generationem faciendam.

Dices apud Aristot. adesse aliqua animalia, quæ connubia non habent : vt Pisces dicti Rubelliones, quæ omnes ouis fœtæ reperiuntur : Item vultures non habere masculos, sed omnes vento concipere : multa animalia sunt, quæ vtrunque sexum habent, vt Lepores, qui modò fœminæ, modò mares sunt, ergo.

Respondetvr negando antecedens, vt patet in Rubellionibus, in Ouis, Capra, Ariete, & Hyrco, qui habent

Digitized by Google

habent aliquam diuersitatem: & dato antecedente

RESPONDETVR: in his vtrunque sexum dominari, obidque nec possunt generare absque adiutorio alterius.

300. QVARTA CONCLVSIO: In vegetatiuis, & etiam in animalibus, quæ gignuntur ex putri, terra, & Sol sunt comprincipium cum semine vegetatiuo, & cum forma, quæ educitur. Est S. Bonauent. *lib. 2. dist. 7. part. 2. dub. 3. & dist. 8. part. 1. art. 1. quæst. 1. & lib. 2. dist. 15. art. 1. quæst. 1. in corp. & ad 4. & 5.*

PROBATVR primò de vegetatiuis: Quia experientia patet semina absque terra non germinare vsque ad maturitatem. Tum quia videmus fructus variari ad variationem climatum, & terrarum.

DICES; Cœpæ, & allia germinant etiam ad murum appensa.

RESPONDETVR germinare quidem, sed non vsque ad complementum: processu enim temporis languescunt.

SECVNDA pars de animalibus aliàs iam probata est in Phys. ista enim cùm sint imperfectæ organizationis, & cùm adsit in terra seminarium talium formarum concurrentibus terra, & elementis vt Matre Sole & corporibus cælestibus vt Patre, generatur calor viuificus, in cuius virtute potentia illa actiua, quæ priùs latebat, proficit, & venit ad perfectionem, & complementum, non quod cælum, & terra dent, producantque formam vltimam, sed solùm adiuuant disponendo illam materiam, & excitando illam virtutem actiuam, qua educitur forma in actu: vide S. Bonauent. *loc. cit.* qui egregiè pertractat hanc materiam aliàs à nobis explicatam.

QVÆSTIO LATERALIS.

An ambo Parentes concurrant ad organizationem.

301. ANTEQVAM respondeatur quæsito, videndum est, qualiter fiat organizatio: Quare

SVPPONENDVM primò ex S. Doct. *lib. 2. distinct. 20. art. 1. quæst. 1. & 2. & lib. 2. distinct. 15. quæst. 1. ad 4. & lib. 2. distinct. 8. part. 1. art. 3. q. 1. & lib. 3. dist. 3. dub. 3. & art. 1. quæst. 2. & distinct. 4. art. 3. quæst. 2. & 3. & in Ioan. cap. 2. vers. 21. & in Sap. cap. 7.* & ex Meldul. *disput. 8. num. 28.* quod Humor per potentiam generatiuam concurrente virtute, & calore naturali tali speciei competente fit semen, ad quod ambo parentes concurrunt, Pater principaliter: Mater minùs principaliter emittendo semen ex residuo alimenti, & ex substantia sua radicali, quod & recipitur in matrice, in qua exquisitè miscentur inter se semina, & perfectissimè ibi inclusa virtute substantiali, & calore naturali operantibus incipit separatio partium crassarum à subtilioribus, ex illisque fit membrana, seu secundina, qua fœtus regitur, & continet in se excrementum quoddam serosum, in quo fœtus veluti enatat: ex istis verò scilicet subtilioribus accedente sanguine menstruo (qui est residuum alimenti, seu sanguis excrementitius) formatur fœtus, nempè ex sanguine fiunt partes carnosæ, ex semine partes spermaticæ, nempè solidiores, & sicciores, scilicet ossa, & nerui: quæ omnia fiunt hoc ordine: primis sex diebus massa illa spumosa lactis ha-

Digitized by Google

bet similitudinem, & post immediatè incipit efformatio membrorum, & primò Cor, vt ait S. Bonau. cum Theologis *lib.4. dist.7.dub.4. & serm. 2. de vno Confess. & serm. 2. de S.Laur. & serm. 2. de S.Agnete*, & deinde iecur, & cerebrum: apparent enim primò tres Bullæ in illa massa, ex tenuiori cor, ex crassiori iecur, & ex humore cerebrum, simul tamen illa virtus operatur circa alia membra, post hæc in nouem diebus illa massa lactea fit sanguis coagulatus, in quo distincta illa tria membra apparent: post hæc in duodecim diebus sequentibus fit caro: hincque, ait Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 3. part. 1. dub. 3.* dicitur Christus factus in B. Virgine ex carne, ex sanguine, & ex semine: dicitur enim caro habito respectu ad id, quod formatur ex semine: dicitur sanguis respectu suæ originis: dicitur & semen habito respectu ad propriam formam: post hæc reliquis 18. diebus efformatur corpus organicum: sicque 40. quinque diebus circiter infunditur anima in masculis, licèt in fœminis totum fiat in 80. diebus ob debilitatem seminis: secundùm Medicos tamen masculus efformatur in 30. diebus, fœmina in 40. Aduertendum tamen nunc prodiisse in lucem quoddam opusculum dictum (Pia prothesis) compositum à P. Hieronymo Florẽtino Lucensi Cong. Matr. Dei Clerico Regulari de Hominibus dubiis baptizandis, in quo fusissimè, & doctissimè authoritatibus Theologorum, Medicorum, Philosophorum, & historicorum probat fœtum post emissionem seminis parentum quatuor, vel quinque diebus verè viuere vita rationali, hortaturque efficaciter adstantes ipsum abluere aqua baptismali sub conditione, si quandoque accidit, vt Mater ipsum ob aliquam violentiam emittat. Pia quidem suasio, & ad salutem animæ valdè conducens, obidque ipsam existimo esse practicandam ob probabilitatem eiusdem opinionis: Hinc fœtus post infusionem animæ viuens propriè incipit nutriri, & augeri attrahendo alimentum per venam vmbilicalem, quod recipitur à iecore, & per totum corpus subministratur à iecore: & cùm adhuc cerebrum, & nerui sint imbecilles, & molles, non mouetur viuens, nisi progressu temporis exsiccentur, & consolidentur, quodque fit in masculis tertio mense, in fœminis quarto mense: tunc enim incipit proles moueri, calcitrareque. Et tandem in fine noui mensis, vel sub initiũ decimi, rarissimè in initio vndecimi: aliquãdo verò citiùs, nempè sexto, septimo, vel octauo mense prodit proles in lucem partim vteri conatu, qui quærit se exonerare, partim proprio motu: nam calcitrando rumpit secundinas, & valuæ vteri dehiscunt, infansque foras erumpit: In Christo tamen (ait S. Bonauent. *lib. 3. dist. 4. citat.*) facta fuit perfecta organizatio in vno instanti virtute Spiritus Sancti, & post nouem menses completos, & sex dies ex vtero exiit: Vide S. Bonauent. *in Sup. cit. cap. 7.*

302. SECVNDÒ Supponendum hoc quæsitum habere duplicem sensum: primus, an vtrunque parens attingat organizationem: secundus, an attingat vnionem animæ, & corporis: & quia viuentia alia sunt viuipara: alia sunt ouipara: prima sunt, quæ generant viuens in ventre Matris: secunda sunt, quæ immittunt oua, & ex ipsis posteà fit viuens:

quæstio

quæstio procedit de vtrisque, & quoad organizationem.

Commvnis opinio sustinet vtrunque parentem attingere immediatè productionem organizationis in viuiparis, sed immediatiùs Mater, in ouiparis verò tantùm mediatè: Idemque dicitur quoad vnionem animæ sensitiuæ: at in rationalibus Scotistæ apud Meldul. *disp.* 8. *num.* 33. negant parentes attingere vnionem animæ, & corporis. Thomistæ cum Seraph. Doct. affirmant: Hinc

303. Prima Conclvsio: In generatione viuentis quoad organizationem in viuiparis vtrunque parens attingit ipsam, sed Pater mediatè, Mater immediatè: Est communis cum Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corp. & ad* 4. *& dist.* 31. *art.* 1 *quæst.* 1. *& dist.* 15. *quæst.* 1. Scoti apud *cit.* Meldul. & Aliorum: licèt Seraph. Doct. procedat ex diuersis principiis, scilicet quatenùs recognoscit substantiam, & virtutem generantis in semine emissam.

Probatvr igitur ex hoc principio Seraphico: Nam in vtroque semine adest substantia radicalis generantium, & virtus delata per ipsum semen agens in partem eiusdem seminis organizando ipsam materiam: ergo vtrunque concurrit actiuè: sed immediatè Mater concurrit & sua actiuitate, & per communicationem proprij sanguinis: Pater verò est absens, aliquando iam est mortuus: ergo tantùm iste media virtute, & Mater immediatè. Tum quia si non adsit talis concursus, corpus non posset dici generatum à parentibus, ergo: Notanter autem dixi in viuiparis: nam in ouiparis vtrunque generans mediatè tantùm concurrit, vt certum experientia est: nam etiam mortua Matre ex ouis nascuntur pulli, sed nascuntur eo, quia illa virtus seminaria immissa à generante excitatur cum proprio calore natiuo, quæ virtus agit in illam materiam educendo formam pulli, sicque tali pacto concurrit ad generationem, & organizationem viuentis: idemque dicendum de seminibus arborum, & plantarum.

304. Secvnda Conclvsio: Vtrunque parens media tali virtute generatiua attingit vnionem animæ, & corporis tam in sensitiuis, quàm in rationalibus, sed differenti modo: vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fine in corp.*

Probatvr quoad animam sensitiuam: Nam viuens cum tali virtute mediata, si est Pater, & immediata, si est Mater, concurrit ad eductionem animæ, ipsiusque informationem: ergo & ad vnionem, & in hoc vel modica, vel nulla est difficultas.

Probatvr secundò in rationalibus ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 8. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 4. Nam licèt sola pars hominis traducatur, scilicet caro, vel corpus, nihilominùs dicitur totus homo nasci, vel generari, pro eo quod intentio naturæ non terminatur ad alteram partem per se, sed prout habet coniungi, & perfici ex altera, & ob id hominem: ergo attingit ad productionem vnionis: sic *& lib* 2. *dist.* 32. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. alioquin non diceretur homo generare hominem, si solùm attingeret productionem dispositionum, vel organizationis, forma enim non generatur in se, nec per se, sed vt in materia, sicque facit compositum, quod est tertia entitas *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4.

Digitized by Google

RESPONDET Medul. negando ſequelam, quia diſpoſitiones in viuentibus non ſunt pura accidentia, vt in non viuentibus, ſed ſunt formæ partiales ſubſtantiales, quæ cùm ſint pars intrinſeca hominis producendo tales formas, vel formam organizationis, verè dicitur homo generare hominem: terminat enim ad corpus non ſecundùm ſe, ſed vt animæ vnitum, quia in eodem inſtanti, quo cauſatur corpus, vnitur etiam animæ, & animatur.

CONTRA: Quia ſi id eſſet verum, etiam quatuor elementa poſſent dici generare mixtum viuum, vel hominem: ſed conſequens eſt falſum: ergo.

PROBATVR ſequela: quia quatuor elementa concurrunt, ſicut homo, præſtando materiam, & concurrendo actiuè: ergo. Tum quia verè in tali generatione homo generat tantùm corpus per ſe, ſicut elementa mixtum, quod & vnitur alteri formæ viuenti, licèt à Deo vniatur ei anima. Tum quia homo intendit producere non corpus præcisè, ſed compoſitum: ergo partes vnitas: ergo intendit attingere talem compoſitionem.

305. OBIICIES primò: Vnio eſt relatio extrinſecus adueniens, obidque nec cauſatur neceſſariò à cauſa extremorum, ſed ab alia diſtincta, à qua habet propriam nouitatem: ergo per illam non attingitur productio hominis: ergo: Antecedens ſupponitur aliàs probatum, verbi gratiâ, informatio caloris in manu non cauſatur effectiuè à producente manum, nec à manu, niſi ſubiectiuè, nec à calore, cùm calor, & manus poſſint eſſe abſque tali informatione, ſed ab igne, prout inducit calorem in manu, eſtque cauſa informationis actiuæ caloris, & paſſiuæ in manu: ſicut mouens corpus cauſat efficienter vtrunque reſpectu locantis in ſuperficie, & locati in corpore: ſed parentes non cauſant animam rationalem, eſtque Deus ſolus illam creans, & cauſans, ſimulque animationem: Parentes verò nullam neceſſitatem inducunt in Deum in cauſatione corporis organici, cùm liberè Deus animam creet: ergo ab ipſis non prouenit vnio, & animatio, ſed à Deo.

RESPONDETVR negando antecedens: nam, vt aliàs dictum eſt in Phyſ. vnio ſubſtantialis eſt quid abſolutum: & ad id quod nullam cauſationem habent parentes in animam, concedo, in vnionem, nego: licèt enim Deus neceſſariò abſolutè non inducat animam in organizatione, neceſſariò tamen ex ſuppoſitione inducitur anima rationalis, obidque & parentes verè attingunt productionem vnionis, non enim creatur, ſed comproducitur.

INSTAS: Ergo, ſicut dicitur homo generare hominem, poterit & dici creare animam, cùm ad poſitionem corpo[illegible], & vnionis ponatur neceſſariò anima creata.

RESPONDET S. Bonau. negando paritatem, & conſequentiam: nam, vt dicit *lib. 3. diſt. 8. cit.* generatio non excludit creationem præambulam, immò includit, prout eſt generatio hominis: creatio verò, cùm ſit ex nihilo, aliam excludit productionem, ſecundùm quod dicit proximam, & immediatam eductionem creaturæ: anima enim de ſe ſolùm per creationem habere poteſt eſſe: hinc homo non dicitur creare animam, cùm præſupponatur natura creata, ſed dici-

tur

tur generare hominem, quia ad productionem corporis producit & vnionem.

306. QVÆRES de viuentibus genitis ex putri: an adsit aliquod viuens ipsa generans, & an sint eiusdem speciei cum cæteris.

SED iam in Phys. *in quæst. de Seminario materia* hæc quæstio pertractata fuit, & suprà *in quæst. 3. ad finem:* ibi enim diximus, quod similia viuentia ob ipsorum imperfectionem non indigent necessariò generante vniuoco, sed sufficit, vt per causas vniuersales disponatur materia, à qua facilimè educitur forma illa viuentis, suntque eiusdem speciei cum illis, qui per propagationem veram gignuntur: habent enim eadem accidentia, & easdem omninò operationes, ex quibus secundùm regulam Seraphicam *lib. 2. dist. 9. quæst. 1. ad vlt.* infertur identitas specifica.

VT autem id intelligatur, subiicio hîc verba Seraph. Doct. quæ ostendunt clarissimè hanc veritatem: dicit enim *lib. 2. distinct. 7. part. 2. dub. 3. & lib. 2. dist. 8. part. 1. art. 2. quæst. 1.* quædam sunt, ad quæ producenda sufficit causa vniuersalis sine adiutorio agentis particularis consimilis in specie, suntque imperfecta animalia in organizatione, & duratione: ideò non indigent agente tantæ virtutis, & consimilis, sed potuit virtus illorum productiua dari terræ tanquam Matri, & Soli tanquam Patri cum adiutorio aliorum corporum simplicium tam elementarium, quàm cœlestium: ad id etiam concurrit illa ratio seminalis, quæ est virtus actiua intrinseca existens in seminario materiæ, *lib. 2. dist. 15. quæst. 1. ad 4.* ex qua educitur ad actum completum forma iam à Deo ibi concreata: id autem fuit necessarium, quia cùm talia sint imperfecta duratione, ne perirent in mundo, oportuit dari virtutem generatiuam illorum agente alterius naturæ: animalia verò perfecta exigunt actualitatem, & ratio seminalis cum maiori difficultate profertur, ideò in his agens generando aliquid de sua substantia impertitur.

QVÆRES: Quare magis aliquando generatur masculus, quàm fœmina, & è contra: solutionem huius dubij habebis fusè traditam tum Physicè, tum Theologicè apud Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 20. art. 1. quæst. 6.* ad quam breuitatis causa, tum etiam quia ferè est extra rem nostram, remittimus Lectorem.



PARS



PARS PRIMA.

DE ANIMA.

TRACTATVS IV.

De Nutritione, & Augmentatione.

PRODVCTO viuente per generationem nutriri debet, & augeri, vt ad debitam corporis consistentiam assurgat; ideò de Nutritione, & Augmentatione erit præsens Tractatus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Nutritio, & Augmentatio, seu Aggeneratio, Accretioque, & quomodò fiat, & quodnam sit ipsius obiectum.

307. SVPRA diximus *in tractatu tertio quæ.1.* nutritiuam, & augmentatiuam potentiam non distingui nisi virtualiter, esseque vnam formaliter: hinc de vtraque sub eodem titulo discurrendum est: Pro solutione quæstionis

PRIMÒ Supponendum Nutritionem posse sumi primò latissimè pro quacunque conuersione alimenti in propriam substantiam siue viuentem, siue non: vnde dicitur ignis nutriri ligno, & combustio dicitur nutritio, quatenùs conuertit lignum in ignem: secundò propriè pro conuersione alimenti in substantiam aliti facta per vitalem actionem in singulis partibus: Et hinc ait S.Bonauent. *lib. 2. dist. 27. art. 2. quæst. 2. in corp.* augmentum potest fieri multipliciter: primò communissimè siue in qualitate, siue in quantitate, siue in substantia: secundò propriè per additionem rei quantæ, & hæc potest fieri ex S. Bonauent. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad vltim.* vel per virtutem extrinsecam idest per extrapositionem; vel per virtutem intrinsecam existentem in augmentabili, in qua augmentabile se habet in ratione formalis, & actiui, augmentans in ratione materialis, & passiui, & hæc fit per intus susceptionem, & per actum vitalem conuertentem alimentum in augmentum aliti: & de ~~hæc~~ hîc est Sermo; & quæritur, an habeat diuersam rationem formalem à nutritione.

308. SECVNDÒ Supponendum, quod

quod potentiæ nutritiuæ obiectum est nutrimentum, seu alimentum, estque duplex, proximum, & remotum: primum est, quod conuersum in chylum, vel sanguinem iam substantiam aliti subit: secundum est, quod in cibum assumimus, de quo potest quæri, quænam sint nutritioni apta, & quasnam qualitates exigat, vt possit conuerti: In qua quæstione certum est alimentum debere esse partim simile, & partim dissimile: primum quidem ratione qualitatum symbolicarum inter alimentum, & viuens, alioquin natura illud abhorreret: nec posset à nutritiua cōcoqui: secundum verò, quia inter omnia similia non datur actio, sed in nutritione datur vera actio, & reactio: notandum autem hîc obiter, quod differunt medicamentum, & alimentum: illud enim magis agit in viuens, quàm patiatur ab ipso viuente, ideò per ipsum magis alteratur viuum, obidque per ipsum non fit nutritio propria: è contra verò minùs patitur ab alimento viuens ipsum, ideò ea, quæ magis in viuens agere possunt, quàm pati, magis etiam à ratione alimenti recedunt.

309. Tertiò Supponendum Calorem vitalem esse præcipuum instrumentum potentiæ nutritiuæ: Hîc autem calor dicitur communiter ab Aristot. & cæteris esse cœlestis naturæ ab aliis elementaris: quod tamen sano modo est intelligendum: vt notat Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 17. art. 2. quæst. 2. in corp.* non enim dicitur cœlestis, quasi sit eiusdem naturæ, vel qualitatis existentis in cœlis, cùm in ipsis non sit formaliter calor, sed dicitur talis per conformitatem in subtilitate, & claritate cum quadam subleuatione à contrarietate, ex hoc quod consurgit ex commixtione elementorum in quadam harmonia, & consonantia, quod & pari modo dicendum est de spiritibus vitalibus, & animalibus, & quia quando complexio perturbatur ex pugna, fitque inæqualitas, insurgit alius calor, qui dicitur consumens: primus autem dicitur conseruans *ex lib. 4. dist. 49. art. 4. quæst. 1. part. 2. ad 4.* quæ doctrina est contra Guarinum *disp. 6. exp. 1.* est tamen conformis Aristot. & Medicorum sensui: officium autem talis caloris conseruantis est primò attenuare, & rarefacere alimentum; secundò ex ipso spiritus generare, & idem alimentum disponere in omnibus membris, & officinis ad conuersionem in substantiam aliti adiuuando virtutem digestiuam, & nutritiuam viuentis, & segregando materiam proficuam à noxia, & ob id ipsius sedes præcipua est tum in humido radicali ab ipso contemperato, tum in corde ex Seraph. Doct. *in Psalm. 118. cap. 10. vers. 1. & Serm. 1. Hexaëm.* vnde cor dicitur principium, & origo motus, & sensus totius corporis *lib. 2. dist. 8. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad 1.* Quibus positis sit

310. Prima Conclusio: Datur vera Nutririo, quæ est quædam aggeneratio nouæ partis animatæ in ipso viuente vi ipsius animæ vel ordinara ad restaurandas partes deperditas, vel simpliciter ad augmentationem: Est communis cum Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 30. art. 3. quæst. 2.*

Prima pars patet: Quia experientia videmus animalia per infirmitates deperdere partem substantiæ suæ, & per nutritionem candem reparare.

Digitized by Google

Secvnda pars probatur, & simul explicatur: Dicitur, *aggeneratio*, idest generatio, & additio partis ad totum: Dicitur, *noua partis animata*, quia noua pars substantialis vnitur toti, & ab anima eadem informatur, quia informatur totum: Dicitur, *in ipso viuente*, quia talis aggeneratio non potest fieri nisi in eo, quod viuit, & actu habet vitam: Dicitur, *vi ipsius animæ*, vt significetur nutritionem esse actum vitalem procedentem ab anima tanquam à principio primo per potentiam sibi identificatam: Adduntur reliquæ particulæ, scilicet ad restaurandas partes, &c. vel ad augmentationem, vt explicetur finis nutritionis, qui est duplex, scilicet ad restaurandas partes deperditas,&ad complendum corpus genitum: Sic S. Bonau. *in Centil. part.* 3 *sect.* 21. *&* 22. Ex qua definitione etiam patet nutritionem, & augmentationem non esse actiones diuersas, quia tam augmentatio, quàm nutritio est motus vitalis terminans ad substantiam, quæ quia est quanta, vel quia quantificat ipsum viuens per additionem, dicitur augmentatio, vt suprà diximus, & probauimus, & infrà magis expressè dicemus in propria quæstione.

311. Secvnda Conclvsio: Nutritio, licèt sit actus vnicus siue instantaneus, siue successiuus, de quo infrà, tamen exigit plures alterationes cibi, seu alimenti antecedentis: Est communis omnium cum Seraph. Doct. qui *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *& lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. reducit ad tria capita istas motiones, scilicet ad masticationem, ad traiectionem in ventrem, & incorporationem, ad quam sequitur conuersio, & vnio: Explicatur autem Conclusio hoc pacto. Cibus primò dentibus,vel gingiuis truditur,& in minutissimas partes tãquam in mola diuiditur,mediaque saliua fit prima cibi alteratio, & deinde medio mynisterio linguæ, & attractu gutturis traiicitur in stomachum, & in ventriculo fit secunda alteratio, & prima concoctio virtute caloris ab hepate, à splene, & à corde prouenientis, trãsmutaturque in substantiam quandam lacteam, quæ appellatur chylus, qua stomachus ipse nutritur illam attrahens per quasdam venas, quæ dicuntur lacteæ: Chylus deinde per quoddam orificium, quod vocatur Ianitor, eo quia tamdiu, dum cibus decoquitur, illum detinet, & posteà laxatur, vt chylum prolabi sinat: In his verò intestinis chylus secernitur, partesque terrestriores, & fœces veluti excrementa in alia intestina inferiora pelluntur: Puriores verò exuguntur à venis meseraicis, & ab ipsis per venam amplam, quæ dicitur Porta,ad Iecur transmittitur, vbi fit tertia alteratio, & secunda concoctio, per quam chylus magis purificatus in sanguinem conuertitur: cæteræ verò partes minùs purificatæ in pituitam, bilem flauam, & atram: Bilis flaua recipitur in vesicula fellis, atra verò in lienem transmittitur: Pituita verò simul cum sanguine remanet, vtpote illi necessaria ad liquiditatem conseruandam: Sanguis verò à Iecore partim per venas capillares ad omnes partes corporis, & partim per venam cauam ad cor transmittitur: In hisque partibus denuò perfectè concoctus in corde conuertitur in spiritus vitales, animales, & naturales, vt suprà dictum est; in spiritus vitales, inquam, qui vt ait Seraph. Doct. *Serm.* 1. *Hexaëm.* diffunduntur

Digitized by Google

funduntur per arterias: in animales, qui à corde diffundũtur per neruos ad cerebrum, vbi recipiunt complementum, & ab ipso diramantur per omnia membra ad sensum, & motum efficiendum: & in spiritus naturales, qui à corde per venas diffunduntur: In cæteris verò membris sanguis diffusus recipitur in poris, & ibi vltimò concoctus attrahitur, separanturque aliquæ fœces, quæ posteà in pilos, in sudorem, &c. expurgantur: sanguis verò purus conuertitur in carnem, ossa, &c. Sed vlterius est aduertendum, quod in quacunque istarum concoctionum fit expurgatio, & separatio impuri à puro: in prima scilicet in stomacho pars superflua, & dicitur stercoraria: in secunda, scilicet in hepate est vrina: in tertia, scilicet in membris superfluitates exeunt vel per nares, vel aures, vel per apostemata, cùm aperiuntur, vel per poros, pilos, & vngues, & maximè per sudorem, qui sudor est superfluitas humorum, sed maximè sanguinis, & hinc habens complexionem sanguineam magis sudat: Causæ autem sudoris sunt fortitudo virtutis expulsiuæ cum spiritu quodam aquositatis, cui pus colericum miscetur, & sua acrimonia facit tale humidum ad externa pervenire, & quia amaritudinem habet, reddit sudorem salsum, & ex calore externo ipsum corrumpente redditur fœtidus, & eò magis quò vapores minùs exhalant, & ob id sudor faciei minùs fœtet, quia plus exhalationis habet, magisque sudat ob vicinitatem cerebri humidissimi: post quietem verò magis fit sudor, quàm in ipso motu, quia adueniente refrigerio in quiete, spiritus circa partes corporis externas magis ingrossantur, & in materiam sudoris conuertuntur: vnde labor parat materiam sudoris.

312. Tertia Conclusio: Nutritio, provt est mutatio, habet pro obiecto alimentum: provt est productio, habet vnionem substantialem partialis substantiæ corporeæ cum tota substantia viuentis.

Prima pars patet *ex 3. Notab.* & continua experientia, solúmque est discrimen inter DD. quodnam propriè sit aptum alimentum ad nutritionem viuentis: an scilicet necessariò ad nutrienda animalia alimenti materia debeat priùs fuisse animata: an etiam inanima possint esse materia apta, vt aurum, aliaque mineralia: Aliqui id negant: at Guarin. *disp. 6. exp. 4. & disp. 5. exp. 1.* Medici, & Empirici affirmant, de qua infrà dicetur. Secunda pars in sequenti quæstione patebit, exigit enim peculiatem considerationem.

313. Qvarta Conclvsio: Plantarum nutrimentum est non terra pura, vel aliud elementum per se, sed est humor, qui gignitur ex terra, & aqua principaliter concurrentibus etiam cæteris elementis, & sua virtute corporibus cœlestibus: Sic communiter DD. cum Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 14. part. 2. dub. 2.* dicens plantas, & herbas esse quasi connaturales terræ, dum ei sunt radicitus affixæ trahendo ex ipsa fomentum, & originem: videatur Seraph. Doct. quæ tradit *lib. 2. dist. 15. dub. 1. & art. 1. quæst. 2.* licèt enim ab ipso applicentur compositioni corporum animalium: mirabiliter tamen inseruiunt etiam pro intelligenda plantarum generatione, & nutritione: & *lib. 2. distinct. 30. art. 3. quæst. 1. in improb. 3. opin.* dicit, quod forma cum virtute existente in semine congesta copia

Digitized by Google

terræ, & humoris tanquam materia propria alimenti vertitur in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, ac figuram, & in fructuum formas, & opulentiam: sustinet igitur alimentum plantarum esse principaliter terram commixtam cùm humore, & aqua: vnde terra tenet præcipuum locum in materia alimentari plantarum, deseruit enim vt ventriculus, in qua fit prima terræ, & aquæ concoctio, ex qua concoctione quidam humor producitur, qui à radicibus sugitur arboris, & ab omnibus partibus eiusdem attrahitur, & virtute animæ alteratur, & à calore solis concoquitur, & attenuatur, disponiturque proximè, vt in substantiam plantæ transmutetur: Ex quo patet, quare accessu Solis plantæ vel producuut, vel frondent, vel magis nutriuntur, & quare recessu deperdunt vigorem, folia, &c. quia calor solis vices caloris naturalis agit. Addimus, quod hoc discrimen est inter nutritionem plantarũ, & animalium, quod concoctio alimenti plantarum fit extra plantæ substantiam, concoctio verò alimenti animalis fit intra animal: secundò plantæ excrementa non emittunt, quia remanent in concoctione extra plantam, secus accidit in animali: verum tamen est, quod etiam aliquæ arbores emittunt ab intus aliqua excrementa, vt patet in gumma ab ipsis emissa: His suppositis tanquam communiter ab omnibus acceptis.

314. QVÆRITVR primò: quænam sit materia apta ad nutritionem animantium? an scilicet necessariò sit aliquod mixtum, quod antecedenter fuit animatum: an etiam aliquod elementum: an aliquid aliud.

RESPONDETVR primò accidentia non posse alere viuens: ratio est, quia cùm per nutritionem inducatur noua forma corporeitatis, & noua informatio animæ ad illam partẽ, accidentia pura non possunt recipere talem informationem, cùm subiectum formæ substantialis sit sola materia, vel substantia potentialis, & sic fit vnum per se, non vnum per accidens.

DICES cum Aliquibus Thomistis quantitatem sacramentalem nutrire ex potentia supernaturali.

RESPONDETVR negando antecedens: nam, vt docet Seraph. Doct. dum verè sunt species sacramentales, tunc non nutriunt, sed tantùm, quando corrumpuntur: tunc enim aduenit de nouo substantia creata: Sic *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 2. quæst. 1. & dist. 13. art. 2. per totum.*

DICES: Odor, non prout est qualitas, sed prout importat exhalationem vaporosam egredientem è corpore odoroso, non est purum accidens, & potest nutrire: ergo accidens potest nutrire.

RESPONDET Medul. *de gen. disp. 8. num. 55.* negando consequentiam: ratio est, quia talis exhalatio non est sufficienter incrassabilis in massam: tum quia talis odor transit ad cerebrum, non ad Stomachum, in quo fit digestio, & dato etiam hoc, non sequitur accidens posse nutrire, cùm illa exhalatio non sit purum accidens, quam Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 49. art. 3. quæst. 1.* appellat emanationem à corpore.

AN verò vinum nutrire possit, est in quæstione: Aliis affirmantibus, Aliis negantibus: Partem negantem sustinet Heron. mercurialis: Affirmantem, & probabiliorem communis

nis opinio: ratio est, quia est incrassabile in massam ex hoc, quod est terreum magis, quàm aqua. Tum quia experientia patet multos per plures dies enutritos fuisse solo vino, & hæc est sententia S. Doct. *lib. 4. dist. 11. p. 2. art. 1. quæst. 1.* vbi appellat panem, & vinum cibum conuenientem efficacem, sanantem, & omnibus communem.

Dices: Ecclesiam in ieiunio non prohibere vinum, quod & fecisset, si nutriret: ergo

315. Respondet Meldul. Ecclesiam prohibere pro ieiunij obseruantia, quæ propriè, & vsu humano primo, & per se recipi solent ad nutriendum, qualia non sunt ea, quæ instituta sunt ad potum: Sic etiam non interdicit pisces, sed carnes, licèt quidam pisces plus nutriant, quàm quædam carnes, sed quia ex genere suo carnes plus nutriunt, quàm pisces, ideò non vetuit in genere pisces.

Respondetur secundò, quod tale nutrimentum ex vino citò euanescit, nec potest homo solo vino dici conseruari: hinc non prohibuit vinum.

Respondetur secundò quoad Elementa: Elementa pura non posse nutrire: Sic manifestè Arist. 2. *de gen. text. 50. & de sensu, & sensibus cap. 5. versus finem, aliisque locis* & ratio est, quia, vt notat Seraph. Doct. tum *lib. 2. dist. 17. art. 2. quæst. 2. ad 6. & alibi pluries* forma elementaris, seu elementum non est capax animæ, nisi mediante forma mixti, & complexionis: tum quia non habemus vllum elementum purum, vt aliàs dictum est.

Obiicies cum Meldul. Quia serpens ex iussu Diuino *in Gen.* terram comedit, sicut & plura alia animantia.

Sed ad hæc, & consimilia allata à *cit.* Authore

Respondetur nullum elementum apud Nos esse purum, sicque non concludunt aliquid contra Nos.

Respondetur secundò cum Guar. *disp. 6. exp. 4.* nihil, quod non fuit animatum, posse nutrire: & ratio eius est, quia natura non transit de extremo in extremum absque medio: hinc exigitur in alimento aliqua proportio, ad hoc vt possit suscipere formam viuam. Attamen oppositum docetur à Medicis, qui aurum, lapides pretiosos, aliaque inanimata redacta in puluerem, in oleum, aquam, &c. ordinant, ipsisque nutriunt homines, inseruiuntque mirabiliter ad vitam tuendam, & conseruandam.

Addit vlteriùs *cit.* Guarin. ad hoc vt alimentum possit inseruire viuenti, debet esse aliquo modo dissimile, vt conuertatur in substantiam aliti, quod tamen est falsum: nam homo comedit hominem, & bestiæ bestias eiusdem speciei: si tamen non intelligatur dissimilitudo, quæ est inter non viuens, & viuens: sic enim potest sustineri.

316. Quæritur secundò: Quid sit fames, & Sitis, & quomodò fiat.

Respondetur cum communi famam oriri ex deficientia alimenti: membra enim sugunt venas, venæ hepar, hepar sugit venas mesereicas, & alias, quæ ad stomachum pertingunt: istæ venæ è stomacho exugunt, quicquid in ipso est: quo facto stomachus corrugatur: Vnde in ipso fit dolor; maximè tamen circa os stomaci, quod etiam

humore acido à splene effuso per id tempus inficitur, qui humor sua mordicitate dolorem auget; & quia ex defectu alimenti deficiunt etiam spiritus vitales in toto corpore, hinc dolor in stomacho sentitur, & debilitas in omnibus membris: spiritus enim vitales corporis vires fouent; ad hæc sequitur, quod Phantasia percipiens & dolorem, & deficientiam suprà dictam concipit alimentum vt conueniens, & necessarium, quod & proponit appetitui sensitiuo, qui confestim in ipsum tendit per actum appetendi, & virtutem motiuam cõpellit ad ipsius acquisitionem pro viuentis conseruatione: Et quia potus est animali necessarius: tum vt sua tenuitate in venarum anfractibus cibo solido viam sternat: tum vt concoctioni ventriculi (quæ est quædam elixatio) inseruiat: tum vt ariditatem membrorum, sanguinisque caliditatem mitiget, ideò quando succus iste deficit in corpore, vel ob exercitationem, vel ob calorem, vel ob esum cibi salsi, membra inarescunt, & oritur attractio similis ei, quæ in fame accidit, causaturque dolor quidam in ventriculo, potissimum in oesophago, idest in cannula gulæ, & faucibus. Igitur fames residet propriè in ventriculo ob penuriam alimenti, licèt etiam aliqualiter extendatur ad alia membra: & sitis in oesophago, & faucibus. Hinc fames ab Aristot. definitur, *Appetitus calidi, & sicci:* Sitis *appetitus frigidi, & humidi*, Dicuntur, *appetitus*, non formaliter, quia propriè sunt dolores quidam anxiè torquentes animantia, sed causaliter, quatenùs ex isto dolore à phantasia repræsentato causatur in appetitu actus desiderij, & appetitionis alimenti: vnde prout est dolor, dicitur communiter fames naturalis: prout verò est actus desiderij, dicitur fames elicita ab Aristot. 2. *de an. t.* 28. Dicitur fames, *appetitus calidi, & sicci*, non quidem absolutè, nam plures cibi sunt frigidi, & humidi, nec fames primò est à natura instituta ad reparandum siccum, sed humidum pingue, quod est pabulum caloris naturalis: Dicitur igitur *calidi, & sicci* facta comparatione ad potum, cùm regulariter cibus sit calidior, & siccior potu: Potus item dicitur frigidum, & humidum, quod intelligendum est aliquando copulatiuè, aliquando disiunctiuè: oppositum tamen docet Guarin. *disp. 6. exp. 5.* qui plura affert desumpta ex experientia, & exemplis, qui potest videri: Nota tamen, quod aliquando sitis causatur non ob inopiam humidi, sed ob humorem salsum, & acidum imbuentem os ventriculi, vel oesophagum, vel fauces: vt in hydropicis: vel ex iecoris intemperie, vt nunquam possint humectari, quamuis continuè bibant.

Qværitvr: tertiò an sine cibo, & potu viuere possit animal.

Ratio dubitandi est, quia communiter dicitur Chamaleontem viuere ex aëre: multos vitam duxisse sine cibo, & potu longam.

Sed Respondetur impossibile esse naturaliter posse aliquod animal diu viuere absque cibo, & potu, vel aliquo humore, circa quem calor naturalis possit agere, & qui loco cibi substituatur.

Et ad id de Chamaleonte negatur absolutè ipsum viuere ex aëre: nam cibatur muscis, aliisque animalculis.

Et ad id de hominibus, qui sine cibo, &c. diu vixerunt.

Respondetvr id factum fuisse miraculosè, vel falsò id referri, quod & infrà magis explicabitur in quæstione tertia.

QVÆSTIO II.

De Termino Nutritionis, idest quid per nutritionem acquiratur.

317. Commvniter ab omnibus ferè asseritur in nutritione acquiri cum quantitate nouam materiam,& formam, seu partem formæ, quod & S. Bonau. docet *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & ad* 3. *& lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *q.* 2. Ratio autem est, quam Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. affert ex Philosopho, quia ex his constamus, ex quibus nutrimur, sed constamus ex substantia: ergo & nutrimur substantia. Tum quia Nutritio est aggeneratio, seu altera generatio nouæ partis: ergo est ad substantiam nouam.

Difficvltas ergo sita est circa hanc formam, quæ de nouo in nutritione aduenit; an sit corporeitatis: an sit pars animæ sensitiuæ, & vegetantis, idque inseruit. & ad Maiorem elucidationem indiuisibilitatis animarum, quam sustinuimus suprà.

Prima Opinio est Thomistarum, qui procedentes iuxta sua principia, secundùm quæ negant formam corporeitatis in animantibus, volunt in corruptione fieri resolutionem vsque ad materiam primam: hinc dicunt superaddi per nutritionem viuenti nouam partem viuam, non quatenùs est pars, quia id habet à quantitate, sed prout fit vnum cum substantia præcedente, cum qua recipit indiuiduationem, & identificationem: Sic Complut. *de gen. disp.* 5. *quæst.* 3. Ioan. à S. Thom. *de gen. q.* 8. *art.* 2.

Secvnda opinio communior est asserentium per nutritionem acquiri nouam materiam, & nouam partem formæ, scilicet nouas portiones animæ generari in sensitiuis, & vegetantibus: In rationalibus verò nouam partem formæ corporeæ: Sic Meldul. Seibel. & communiter Alij.

Tertia Opinio est S. Bonau. qui consequenter ad tradita de indiuisibilitate animarum sustinet solùm nutritionem posse terminare ad substantiam, & portionem formæ corporeæ in quocunque viuente, & ad ipsius vnionem cum toto viuente: Pro solutione quæstionis,

318. Primò Aduertendum, quod communiter dicitur à Philosophis, & est dictum Aristot. 2. *de an. t.* 11. *&* 34. opere nutritiuæ transire alimentum in carnem secundùm materiam, non secundùm speciem, & formam: quæ propositio variè à Philosophis exponitur: nam D. Thom. apud Banez docet carnem secundùm formam esse ipsam carnem formaliter, & quidditatiuè sumptam: secundùm materiam verò esse eandem materialiter sumptam: scilicet quæ fluit, & refluit: Richard. *lib.* 2. *distinct.* 30. *art.* 1. *quæst.* 5. docet carnem secundùm formam esse carnem secundùm quidditatem: secundùm materiam verò ipsam in indiuiduo sumptam: Alij aliis modis explicant, vt videre est apud doctissimum P. Gallicium nostrum *de gen. t.* 3. *quæst.* 5. & apud Meldul. *de gen. disp.* 8. *n.* 81. Seraph. verò

verò Doctor cæteris sublimiùs explicat hoc dictum, nempè carnem secundùm formam esse illam, quæ est de prima viuentis constitutione: carnem secundùm materiam esse illam, quæ per nutritionem, & augmentationem de nouo recipitur: Sic *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 2. & *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Subdit Seraph. Doct. quod differunt in hoc, quod caro secundùm formam, seu speciem est de essentiali constitutione, & fabrica corporis heterogenei, habetque vim actiuam, & potentiam conuertendi in se alimentum in carnis naturam ad complendam ipsam fabricam corporis: & quia hæc potentia conuertendi, quæ ipsi inest ratione animæ, est limitata, ideò habet terminum limitatum in augmento, daturque latitudo maior, vel minor in hac potentia, ideò vnus plus augetur altero: Caro verò secundùm materiam est illa, quæ post completam organizationem corporis animati, & in suo essentiali statu constituti superadditur per nutritionem, & hæc dicitur secundùm materiam, quia habet plus passiuitatis, quàm actiuitatis, cùm habeat de se vim actiuam conuertendi in se alimentum, vt habet caro secundùm formam; alioquin nunquam staret augmentum, si cum augmento carnis cresceret etiam virtus augmentandi: affertque S. Doct. *loc. cit. lib.* 2. *dist.* 30. & *lib.* 4. *dist.* 12. exemplum de vino generato in vite, quod habet potentiam conuertendi aquam, sed illa aqua conuersa in vinum non habet potentiam conuertendi aliam aquam: alioquin multiplicari posset vinum in infinitum: vinum autem exiens de vite dicitur vinum secundùm speciem, seu formam: quod verò superadditur ex aqua, dicitur vinum secundùm materiam. Et hinc est, quod si caro hominis comeditur ab alio homine, quia conuertitur in carnem secundùm materiam, ideò hæc non ordinatur ad Resurrectionem nisi de congruo, non necessariò: solùm enim de necessitate ordinatur ad Resurrectionem caro secundùm formam, & ideò hæc necessariò resurget in homine, cuius est de prima constitutione: vide S. Bonau. *lib.* 4. *d.* 44. *cit.* An verò hæc doctrina sit ad mentem Arist. Aliqui sicut & *cit.* P. Gallicius valdè dubitant, sed videatur Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 2. *fund.* 3. vbi expressè docet talem esse mentem Arist. & esto, quod non sit, non est negandũ tamen esse valdè rationabilem, & fundatam in experientia ipsa, valdéque inseruire ad tollendas maximas difficultates, quæ passim occurrunt tum in hac materia, tum in Resurrectione mortuorum, & alibi.

319. Secundò Notandum ex eodem P. Gallicio *cit. quæst.* 4. *n.* 4. quod licèt animatum denominetur nutriri, & augeri, eo quia non augetur, vel nutritur nisi corpus viuum, & animatum, inquantum anima est principium nutritionis: propriè tamen illud nutriri per se solùm dicitur, quod indiget restauratione: hoc autem est corpus corruptibile, quod continuè aliquid deperdit, ideò restauratio, & deperditio est propriè circa corpus: quæ doctrina est etiam Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 6. & *vlt.* & *quæst.* 2. dum notat per nutritionem fieri carnem secundùm materiam, addique carni secundùm formam: & *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. docet generationem

(idem

(idem & dic de aggeneratione) terminare ad formas existentes in Seminatio.

320. Tertiò Notandum, & Supponendum ex traditis suprà *tract.* 1. *de an. quæst.* 5. quod anima quælibet essentialiter est actus corporis organici: ideò exigit necessariò, si est educibilis, vt educatur solùm à corpore non homogeneo, sed heterogeneo: vnde, ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* corpus nunquam est dispositum ad vitam, qualemcunque habeat complexionẽ, nisi etiam habeat organizationem: sicque nec influentia vitæ, nec motus est ab anima in corpus, nisi naturaliter præexistat dipositio organizationis: vnde anima respicit totum corpus, & ob id informat partes, quia informat totum, sicque respicit partes, quia respicit totum: non sic tamen est in eductione: non enim sic educitur de parte adueniente de nouo per nutritionem, quia educatur de toto, cùm in prima eductione iam anima fuerit educta de toto præexistente, sed quia informat illud totum, ideò protendit suam informationem ad partem, quæ toti vnitur substantialiter: quæ doctrina necessariò debet admitti in nutritione hominis ab omnibus Philosophis Catholicis: A S. Bonau. verò, qui tenet omnem animam esse indiuisibilem, admittitur in quocunque viuente: His positis.

321. Vnica Conclusio: Terminus ad quem nutritionis est substanria cum forma partiali corporeitaris: non autem animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ: Est S. Bonau. *loc. cit. supra, & in quæst. cit. tract.* 1. *de an. quæst.* 5. vbi probatum fuit omnem animam esse indiuisibilem.

Probatvr primò ex traditis *in cit. quæst.* Omnis anima est indiuisibilis: ergo non potest acquiri per partes: Antecedens *ibid.* abundè probatum est: Consequentia per se patet ex traditis *ibid.* Confirmatur: quia in homine hæc ratio non potest negari: ergo si in homine non acquiritur pars formæ viuentis, seu animæ, aliqua alia forma corporea acquiritur, sed currit eadem ratio in cæteris viuentibus: ergo. Probatur subsumpta Minor: nam ideò in homine acquiritur tantùm forma partialis corporea, quia corpus tantùm est illud, quod restauratur per nutritionem, sed eadem ratio currit in aliis viuentibus: ergo. Vide, quæ dicta sunt *in cit. quæst.* de indiuisibilitate animarum.

Probatvr secundò doctrina D. Thomæ *part.* 1. *quæst. vlt. art.* 1. dicentis, quod ex nutrimento, & nutrito fit vnum per mixtionem, sed nulla anima cum alia anima apta est mixtioni: ergo alia forma producitur, quæ apta sit admisceri cum corpore animato, & quæ præsupponatur ad animam: ergo est forma corporeitatis, quæ acquiritur.

Probatvr tertiò: Quia sequeretur animam fieri vnum ex multis partibus, sicque non esset verè vna, sed in continuo multiplicaretur, & deperditione continua partis, & partis auferetur ipsius vnitas.

Probatvr quartò: Quia nutrimentum non est materia vltimè disposita ad eductionem animæ: ergo.

Probatvr antecedens: Quia si anima est vegetatiua, & sensitiua, solùm ex semine generatur: tum quia anima secundùm se totam, & secundùm partes (dato, quod haberet partes) respicit corpus organicum: at materia nutrimentalis est homogenea, & cùm partes animæ si darentur,

tur, sint eiusdem rationis cum tota, necessariò & ipsæ respiciunt totum heterogeneum: Aduersarij afferunt varias responsiones, quas confutauimus satis *in cit. quæst.* de indiuisibilitate animarum.

Obiicies cum Meldul. & Cæteris: Omnis anima est diuisibilis præter rationalem: ergo pars formæ potest de nouo acquiri: Huic obiectioni iam satisfactum est *loc. cit.*

322. Obiicies secundò: Quando per nutritionem aduenit noua pars substantiæ, vel informatur ab anima præexistente in corpore, vel ab alia: non primum: ergo secundum, sicque habemus intentum.

Probatur Min. quia sequeretur animam perficere duo perfectibilia adæquata, quod est impossibile. Tum quia forma posset informare materia, à qua non dependet in educi, quod est contra Philosophos omnes: forma enim materialis, & dependēs à subiecto ita exigit esse in suo subiecto, vt non possit extēdi ad aliud subiectum, talesque sunt formæ vegetantes, & sensitiuæ ad differentiam rationalis, quæ non dependet à subiecto: Sic Bagat. *disp. 2. sect. 2.* cum Aliis.

Respondetur illam nouam materiam corpoream informari ab anima præexistente. Ad probationem Minoris, & impossibilitatis adductæ

Respondetur eo modo, quo dictum est fusiùs *in citat. quæst.* eandem formam informare duas materias, ita quod corpus est materia adæquata sufficienter, sed non absolutè, & totaliter: totalis enim est caro secundùm formam, & secundùm materiam, quæ scilicet potest acquiri, & addi illi corpori: Ad aliud, quod forma materialis dependet à materia, à qua educitur

Respondetur negando vllam animam esse materialem, sed dicimus esse spiritualem: obidque educi à toto corpore organizato, & ab ipso dependere dependentia non essentiali, sed consequente, quatenùs educitur ad componendum cum materia tertiam entitatem: & quia est ad hunc finem à Deo creata, ideò cessante tali fine ipsa & corrumpitur quoad existere completè remanente ipsa in seminario materiæ: & hinc potest informare & materiam, à qua fuit educta, & aliam de nouo superuenientem, à qua non fuit educta, ad hoc vt simul cum tota illa materia conficiat totum completum.

Contra instat Meldula: Ergo forma migrabit de subiecto in subiectum, sicque habebit duo perfectibilia realiter diuersa: sed consequens vtrunque est impossibile: ergo.

Probatur Minor: nam forma accidentalis non potest migrare, seu extendere suam extensionem alteri subiecto, etiam si sit continuum, multò minùs forma substantialis, cùm sit maior vnio formæ substantialis cum subiecto, quàm sit formæ accidentalis.

Respondetur ex traditis fieri migrationem non totalem, sed partialem, qua forma totum suum subiectum non deserendo, sed in eo manendo transit ad nouam partem informandam, quod à nemine potest negari in anima rationali; idemque & Nos dicimus de cæteris animabus. Hinc ad probationem Minoris negamus paritatem de formis accidentalibus, & cæteris corporeis, & materialibus, ac de animabus: nam illæ dependent à subiecto, & extenduntur cum quantitate, non sic anima, quæ est spiritualis, & indiuisibilis; vnde

potest

potest habere duo perfectibilia inadæquata: & sicut notat Zabar. *lib. de accret. cap. 15. & 16.* in informatione animæ respectu corporis duplex adæquatio potest considerari: altera quantitatiua, altera proportionis: prima non est inter animam, & corpus: illa enim est indiuisibilis, istud diuisibile: vnde eadem anima vegetabilis est adæquabilis corpori formicæ, & elephanti; nata est informare & magnam, & paruam materiam; vnde caro, quando est facta maior, non constituit duo perfectibilia, sed vnum, quod priùs erat paruum, & posteà factum est magnum: Secunda adæquatio adest inter totum corpus, & animam, non inter partem aliquam: hæc enim non est adæquatum perfectibile respectu totius animæ, sed est totum corpus, ideóque anima non informat duo perfectibilia adæquata, sed tantùm inadæquata. Meldul. *citat. num.* 78. conatur confringere hanc doctrinam, & responsionem, quam tenetur admittere in informatione animæ rationalis dicens non currere, nec verificare posse in formis diuisibilibus ob dependentiam, quam habent in suo esse, fieri, & conseruari à subiecto, à quo educuntur: Sed iam supra huic difficultati satisfactum est ex eo, quod hæc dependentia est à posteriori.

Obiicies tertiò principaliter cum Magistr. Sent. *lib. 2. disp.* 30. qui docuit in nutritione non acquiri nouam substantiam, sed solùm alimentum, quod conuertitur in carnem, & sanguinem: non tamen quod sit de veritate humanæ naturæ, sed quæ humanam substantiam foueant, & conseruent: obiicit ergo Christum dicere, *Id, quod intrat in os, in secessum emittitur:* Sic Christus *in cap.* 15. Matth. ergo quicquid comeditur, in secessum vadit.

323. Respondet S. Bonau. *lib. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1. ad 1. & 3.* quod opinio Magistri, & Hugonis communiter reiicitur à DD. immò idem Seraph. Doct. ingenuè protestatur se dictos Patres non intelligere, quid sibi velint, nec tale esse sensum Christi in Euangelio: nempè totum, quod sumitur in nutrimentum, abire in secessum: sed quia, cùm homo manducat, fit separatio puri ab impuro, purumque retinetur, & impurum secernitur: de quo dicit Christus, *Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Affert etiam & aliam expositionem Glosæ: nempè per secessum intelligi non viam inferiorem, & vltimam egestionem, sed meatus, & poros, per quos fit ciborum decollatio: & ita non sequitur aliquid in veritatem carnis humanæ non transire.

Obiicies quartò cum eodem Magistro: Quia, si fieret nutritio, & translatio nouæ partis in veritatem naturæ humanæ, sequeretur fieri augmentum in infinitum, & posse hominem se perpetuare in æternum.

Sed iam satisfactum est huic difficultati ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *cit. in 1. Notab.* negatur enim vtraque sequela, ex hoc quod id, quod per nutritionem acquiritur, fit caro secundùm materiam, non secundùm formam: hæc enim caro secundùm materiam non habet de se vim conuertendi aliam carnem in se, nec est de veritate humanæ naturæ, prout dicit essentialem viuentis corporis constitutionem, sed tantùm de congruo, quatenùs dicit integritatem eiusdem

Oo 2 corporis:

corporis: Vnde potest fluere, & refluere: Sic S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2.

324. QVÆRES: an materia alimenti priùs vniatur corpori viuentis, quam fiat nutritio: an verò simul, & semel etiam ab anima informetur.

P. BAVDVNIVS noster Respondet in eodem instanti, & eadem actione illam partem conuerti, & vniri toti: estque probabilis hæc opinio: sed conformius est principiis Seraphicis dicere, quod illa pars priùs conuertatur in carnem, scilicet recipiat organizationem, & corporeitatem conformem toti, & deinde animari: quod tamen totum fit in vnico instanti temporis communis, sed in duobus temporis intrinseci: sunt enim mutationes diuersæ, vt diximus in quarto libro Physicæ.

QVÆSTIO III.

An Nutritio fiat continuò.

325. DVPLICEM sensum habet hîc titulus: primus est, an nutritio fiat in instanti: an verò successiuè: Secundus, an fiat continuè absque interruptione toto tempore vitæ.

ET quoad primum consequenter procedentes ad tradita de generatione dicimus nutritionem fieri in instanti: Sic S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 30. *artic.* 3. *quæst.* 2. *in argum. vltim.* vbi docet nutritionem fieri sicut generationem: sed generatio fit in instanti, licèt dispositiones sint successiuæ *ex lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corp.* ergo & nutritio.

CONFIRMATVR, quia ad introducendam formam corpoream requiritur determinata quantitas, & ablatio dispositionum contrariarum, quæ completur in vltimo instanti, sed tunc statim introducitur forma: ergo: tum quia anima informat omnes partes indiuisibiliter: ergo siue nutritio stat pro formæ corporeæ introductione, siue pro animatione, vtroque modo fit in instanti: sed vide, quæ à nobis tradita sunt *in tract. de generat.* in hac eadem quæstione.

OBIICIES cum P. Baudunio nostro, qui de more trahit ad contrariam Thomisticam opinionem Seraph. Doct. eo quod *lib.* 1. *dist.* 37. *quæst. vltim. fund.* 4. dicit omnem motum præter generationem esse successiuum (addit iste Author) sed nutritio est motus: ergo ad aures Seraph. Doct. fit successiuè: sed pace doctissimi viri debebat subdere: sed nutritio est generatio ex Seraph. Doct. *suprà cit.* est enim aggeneratio: ergo fit in instanti.

DICES nutritionem fieri priùs in vna parte, & posteà in aliam continuam: ergo fit successiuè.

RESPONDETVR fieri in parte determinata in vltimo instanti dispositionum introductarum, simulque disponi successiuè alteram continuam: inde tamen non sequi fieri introductionem formæ successiuè, vt diximus *in cit. quæstione* de generatione.

326. CIRCA secundam partem, scilicet an fiat continuè nutritio toto tempore vitæ: an verò habeat aliquam interpolationem.

PRIMÒ Aduertendum, quod hîc non quæritur, an nutritio, & augmentatio fiat in instanti, ita quod corpus fiat magnum, & secundùm omnes partes

Digitized by Google

partes restauratum subitò: nullus enim sanæ mentis id asserit: requiritur enim processus temporis, ad hoc vt viuens augeatur vsque ad magnitudinem determinatam, in quo sensu intelligendus est Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 16. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. vbi docet viuere hominis durare longo tempore: & idem *lib.* 3. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. sed quæritur, an in hoc tempore totius vitæ detur interpolatio in nutritione.

SECVNDÒ Aduertendum, quod est quæstio, an possit diu viuens durare sine alimento: Licetus *in opusc.* de his, quæ diu viuunt sine alimento *lib.* 1. & 3. ostendit eruditè plura animantia posse viuere diu sine alimento, & refert aliquos homines vixisse quadraginta annos sine cibo, & potu: Vt autem id sustineat, duplex alimentum admittit, scilicet remotum, & proximum: posseque aliquid viuere sine remoto tantùm, vel sine vtroque: sine remoto potest, si cibum actu non sumat: nutriatur tamen interius proximo alimento, scilicet pituita, & succo valdè viscoso, qui resistit calori naturali debili, ne citò consumatur, & tali modo sine cibo viuit Vrsa per quadraginta dies, & tunc valdè pinguescit: sic & Glires, qui per totam hyemem dormiunt, & valdè pingues fiunt: sic & Serpentes, Cocodrylli, Stelliones, Cycadæ, quæ per totam hyemem ieiunant: Cùm igitur calor naturalis sit debilis, nec possit succum illum viscosum concoquere, & immutare, in adipem, & pinguedinem conuertit; Alia verò viuentia sine vtroque alimento possunt ieiunare, ex hoc quia (ait ipse cum multis aliis) potest dari temperamentum ad pondus quoad virtualitatem, & resistiuitatem, ita quod calor nullatenùs poterit agere in frigus, hincque cessabit indigentia cibi ad restaurãdas partes deperditas. Et in nostra opinione etiã si non possit dari tale temperamentum ad pondus: dari potest tamen ad iustitiam, ita quod modicus sit excessus caloris supra humidum, & frigidum, vt parum agere valeat in ipsum: quo pacto poterit contrahi ieiunium per plures dies, donec superueniat indigentia notabilis cibi: Insuper poterit esse tam modica deperditio, quod sufficiat respiratio aëris vaporulenti, & humidi ambientis, vel ex sumptione aliquali aquæ, vel vini, vel similium: quæ doctrina tamen potiùs est vera Metaphysicè tantùm, quàm Physicè: est tamen ferè impossibile dari talem mixtionem sic attemperatam, vt possit impediri actiuitas caloris, & maximè in homine, qui tot mutationibus tum intrinsecis, tum extrinsecis est continuè subiectus. His positis

327. VNICA CONCLVSIO: Nutritio semper est necessaria ad vitam viuentis, licèt non implicet posse dari aliquam breuissimam interpolationem à tali actu.

PRIMA pars est S. Bonauent. *Op. Cemil. part.* 3. *sect.* 21. & communior cum Arist. 1. *de gen. t.* 41. & 2. *de an. t.* 40. contra Licetum citatum.

PROBATVR, quia viuere in actu dicit principium vitale actualiter operans: ergo viuere in actu vegetando, dicit potentiam actu operantem per nutritionem: tum quia calor naturalis est causa naturalis in actu: ergo semper operatur: ergo si cessabit nutritio, destruetur humidum radicale, & temperamentum mixto necessarium: & licèt Aliqui pro aliquo tempore abstinuerint à cibo, tamen in illis

nutritio non cessauit: tunc enim potentia nutritiua conuertebat in substantiam aliti alimentum proximum; & immediatum, scilicet sanguinem.

SECVNDA pars probatur: Potest dari aliquod impedimentum vel ex parte caloris naturalis vitalis debilitati ratione alicuius morbi: vel ex magna ciborum copia obstructi,& suffocati, ex quo oritur atrophia, & arefactio membrorum, quæ est infirmitas,& tabes,qua corpus non alitur cum destructione aliquarum partium, in quarum loco ob debilitatem virtutis aliæ non succedunt: vel si virtus operatur, id facit ita debiliter, & remissè, vt non possit alimentum perfectè disponere ad conuersionem: vel aliquando oritur ex parte alimenti inepti ad conuersionem.

CONFIRMATVR etiam: Quia ad conuersionem alimenti prærequiritur alteratio necessaria, quæ aliquando potest retardari, vel impediri.

DICES: Nutritio, seu eductio formæ partialis corporeitatis fit in instanti: ergo non potest continuè fieri: Probatur consequentia, quia sequeretur totum tempus componi per indiuisibilia.

RESPONDETVR, quod, vt dictum est, licèt conuersio fiat in instanti, tota tamen nutritio fit successiuè, nempè mutatio totius sanguinis in organo existentis: nam, vt notat S. Doct. *lib. 2. d. 30. art. 3. quæst. 2. & lib. 4. distinct. 44. part. 1. art. 1. quæst. 1.* Medici duplicem humiditatem recognoscunt in homine, seu animato, scilicet radicalem, seu complexionalem, in qua calor sustentificatur, & nutrimentalem, quæ præbet homini caloris fomentum, in quam humiditatem nutrimentalem alimentum conuertitur mediante opere nutritiuæ; hæc autem, prout in venis est, dicitur à Medicis humor, ab Aliis demensum: prout verò à venis ad membra deriuatur, dicitur humiditas, habetque tres gradus, cùm enim iam fibris incipit adhærere, dicitur ros, intrat enim in foraminibus paruarum venarum, deinde incipit dealbari, assimilatique parti,quæ nutrienda est, & dicitur cambium, & deinde actu substantiam reparat facta solidior, & dicitur gluten, quæ est de complexione membri consimilis, in quo est tertia species hecticæ, & hæc est successio, quæ continuè fit in nutritione.

328. QVÆRES: An nutritio fiat secundùm omnes viuentis partes.

RESPONDETVR nutritionem fieri secundùm omnes partes entitatiuas viuentis, sed ita quod primò crescunt partes homogeneæ: deinde heterogeneæ: ratio est, quia in omnibus partibus adest calor naturalis conuertens alimentum. Tum quia partes heterogeneæ constant homogeneis: ergo illæ crescunt, quia augmentum fit in istis. Modus autem, quo fit nutritio, sic explicatur: quia dantur in corpore pori, qui sunt foramina quædam, & cauitates existentes dispersæ per totum corpus, per quas egrediuntur sudor, & humores excrementitij, & in quos intrat aër: cùm autem in istis poris, qui sunt dispersi per totum corpus, & inter quos mediant partes, intret alimentum, quod administrant omnibus partibus corporis, & quod conuertitur in substantiam aliti, & si illi pori alimento non replentur, aliud corpus subintrat in ipsos, vt dictum est.

QVÆS

QVÆSTIO IV.

An viuens toto vitæ tempore idem numero permaneat.

329. RATIO dubitandi est, quia cum actione caloris naturalis duo fiant: Vnum est consumptio ex vna parte substantiæ propriæ corporis, quæ resoluta in vapores, & excrementa facit decrescere corpus: ex alia verò parte conuertitur alimentum in substantiam eiusdem viuentis, vt reparetur, quod erat amissum, & cùm istæ transmutationes toto tempore vitæ fiant, iam non videtur ad finem vitæ permanere vlla pars earum, quam habuit viuens in principio vitæ, quod maximè vrget in aliis viuentibus ab homine, in quibus ex opinione Aduersatiorum mutatio fit & secundùm animam, & secundùm corpus: in homine verò fit tantùm secundùm corpus: mutatis autem partibus substantialibus ex parte formæ, & materiæ mutatur substantia rei; Hinc meritò quæritur, an maneat identitas viuentis toto tempore vitæ.

IN qua conueniũnt omnes Philosophi remanere idem viuens numero: & patet experientia: nam videmus senes recordari eorum, quæ in adolescentia euenerunt, eadem accidentia verbi gratiâ, cicatrices, neruos, &c. permanere. Tum quia alioquin nutritio non esset aggeneratio, sed generatio totalis. Tum quia Christus idem numero fuit semper: sed difficultas est in modo assignandi talem identitatem.

PRIMA Opinio est desumentium identitatem in viuente per æquiualentiam, eo quia longo tractu temporis succedunt ad inuicem partes nouæ: attamen secundùm æquiualentiam dicitur idem numero, eo modo quo dicitur idem flumen esse, licèt aqua succedat aquæ: Quæ positio tamen non saluat veram identitatem viuentis: sed tantùm similitudinem vnius indiuidui ad aliud, vt contingit in aqua fluminis: Hæc opinio est plurium Scotistarum, & Thomistarum.

SECVNDA Opinio docet identitatem desumi ex eadem forma, temperamento, & continuatione partium, licèt materia mutetur: Sic Zabar. Ægidius, Aliique, quæ positio tamen non est melior antecedente eo, quia vera identitas desumitur ex eadem materia, & forma, siue ex principiis componentibus: Sic Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4.

TERTIA Opinio est Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. & *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. & Alex. Alensis, Pluriumque Aliorum desumentium identitatem viuentis ex permanentia partium secundùm formam, scilicet quæ sunt de constitutione prima ipsius, licèt mutentur partes, quæ dicuntur caro secundùm materiam. Pro intelligentia

330. PRIMÒ Supponendum, quod suprà traditum est, nempè in viuente adesse partes secundùm formam, & secundùm materiam: primæ sunt de prima, & essentiali constitutione viuentis, suntque partes solidæ, & consistentes ossa, nerui, arteriæ, cartilagines, & caro magis solida, & siccior, & quæ habent vim in se conuertendi alimentum; secundæ

dæ ſunt, quæ ſuperadduntur per nutritionem, & quæ fluunt, & refluunt.

Secundò Supponendum ex ſuprà traditis omnem animam eſſe indiuiſibilem, obidque ſemper remanere vſque ad mortem in viuente.

Tertiò Supponendum ex Seraph. Doct. *lib*. 4. *diſt*. 43. *art*. 1. *quæſt*. 4. *fund*. 3. & *in corp*. quod identitas rei venit ex identitate principiorum ſubſtantialium vnitorum.

331. Vnica Conclusio: Viuens per totum tempus vitæ remanet idem omninò numero per continuationem immediatam cum partibus primigeneis, & quæ ſunt de prima conſtitutione viuentis: Eſt S. Bonau. *cit*.

Probatur: Quia iſtæ partes ſunt ſolidæ duriores, & ſicciores: ergo ſi in ipſas agit calor naturalis, non poteſt eas conſumere, ergo remanent ſemper.

Probatur antecedens: quia experientia patet, quod dum à natiuitate ſunt teneriores, ſucceſſu temporis fiunt duriores: ergo ſignum eſt non abſumi, ſed perſeuerare: Hinc ſubdit Seraph. Doct. *lib*. 2. *diſt*. 30. *art*. 3. *quæſt*. 2. quod, qui laborant tertia ſpecie hecticæ, quia hæc conſumit humidum radicale, ideò moriuntur.

Dices calorem vitalem conſumere etiam humidum radicale ex Seraph. Doct. *lib*. 4. *diſt*. 43. *cit*. nec eſt maior ratio, quod agat in carnem ſecundùm materiam, quàm ſecundùm formam: ergo non idem numero, &c.

Respondetur concedendo fieri aliquam conſumptionem, ſed non totalem, nec partium ſolidarum: vnde cùm remaneant principaliores partes, & eadem anima: Hinc &c.

Dices ſecundò. Humidum eſt qualitas: ergo ſubiacet actioni caloris naturalis, poteſtque ab eo conſumi.

Respondetur ex S. Doct. quod humidum radicale dicit ipſam ſubſtantiam cum qualitate complexionali, in quod humidum, licèt aliqualiter agat calor naturalis, tamen ipſum totaliter non abſumit, nec abſumere poteſt, vt dictum eſt.

Dicimus igitur, quod dum viuens incipit nutriri, firmantur aliquæ partes primò habitæ à natiuitate, oſſa ſcilicet, nerui, arteriæ, cartilagines, & nouæ adduntur, quibus priores extenduntur: Ex nouis deinde conſumit calor vitalis humidiores, ſicut etiam ex primigeneis idem calor incipit humidiores pariter conſumere, & ſicut ex primis relinquuntur duriores, ita ex nouiter additis ſolidiores & duriores relinquit pro augmento viuentis: Idemque dicendum de carne, quæ licèt ob exuberantiam humiditatis inſeruiat magis pro pabulo caloris: aliquæ tamen partes ipſius ſemper permanent tam ex primò habitis, quàm ex nouo additis per nutritionem: Exemplum habemus de igne, qui per calorem depaſcitur lignis, relinquendo tamen cyneres tanquam partes ſicciores minimè aptas ad ſui nutritionem.

Hinc ſequitur, quod loquendo de identitate indiuiduali ſit idem viuens numero pro toto tempore vitæ, cùm ſemper remaneant eadem principia eſſentialia, anima ſcilicet, & materia corporea: licèt in toto rigore quoad identitatem integralem non ſit idem numero: quam identitatem veram difficilè poſſunt defendere

dere Aduersarij, qui tenent diuisibilitatem animæ sensitiuæ, & vegetantis, cùm semper noua, & noua forma (ex ipsorum sententia) adueniat in continua nutritione.

Adfervnt Aduersarij varias obiectiones desumptas tum ex fluxu partium viuentis, tum ex mutatione complexionis, & temperamenti, tum ex actiuitate caloris, quæ tamen nullo modo infirmant nostram Conclusionem, & fundamenta desumpta ex indiuisibilitate animarum, & ex permanentia carnis, seu partium secundùm formam.

Dices: Quia si est vera nostra Conclusio, sequitur, quod nunquam mors poterit euenire, cùm illud humidum radicale nunquam possit consumi.

Respondetvr negando sequelam: mors enim naturaliter adueniens est ex pugna qualitatum elementarium, ex qua oritur complexio inæqualis, & inordinata, & ab hac calor consumens partem humidi radicalis, & quia non per quodcunque alimentum potest reparari: ideò deficiente alimento, & virtute conuersiua, hinc necessariò sequitur Mors. Sic Seraph. Doct. *lib.4.dist.49. part. 2. art. 4. quæst.1. & lib.2.dist.19. art. 3. quæst.1. in corp.* Hinc concluditur mortem euenire naturaliter ex defectu alimenti.

Addimvs triplicem statum in viuente communiter recognosci: Primus dicitur incrementi: Secundus consistentiæ: Tertius decrementi: de quibus infrà agetur in quæstione sequenti.

QVÆSTIO V.

De Augmentatione, seu Accretione quid sit, & quomodò fiat: & an potentia augmentatiua differat à nutritiua.

332. Svpra in tractatu tertio *quæst.* 1. notauimus potentiam nutritiuam esse eandem formaliter cum augmentatiua, hucque remisimus huius assertionis probationes, vbi de augmentatione ex professo agitur: Hinc, vt omnia reddantur clara

Primò Supponendum ex S. Bonauent. *lib.2.dist. 27. art. 2. q. 2.* dari plures modos augmentationis, sed ad rem nostram hîc tantùm sumimus augmentationem pro additione rei quantæ ad rem quantam, per quam aliquid fit maius: Et hæc dupliciter potest euenire, scilicet vel per iuxtapositionem ab extrinseco: vel per intus sumptionem ab intrinseco per nutritionem: de qua duplici augmentatione suprà satis dictum est ex S. Doct. *lib.1. dist.17. part.2. art. 1. q. 2. ad vltim.* & de hac vltima vitali procedit quæstio, nempè an differat à potentia nutritiua, & quid sit, & qualiter fiat secundùm omnes partes viuentis. Et circa primam partem varia sunt Philosophorum placita, vt videre est apud P.Gallic. *lib.3. tr.3.q.2.de Nutrit.* Ruu. Mastr. &c. nam Aliqui volunt augmentationem essentialiter distingui à nutritione, eo quia augmentatio formaliter terminatur ad quantitatem, nutritio ad substantiam, pro qua sententia malè, vel saltem inadæquatè citatur à P. Gallicio Seraph. Doct. Alij negant distingui

Digitized by Google

ſtingui vllo modo à parte rei, & hæc opinio eſt S. Doct. vt mox patebit.

Circa alteram partem tituli quæſtionis, in quonam conſiſtat formaliter augmentatio, eſt etiam multiplex opinio apud Morandum *de an. lib.2. tr.2. q.5.* quia enim in augmentatione concurrunt diſtenſio partium viuentis, receptio ſanguinis alimentitij in poris, & conuerſio ipſius in ſubſtantiam aliti. Aliqui dicunt formaliter conſiſtere in illa extenſione noua, & acquiſitione quantitatis. Alij in conuerſione alimenti, &c. Hinc pro ſolutione quæſtionis, & explicatione ſenſus Seraphici

333. Primò Notandum, quod augmentatio vitalis per id differt à non vitali, quod iſta fit per iuxtapoſitionem, illa per intus ſumptionem: quod dictum tamen commune indiget explicatione, cùm in qualibet augmentatione interueniat nouæ rei iuxtapoſitio: Hinc Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* acutè optimè explicat hoc diſcrimen, dicens, quod contingit fieri augmentationem per virtutem extrinſecam poſſibilitate ſola, & vnibilitate exiſtente in priori quantitate augmentabili, & tunc augmentabile, quia imperfectum eſt, ſe habet in ratione paſſiui, & augmentans, ſcilicet noua quantitas ſuperaddita, quia eſt perficiens, ſe habet in ratione formalis, & completiui, quia dat quantitatem perfectam. E contra in augmentatione vitali, quia hæc fit per virtutem intrinſecam (id eſt per potentiam vegetatiuam medio calore naturali) augmentabile ſe habet in ratione formalis, & actiui, augmentans in ratione paſſiui, & materialis; differunt ex conſequenti, quod in prima augmentatione ſolùm interuenit vnio nouæ quantitatis, ſeu ſubſtantiæ cum priori: In ſecunda verò interuenit & vnio, & conuerſio, & viuificatio: Hinc patet, quod illa poſitio per iuxtapoſitionem, & per intus ſumptionem abſque hac Seraph. Doctoris doctrina non ſatis explicat diſcrimen inter vtranque. Vt autem rectiùs intelligatur.

334. Secundò Notandum, quod ad augmentationem vitalem tria neceſſariò concurrunt: primò diſtenſio quædam omnium partium corporis ſecundùm omnem dimenſionem: ex qua dilatatione fit, vt pori earundem partium (omnes enim viuentis partes ſunt poroſæ, ita quod inter porum vnum, & alium intercedit aliqua pars ſubſtantiæ viuentis) magis dilatentur, fiuntque capaciores ad recipiendum plus alimenti: Secundò quia per virtutem attractiuam à venulis capillaribus, quæ ab hepate per totum corpus diſtenduntur, & quæ deſinunt in poros, attrahitur à viuente, vel quidam humor à terra in ſolis vegetantibus, vel in animantibus ſanguis, ſicque fit ingeſtio illius materiæ, vel ſanguinis in illis poris: ibi enim alteratur, decollatur, & dicitur ex Seraph. Doct. *lib.*4. *diſt.* 44. *art.*1. *quæſt.* 1. ros, humiditas nutrimentalis. Tertiò poſt iſtas mutationes fit conuerſio alimenti illius maioris alimenti in ſubſtantiam ipſius aliti, & dicitur gluten, vniturque ipſi alito: Hinc diſquirunt, in quanam ex his tribus mutationibus conſiſtat formaliter augmentatio: ex qua doctrina ſequitur, quod in viuente omnes partes dicuntur augeri, ſed non eodem modo: nam aliquæ immediatè augentur, aliæ mediatè per iuxtapoſitionem, vt mox dicetur.

Tertiò

Tertiò Notandum ex S. Bonau. *lib. 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 3.* quod motus augmenti, si sumitur, provt præcisè dicit augmentum, ipsius terminus formalis est quantitas perfecta: provt verò est tale augmentum, scilicet propriè sumptum in corporalibus, necessariò fert secum additionem substantiæ cum quantitate; ideò terminans ad quantitatem terminat simul necessariò ad substantiam: cùm autem augmentatio vitalis sit in substantia, hinc ambos terminos includit, scilicet quantitatem, provt est augmentum vt sic, & substantiam, provt est substantialis: His positis

335. Prima Conclvsio: Augmentatio vitalis formaliter consistit in acquisitione substantiæ quantæ maioris, seu in actione, qua ipsi viuenti additur maior substantia quanta, quàm sit illa, quæ per actionem caloris naturalis fuerat deperdita: Est S. Bonauent. suprà *cit.* qui hæc duo connectit in termino augmentationis, scilicet quantitatem, & substantiam, scilicet substantiam vt quantam, siue vt maiorem: est & Marsil. Albert. de Sax. Serbell. *de gen. disputat. 2. articul. 3.* Pluriumque.

Probatvr primò à confutatione aliarum Sententiarum: Augmentatio formaliter sumpta est illa, per quam viuens debet fieri maius simpliciter, sed per distensionem partium corporis, siue per rarefactionem non fit maius simpliciter, cùm per talem distensionem non acquiratur noua quantitas, vel substantia, vt probatum est suo loco *in tract. de gener.* ergo.

Vnde patet, quod licèt rarefactio præquiratur ad augmentationem: non tamen in ea consistit formaliter.

Probatvr secundò non consistere in ingestione, & admissione maioris alimenti in poros: Quia augeri per nutritionem est alimentum ex dissimili fieri simile augmentato actione ipsius viuentis, sed per ingestionem non fit simile: est enim actio prærequisita tantùm. Tum quia est mera iuxtapositio hæc ingestio, & admissio: ergo. Tum quia adhuc illud alimentum non est animatum: ergo non facit viuens maius.

Probatvr tertiò non consistere præcisè in acquisitione maioris quantitatis: Quia etiam in Multorum Sententia per rarefactionem acquiritur noua quantitas, & tamen non est propriè augmentatio. Tum quia potest fieri acquisitio nouæ quantitatis saltem per absolutam Dei potentiam absque nutritione, & augmentatione vitali: ergo.

Probatvr quartò directè consistere in acquisitione nouæ substantiæ vt quantæ: nam in hac habetur conceptus proprius, & formalis augmentationis vitalis.

Probatvr assumptum: Augmentatio est illa, per quam viuens fit simpliciter maius, sed per acquisitionem substantiæ quantæ fit maius ipsum viuens. Tum quia per substantiam nouam quantum occupat viuens maiorem locum. Tum quia si consisteret formaliter in quantitate, fieret viuens maius tantùm accidentaliter, non substantialiter: ergo.

336. Obiicies primò ex Arist. Augmentatio est motus ad quantitatem: ergo non ad substantiam.

Respondetvr esse motum ad quantitatem non vt sic, sed substantificatam, idest ad substantiam quan-

Digitized by Google

tam, & maximè loquendo de augmentatione vitali; nam de non vitali potest concedi antecedens.

Obiicies secundò: Terminus formalis per se intentus à natura est maior quantitas præcisè, & formaliter: ergo falsa Conclusio.

Respondetur negando antecedens: nam terminus per se intentus à natura in nutritione augmentatiua est maior substantia, sed quia cum ipsa comproducitur quantitas: immo vt consequenter ad nostra principia Seraphica loquamur, cùm quantitas incompleta sit cooëua materiæ corporeæ, ad positionem partium nouarum substantiæ consequitur necessariò quantitas completa: hinc in augmentatione vitali primariò intenditur substantia, & secundariò quantitas: licèt si sumatur augmentatio, vt est motus accidentalis præscindens à vitali, & non vitali, primariò intendatur quantitas: at in augmentatione vitali intenditur quidem quantitas, sed ratione nouæ substantiæ.

Dices: Hæc vitalis augmentatio fit in omnibus partibus corporis viuentis: ergo in qualibet augmentatione viuens fiet duplo maius secundùm omnem dimensionem, quod repugnat rationi, & experientiæ: quia Pueri secundùm communem in primo lustro medietatem staturæ habent, quàm in tota vita obtinebunt, & secundùm Galenum in fine secundi anni, &c.

Probatur sequela: Quia cùm admittamus compositionem continui ex minimis Physicis (ex traditis in Physica *in lib. 3.*) ergo si omnes partes viuentis accrescere debent, etiam talia minima, sicque non potest fieri augmentum horum minimorum, nisi fiat additio alterius minimi, sicque sequitur viuens fieri duplo maius, sed id est contra rationem, cùm inter vnum porum, & alium mediet pars non habens poros: ergo vbi non sunt pori, non potest fieri additio talis: alioquin daretur penetratio alimenti in illis partibus carnis: ergo nec fiet per intus sumptionem.

Respondet Serbellonus *n. 28.* augeri omnes partes, sed non eodem modo, vt suprà dictum est in 1. *Notab.* ibi enim notauimus augeri per intus sumptionem, & extrapositionem non esse differentias augmentationis vitalis, & non vitalis, sed differunt ex principio intrinseco vitali, & extrinseco: Vnde augmentatio proximè fit per susceptionem alimenti in poris, in quibus deinde vnitur partibus circumiacentibus, quæ partes augmentabiles sunt non indiuisibiles, sed diuisibiles, & quantæ per vnionem quantitatis diuisibilis alimenti: nam quodlibet agens naturale requirit determinatum subiectum in extensione, & præcipuè cùm illius actio dependeat à certis instrumentis, & organis, quæ immediatè non coalescunt ex minimis Physicis, sed ex partibus extensis, licèt posteà sint diuisibiles, & resolubiles in partes minimas Physicas tanquam in prima componentia: hinc negatur sequela. Ad probationem respondetur augeri quidem minima illa Physica, sed non immediatè, sed mediatè tantùm: sed immediatè augentur partes, verbi gratiâ, caro, nerui, ossa, arteriæ, cartilagines, &c. Quæ per virtutem intrinsecam viuentis augeri possunt per iuxtapositionem, scilicet ex vno latere, & tunc aliæ partes, & etiam minima dicuntur

tur

tur consequenter auctæ, & si augentur per susceptionem alimenti intra poros, dicuntur augeri per intus sumptionem, sed tamen non immediatè secundùm omnes partes eo modo, quo numerus additus alteri numero dicitur totus augeri.

Dices: Ergo nullum est discrimen inter augmentum viuentium, & non viuentium: cùm ambo possint augeri per iuxtapositionem.

Respondetur ex doctrina Seraphica tradita *ex lib. 1. dist. 17.* negando sequelam: & ratio est, quia discrimen est, quod non viuentia augentur quidem per iuxtapositionem, sed à virtute extrinseca: ita quod siue mediatè, siue immediatè non viuens dicitur auctum solùm per iuxtapositionem. At in viuentibus licèt aliquando fiat per iuxtapositionem: fit tamen à principio intrinseco recipiente alimentum in se, & distribuente alimentum partibus componentibus, quibus ipsum conuersum in substantiam aliti vnitur vitaliter: vnde licèt in partibus non porosis alimentum non recipiatur intrinsecus à viuente, tamen ita recipitur, quod respectu totius, quod augeri dicitur, augmentatio fiat per intus susceptionem, quamuis immediatè ipsis partibus fiat per iuxtapositionem: vnde mediatè fit per intus sumptionem. Aduertendum etiam hîc est cum citato Serbellon. & communi, quod non eodem modo augentur partes: nam molliores, & humidiores faciliùs augentur, & minuuntur, cùm magis porosæ sint, & faciliùs dilatari valeant ad recipiendum alimentum, & etiam contrahi, & consumi à calore vitali: duriores verò magis resistunt actioni caloris vitalis: & ideò etiam minùs consumuntur, pauciores etiam poros continent, vt minùs de alimento in se recipiant.

Addimus idem proportionaliter dicendum esse de diminutione, quæ est ad minorem substantiam cum hoc discrimine, vt aliàs dictum est, quod diminutio propriè terminat ad non esse alicuius quantitatis præhabitæ cum coniunctione quantitatis minoris: vnde differunt augmentatio, & diminutio specie negatiua.

337. Secunda Conclusio: Potentia nutritiua, & augmentatiua non differunt realiter, nec formaliter, sed tantùm virtualiter: Est communior, & conformior principiis Seraphicis, vt dictum est *in tract. 3. quæst. 1.* & infertur *ex lib. 1. dist. 17. part. 2. quæst. 1. in 3. Notab. suprà tradito* de mente Seraph. Doct.

Probatur etiam: Quia Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 11. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 3. & in Comp. Theol. lib. 2. cap. 33. & Centil. part. 3. sect. 22.* reducit ad duo capita tantùm potentias vegetatiuæ ad generare, & nutrire: & in *Centil. part. 3. sect. 21.* docet nutritiuam potentiam habere duos actus, scilicet nutrire, & augmentare.

Probatur ratione: Quando est idem modus operandi, & idem obiectum, est eadem potentia formaliter, & entitatiuè: sed nutritiua, & augmentatiua sunt huiusmodi: ergo.

Probatur Minor: Quia vtraque habet pro obiecto conuersionem alimenti in substantiam aliti, & restaurationem substantiæ deperditæ, siue sit maioris, siue minoris quantitatis: ergo si differunt, differunt tantùm per accidens, & respectu magis, & minùs. Tum quia per eadem orga-

na, & instrumenta, & in iisdem partibus fit nutritio, & augmentatio. Tum quia potentia nutritiua solùm per accidens non auget: nam dato, quod per calorem naturalem non deperderentur partes viuentis, per nutritionem augerentur: ergo sunt idem formaliter. Tum quia etiam nutritio semper auget viuens: restaurat enim, quod priùs est deperditum: ergo semper facit maius: vnde solùm denominatiuè distinguuntur, & per effectus secundarios, scilicet dilatationem partium, quæ priùs erant, & motum localem earundem: cùm enim per intussusceptionem substantiæ quantæ maioris, ac fuerunt partes deperditæ, necessariò partes, quæ manent ad inuicem, dilatentur, & maiorem locum acquirant, ideò secundariò ad augmentationem tales effectus sequuntur: non verò ad nutritionem.

Obiicies: Nutritio terminat ad substantiam, augmentatio ad quantitatem: ergo sunt differentes realiter: Confirmatur, quia sunt separabiles ab inuicem: nam augmentatio habet finem ex S. Bonau. *in Centil. loc. cit.* nutritio verò nequaquam: ergo.

Respondetvr, vt suprà, concedendo antecedens de augmentatione non viuentium: negando de in viuentibus.

Respondetvr secundò vtranque terminare ad quantitatem per accidens, & per se ad substantiam vt quantam, & differre per magis, & minus: Ad Confirmationem respondetur effectus esse separabiles: sed quia ab eadem potentia proueniunt, hinc negatur consequentia: Addimus cessare augmentum per accidens, ex eo quod viuens redactum est ad statum limitatum, licèt remaneat potentia: tum etiam quia semper nutritiua auget, vt dictum est.

Dices Seraph. Doct. aliquando enumerare tres potentias, scilicet generatiuam, nutritiuam, & augmentatiuam.

Respondetvr id fieri ob diuersos actus, non quia sint diuersæ potentiæ, vt se explicat *in Centil. cit.*

358. Tertia Conclvsio: Corpora viuentia quantum ad virtutem nutritiuam, & augmentatiuam triplicem statum habent: Est communis, & explicatur, probaturque

Primvs status est incrementi, estque à principio vitæ vsque ad finem tertij septenij secundùm D. Thomam: secundùm Alios vsque ad vigintiquinque annos: secundus dicitur status consistentiæ, & incipit *ab anno 21. vel 25. vsque ad 35. vel 40. annos.* Tertius dicitur status diminutionis, seu decrementi, & durat à termino consistentiæ vsque ad finem vitæ: Ratio primi status desumitur communiter ex hoc, quod calor vitalis plus addit de nutrimenti substantia, quàm destruat de viuente: In secundo statu cùm remissior sit calor, tantùm vnit de alimento, quantùm de substantia viuentis deperdit: In tertio diminuitur calor successiuè ob defectum humidi radicalis, & inualidus redditur ad tantundem substantiæ alimenti conuertendum: quæ ratio patitur plures difficultates, vt rectè notat Serbellon. *cit. num.* 34. si enim validior est calor in primo statu, quàm in secundo eo, quia crescit viuens in illo tantùm, multò validior debet esse idem calor vitalis à principio vitæ vsque ad terminum primi lustri, quàm ab hoc termino vsque ad

Digitized by Google

ad vigesimum primum annum: quia in quinto anno infans habet medietatem longitudinis, quàm habere potest vsque ad vigesimum primum annum: ergo si est idem effectus in minori tempore, fortior arguitur causa supra illam, quæ similem effectum habet, sed longiori tempore. Præterea crescunt vires semper plus, quò crescit ætas in infantibus vsque ad statum virilitatis, & in statum consistentiæ consistunt & ipsæ, ita vt fortior sit homo in operationibus, quàm esset in adolescentia, & iuuentute: ergo & fortior erit calor vitalis. Tum quia & tunc alimento fortiori indiget, quàm in iuuentute: ergo & validior erit calor vitalis, qui omnibus potentiis facultatem præbet, & virtutem, & vt magis alteretur alimentum, vt conuertatur in substantiam aliti. Tum quia in ætate virili fit impinguatio, quæ est vera actio nutrimentalis: ergo & exigit validiorem calorem: Hinc dicendum cum eodem Sebellon. & Guarino *exp.* 12. Aliisque quod in prima ætate, seu statu viuens magis augetur ratione dispositionum, nempè quia partes sunt molliores, teneriores, magisque porosæ tam secundùm latitudinem, quàm secundùm multitudinem pororum, & hoc magis etiam in primo lustro: ideò etiam indigent maiori copia alimenti, quæ dispersa per omnes partes eas auget; cùm autem indurescunt in secundo statu, nec ampliùs extenduntur, hinc datur status consistentiæ, & quia in hoc secundo statu fit impinguatio, hæc euenit ob mollitiem carnis, in qua fit augmentum secundùm latitudinem, & profunditatem consistentibus in suo esse partibus durioribus, verbi gratiâ, ossibus, cartilaginibus, &c. Cùm autem corpus iam auctum sit per omnem partem, ob quam dilatationem dilatatur etiam virtus nutritiua, tunc humidum radicale incipit deficere: ex quo sequitur, quod pori non ampliùs dilatentur, virtusque non sit sufficiens, & hinc deuastationem caloris naturalis non possit reparare: apertis enim plurimis poris, quos opplere non potest, carnes concidunt, se corrugant, & contrahunt, & hinc sequitur decrementum viuentis.

339. QVÆRES: Cur animalia priùs augeantur secundùm longitudinem, quàm secundùm crassitiem.

RESPONDENT Zabar *de accresc. cap.* 4. & Guarin. *exp.* 12. prouenire ab augmento ossium, quæ vtpotè longa poros habent oblongos. Vnde magis capiunt secundùm longitudinem, quàm latitudinem, & ob id secundùm eam magis augentur: Partes verò carneæ ab ossibus crescentibus distractæ, vtpotè cedentes in longitudinem se deducunt: at cùm ossa firmata sunt, & impediente duritie suos poros aperire ampliùs nequeunt, fit, vt ipsæ partes carneæ, vtpotè mollioris naturæ, & adhuc cedentes, vt priùs crescant non secundùm longitudinem, sed in latitudinem: Si verò non possint ob consistentiam suos aperire, & adhuc bonum nutrimentum sit, animal crescit pinguedine. Addimus etiam, quod ideò aquatilia, & humidiora magis crescunt, quàm terrestria, & aërea: quia nutritiua est validior in humida complexione, & ideò aquatilia magis crescunt terrestribus, terrestria volatilibus.

340. QVÆRES secundò: Quænam sint ætates hominis.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. in

in Comp. Theol. lib. 2. cap. 10. & in Serm. 15. Hexaëm. & lib. 4. distinct. 40. dub. 3. ætatem hominum esse periodum, seu spatium, in quo insitum temperamentum viuentis per se euidentem subit mutationem: Sex autem assignantur ætates hominis, scilicet infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, senectus, & decrepitas: ab Aliis ad septem capita: nam iuuentutem à virilitate distinguunt: Prima dicitur infantia, estque ad sextum, vel septimum annum, in qua homo dicitur infans, idest non fans, & dicitur etiam lunaris ob prædominium humiditatis, cuius præcipua causa est Luna: Secunda pueritia à puritate *vsque ad 15. annum*, & dicitur mercurialis, quia tunc homines incipiãt discurrere, & scientias addiscere: Tertia dicitur adolescentia *vsque ad 21. vel 25. annum*, & dicitur venerea, quia tunc homo fit aptus generationi: Quarta dicitur Iuuentus *vsque ad 35. vel 40. annum*, & dicitur Solaris, quia tunc regnat floriditas, ætatisque perfectio, quæ est media, sicut Sol medius est inter Planetas. Quinta dicitur virilitas *vsque ad 50. annum*, & dicitur Martialis: Mars enim est planeta calidus, & siccus faciens ad robur: Sexta senectus *vsque ad 65. annum*, & dicitur Iouialis, quia Ioui subiicitur ob grauitatem, prudentiam, & præeminentiam: Septima *vsque ad finem vitæ*, & dicitur Saturnina, quæ est frigida, sicca, pigra, tristis, & valdè imperfecta.

341. QVÆRES tertiò: An necessitas moriendi sit ab intrinseco, an ab extrinseco.

RESPONDETVR esse ab intrinseco, scilicet à pugna elementorum: Ignis enim agit in alimentum, & humidum radicale: oritur enim talis necessitas moriendi ex hoc, quod omne agens in agendo repatitur, & debilitatur: hincque sequitur non posse processu temporis tantùm alimentum conuertere, quantum deperditur, & consequenter etiam consumit humidum reddens partes ficciores, & duriores non valentes ad pristinam redire humiditatem, & hinc reducitur ad talem deficientiam humidi, quod non potest ampliùs anima informare corpus, cùm determinatam habeat latitudinem.

ADDIMVS ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 19. art. 2. quæst. 1.* quod tripliciter mors potest contingere, vel per elementorum pugnam, & dissolutionem, vel per humidi consumptionem, vel per extrinsecam Læsionem, secundum tamen sequitur ex primò modo suprà dicto Vide *ibid.* Seraph. Doct. hæc fusè tractantem.

PARS



PARS SECVNDA.

De Anima sensitiua, eiusque potentiis.

EXPENDIMVS, quæ ad animam in communi, & in particulari, quæ ad vegetatiuam spectant in prima parte: nunc in hac secunda ordo doctrinæ postulat ab Arist. seruatus, vt de anima sensitiua, eiusque potentiis agamus, diuidendo hanc secundam partem in plures Tractatus secundùm diuersitatem potentiarum, aduertendo, quod hîc non subiicio Textum Seraphicum, vt facilimè poteram, ex hoc quia eundem sparsim affero in quæstionibus, vt quisque facilè potest videre: vnde maioris breuitatis causa, & ne actum agam, ipsum omitto.



TRACTATVS I.

De Anima sensitiua, eiusque potentiis in communi.

IN hoc Tractatu primò explicabimus ad mentem Seraph. Doct. quid sit anima, & potentia sensitiua: secundò, quænam sint eius potentiæ: tertiò, quænam sint ipsarum concausæ in actibus cognitiuis, quæ sunt species sensibiles: vbi de ipsarum necessitate, natura, effectibus, origine, & causis.

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit anima sensitiua, & quot ipsius potentiæ.

342. SVPRA assignauimus discrimen inter tres animas vegetantem, sentientem, & ratiotinantem: diximus enim sensitiuam animam differre à vegetante per hoc, quod sensitiua operatur absque vlla cognitione: sensitiua verò cognitiuo, & intentionali modo, obidque est principium sentiendi, & cognoscendi absque libertate tamen: Seraph. verò Doct. aliis terminis explicat hoc discrimen dicens *lib.*2. *dist.*8. *part.*1. *art.*3. *quæst.*2. quod anima sensitiua est actus, & perfectio corporis exercens operationes in corpus, cum corpore, & per corpus: exercet in corpus, quia ipsum informat, & viuificat, cum corpore, quia dependet in operari à corpore, & per corpus, quia mediantibus organis exit in actus suos, & tendit in obiectum: per primum actum conuenit cum cæteris animabus: per secundum conuenit cum vegetante, & disconuenit à rationali: & per tertium disconuenit à vegetatiua anima, quia non habet vim cognitiuam, nec appetitiuam sensitiuam, quæ exigant organa ad exeundum in suos actus: Et hæc quoad primam partem Quæstionis.

QVOAD secundam partem de numero potentiarum animæ sensitiuæ: Communiter tres species assignantur potentiarum: suntque sensitiua cognoscitiua, sensitiua appetitiua, & loco motiua, quæ singulæ in alias subdiuiduntur: Seraph. Doct. verò duas tantùm species recognoscit: Hinc

343. PRIMA CONCLVSIO: Duæ tantùm species potentiarum sensitiuarum dantur: Sic Seraph. Doct. in Centil. *part.*3. *sect.*21. & in Breuil. *lib.*2. *cap.*9. & in Comp. Theol. *lib.*2. *cap.* 34. apprehensiua, seu cognoscitiua, & appetitiua, seu motiua: appetitiuam enim, & motiuam pro vna tantùm accipit.

PROBATVR: Quia potentiæ specificantur per ordinem ad actus, & ad obiecta, vt suprà dictum est: potentia autem sensitiua tendit in obiectum duplici modo tantùm diuerso: ergo.

PROBATVR Min. vel enim tendit in obiectum per organum, scilicet operatur per corporeum organum modo cognitiuo, siue per modum conuertentis in se obiectum, vel per modum inclinationis, tendentiæque absque cognitione in obiectum: primo modo tendunt potentiæ apprehensiuæ siue internæ, siue externæ: secundo modo sic est potentia motiua: ex appetitu enim oritur motus, & tendentia localis in obiectum, & quia istæ duæ potentiæ habent diuersa munera, ideò & multiplicem subdiuisionem admittunt.

DICES: Potest dari appetitiuæ vsus absque eo, quod succedat motus aliquis: ergo differunt appetitiua, & motiua.

RESPONDETVR distinguendo antecedens: potest dari appetitus absque motu vero, vel improprio, qualis est tendentia intentionalis in obiectum, nego: absque motu Physico, concedo: sic negatur consequentia. Tum etiam quia etiam si posset

posset dari absque actu exercito appetitus, hinc tamen non inferri debet esse duo principia, à quibus deriuantur appetitio, & motio, quia idem principium potest exercere plures actus, vt patet in cæteris potentiis.

344. SECVNDA CONCLVSIO: Apprehensiua potentia posteà diuiditur secundùm varia munera, & actus, scilicet in apprehensiuam deforis, & deintus, siue in internam, & externam.

PROBATVR: Quia anima sensitiua est perfectio, & motor corporis indiget organis, ad hoc vt exeat in actus suos: Sed ista sunt partim externa, & partim interna, vt de se patet, & probat Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 8. part. 1. art. 3. quæst. 2. & lib. 2. distinct. 34. part. 1. art. 2. quæst. 4. in opin. vlt. in corp. & lib. 3. distinct. 13. dub. 1. & in op. de reduc. artium*, & in Centil. *lib. 3. sect. 21.* & in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 34.* ergo & actus ipsius potentiæ apprehensiuæ diuiduntur in eadem duo genera. Potentia apprehensiua deforis, siue externa posteà diuiditur in quinque sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: Interna diuiditur in tres potentias, seu sensus secundùm tres cerebri cellulas, vel in quatuor, vel in quinque, vel in sex: vel est vna tantùm secundùm varias opiniones DD. de quibus infrà suo loco: suntque sensus communis, imaginatiua, phantasia, æstimatiua, memoria, & iudicatiua, quarum natura suo loco examinabitur. Appetitiua potentia verò, quæ à Seraph. Doct. dicitur & motiua, est enim principium imperatiuum omnis motus, diuiditur communiter in naturalem, & cognoscitiuam: hæc secunda est, quæ spectat magis propriè ad animam sensitiuam, hæcque diuiditur in motiuam corporaliter, & in motiuam spiritualiter: prima subdiuiditur in naturalem, quæ residet in hepate, in animalem, quæ residet in cerebro, & in vitalem residentem in corde: Prima mouet humores per spiritus naturales mediantibus arteriis, & venis, quæ radicantur in hepate: Secunda mouet membra per spiritus animales mediantibus neruis, quæ radicantur in cerebro: & Tertia mouet pulsus per spiritus vitales mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde. Motiua spiritualiter diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem: si enim per modum fugæ, est irascibilis: si per modum amoris, est concupiscibilis. His suppositis primò agendum est de potentiis cognoscitiuis, deinde de motiuis.

QVÆSTIO II.

An potentiæ sensitiuæ sint merè passiuæ: an verò habeant aliquam actiuitatem ad sensationem, & ad terminum productum.

345. PRIMA Opinio est Aliquorum asserentium sensus esse potentias merè passiuas, scilicet vel prvt recipiunt species, prvt dicunt Aliqui, vel sensationem secundùm Alios: Alij vt Plato volunt esse tantùm actiuas.

SECVNDA est communissima D. Thomæ D. Bonauent. Scot. Aliorumque asserentium sensus esse potentias vtramque rationem habentes, scilicet actiuitatem, & passiuitatem: Isti tamen discrepant posteà inter se

in quonam formaliter consistat sensatio: Aliqui enim sustinent consistere in receptione speciei: S. Bonau. & Scot. docent prærequiri quidem receptionem speciei, sed sensationem formaliter consistere in receptione actus producti, quatenùs simul tendit in obiectum: Pro solutione quæstionis

NOTANDVM est ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. quod in omni natura, & potentia est aliquid, quo est fieri, & aliquid, quo est facere: idque euenit in omni cognitione tum intellectiua, tum sensitiua: & cùm hæc sit prima diuisio potentiæ per actiuum, & passiuum, necesse est ista differre, sed tantùm secundùm gradus maioris, vel minoris simplicitatis, & spiritualitatis habent maiorem, & minorem differentiam: Intellectiua namque anima pro eo, quod est spiritualior, & abstractior, habet vtramque potentiam, quæ respicit substantiam spiritualem, ita quod actiua est ratione ipsius, quo est (scilicet formæ) & passiua ratione ipsius, quod est (scilicet materia.) In potentia verò sensitiua, quæ est minùs spiritualis, actiua potentia est ex parte animæ, & passiua ex organo, & ideò quia sensus non est sine actione, & passione, ideò sentire dicitur esse operatio coniuncti: & iterum, cùm actiua nihil agat sine passiua, & quando anima corpus amittit, amittit passiuam respectu actus sentiendi: & hinc rationalis separata non potest vti aliquo sensu, siue interiori, siue exteriori: Anima enim sensitiua exercet suas operationes sensitiuas in corpus, per corpus, & cum corpore: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. & *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. addit tamen *ibid.* *q.* 2. *art.* 3. *ad vlt.* quod in sensu corporeo sic est receptio in organo, quod etiam est receptio pariter in virtute, & potentia, receptio, inquam, sensationis, quæ est totius coniuncti: Hinc

346. PRIMA CONCLVSIO: Potentiæ sensitiuæ non sunt ita passiuæ, vt sensatio formalis consistat in sola receptione specierum in ipso organo, & potentia: Est S. Bonau. *citat.* & communis contra Ægidium Venetum, Aliosque paucos.

PROBATVR primò ex Arist. 2. *de an. t.* 37. & 6. docente animam esse causam actuum suarum operationum: ergo est actiua.

PROBATVR secundò ratione: Receptio specierum fit etiam in medio, verbi gratiâ, in aqua, in aëre, sed talia media non sentiunt: ergo in hac receptione non consistit formaliter sensatio.

CONFIRMATVR: Quia sæpè accidit recipi species sensibiles in potentia, vel organo absque eo tamen, quod fiat sensatio, & cognitio obiecti, verbi gratiâ, si organum non sit rectè dispositum, vel quia aliundè sit fixa consideratio, vel si quis dormiat inter magnos strepitus: ergo in receptione specierum formaliter non est sensatio.

SECVNDA CONCLVSIO: Potentiæ sensitiuæ sunt simul actiuæ, & passiuæ ratione tamen diuersorum: Sic Aristot. *suprà citat.* & *lib.* 2. *de an. t.* 74. & 6. & 121. & communiter ferè omnes cum Seraph. Doct. *citat.*

PROBATVR primò ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *quæst. vlt. ad vltim.* In quolibet sensu concurrit & receptio, & iudicium, seu sensatio, & cognitio: ergo & actio, & passio: passio per receptionem speciei

ciei in organo, & sensationis in toto coniuncto: actio per productionem ipsius cognitionis, & tendentiam in obiectum. Tum quia sensatio est actus vitalis: ergo supponit principium intrinsecum actiuum, à quo fiat: ergo & subiectum, in quo recipiatur, sed aliud non est assignabile nisi organum simul cum potentia: ergo habet vtramque rationem.

347. Tertia Conclvsio: Sensatio formaliter non consistit in receptione speciei, nec in sola efficientia actus, sed in receptione sensationis iam factæ, qua formaliter tendit in obiectum, illudque percipere dicitur: Sic Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3. ad 6.* vbi docet, quod ad cognitionem concurrit actio, & passio, non tamen talis actio, quæ importet aliquam influentiam, vel impressionem in obiectum, sed solùm per quandam tendentiam, & protensionem intuendo ipsum obiectum per iudicium: & *lib. 4. dist. 49. parte, 2. art. 3. quæst. 2. in corp.* docet, quod cognitio consistit in vnione, intellige in vnione sensationis per receptionem ipsius, & simul tendentiam in obiectum: & in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 35.* ait, quod ad sentiendum requiritur obiectum, species, organum, & intentio actualis animæ: sed hæc non potest esse sine receptione sensationis, immò formaliter in ipsa consistit: ergo.

Probatvr ratione deducta ex doctrina tradita, & simul explicatur: Tria requiruntur præcipuè in sensatione: Primò obiectum, quod vniatur potentiæ per speciem sui, quam in organo imprimit, & per quam potentia constituitur in actu primo ad operandum, & simul determinatur ad tale obiectum: Secundò elicitio actiua actus prouenientis à potentia, & specie tanquam à duabus concausis: Tertiò receptio eiusdem actus, & simul iudicium, seu tendentia in obiectum, quod cognoscitur: sensus enim vnitur obiecto mediante specie iam recepta, ait Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 49. cit. fund. 2.* sed non consistit in primo, vt de se patet, nec formaliter in secundo: nam actio præcisè dicit tantùm vt à quo, nec quidpiam aliud. Tum quia sensatio actio est Physica: ergo debet habere aliquem terminum: sed non potest esse nisi species expressa, (quæ in intellectu dicitur verbum) quæ species expressa est expressio ipsius obiecti in ipso sensu: ergo consistit in hoc tertio, scilicet in ipsa specie expressa vt recepta in sensu, & vt exprimens obiectum, ipsumque attingens intentionaliter: ergo formaliter consistit in receptione speciei expressæ, & simul tendentia, seu attingentia intentionali obiecti. Tum quia sensus sunt subordinati in cognoscendo ipsi intellectui, sed intellectus cognoscit hoc pacto, vt patebit infrà suo loco, ergo & sensus.

Obiicies primò sæpè Aristot. appellare sensum potentiam passiuam.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *cit.* præcipuè *in lib. 3. dist. 14. cit.* esse magis passiuam, quàm actiuam, quia formaliter non consistit in actione productiua, sed in ipsa specie expressa, quæ simul recipitur in sensu, & attingitur intentionaliter obiectum.

Obiicies secundò: Si sensus esset actiuus, & passiuus, sequeretur omnes sensationes esse eiusdem speciei, quia remaneret semper idem

actiuum, & passiuum: sed hoc est falsum: visio enim albi differt specie à visione nigri.

Respondetvr negando sequelam: Quia enim requiritur species immissa ab obiecto cum tendentia in obiecta diuersa, hæc faciunt differre specie ipsos actus. Tum etiam quia posset sustineri omnes visiones in ratione visionis esse eiusdem speciei: licèt ratione terminationis postea specie differant.

Obiicies tertiò ex D. August. 11. *de Trinit. cap.* 2. forma impressa visui dicitur visio: ergo in receptione tantùm consistit: tum quia per assimilationem fit cognitio, obidque & per receptionem speciei.

Respondetvr D. Augustin. debere intelligi concomitanter, non formaliter: necessaria enim est impressio formæ, & speciei. Tum etiam quia potest explicari per speciem intelligere expressam, scilicet actum sensationis, quatenùs producitur à sensu, & à specie, simulque recipitur in potentia, tenditque in obiectum, & in hoc stat assimilatio.

Obiicies quartò: Si sensus est actiuus, ergo poterit se sentire, propriumque actum, & etiam alia absque concursu speciei: actio enim sensus est sensatio.

Respondetvr negando sequelam: quia licèt sit actiuus, exigit tamen aliud comprincipium, scilicet speciem obiecti: Sed pro maiori intelligentia.

348. Qværes: an sensus cognoscat seipsum, & propriam sensationem.

Aliqvi apud Ruuium *lib.* 3. *de an. cap.* 4. *quæst.* 4. *num.* 92. *&* 94. affirmant, nempè oculum se videre, quia est coloratus, se cognognoscere operari, dum actu videt: Sed communis Opinio est D.Thomæ, & Scoti negatiua loquendo de cognitione propria reflexiua: nam de aliqua sensatione impropria concedendum est, vt infrà dicetur *à num.* 144. Nos tamen vtranque partem vt probabilem cum S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 17. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim. & lib.* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. sustinemus: primam quidem D.Thomæ, & Scoti ex rationibus suprà adductis *in primo Notab.* ex hoc quod sensus sunt organici, & ob id cùm species recipiatur in organo, & actus sint totius coniuncti, obidque materiales, & dependentes ab organo corporeo, ideò nec potest sensus supra se reflectere, sicut intellectus, qui est independens ab organo: obidque alia potentia videt, aliaque cognoscit se videre: Adest & alia ratio, quia cùm obiectum intellectus sit illimitatum, ideò & proprij actus continentur intra sphæram obiecti ipsius: at actus sensuum cùm formaliter non sint sensibiles, non continentur formaliter intra sphæram proprij obiecti, quod est necessariò quid sensibile formaliter. Rationes verò alterius partis tradentur infrà *à num.* 439.

QVÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit obiectum sensibile.

349. Pro solutione quæstionis Supponendum primò hîc nomine obiecti sensibilis sumi ipsum obiectum, quod potest mouere sensum, & cum eo concurrere ad sensationem, vel mediante specie, vel immediatè:

mediatè: Ad hanc verò rationem obiecti communiter quatuor assignantur conditiones: prima, quod sit ens reale, cæteræ tres, quod sit corporeum, singulare, & quid accidentale.

SVPPONENDVM secundò obiectum sensibile aliud esse per se, aliud per accidens: primum est, quod immediatè cadit sub sensu, vel immediatè terminat sensationis actum, verbi gratiâ, color, sonus, &c. secundum est, quod non per propriam speciem, sed per alienam percipitur, vt, verbi gratiâ, videndo filium Petri, illa filiatio dicitur obiectum per accidens: Rursus obiectum per se aliud est proprium, quod scilicet est ita proprium alicuius sensus, vt non possit ab alio percipi, vt color à visu: aliud est commune, quod potest percipi à pluribus sensibus, vt est verbi gratiâ magnitudo, quæ & oculo, & tactu potest percipi, istaque sunt quinque, scilicet quies, motus, numerus, magnitudo, & figura, vt docet cum communi Seraph. Doct. in Itiner. Ment. *cap.*2. & suprà dictum est: quibus positis proponuntur aliqua quæsita, vt meliùs dignoscatur natura obiecti sensibilis.

QVÆRES ergo primò; an solùm ens reale possit percipi à sensibus; an etiam ens rationis: & an sensus possit percipere negationes, vt vmbram.

ALIQVI affirmant: sed communior, & verior negat. Ratio est, quia immutatio fit per species: ergo obiectum, quod non habet speciem propriam, non potest immutare sensus propriè.

DICES: In Logica probatum fuit sensus posse facere aliquo modo ens rationis, sed facere ens rationis est illud cognoscere: ergo.

RESPONDETVR aliud est decipi in cognitione, quæ fit per speciem similem enti reali: aliud est cognoscere ens rationis: hoc enim non est sensibile, obidque nec subiacet sensibus.

DICES: Vmbra terret animalia, & apprehendunt negationem coloris: ergo.

RESPONDETVR, quod vmbra, si est permixta cum Luce, tunc videtur lux, & vmbra per lucem percipitur: si verò est pura vmbra, vt tenebra, tunc non percipitur, nec est verum Bruta percipere negationes, sed quia ibi non percipiunt corpora, ideò ibi non accurrunt, sed alibi, vbi mouentur ab obiectis.

ADDIMVS tamen probabile etiam esse sensus aliqualiter percipere ens rationis, licèt non sub formalitate sua, sed alicuius obiecti sensibilis, & indirectè.

350. QVÆRES secundò circa secundam conditionem: an res spiritualis possit à sensibus percipi.

COMMVNIS Opinio negat etiam de potentia Dei absoluta, licèt quoad potentiam Diuinam Aliqui id affirment, de quo aliàs redibit sermo: Ratio autem est, quia res spiritualis est extra sphæram obiecti sensuum, eo quia potentia integratur simul cum organo quantitatiuo, extenso, & materiali, obidque non habet proportionem cum re spirituali: Hinc dixit Seraph. Doct. *lib.*2. *dist.*8. *part.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 4. *distinct.* 10. *part.* 2. *articul.* 2. *quæst.* 1. & 2. quod nihil potest sentire sensus corporeus, quod non sit quantum, & extensum: sed vide, quæ sunt infrà *num.* 315.

QVÆRES

Qværes tertiò circa tertiam conditionem, quæ est singularitas obiecti, vt notat S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 5. *& lib.* 4. *dist.* 50. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *in corp.* an singularitas rei sit ratio mouendi sensum: an verò sit ipsa natura communis, quæ, vt aliàs diximus, distinguitur formaliter à singularitate. Thomistæ negantes distinctionem inter naturam, & singularitatem dicunt singularitatem esse rationem, quæ mouet formaliter sensum. Scotus docet esse naturam: singularitatem verò esse conditionem sine qua non: sic apud Meldul. *disputat.* 4. *quæst.* 3. *num.* 28. Sic etiam S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 2. *quæst. vltim. in corp.* docet, quod in omni cognitione est quo, & quod, quo est ipsa natura communis, quod verò est ipsum singulare: hinc dixit Scotus, quod natura est ratio formalis agendi, seu mouendi, & singularitas est ratio, seu conditio agentis: actiones enim sunt singularium: Sic & S. Bonau. *lib.* 4. *dist.* 50. *citat.* dixit sensum cognoscere res sub conditionibus singularibus: & hinc tamen non infertur sensum esse potentiam abstractiuam: non enim percipit discrimen inter naturam, & singularitatem: spectat enim id ad intellectum, sed tantùm diximus sensum moueri per speciem immissam à singulari, ita quod natura singularis est ratio formalis mouendi, & singularitas conditio: an verò substantia possit percipi à sensu: an solùm accidens: infrà de hac materia agemus tractantes de speciebus immissis ab obiecto.

351. Qværes quartò: an cùm quinque sint obiecta sensibilia communia, vt dictum est ex S. Bonauent. in Itiner. Ment. *cap.* 2. scilicet Motus, Quies, Numerus, Magnitudo, & Figura, à quibusnam sensibus percipi possint.

Respondetvr motum materialiter tamen sumptum, & provt dicit successionem materialem partium percipi visu, & tactu, item & olfactu, & auditu: sentimus enim, an obiectum sensibile sonus, vel odor nobis accedat, vel recedat: Quies etiam ab iisdem sensibus percipitur non formaliter, cùm sit negatio motus, sed materialiter, provt dicit permanentiam rei in eodem statu, hoc enim pacto dicit aliquid positiuum, & ad hæc duo reducuntur velocitas, tarditas, & tempus: Numerus item materialiter sumptus percipitur à pluribus sensibus non formaliter, sed materialiter, inquam, vt tot colorata, tot sonos, &c. Magnitudo item percipitur tam visu, quàm tactu, & ad hanc reducitur distantia: Vltimò figura iisdem duobus sensibus percipitur, & ad hanc spectat lene, & asperum, densum, & rarum, & aliæ similes quantitatis proprietates: quæ omnia sunt obiecta sensibilia materialiter, non formaliter sumpta: sic enim spectant ad intellectum: an verò hæc sensibilia communia immittant propriam speciem, infrà suo loco dicemus.

QVÆSTIO IV.

De Speciebus an dentur, & quid sint species intentionales.

325. Homo à Deo factus est tam perfectus, vt iuremerito appellatur à Philosophis minor Mundus,

dus, seu Microcosmus, quia, vt ait Seraph. Doct. In Itiner. Ment. *cap.*2. in ipsum intrat Macrocosmus, seu Maior Mundus sensibilis: habet enim quinque sensus quasi quinque portas, per quas intrat cognitio omnium, quæ sunt in hoc mundo sensibili in animam ipsius: per visum enim intrant corpora sublimia, & luminosa, & cætera colorata: per tactum corpora solida, & terrestria: per tres verò sensus intermedios intrant intermedia; per gustum aquea: per auditum aërea: per odoratum vaporabilia: Intrant & in ipsam animam non solùm corpora simplicia, & composita sensibilia particularia, sed & communia non secundùm substantias, sed per similitudinem suam, quæ appellatur communiter species intentionalis; Nomine igitur speciei communiter intelligunt Philosophi, & cum ipsis Seraph. Doct. formam quandam, seu qualitatem prouenientem ab obiecto, quæ sit similitudo illius siue formalis, siue virtualis: De his speciebus igitur excitatur quæstio; an dentur: an verò sit merum figmentum: & si dantur, quales similitudines sint an formales, an intentionales, an virtuales, an obiectiuæ.

PRIMA Opinio est Nomin. Ocham. Greg. Gabr. Serbellon. *de an. disp.*2. *q.*2. *art.*3. & Guar. *disp.*7. *de an. exp.*3. *& disput.* 6. *de luc. exp.* 6. negantium dari tales species, quæ sint imagines rerum, sed quia necessariò sensus, dum sentit, patitur, & aliquid recipir, per quod excitatur, & determinatur ad operandum: volunt duo Authores *cit.* Serbellon. & Guarin. id totum fieri à luce, quod & videtur Sententia Seraph. Doct. air enim *in opusc. de reduc. artium*, cognitionem sensitiuam fieri beneficio lucis: sed tamen verè Seraph. Doct. hanc sententiam non tenet, vt mox patebit. Nouissimè autem Lalemandet *de an. disp.* 14. *part.* 3. mordicus negat species, sed conatur sustinere sensus tendere in obiectum vi suæ sympathiæ, & ordinationis naturalis, quam habet ad ipsum, citat pro se Garbium in Sum. *lib.* 1. *disp.* 5. *q.* 63. & Galen. *lib.*7. de decret: Hypocrat. quæ opinio tamen non potest rationabiliter sustineri: nam per hanc sympathiam possemus aufugere omnes ferè difficultates in Philosophia occurrentes.

SECVNDA Opinio est Aliorum omnium communissima, D. Thom. Scot. Seraph. Doct. quod verè dentur species intentionales necessariæ omninò ad sensationem, & cognitionem, licèt inter istos DD. sit aliquod discrimen in assignanda ipsarum natura, & quidditate: nam Aliqui dixerunt esse quædam corpuscula egredientia è corporibus, & peruenientia ad sensus. Alij esse qualitates sensibiles eiusdem omninò rationis cum qualitatibus sensibilibus, ita vt species caloris sit calor, albedinis albedo, & sic de singulis, sed tamen in esse remissiori sic Vales. Celsus Mancinus apud Meldul. *disp.*4. *quæst.*4. Alij vt Thomistæ apud Complut. *disp.* 18. *de an. quæst.* 3. volunt speciem esse omninò eiusdem naturæ cum obiectis numero, verbi gratiâ, speciem albedinis esse eandem numero albedinem, quæ est in pariete, sed cum hoc discrimine, quod in pariete habet esse naturale, & in oculo esse intentionale, vel diminutum: vnde differentia inter speciem, & obiectum se tenet non quidem in essentia, & quidditate, sed in modo essendi, quod & fatentur de speciebus intelligibilibus substantiæ:

Digitized by Google

Communior tamen, & vera sententia est species intentionales esse qualitates alterius omninò rationis, & naturæ ab obiectis, quæ repræsentant: Sic S. Bonauent. *lib.*1. *dist.*37. *part.*2. *dub.*4. Pro solutione quæstionis

353. PRIMÒ Notandum, quod quæstio procedit non de speciebus intelligibilibus, quæ spectant ad intellectum, & de quibus agemus suo loco, sed de sensibilibus, quæ à S. Doct. appellantur modò nomine speciei absolutè, modò intentionis, modò similitudinis, modò speciei abstractæ: quam abstractionem tamen explicat *lib.* 3. *dist.* 23. *dub.* 4. dicens, quod species, per quam cognoscitur obiectum, vel est omninò concreta materiæ, & est, quæ apprehenditur à sensu exteriori, licèt sit ibi aliqua abstractio: vel partim concreta, & partim abstracta, & est, quæ apprehenditur ab imaginatione, seu à sensibus internis: vel est simpliciter abstracta, & est, quæ apprehenditur ab intellectu. Ex quibus videtur Seraph. Doct. docere speciem, quæ immittitur ad sensus esse compositam ex materia, obidque & stare cum asserentibus species esse quædam corpuscula, quod tamen nec potest in eius etiam sententia sustineri, cùm *lib.*1. *dist.* 37. *part.*2. *dub.*4. asserit ipsas essentialiter differre ab obiecto: & *lib.*4. *dist.*10. *p.*1. *art.* 1. *q.*5. *in corp.* admittit speciem existentem in speculo habere esse spirituale, esseque indiuisibilem: & *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.*2. *ad* 4. docet, ad hoc vt anima cognoscat rem, oportet, vt vniatur per speciem abstractam à materia, quod verum est de omni potentia cognitiua, ergo videtur Seraph. Doct. vel sibi contradicere, vel aliud prætendere. Attamen his non obstantibus explicatur Seraph. Doct. per ea, quæ tradit *lib.*4. *dist.*50. *part.*2. *quæst.*1. *in corp.* vbi dicit, quod anima separata per intellectum cognoscit res sub conditionibus materialibus præsente materia, & hoc est sensus exterioris, & res sub conditionibus materialibus absente materia, & hoc est imaginationis, idest sensuum internorum, & illas etiam cognoscit abstractis omnibus materialibus, & hoc est intellectus: quare per illam concretionem cum materia intelligit Seraph. Doct. speciem repræsentantem obiectum omninò materiale præsente eodem obiecto, idest cum conditionibus indiuidualibus, vt sunt hic, nunc, scilicet quoad locum, tempus, &c. deinde per speciem partim concretam, & partim abstractam intelligit speciem repræsentantem idem omninò obiectum materiale, sed vt absens, idest non necessariò cum conditionibus indiuidualibus loci, & téporis, &c. quia ab his sensus interni possunt abstrahere licèt imperfectè.

354. SECUNDÒ Notandum, quod istæ species dicuntur à Seraph. Doct. & ab Aliis etiam picturæ, simulacra, & idola rerum, eo quia tanquam in imagine res spectandas exhibent, dicuntur sensibiles non vt quæ, sed vt quibus, quia mediis ipsis fiunt sensationes, & intentionales, quia & habent esse diminutum recedens à realitate obiecti: & quia concurrunt ad sensationem, quæ dicitur intentio, & tendentia in obiectum (licèt Serbellon. dicat se nescire, quare ita dicuntur intentionales) dicuntur & materiales, quia proueniunt ab obiecto materiali, & repræsentant materialitatem ipsius modo suprà dicto: dicuntur & spirituales, quia sunt abstractæ à materialitate obiecti: dicuntur

cuntur similitudines, licèt sint qualitates absolutæ, quia sunt formæ imitatiuæ, & repræsentatiuæ obiecti, includentes etiam aliquando respectum, & ob id (ait *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 7. in fine*, similitudo albedinis, & coloris non dicitur albedo, nec color absolutè, sed vt albedo, & vt color, & reductiuè spectant ad idem genus suæ originis, & obiecti: Sic *lib. 1. distinct. 3. part. 2. art. 1. quæst. 3.*

355. Tertiò Notandum, quod similitudo, seu imago repræsentatiua est triplex, scilicet formalis realis, formalis intentionalis, & virtualis: prima est, quæ realiter exprimit obiectum, cuius est similitudo, cum eoque conuenientiam specificam in esse repræsentatiuo habet saltem reductiuè, vt docet S. Bonau. *lib. 1. dist. 3. p. 2. art. 1. q. 3. in corp.* sic Imago D. Francisci dicitur similitudo formalis realis illius, quia illum exprimit secundùm figuram, magnitudinem, colores, &c. & dicitur etiam obiectiua, quia est medium quod, scilicet cognitum ducens in cognitionem obiecti, & *lib. 1. distinct. 6. quæst. 3.* dicitur à Seraph. Doct. propriè exemplar: Secunda est, quæ producitur à potentia exprimendo obiectum, & communiter appellatur species expressa: dicitur autem intentionalis, vt distinguatur à reali, & quia per ipsam sensus tendit in obiectum, seu est ipsa intentio expressiua obiecti, & à Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 23. art. 2. quæst. 3. ad vltim.* appellatur similitudo expressa. Tertiò dicitur virtualis, seu effectiua, estque illa, quæ formaliter non repræsentat obiectum, sed est ratio, & virtus, per quam formaliter repræsentatur obiectum: sic semen, verbi gratiâ, potest dici similitudo virtualis, quia virtute continet filium repræsentatiuum Patris: Sic ars pictoria potest dici similitudo virtualis hominis, quia est virtus productiua imaginis formaliter repræsentantis hominem, & ideò à Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 17. part. 1. quæst. 4. in corp.* dicitur similitudo pura, & *lib. 1. dist. 6. quæst. 3.* dicitur ratio exemplandi, & cognoscendi; est igitur quæstio, quænam similitudo ex his sit species: Communiter tribuitur ei tantùm hæc tertia similitudo, & ob id à S. Bonau. in Itiner. ment. *cap. 2.* dicitur speciem habere rationem formæ, virtutis, & operationis, nempè species est forma accidentalis, quæ de sui ratione primaria formali est repræsentatiua obiecti, ita quod cùm sit ratio, qua potentia tendit in obiectum, habet virtutem repræsentatiuam obiecti, sicque & habet rationem virtutis: est enim veluti semen, & virtus productiua illius, quod formaliter repræsentat obiectum, scilicet speciei expressæ, & similitudinis intentionalis: constituit enim potentiam in actu primo, obidque dicitur continere cognitionem obiecti virtualiter, & habitualiter: hinc & aliquando appellatur à Seraph. Doct. nomine habitus: dicitur & habere rationem operationis, quia non solùm constituit in actu primo potentiam, sed & actu concurrit cum ipsa ad sensationem: Hincque patet, quænam munera exerceat species: Primum est informare potentiam, eamque ponere in actu primo: Secundum concurrere cum potentia ad actum cognitionis obiectum exprimendo, & ratione vtriusque appellatur à Seraph. Doct. medium disponens *lib. 2. dist. 23. quæst. vltim. ad 7.*

Digitized by Google

cùm enim necessaria sit vnio inter potentiam, & obiectum, nec obiectum possit vniri secundùm suam entitatem, vnitur per speciem sui vicariam, vt aduertit S. Doct. *lib.2. distinct.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 4. *& lib.2. dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. *&* 5. *& opusc. de reduc. artium : &* Itiner. ment. *cap.*2.

356. QVARTÒ Notandum cum communi speciem externam externorum sensuum differre à specie internorum, & intellectus, quod species externorum sensuum raptim transit, dependetque ab obiecto in fieri, & in conseruari, ita quod non potest conseruari saltem nisi per modicum tempus absque obiecto præsente, vt infrà dicetur, nec præcisè inseruit memoriæ, & si non esset causa cognitionis externæ, esset quidam effectus omninò superfluus, obidque à Seraph. Doct. vocatur nomine absoluto speciei abstractæ absque alio addito : at species internorum sensuum dependet quidem in fieri ab obiecto, sed non in conseruari, eo quia imprimitur in organo, & in potentia, & in ipsa permanet, obidque à Seraph. Doct. appellatur nomine speciei impressæ, vt infrà patebit, vbi explicabimus sensum Seraph. Doct. in vsu talium vocabulorum speciei abstractæ, impressæ, & expressæ. His positis

357. PRIMA CONCLVSIO: Dantur species intentionales rerum sensibilium in sensitiuis potentiis tum internis, tum externis, Est communis cum Aristot. & Seraph. Doct. *in Opusc. de reduc. artium* §. *Videamus ergo :* vbi hæc verba habet : Nullum sensibile mouet potentiam nisi mediante similitudine, quæ egreditur ab obiecto, sicut proles à parente, & hoc generaliter, realiter, & exemplariter est necesse esse in omni sensu : illa autem similitudo non facit completionem in actu sentiendi, nisi vniatur cum organo, & virtute, & cùm vnitur, noua fit perceptio : Idem docet in Itiner. ment. *cap.*2.

PROBATVR primò ex S. Bonau. *lib.2. distinct.* 17. *art.* 1. *quæst.*2. *ad* 4. *&* 5. *& lib.*1. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.*1. *quæst.*1. *in argum. ad oppos.* Inter obiectum, & potentiam requiritur vnio ad hoc, vt fiat sensatio, sed obiectum secundùm suum esse materiale non potest vniri potentiæ : ergo per aliquid, quod gerat vicem ipsius : ergo per speciem.

PROBATVR secundò experientia : Quia si non darentur species, non recordaremur præteritorum : ergo in internis sensibus dantur.

PROBATVR tertiò : In speculo videtur species determinata repræsentans obiectum distans : ergo datur.

PROBATVR quartò de externis, & internis : Potentiæ sensitiuæ sunt indifferentes ad hoc, vel illud obiectum intra propriam speciem : ergo debet dari aliquid, à quo determinentur ad hoc, vel illud obiectum : sed hoc respectu aliquorum sensuum non potest fieri ab ipsis obiectis immediatè : ergo mediantibus illorum speciebus sensibilibus, vt patet in visu, & auditu. Tum quia si inter obiectum, quod videtur, interponatur corpus opacum intra sphæram actiuitatis oculi, etiamsi lux pertingat ad potentiam (quam Aduersarij volunt gerere vices speciei) non ampliùs videtur, ergo quia impeditur transmissio specierum. Tum quia si adhibeantur perspicilla pluribus angulis efformata, multiplex videtur obiectum, at hoc non prouenit ex ratione obiecti,

quia-

Digitized by Google

quia est vnum, nec potentiæ, quia etiam est vna: ergo ratione specierum, quæ in illis angulis recipiuntur, & refranguntur. Tum etiam quia ex varietate perspicillorum res apparent maiores, vel minores: Item si virga sit cũ medietate in aqua, & cum alia supra aquam, apparet fracta, ergo hæc diuersitas euenit ex transmissione specierum per diuersam lineam ab vna parte, & ab alia. Tum in echo, quo reflectuntur species soni: ergo negantes species contradicunt experientiæ.

358. SECVNDA CONCLVSIO: Istæ species non sunt corpuscula, vel substantiæ, sed qualitates accidentales diuersæ rationis à natura, & qualitatibus obiecti: Est S. Bonauent. *in Serm. 11. Hexaëm. propè finem: & In Opusc. de reduc. artium. & lib. 2. dist. 18. artic. 2. quæst. 1. ad 4. & lib. 1. dist. 37. part. 2. dub. 4. & lib. 2. distinct. 13. quæst. vltim. in corp. propè finem.*

PRIMA pars probatur: Quia si essent corpuscula, daretur penetratio corporum tum in medio, tum inter se, dum existunt in ipsa potentia; tum & cum ipsa potentia, & sensu.

PROBATVR secunda pars: Quia sunt formæ accidentales: ergo de genere qualitatis.

PROBATVR tertia pars, quæ est contra Thomistas, ex S. Bonauent. *lib. 1. dist. 37. cit.* Quia si essent eiusdem rationis cum obiecto, veritas Asini visi esset in anima, sicque anima, siue potentia posset dici Asinus: talis enim forma informat subiectum, in quo est, & ipsum denominat. Tum quia nihil potest generare seipsum, sed generantur ab obiecto, ergo sunt quid diuersum. Tum quia contraria in summo, vt summum album, & summum nigrum possent esse simul in eodem subiecto: species enim ipsorum sunt in eodem oculo. Tum quia species recipiuntur etiam in organo: ergo si sunt eiusdem rationis, verbi gratiâ, species nigri apparere faceret omnia nigra, vt patet, cùm in oculo aliquis noxius humor descendit, facit enim omnia apparere eiusdem coloris cum illo humore.

RESPONDENT Complutenses negando istas sequelas: nam species dicuntur idem cum obiecto, secundùm quod habent esse reale, & naturale: nam vt habent modum essendi intentionalem, & secundùm hunc modum possunt species plurium contrariorum esse simul.

CONTRA: Quia si obiecta secundùm esse intentionale sunt eiusdem rationis cum ipsis secundùm esse reale, sequitur, quod semper ferunt secum ea, quæ sunt sibi ipsis propria, sicque & contrarietatem, & repugnantiam mutuam contrariorum. Tum quia species sunt effectus obiectorum, sicque obiecta causabunt seipsa. Tum quia, vt dictum est ex S. Bonauent. *citat.* sequeretur veritatem Asini esse in anima. Tum quia Angeli per Thomistas, quò perfectiores sunt, eò pauciores species entia varia, & diuersæ speciei exprimentes habent, sicque eadem species erit multiplicis naturæ, quod est impossibile.

359. OBIICIES primò: Quia si darentur istæ species, deberent priùs cognosci: alioquin per ignotum cognosceretur obiectum ignotum, quod est impossibile: nam Imago priùs cognita ducit in cognitionem imaginati.

Respondetvr negando sequelam: ratio est, quia species sunt formaliter vt quo, non vt quod, ideò non terminant cognitionem: Et ad id de ignoto.

Respondetvr esse verum de ignoto vt quod, & repræsentatiuo formaliter realiter, non de virtuali tantùm: sicut etiam actus est id, quo cognoscitur obiectum. Et ad id de Imagine, negatur paritas: Imago enim Cæsaris, verbi gratiâ, est medium vt quod, & obiectiuum, non sic species, quod & *in seq. Concl.* magis declarabitur.

Instant iterum Durand. & Lalemandet: Quia omne repræsentatiuum potentiæ cognoscitiuæ, quodcunque illud sit, se habet obiectiuè ad potentiam: quia repræsentare alicui, est illi obiici: sed id est cognosci: ergo vtrumque repræsentatiuum vt quo, & vt quod debet prius cognosci.

Respondetvr distinguendo Maiorem: Omne repræsentatiuum se habet obiectiuè, scilicet vel vt quo, vel vt quod, & negatur Minor vniuersaliter, vt patet in actu cognitionis, & in verbo, & specie expressa: ista enim se habent obiectiuè vt quo, & sunt repræsentatiuæ vt quo, & tamen cognitio non cognoscitur vt quod, sed tantùm est ratio vt quo: sic corruit ratio hæc Durandi, quam tantùm amplificat Lalemandet.

Obiicies secundò cum Serbellon: Si darentur istæ species, producerentur ab obiectis, sed hoc est falsum: vel enim producuntur per veram efficientiam; vel per emanationem, vt fluunt passiones, & proprietates: non primum, quia producerentur per Physicas causalitates, sicque essent qualitates eiusdem rationis cum qualitatibus obiecti, quod à nobis non admittitur: sunt enim intentionales: nec secundum, quia semper inessent in obiectis, vt proprietates, non verò in potentia.

360. Hæc obiectio, quam tanti facit citatus Author *in seq. quæst.* soluetur ex doctrina Seraphica, pronunc negatur Minor, & dicimus produci per veram efficientiam, nec inde sequi esse qualitates eiusdem rationis cum qualitatibus obiecti.

Obiicies tertiò ex Serbellono, & Guarino *disput. 6. de delat. spec. & col. exp. 6. & de an. sensit. disputat. 7. exp. 3.* Sufficit lux, vt quodlibet obiectum visibile ante oculos positum cerni possit sine vlla specierum productione: ergo.

Probatvr Antecedens: Lux terminata ad obiectum, & in potentiam reflectens est repræsentatiua obiecti.

Probatvr: Quia lux est susceptiua coloris: ergo potest recipere colores obiecti, & illos oculis repræsentare: quia in quacunque parte medij, in quo diffunditur lux, videtur obiectum, vt si apponatur speculum, aut corpus tersum, & magis patet in luce ingrediente per foramen, in quo sit lentis vitrea accommodata, tunc si apponatur pagina, in ipsa conspicitur Imago rei extra cubiculum existentis, signum euidens, quod lux incidens in aliquod obiectum ab illo determinatur, & modificatur, ita vt sit potens colores illos visuales differre ad oculum absque alia specie.

Confirmatvr ex S. Bonau. *in opusc. de reduc. art. post principium §. secundum lumen, &c.* vbi dicit cognitionem sensitiuam fieri beneficio lucis

cis existentis tum in obiecto, tum in potentia, & secundùm maiorem, vel minorem suam puritatem diuersas etiam causari sensationes.

Respondetvr hoc argumentum esse Achilem Aduersariorum, in quo tamen cadit multa deceptio, dum tribuunt totam repræsentarionem luci, quod est falsissimum, vt patet, quia lux si se sola esset repræsentatiua obiecti, repræsentaret eodem modo, ac repræsentat colores, sed colores repræsentat formaliter, & non obiectum: nam in medio repræsentat colores varios: apparet enim modò rufa, modò rubra, modò aurea, &c. Hinc repræsentat colores formaliter, quibus inficitur, sed deberet repræsentare obiectum eodem modo: intantùm enim est repræsentatiua obiecti, inquantum repræsentat colores, qui videntur in medio, & non videtur obiectum. Tum quia licèt repræsentaret colores, non tamen repræsentat illorum dispositiones, & ordinationem, neque colores debiliores in viuacioribus permixtos: ergo aliquid aliud requiritur, idque sunt species: quodque patet euidenter: quia illa lux modificata in oculo repræsentans secundùm Aduersarios obiectum, deberet etiam absente obiecto ipsum repræsentare: non enim lux repræsentat obiectum, quia reperitur in obiecto, sed quia reflectitur in oculo.

Et si dicant id facere, quia reperitur etiam in obiecto.

Contra: Ergo ab obiecto effectiuè aliquid recipit, per quod imaginem ipsius repræsentat: ergo obiectum est effectiuum suæ imaginis.

Hinc Respondetur ad argumentum negando antecedens: ad probationem respondetur negando antecedens: non enim sufficit, vt lux sit receptiua coloris, sed requiritur species cum luce, vt repræsentetur obiectum cum suis dispositionibus: & per id respondetur experientiæ allatæ de luce penetrante per foramen, &c. vnde solùm infertur esse conditionem sine qua non.

Ad Confirmationem ex Seraph. Doct. Respondetur alium esse sensum Seraph. Doct. & *ibid.* se explicat dicens, quod spiritus sensibilis naturam luminis habet, & in neruis viget, quorum natura est clara, & peruia, & in quinque sensibus secundùm maiorem, & minorem depurationem multiplicatur, scilicet purius residet in sensu oculorum, in auditu est commixta aëri, in odoratu vapori, in gustu humori, in tactu terreæ grossiciei: & vltra hos sensus requiritur aliqua similitudo ab obiecto proueniens: quæ doctrina magis explicabitur, cùm de ipsis sensibus in particulari agemus.

Instant: Si lux sit debilior, licèt colores remaneant in sua intensione, isti repræsentantur cum minori intensione, ac sunt: ergo signum est prouenire à luce.

Respondetvr dato antecedente, negatur prouenire à luce, sed id euenit, quia etiam ipsa lux immittit suas species, quæ simul vnitæ cum speciebus coloris faciunt repræsentare colores remissiores, ac sunt.

Instant iterum: Corpus diaphanum deberet emittere suas species, quas tamen non apparet emitti, sicut emittit, si in corpus opacum, verbi gratiâ, in puluerem redigatur: ergo signum est prouenire à luce repræsentante illud corpus diaphanum redactum

redactum in opacum, quod priùs non repræsentabat ob diaphaneitatem.

Respondetvr corpus diaphanum emittere etiam suas species, vt patet, si opponatur speculo: sed quia sunt debiles, & tenues, sequitur, quod non possit repræsentari per ipsas tale corpus diaphanum, idque dispositum fuit ab Authore naturæ, vt possint videri res creatæ: alioquin oculus solùm posset videre corpus, à quo immediatè circundatur, scilicet aërem: quare corpus diaphanum statim ac acquirit opacitatem absque sui mutatione, emittit species sui; vt patet in aëre, qui est summè diaphanus, & tamen ob illius quantitatem maximam, quæ intercedit inter oculum, & maximam distantiam, aliquam opacitatem sortitur: ideò cæruleus apparet, & species cærulei coloris ad oculum emittit: sic & aqua in minima quantitate ob diaphaneitatem non emittit species sufficienter ad immutandam potentiam: in maxima verò quantitate aliquam opacitatem sortitur, & species emittit: hinc infertur omne corpus emittere species, sed aliquando ob tenuitatem non immutare potentiam.

361. Obiicies quartò cum Thomistis contra tertiam partem Conclusionis. Imago, & pictura ex Arist. *Lib. de Mem. & remin.* est eiusdem rationis cum imaginato.

Confirmatvr ex Seraph. Doct. *lib.*1. *distinct.*3.*part.*2. *quæst.*3. *in corp.* dicente similitudinem Martini non adeò distare à Martino, vt penitus differat ab eo: ergo.

Confirmatvr iterum: Qua ita se habet color ad suam speciem, sicut lumen obiecti ad lumen medij, sed hæc duo lumina sunt eiusdem rationis, ergo & species cum obiecto.

Respondetvr ex S. Bonau. *lib.*1.*dist.* 49. *quæst.*1. *ad* 4. inter speciem, & obiectum esse conuenientiam non in genere, vel specie, sed secundùm rationem exprimendi, idest secundùm esse repræsentatiuum, non secundùm esse entitatiuum: vt patet in Imagine Cæsaris lapidea, & ipsum Cæsarem: Sic & *lib.*3.*dist.*14. *quæst.*1. *ad* 1. & 2. & *lib.*2. *distinct.*24. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 7. *in fine*: Ad primam confirmationem ex S. Doct. respondet Borlefer *ibid.* quod similitudo Martini specifica non differt à Martino realiter: hæc enim exit, sed non recedit à suo principio (ait Seraph. Doct.) at similitudo accidentalis, quia exit, & recedit à suo principio, differt realiter ab obiecto, vt docet clarè *lib.* 1. *dist.* 37. *cit.* Sed clariùs respond. *lib.* 2. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 7. *in fine* similitudinem reductiuè spectare ad idem genus cum obiecto eo, quia similitudo albedinis non est albedo, sed vt albedo, idest vicaria albedinis: at in esse entitatiuo differunt essentialiter.

Ad aliam Confirmationem Respondet Meldul. quod lumen in medio differt specie à luce corporis luminosi: illud enim est species istius, obidque nihil concluditur contra Conclusionem, quod magis verum est in opinione Seraphica: lux enim corporis luminosi est forma substantialis, ideò lumen differt à luce, vt accidens à substantia: sed tamen *lib.*2. *dist.* 13. *quæst. vltim.* negat Maiorem: lumen enim in medio habet esse naturale, non purè intentionale, sicut species.

Obiicies tandem cum Lalemandet *citat. num.* 15. & *seq.* Dicere, quod

quod per sympathiam, quam habet oculus, verbi gratiâ, ad colorem absque alia specie, tendit potentia statim in obiectum, tollitur omnis difficultas, quæ occurrit in explicatione specierum: hanc enim qualitatem occultam videmus operari in tot aliis rebus, verbi gratiâ, in magnete respectu stellæ polaris, in timore Leonis ad cantum Galli, & ad similes effectus: cur non poterit idem dici de sensibus. Sed hæc inuentio noua ad aliud non deseruit nisi ad illudendam totam Philosophiam, & ad euadendum omnes difficultates adducendo id, quod nobis est omninò ignotum: vnde hæc opinio singularis relinquitur tota penes suum Authorem.

362. TERTIA CONCLVSIO: Species non est similitudo formalis realis, seu medium quod, nec intentionalis, seu expressa, sed est virtualis tantùm: Est contra Durandum *lib. 2. disputat. 3. quæst. 6.* qui & cum ipso Gregor. *disp. 7. quæst. 3. art. 1.* Maior. docet speciem obiectiuè repræsentare obiectum, quia est medium, quod immediatè terminat sensationis actum, qua apprehensâ deinde sensus percipit obiectum, vt euenit in Imagine, verbi gratiâ, Cæsaris: Et hinc docent esse similitudinem formalem, & realem obiecti, scilicet exprimentem obiectum eo modo, quo Imago Cæsaris, scilicet ipsum Cæsarem, ipsius magnitudinem, colores, &c. Vnde est simul medium quod, & quo: est tamen hæc Conclusio Omnium Aliorum, & communissima contra *cit.* Authores.

RATIO primæ partis est: Quia species obiectiua non repræsentat, an obiectum sit propè, an procul: nam intuens Imaginem Cæsaris nunquam percipit, an Cæsar sit propè, nec facit cognoscere obiectum, nisi aliundè cognoscatur, sed species sensibilis facit cognoscere obiectum non aliundè cognitum, & repræsentat distantiam, & alias circunstantias, ergo non est similitudo obiectiua vt quod: idque patet, quia possum videre aliquod repræsentatum in speculo, & tamen indigere perspicillis ad videndum obiectum repræsentatum: ergo signum est, speciem solùm esse rationem, qua videtur obiectum, nec speciem ipsam videri priùs.

RATIO secundæ partis est: Quia similitudo intentionalis formalis est, quæ producitur à potentia exprimendo obiectum, & dicitur species expressa, diciturque intentionalis, vt distinguatur à reali: est enim intentio expressiua obiecti: Sic S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 14. art. 2. quæst. 1. ad 2.* & per totam quæstionem docet, quod assimilatio sufficiens ad cognitionem non tantùm est per speciem acceptam à re, vel per speciem appropriatam ipsi rei, sed etiam per assimilationem ad illud, quod est ratio cognoscendi: id autem est verbum, seu species expressa: at hîc loquimur de specie impressa, seu vt loquitur Seraph. Doct. de abstracta: ergo.

RATIO tertiæ partis est: Quia similitudo formalis realis conformatur obiecto, sicuti est, ita vt si obiectum sit palmare, & Imago erit palmaris: si obiectum sit album, & Imago alba, sed species impressa non habet has conditiones: ergo.

RATIO quartæ partis est: Quia est species producta ab obiecto, & impressa in potentia ipsam ponit in actu primo ad eliciendum actum: ergo est similitudo virtualis, idest virtus fœcundans

cundans potentiam ipsam adiuuando ad elicitionem actus sensationis: quare concluditur in hoc sensu tantùm posse dici similitudinem formalem, idest quatenùs est ratio cognoscendi respectu potentiæ, siue vt quo spectans ad actum primum, & constituens obiectum actu cognoscibile, obidque dicitur magis propriè similitudo virtualis, sicut actus secundus scilicet species expressa dicitur similitudo formalis propriè, scilicet in actu secundo: his positis superest soluere aliud dubium, quod per quæstionem lateralem faciemus.

QVÆSTIO LATER.

An species possit aliquando habere rationem obiecti, & cognosci per aliam speciem.

363. QVÆSTIO hæc soluitur per ea, quæ tradit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 13. *quæst. vltim.* & post ipsum Scot. *ibid.* Pluresque Alij ex Meld. *disp.* 5. *n.* 32. de lumine, quod licèt sit species lucis, tamen cùm vltra esse intentionale habeat etiam aliquod esse, reale, seu naturale, obidque & potest videri per lumen secundarium seu per speciem secundariam: quod & innuit S. Doct. de cæteris speciebus primariis *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. vbi dicit, quod si aspicerem rem, aggeneraretur in me similitudo rei, & si ad speculum aspiciam, aggenerabitur in me similitudo speculi, & ipsius rei, scilicet virtute primæ speciei: De luce, seu lumine ait *loc. cit. lib.* 2. *dist.* 13. quod lumen in medio non habet modum naturalem existendi, idest realem, sed per modum habitus, cùm non sit forma rei, sed similitudo, seu species lucis, vt est species coloris in medio, quæ propriè non est color, sed similitudo coloris, quæ etiam importat aliquam sensibilitatem, prout est in subiecto deferente faciens ad sensationem: quam doctrinam postmodum tradidit etiam Scot. apud Meld. *citat.* quare.

DICIMVS ipsam speciem intentionalem posse aliquo modo sentire per aliam speciem, vt patet in papyro posito in cubiculo obscuro, in quod transpiret radius per paruum foramen, in quo relucent Imagines rerum ad extra existentium, & si inter parietem, & Solem interponatur corpus diaphanum rubrum, apparet rubor in ipso pariete, qui non potest esse nisi species: Differt tamen visio talium specierum per alias species à visione per species ipsius obiecti realis: quod in visione obiecti realis percipitur obiectum omnimodè, sicuti est: visio verò speciei per species non facit percipere obiectum secundùm omnes partes, sed valdè imperfecto modo.

ADVERTE tamen, quod in tali perceptione speciei non ipsum obiectum, sed species videtur immediatè, mediatè autem obiectum, quia est species causata à specie, vt patet in colore vitri rubei in pariete, qui immittit speciem sui vsque ad oculum, quæ diffunditur per omnem partem: non sic tamen quando vtraque species immediatè causatur ab obiecto: tunc enim obiectum immediatè percipitur completè, vt patet in specie existente in speculo, in quo non species, sed obiectum immediatè videtur per illam speciem: Sic Scot. *lib.* 2. *distinct.* 13. *& lib.* 4. *dist.* 10. *quæst.* 9.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

De Causis specierum, quanam sint.

364. QVÆSTIO hæc potest intelligi de omnibus quatuor causis, sed suprà diximus, species esse formas, seu qualitates formales intentionales, seu vt quo, necessariasque esse ad sensationem, quod & meliùs patebit infrà: Iam circa causam formalem, & finalem non est, cur immoremur: Quæstio igitur reducitur ad materialem, & efficientem, nempè quænam sit causa efficienter ipsas producens, & cùm sint formæ accidentales, in quonam subiecto sint, & à quo educantur: quæ duo simul explicabuntur in hac quæstione: Quoad causam efficientem: Aliqui Antiqui dixerunt causam efficientem specierum esse Deum, vel aliquam supernam Intelligentiam: quæ opinio tamen nec innititur vllo fundamento, & vt obsoleta reiicitur ab omnibus Scholis: hac igitur omissâ Sententia.

PRIMA opinio est Ianduni, Apollinaris, Aliquorumque Aliorum asserentium produci à sensu, admittunt enim sensum agentem, & patientem, sicut & admittitur in intellectu: quæ opinio etiam communiter reiicitur ex rationibus infrà adducendis.

SECVNDA opinio est Suarez *lib. 3. de an. cap. 9.* qui idem ac prima opinio asserit de speciebus internis: externas autem fieri ab obiecto docet: hanc & Alij sequuntur apud Meldul. *disputat. 4. art. 2. num. 54.*

TERTIA opinio est communior asserens causari species ab obiectis: Sic Meldul. *citat. num. 55.* Aliique communiter, qui tamen non explicant, quomodò fiat hæc productio, scilicet, an Physicè per veram causalitatem: an per emanationem: communiter tamen tenetur fieri per emanationem: Seraph. Doct. tamen altiùs, & profundiùs explicat hanc specierum productionem, vt infrà patebit.

QVOAD causam materialem Arriag. *disput. 4. de an. sect. 4. sub. 1.* docet species externorum sensuum recognoscere pro causa materiali materiam primam: Internorum verò sensuum species pariter fundari in materia: in brutis verò fundari in anima: communiter asseritur educi species de potentia subiecti: Sic Complut. *disputat. 18. de an. quæst. 4.* Meldul. *citat. num. 49.* Seraph. Doct. differenti modo à cæteris procedit, negatque species habere subiectum materiale ex quo, sed tantùm admittit principium à quo: Pro solutione quæstionis

365. PRIMÒ Notandum ex S. Doct. *lib. 2. dist. 13. art. 3. q. 2. ad arg. & dist. 26. art. 1. q. 3. & 4.* (& alibi traditum est) quod cùm omnia accidentia dependeant à subiecto vt à sustentante: tamen hoc discrimen est inter ipsa, quod aliqua sunt, quæ habent idem subiectum pro causa materiali, & idem pro sustentante: suntque omnia accidentia materialia. Alia sunt, quæ aliud habent pro subiecto sustentante, aliud pro originali, & sunt illa, quæ insunt in subiecto non per modum formæ, vel naturæ, sed per modum habitus, vt sunt gratia, lumen, species intentionales: ista enim habent rationem habitus in subiecto non præcisè per modum inhæsionis, seu informationis accidentalis, sed per modum de-

fetentis, inseruiuntque ad hoc, vt potentia ad plura de se indeterminata determinetur ad vnum, & vt faciliùs operetur vel intensiùs, & perfectiùs: vnde ista accidentia nullum subiectum materiale recognoscunt, ex quo educantur, sed tantùm originale actiuum, & hoc vel est quid superius secundùm perfectam influentiam, sic est gratia Dei, & lumen in aëre proueniens à Sole: vel est à principio pari, vt similitudo speculi in speculo, & speciei ab obiecto, vel est ab inferiori, vt species lapidis in oculo, & in intellectu: istaque duo deriuant non secundùm perfectam, sed secundùm imperfectam influentiam, & causalitatem: prima accidentia, sicut & species sensuum dependent à præsentia obiecti: quæ verò insunt in sensibus internis, & in intellectu, non dependent à præsentia obiecti: & hinc sequitur, quod cùm corrumpuntur, redeunt omninò in nihil, solúmque dicuntur redire in suum principium, quatenùs ab eodem possunt produci similia accidentia.

366. Secundò Notandum ex Seraph. Doct. *Serm.* 11. *Hexaëm. versus finem*, quod, vt dictum est, species intentionales non educuntur ex potentia subiecti, in quo sunt: quicquid dicant Aduersarij, vt Meldul. *disput.* 4. *num.* 49. Lalemandet *de an. disp.* 14. *part.* 2. *decis.* 2. vbi dicit, quod species existentes in aëre educuntur ex ipso aëre ab obiecto, & existentes in oculo educuntur ex oculi potentia eo modo, quo aliæ formæ accidentales educuntur de potentia materiæ primæ, quod tamen est falsum, & inintelligibile, vt infrà ostendetur, sed habent tantùm principium originale effectiuum.

Et si quæras: quomodo id eueniat.

Respondet Seraph. Doct. *lib.* 1 *distinct.* 37. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1 *ad* 1. *& lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 3. *quæst.* 2. *in corp. in improb. tertiæ opin. & propè finem*, *& q.* 1. *ibid. ad* 1. *& Serm.* 11. *Hexaëm. propè finem*: quod Deus dedit virtutem cuilibet rei corporeæ, vt gigneret similitudinem sui ex naturali fœcunditate adiuta maximè à luce existente in corpore quolibet (*ex lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5.) hinc quodlibet obiectum habet vim generandi similitudinem sui, & hoc per generationem, & diffusionem eo modo, quo generatur lux per medium, vt notat *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 3. *quæst. vltim. in corp. & quæst.* 1. *ad* 1. sicut enim in generatione luminis exit & lumen à corpore luminoso, & cum ipso virtus substantialis actiua, qua illud lumen per medium statim se multiplicat *ex lib.* 1. *distinct.* 7. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. Sic & species: obidque (ait *lib.* 2. *distinct.* 10. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad vltim.*) species, quæ est in speculo, dum protendit se ad oculum, non est omninò eadem, sed se multiplicat: idem & asserit *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp. & lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1.

Addit Sanctus Doct. *lib.* 1. *dist.* 37. *cit.* quod radius in aëre vnitur secundùm præsentiam tantùm, non secundùm dependentiam: dependet enim in fieri, & conseruari à suo principio originali *ex lib.* 2. *dist.* 13. *quæst. vltim.* idem & asserit de specie *ibid. quæst.* 1. *ad* 5. ex hoc, quod habet tantùm subiectum deferens: vnde quia exigit tale medium deferens, si circa Solem esset vacuum, non posset diffundere foras suum lumen: idem

&

Digitized by Google

& dicendum de speciebus ex Seraph. Doct. *ibid. ad* 1. *& quaest.* 2. Concluditur igitur ex S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *artic.* 2. *quaest.* 4. *in corp. in* 2. *opin.* quod duo sunt necessaria in medio, ad hoc vt abstrahatur species ab obiecto, nempè lux, & diaphaneitas: per primam abstrahit potentia ipsam speciem, & per secundam defertur ad ipsam potentiam, & in ipsa suscipitur: habet enim species aliqualem similitudinem cum luce: His positis.

367. PRIMA CONCLVSIO: Species non habenr propriè causam materialem, ex qua educantur, & à qua intrinsecè in fieri, & conseruari subiectiuè dependeant: Est Seraph. Doct. *citat. in* 2. *Notab.* contra communem.

PROBATVR: Si species educitur de potentia subiecti, vel est eadem, quæ defertur ad medium, & ad potentiam, vel non: si primum dicatur: ergo accidens transit de subiecto in subiectum, quod est falsum apud Aduersarios: si secundum dicatur, vt verè dicunt, sequitur, quod non ab obiecto, sed aliundè dependeant in fieri. Tum quia species non dependent in fieri à subiecto: ergo nec ab eo educuntur. Tum quia multæ producuntur in intellectu. Tum quia non habent materiam ex qua, &c.

DICES: Sunt accidentia materialia, ergo educuntur de potentia materiæ, sicuti cætera accidentia.

RESPONDETVR negando species esse propriè accidentia materialia, sunt enim quid abstractum à materia, vt dictum est: negaturque consequentia ex traditis *in* 1. *Notab.*

DICES secundò, Seraph. Doct. appellare species sensibiles concretas materiæ: ergo sunt materiales: sed iam suprà *in praeced. quaest. in* 1. *Notab.* explicatus fuit sensus Seraph. Doct. nec est contrarius huic Conclusioni.

SECVNDA CONCLVSIO: Species effectiuè ab obiecto generantur: Sic S. Bonauent. *Serm.* 11. *Hexaëm. aliisque locis cit.* contra Iandunum, Aliosque asserentes species produci per sensum agentem, seu per actiuitatem sensus.

368. PROBATVR ex Seraph. Doct. Quia dedit Deus cuilibet rei corporeæ fœcunditatem, & vim generandi sui simile, vt patet in omnibus rebus. Tum quia talis productio non excedit vim causæ creatæ, vt ostendit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 9. *art.* 1. *quaest.* 1. vbi docet, quod generatio est perfectio tributa à Deo omni creaturæ: generare autem dicitur tripliciter: primò per impressionem suæ similitudinis in alio, vt lumen à luminoso, species ab obiecto: secundò per eductionem speciei consimilis ab alio, vt elementum ab elemento: tertiò per productionem similis de simili, & iste modus est in animatis, diciturque secundùm nascentiam, estque cæteris nobilior, propriusque solùm substantiarum habentium vitam: primus verò est omnium imperfectior, & ideò subdit *Serm.* 11. *Hexaëm.* principium originatiuum speciei est medium inter materiale, & effectiuum, ex hoc scilicet, quod tales species deficiũt à perfecta similitudine, & earũ productio à perfecta efficientia per veram causalitatem: nec id est nouum in Philosophia, cùm tali modo etiam diffunduntur per medium qualitates sensibiles caloris, frigoris, &c. sic diffunduntur: ergo & istæ intentionales, & Arriaga *disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 31. licèt

x diuersis principiis: ex qua doctrina sequitur, quod species eiusdem rationis, sicut lumina distinguantur in medio per suas origines, vt docet *lib. 2. dist. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. in corp.* non enim dependent à suo subiecto, in quo sunt tantùm vt in deferente, non vt sustentante: ideò nec plus sunt duæ, quàm vna: verum tamen est, quod si comparentur ad subiectum, in quo sunt, si subiecta sunt diuersa, tunc numerantur ad numerationem subiectorum: Sic *lib. 2. distinct. 13. quæst. vlt. & lib. 1. dist. 37. part. 2. dub. 4.*

RATIO autem est, quia si comparentur ad id, cuius sunt, ducunt in vnicam veritatem, ideò per talem respectum non numerantur nisi ad numerationem suæ originis: si verò comparentur ad id, in quo sunt: quia in pluribus subiectis diuersas affectiones producunt, tunc ad plurificationem ipsorum & ipsæ plurificantur.

OBIICIES: Si species non multiplicantur nisi penes originalia principia, sequitur, quod species possit transire de subiecto in subiectum, scilicet de obiecto in medium, & de medio in potentiam: ergo.

369. PRO responsione Seraph. Doct. affert pulcherrimam doctrinam *lib. 1. distinct. 37. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 1.* dicens, quod generatio sensibilium in medio est per diffusionem scilicet generationem: Idem dic de speciebus *ex lib. 2. distinct. 13. quæst. vlt.* vnde non numeratur vox, sicuti nec lux, nisi ad numerationem susceptibilis: vnde in aëre lux, sicut species per ordinem ad suum originale principium est multiplicabilis non multiplicata: hæc vnitas desumitur penes principium originale: at in subiecto non est amplius eadem, quia est multiplicata: hinc addit *lib. 2. distinct. 10. art. 3. quæst. 1. ad vltim.* quod species, quæ est in speculo, dum se protendit ad oculum, non est omninò eadem, sed se multiplicat. Et hinc Respond. obiectioni *ex lib. 2. distinct. 3. part. 2. cit.* distinguendo Maiorem: Species transit de subiecto in subiectum subiectiuè, & dependenter, nego maiorem: transit emanatiuè, & productiuè, concedo: diffunduntur enim per generationem per medium eo modo, quo lux, nec habent distinctionem numericam nisi penes principium originale: vnde licèt species, quæ diffunditur per medium, non sit omninò eadem per omnem partem, nec est tamen diuersa numero ob rationes dictas: & hinc S.Doct. *Serm. 11.* appellat hanc productionem specierum mirabilem, sicut & est productio lucis.

OBIICIES secundò: Quod non est operatiuum, nihil potest producere, sed qualitates existentes in obiecto, verbi gratiâ, albedo, nigredo non sunt operatiuæ saltem effectuum diuersæ speciei, ergo nec sunt productiuæ specierum.

RESPONDETVR distinguendo Maiorem: Quod non est operatiuum vel per verum influxum, realemque motum, vel intentionaliter, scilicet per minimam actionem, quæ ob id appellatur potiùs pullulatio, quàm emanatio, concedo Maiorem: Minor autem est vera de actione Physica; non de intentionali, &c. Sic negatur consequentia.

370. TERTIA CONCLVSIO: Vna species potest aliam producere consimilem in alieno subiecto, sed dependenter saltem originaliter ab obiecto: Infertur.

Digitized by Google

Infertur ex traditis ex S. Doct. & eſt Ruuij hîc *q.* 10. *n.* 119. Aliorumque contra Aliquos aſſerentes ſpeciem poſſe produci ab alia ſpecie immediatè abſque dependentia ab obiecto; & cõtra Scotum, & Sequaces aſſerentes omnem ſpeciem produci immediatè ab obiecto: hincque S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5. docet, quod lux perfectè ſe non communicat primo ſplendori, qui exit, & ideò influit ei virtutem producendi alium, vt in pluribus faciat, quod non in vno: & *lib.* 2. *diſt.* 10. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad vltim.* dicit, quod ſpecies, quæ eſt in ſpeculo, dum ſe protendit ad oculum, non eſt omninò eadem, ſed ſe multiplicat, idque etiam virtute lucis ad talem multiplicationem concurrentis: Idem & D. Thom. *quæſt.* 16. *de verit. art.* 1. *ad* 1.

PROBATVR autem prima pars experientia obiecti à tergo poſiti, & viſi in ſpeculo per reflexionem: Non enim poteſt videri per ſpeciem immediatè productam ab obiecto, cùm ratione ſitus, & diſtantiæ non poſſet eam immittere in oculum, ergo id fit per ſpeciem productam ab eo in ſpeculo, ratione cuius idem obiectum apparet in eodem ſpeculo ab ea repræſentatum: ſed non poteſt videri niſi per ſpeciem ab alia ſpecie productam in oculo, quam cùm non poſſit obiectum per ſe producere, neceſſe eſt, vt eam producat media eadem ſpecie in ſpeculo reflexa, & ita vna ſpecies alteram producit.

PROBATVR Secunda pars, ſcilicet, quod talis productio fiat dependenter ab obiecto: Quia ſpecies eſt virtus obiecti, & per diffuſionem ſuæ virtutis addita luce adiuuante, & multoties ipſa potentia, vt ſuo loco dicetur, exercet hanc vim productiuam: quare in quacunque potentia ſpecies à ſpecie producitur dependenter ab obiecto vel actualiter, vel originaliter.

OBIICIES primò: Species eſt repræſentatiua rei, à qua procedit, ſed omnes ſpecies repræſentant obiectum: ergo à ſolo obiecto procedunt.

RESPONDETVR à ſolo obiecto dependere vt à cauſa principali, non vt à cauſa inſtrumentali, quales ſunt ſpecies, quæ ſunt virtutes obiecti.

OBIICIES ſecundò: Si ſpecies ſpeciem poſſet producere, eam produceret eo modo, quo ipſa ab obiecto producitur, ſcilicet verſus omnem partem medij, & loci, ſicque obiectum extra cubiculum, eiuſque feneſtram exiſtens poſſet videri in quocunque angulo cubiculi, quod eſt contra experientiam. Et Confirmatur, quia S. Bonauent. comparat productionem ſpecierum productioni luminis, quod extenditur in cubiculo verſus omnem partem.

RESPONDETVR conceſſa Maiori, ſcilicet ſpecies produci verſus omnem partem, negatur ſequela Minoris; quod obiectum tale poſſit videri in quocunque angulo cubiculi, eo quia obiectum licèt de ſe producat ſpeciem verſus omnem partem, non tamen vt obiectum viſus: ſic enim vt tale multiplicat ſpecies per lineam rectam, ſeu, vt dicit S. Bonau. *lib.* 4. *diſtinct.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 4. ſecundùm triangularem directionem, licèt non cum omnimoda rectitudine, vt aduertit cum Toleto *quæſt.* 34. Ruuius: & ideò non ſequitur, &c. Et ad Confirmationem ex S. Doct. comparationem fieri inter lucem, & ſpecies quoad principium

cipium originale, & quoad diffusionem, non quoad virtutem: est enim maior incomparabiliter in luce: vnde potest lux ab extra adueniens extendi per totum in cubiculo, non sic species: lux enim, ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 13. *quæst. vlt.* habet non solùm esse intentionale, sed etiam aliquo modo naturale.

DICES: Species in medio est separata ab obiecto: ergo ab eo independenter operatur.

RESPONDETVR esse separatam, sed tamen est virtus, & cum ipsa est lux, & virtus obiecti, &c. Sed vt hæc dicta meliùs intelligantur, & vt plenè satisfiat titulo quæstionis propositæ; aliqua dubia proponuntur, & soluuntur.

371. QVÆRES primò: An hæc diffusio specierum sit successiua, an instantanea.

RESPONDETVR eo modo, quo S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 2. *quæst. vlt. ad* 1. respondet simili quæsito de radio, quod applicat etiam speciei locis citatis, nempè posse dici vtrumque probabiliter, & primò, quod fiat diffusio successiuè, sed tamen in tempore imperceptibili: secundò, quod fiat instantaneè eo, quia iste motus non est localis purè, sed est diffusionis, qui est generatio: lux enim simul est, & simul lucet: sic obiectum simul est, & simul generat idolum: Subdit: vnde si simul esset homo, & simul generaret, in primo instanti fuisset totus mundus plenus hominibus.

372. QVÆRES secundò: An quodlibet obiectum producat speciem suam. Et dubitatio est non de sensibili per se proprio: certum enim est ex traditis producere proprias species: sed procedit primò de substantia, secundò de sensibilibus communibus: Et quoad substantiam communiter negatur ipsam producere propriam speciem: licèt Conimbric. 3. *de an. cap.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1. & Aliqui Thomistæ asserant cogitatiuam potentiam, statim ac recipit speciem sensibilem, eruere etiam speciem substantiæ ibi latentem. Quoad sensibile commune Aliqui negant: Alij affirmant apud Mastrium *disp.* 4. *num.* 59. Hinc

RESPONDETVR primò substantiam immittere propriam speciem, quod infertur ex doctrina Seraphica suprà allatâ *ex Serm.* 11. *Hexaëm.* ex eo, quod quælibet res corporea habet innatam vim fœcunditatis, qua potest generare similitudinem sui, ergo & substantia. Verum quidem est, quod sensus non percipit nisi sensibilium species, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 10. *artic.* 7. *quæst.* 1. *in corp.* attamen licèt non percipiatur à sensibus nisi species accidentium, cùm talibus speciebus deferuntur etiã species substantiæ ad sensus internos, & deinde ad intellectum, hincque appellat S. Doct. hanc specierum generationem mirabilem: idque etiam asseritur à Iauello *lib.* 7. *Metaph. quæst.* 3. *versus finem.* Soncin. *lib.* 7. *Metaph. quæst.* 14. & est opinio Plurium Thomist. inclinat Anton. Andr. 7. *Met. quæst.* 4. *in resp. ad vlt. argum.* Iandun. *lib.* 1. *quæst.* 10. *de an.* Abulens. *in Matth. cap.* 25. *q.* 608. Caiet. 3. *part. quæst.* 76. *artic.* 7. Ferrar. *lib.* 3. *quæst.* 3. Appollinar. *quæst.* 12. Auuer. 2. *de an. com.* 63. D. Thom. *de veritat. quæst.* 10. *art.* 5. *& lib.* 2. *Post. text.* 27. *& op.* 29.

RATIO potissima est, quia intellectus, si intelligeret substantiam per species accidentium, nullam substantiam

tiam

Digitized by Google

tiam, cognosceret quidditatiuè, & perfectè: cognitio enim quidditatiua est solùm perfecta per vnionem rei, vel propriæ speciei cum potentia: idque maximè est verum de cognitione intellectiua, licèt etiam ab Aliquibus apud Conimbric. *cit.* extendatur etiam ad cognitiuam potentiam sensitiuam. Vide, quæ infrà traduntur *à num.* 544.

OBIICIES cum Meldul. *disp.* 4. *num.* 57. Quod sequeretur Mysterium Eucharistiæ posse naturaliter cognosci, quod est falsum.

PROBATVR sequela, quia in tali casu non erueretur species substantiæ, quæ ibi non adest, sicque cognosceretur ab intellectu ibi non adesse substantiam.

RESPONDETVR negando sequelam: Et ad probationem Respondetur, quod quantitas, cùm ibi acquirat quoddam esse per se proprium substãtiæ, etiam transmittit speciem proportionatam substantiæ, in quo natura indicat ibi esse substantiam, quæ cognitio posteà corrigitur à fide, &c. Vide S. Bonau. *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad vltim.*

OBIICIES secundò: Sensus externi sunt portæ, per quas intrat in animam, quicquid cognoscitur, sed non percipiunt speciem substantiæ: ergo nec per ipsos intrant species ipsius.

RESPONDETVR concedendo Maiorem, & negando, quod per ipsos non intrent species substantiæ, sed inuolutæ speciebus accidentium, & quia sensus externi non habent capacitatem talis perceptionis: hinc remittitur earum perceptio ad potentias capaces. Vide S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. *& quæst.* 1. *ad* 1.

373. QVOAD sensibilia communia, an immittant proprias species: Multi negant, vt Cardin. de Lugo *tom. de Euchar. disp.* 5. *sect.* 4. Bonaspes, Aliique plures: Alij affirmant, nempè plures Thomistæ, & Scotistæ apud Arriag. *d.* 6. *sect.* 1. *subsec.* 8. *n.* 66. Discrepant tamen inter se: nam Aliqui admittunt duas species realiter distinctas emitti, scilicet ab obiecto proprio, & à communi: Alij dicunt emitti speciem sensibilis proprij, sed modificatam à situ, figura, &c. eo modo, quo est obiectum modificatum, & ideò immittuntur duæ species per modum vnius: & hanc existimo conformem sensui Seraph. Doct. nam *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* docet figuram emittere speciem cum numero: vnde tres figuræ tres emittunt species cum speciebus numericè distinctis, & *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. docet, quod Imago rei corporalis, & sensibilis repræsentat rem secundùm exteriorem dispositionem: idem *lib.* 2. *distinct.* 16. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. docet sensus corporales non posse aliquid percipere, nisi percipiatur etiam extensio quantitatis: & *lib.* 4. *dist.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.* dicens, quod visus non abstrahit à quantitate, quia est de ratione sensatorum, & percipere habeat corpus secundùm modum existendi corporalem: ergo ad mentem Seraph. Doct. cùm quælibet res habeat vim generatiuam suæ similitudinis ex suprà traditis, & cùm percipiatur à sensu cum tali modificatione, nempè secundùm modum existendi corporaliter, sequitur, quod ambas species percipiat sensus per modum vnius.

PROBATVR autem, quia sensus non percipit obiectum vt abstra-

ctum, verbi gratiâ, colorem vt abstractum, sed in concreto secundùm proprium modum, quem habent in re: ergo secundùm modificationes, quas habet à sensibilibus communibus, sed non immutant talia obiecta, nisi eo modo, quo percipiuntur: ergo per modum vnius immutant sensus. Tum quia sensibilia communia non sunt obiecta primaria sensuum, & consequenter nec separata à propriis sunt immutatiua sensuum, sed vt aliquid eorum sunt & ipsis naturaliter coniuncta: ergo nec possunt imprimere speciem sui in sensu, nisi præsuppositâ immutatione facta à proprio sensibili, sed nec propria possunt immutare, nisi secundùm modum existendi naturaliter, idest vt determinata, & modificata à communibus: ergo neutrum per se, sed tantùm ambo simul possunt producere species per modum vnius.

Dices: Potest sensibile commune absque proprio immutare sensum: ergo per se speciem immittit.

Probatur antecedens à Caiet. Cœlum nullum sensibile proprium habet,& tamen si quis tangeret ipsum manu, tactus immutaretur: ergo.

Ruvius respondet, quod non posset fieri immutatio ex defectu qualitatum sensibilium propriarum: Sed Nos cum Seraph. Doct. Respondemus Cœlos immittere proprias species, & ipsorum sensibilia communia, habereque etiam propria sensibilia, verbi gratiâ, raritatem, densitatem, obidque talis tactus, licèt non esset consimilis his inferioribus, tamen & posset fieri. Tum etiam quia esset tactus præternaturalis.

Dices secundò: Aliquando visus fuit Christus in specie pueri in hostia,& tamen est ibi indiuisibiliter: ergo falsum est exigi sensibile commune ad sensationem.

Respondet S.Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 10. *cit. quæst.* 2. *in corp.* negando ibi videri Christum, sicuti est in hostia: sed id, quod videtur, est secundùm apparentiam per corpus assumptum, vel alio modo, de quo aliàs, &c. Immò ex hoc confirmatur nostra Conclusio, nempè non posse percipi sensibile proprium absque sensibili communi, & hoc est fundamentum communis Sententiæ asserentis non posse videri Corpus Christi, prout est in Sacramento Eucharistiæ: est enim ibi corpus indiuisibili modo: at quicquid videtur oculo corporeo, debet videri diuisibili modo, scilicet cum extensione: de quo in Theologia est Sermo: Alensis tamen iudicat id posse fieri de potentia Dei absoluta, Beatamque Virginem vidisse Christũ tali modo.

374. Quæres tertiò; Quodnam propriè sit subiectum deferens species ad potentias internas.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad vlt.* quod species diffunduntur per generationem per medium, & recipiuntur in potentiâ, prout dicit quid constitutum complete ex parte illa organica, & animæ facultate, licèt receptio sit principaliter ratione organi: Sic & Scotus apud Meldul. *disp.* 4. *num.* 46. tale enim compositum est subiectum proportionatum ad immutandam potentiam, & faciendam sensationem.

Addimus ex tali organo deinde multiplicari, & diffundi ad potentias internas, vel per neruos, vel quod est probabilius, per spiritus animales, seu vitales, vt volunt plures cum Auersa,

Auersa, quia, vt dicit Seraph. Doct. *in Opusc. de reduc. artium post initium* Spiritus sensibilis naturam luminis habet, & in neruis viget, quorum natura est clara, & peruia, & multiplicatur in istis quinque sensibus secundùm maiorem, vel minorem depurationem, à quibus fit apprehensio per speciem proportionatam vnicuique. Et probatur, quia spiritus sunt in continua agitatione, & ex varia agitatione ipsorum variæ excitantur sensationes in nobis: ergo & ipsi spiritus sunt medium deferens.

QVÆSTIO VI.

An Species sint diuisibiles: an indiuisibiles.

375. QVÆSTIO hæc inseruire debet pro complemento quæstionis præcedentis de causis specierum: Quærimus enim, quo pactò producantur species, scilicet an diuisibiliter, an indiuisibiliter: & quia diuisibilitas alia est extensiua, alia intensiua, de vtraque procedit quæstio: sed cùm species aliæ sint sensibiles, seu propriæ sensuum, aliæ intellectuales, quia quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur, ideò certū est species sensibiles, quæ recipiuntur in sensibus, esse extensas in subiecto, quod informant, & afficiūt: intellectuales verò esse indiuisibiles: & de hoc non procedit difficultas: Sed quia species habent esse repræsentatiuum obiecti: Quæritur; an habeant diuisibilitatem, vel indiuisibilitatem obiectiuam, ita quod tota species totum obiectum repræsentet, & quælibet pars partem, vel totum obiectum. Præterea, quia obiectum est receptiuum plurium graduum qualitatis in eadem parte, Quæritur; an etiam species sit capax talis intensionis in repræsentando.

PRIMA Opinio negat diuisibilitatem omnem speciei: obiectiuam quidem indiuisibilitatem sustinent Conimbric. *hîc quæst. 6. art. 2.* Tolet. Bannez, Aliique plures: Intensiuam Alij apud Ruu.

SECVNDA Opinio tribuit vtranque diuisibilitatem speciei: Sic Suar. *de an. 3. cap. 2.* Hurtad. Arriag. Cauel. Ruuius, Meld. & Alij: & est S. D. *infrà citat.* Pro solutione quæstionis

PRIMÒ Notandum, quod effectus prouenientes à sua causa duplici modo se habent ad causam, sicut & duplex est causa agens: alia per modum naturæ puræ: alia per modum exemplaris, & artis: vnde effectus alij habent tantùm rationem effectus: alij & superaddunt rationem imaginis: primi generis effectus, qui continentur in virtute suæ causæ, ab eadem producuntur, ita vt totus effectus à tota causa, & à qualibet parte causæ, cùm in qualibet parte adsit virtus eiusdem effectus productiua, sic ignis producitur non solùm à parte ignis immediatè tangente passum, sed & ab alia comparte remotiori, & intrinseca, quia totus ille ignis agit vt vnum agens media virtute à toto igne prouenienté. Effectus verò secundi generis ita continentur in virtute suæ causæ, nempè obiecti, vt ad ipsam repræsentandam determinantur non solùm in specie, sed & in indiuiduo, & secundùm omnes suas circunstantias exteriores, & indiuiduales: vnde ad ipsum efficiendum concurrunt omnes

Digitized by Google

partes causæ secundùm concursum partialem, eo quia diuersas circunstantias habent in se peculiares, & indiuiduales. Et hinc oritur discrimen inter species sensibiles, & intellectuales: illæ enim, (ait S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& lib.* 2. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4.) debent repræsentare obiectum secundùm dispositiones exteriores, præcipuéque secundùm extensionem molis, istæ tantùm secundùm intimitatem, & essentialia: vnde vtraque habet rationem repræsentatiuam diuisibilem, sed differenti modo.

376. Secundò Notandum, quod omne agens in agendo agit sphæricè in medium, dummodò non sit impeditum, in quo casu agit hemisphæricè, obidque medium se habet ad instar puncti in medio collocatum: Ex quo sequitur, quod in quolibet puncto adsunt species omnium partium obiecti, dummodò ab illis partibus possit duci linea recta: id patet experientia: quia in quolibet puncto medij non vna pars sola, sed omnes partes obiecti videntur, in quo obiecto, si partes sunt vnitæ, etiam species erunt vnitæ, si diuisæ, vel sint plura obiecta, tunc species erunt diuisæ, inconfusæ, & distinctæ in eodem medio, & ideò etiam si subiectiuè, nullam haberent extensionem: obiectiuè tamen ipsam habent: His positis sit

377. Prima Conclusio: Species sensibiles diuisibiliter, & extensiuo modo producuntur ab obiecto, & ipsum repræsentant diuisibiliter: Est S. Bonauent. qui *lib.* 2. *distinct.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 5. *ad oppos.* notat id, quod patet experientia, scilicet, quicquid videtur, videtur sub angulo, & quantò à remotiori aliquid videtur, tantò minorem generat speciem, & videtur sub angulo acutiori: ex quo sequitur, quod repræsentat etiam: Idem & sustinere debet, dum comparat productionem specierum productioni luminis per medium *ex lib.* 2. *dist.* 13. *quæst. vltim. & pœnult.*

Probatur primò experientia allata à *cit.* Authore: Si in præsentia alicuius augeatur obiectum per nouam rem extensam successiuè additam, tunc patet etiam superaddi nouam partem speciei, non totam speciem, alioquin repræsentaret obiectum differenti modo, ac est: quodque patefit magis, si obiectum sit heterogeneum, & constans diuersis coloribus.

Dices, in tali casu corrumpi priorem speciem, & denuò produci nouam cum illa parte superaddita: Sed

Contra: Quia hoc est gratis dictum & absque vlla ratione, cùm species sensibilis ab obiecto præsente dependeat in esse, & in conseruari, solúmque deperditur ad remotionem eiusdem obiecti: ergo si non remouetur obiectum, nec species corrumpitur.

Obicies primò: Lumen producitur à corpore luminoso ita, quod totum per modum vnius agentis, & singulæ partes ad ipsum concurrunt: ergo quælibet pars luminis dependet à toto, & totum lumen à qualibet parte: ergo & producitur indiuisibiliter: sed lumen est species lucis, ergo & cæteræ species.

378. Respondetur primò, transeat Maior, & distinguendo Min. lumen est species lucis purè intentionalis, nego, partim naturalis sensibilis, & partim intentionalis, conce

concedo : Hinc negatur paritas de cæteris speciebus : nam lumen producitur à corpore luminoso per modum agentis naturalis, species per modum imaginis : vnde tota species à toto obiecto, & pars à parte producitur, vt dictum est *in 1. Notab.*

Respondetvr secundò negando absolutè Maiorem : nam oppositum patet experientia : vt si corpus luminosum sit partim emittens lucem per vitrum coloratum, partim absque vitro colorato, tunc medietas lucis erit colorata, & altera non : ergo signum est produci diuisibiliter ex hoc, quod est species lucis.

Obicies secundò : Multa grana minuta simul coniuncta videntur, quæ seorsim non viderentur : ergo simul concurrunt per modum vnius agentis indiuisibilis.

Respondet Seraph. Doctor *Lib. 2. dist. 13. quæst. vltim. ad argum.* negando illa obiecta concurrere per modum vnius agentis indiuisibilis, cùm habeant propriam distinctionem ex suo originali principio, & ob id in medio remanent inconfusa, & indistincta, & si quodlibet illorum corpusculorum seorsum non videretur, id prouenit ex debilitate potentiæ, quæ, vt notat Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 8. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad 5.* est virtutis limitatæ, nec potest cognoscere in quantacunque distantia : Verum tamen est vnam speciem in potentia coadiuuare aliam eo modo, quo plures trahunt nauim, & plura lumina meliùs videntur in aëre.

Obicies tertiò : Si plures species simul sunt inconfusæ in eodem puncto : ergo dabitur penetratio ipsarum inter se, quod videtur impossibile, verbi gratiâ, reperiri tot species in oculo, quot in maximo monte. Tum quia deberent repræsentare obiecta varia in eodem situ.

Respondetvr concedendo hanc penetrationem : non enim sunt corpora, sed accidentia intentionalia, obidque nec faciunt molem vnam, sed cùm ipsorum esse, & distinctio dependeat à suo principio, nempè ab obiecto : hinc cum hac penetratione seruant suum proprium statum repræsentatiuum obiecti secundùm situm, & alias circunstantias proportionatas : ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 37. p rt. 2. quæst. vltim. in corp.* quia species in organo, seu potentia non habent situm, vel ordinem secundùm situm, sed æqualiter sunt præsentes aspectui, ideò possunt esse in anima absque confusione, & compenetratione.

379. Secvnda Conclvsio: Species sunt etiam diuisibiles secundùm intensionem : Est S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 23. citat.* & communior Ruuij, Meldul. *cit.* &c.

Ratio potissima est, quia cùm virtus obiecti sit limitata, etiam limitatè agit, scilicet vniformiter difformiter : & hinc in maiori distantia emittit speciem remissiorem in repræsentando obiectum : quæ omnia patent experientia : sed hîc est notandum ex Ruuio hîc *num.* 110. quod intensio hæc potest intelligi dupliciter : primò, quatenùs potest repræsentare plures, vel pauciores gradus intensionis obiecti : secundò ex eo, quod eosdem potest repræsentare magis, vel minùs perfectè, & vtraque est duplex, scilicet vel formalis, vel virtualis : prima est, quam ha-

Digitized by Google

bent qualitates sensibiles per additionem graduum, quam & habent species ipsos gradus repræsentantes, verbi gratiâ, 3. 4. vel plurium graduū albedinis: Secunda est perfectio essentialis, & entitatiua, quam habet in se obiectum ex propria natura quantumlibet indiuisibili, quam S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 14. quæst. 2.* appellat quantitatem virtutis, secundùm quam magis, vel minùs clarè potest percipi à potentia, quæ circa illud versatur, & hæc est, quæ est in Diuina Essentia à Beatis magis, vel minùs percepta clarè, estque virtualis in obiecto, & formalis in intellectu actu illud videnti: & hinc cùm ipsa Essentia Diuina sit infinitè intensa virtualiter, ideò non potest comprehendi ab intellectu creato, in quo datur gradualis latitudo: Modò ad rem dicimus: aliqua obiecta habent vtranque intensionem, nempè gradualem latitudinem qualitatum, scilicet quatenùs habent tot gradus qualitatum, & quatenùs sunt perceptibiles secundùm magis, vel minùs: alia virtualem tantùm, scilicet quæ graduali latitudine carent in propria entitate, vt sunt sensibilia communia, magnitudo, numerus, & figura: vtraque tamen causant in specie formalem intensionem, obidque & diuisibilitatem intensiuam.

Obiicies primò: Dantur sensibilia communia carentia intensione: ergo & earum species.

Respondetur carere formali, non verò virtuali intensione: hinc ex traditis negatur Consequentia.

380. Quæres: vndenam oriatur intensio in speciebus.

Respondetur, quod intensio formalis specierum externorum sensuum oritur ex ipsa qualitate intensa: Virtualis ex maiori vicinitate, & clariori perceptione obiecti, quæ etiam in statu innocentiæ adfuisset, (ait S. Bonau. *lib. 2. dist. 23. cit.*) sed absque periculo deceptionis, vt euenit in nobis. Quoad actus internos Dicimus augeri, & intendi ex iteratis actibus, quando præcipuè abstrahunt à quibusdam circunstantiis loci, figuræ: vt de se patet ex repetita recordatione: Si verò species non ita abstrahunt à talibus circunstantiis, sed illas repræsentant clarè, tunc & nouæ generantur, quarum concursu etiam priores intenduntur: Idque patet experientia: cùm enim sæpè repetitur lectio, vel concio, meliùs memoriæ mandatur, & in dies clariùs noua veritas percipitur per acquisitionem nouarum specierum, & intensionis habitus, ad quarum speciem obiectum relucens in specie concurrit cum specie, & potentia ad producendam nouam speciem.

Dices, talem facilitatem euenire non ex intensione specierum, sed beneficio habitus generati ex frequentatione actuum.

Respondetur habitum inseruire ad faciliùs operandum, simulque intensiùs: Species verò ad clariùs, & distinctiùs cognoscendum: Ratio est, vt notat Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 14. art. 2. quæst. 3. ad vlt. & in Opusc. de reduc. artium §. Videamus ergo, &c.* quia species, cùm vnitur potentiæ, ex eo quod reddit obiectum præsens, facit ad actualem cognitionem: habitus verò non reddit ipsum obiectum præsens, sed reddit potentiam facilem ad actum: vnde infert *lib. 2. dist. 23. art. 2. quæst. 1. in corp.* quod Adam in cognitione proficere

Digitized by Google

ficere poterat quantum ad maiorem habilitationem, & promptitudinem, seu facilitatem iudicandi de rebus, quarum cognitionem habebat per habitum, seu species innatas.

QVÆSTIO VII.

De Concursu Specierum sensibilium cum sensibus: Vbi de muneribus specierum sensibilium.

381. IN hac Quæstione consequenter quæritur; an species effectiuè concurrant ad actus vitales: an verò materialiter tantùm, scilicet dispositiuè; excitatiuéque, vel solùm determinando potentiam ad talem actum.

PRIMA Opinio est Iavelli 3. *de an. quæst.* 4. Toleti 2. *de an. quæst.* 12. Zabar. *lib. de sensu agente cap.* 8. *&* 9. qui negant aliquam coactiuitatem habere species cum sensibus, sed docent se habere ad potentias tantùm materialiter, & excitatiuè, vel determinatiuè.

SECVNDA est communis apud Scotistas ferè omnes species internas effectiuè concurrere ad sensationem internam tantùm: externas verò solùm vt effectus præuios ab obiectis emanare: non verò actiuè concurrere cum sensibus externis, sed sufficere obiecta præsentia, hæcque immediatè concurrere ad has cognitiones intuitiuas: Sic Tatar. Bassol. Mairon. Aliique apud Meldul. *disputat.* 4. *num.* 102.

TERTIA Sententia est communis Aliorum tribuentium omnibus speciebus concursum actiuum cum quacunque potentia siue externa, siue interna ad actus vitales: & est Seraph. Doct. *infrà citat.* Ca[...]l. Aliorumque plurium: Pro solutione

382. PRIMÒ Notandum, quod cùm Omnes fateantur species immitti ab obiecto in potentiam, eidemque vniri, est maxima difficultas, qualis sit ista vnio: Thomistæ, vt Complut. *hic* Ioan. à S. Thom. *q.* 6. *art.* 3. Aliique, vt defendant cum D. Thoma propositionem Commentatoris dicentis ex potentia, & specie magis fieri vnum, quàm ex materia, & forma, licèt illa vnio sit accidentalis, ista substantialis, distinguunt de specie: vel enim sumitur entitatiuè, & materialiter, & sic est accidens inhærens potentiæ: vel sumitur formaliter, idest secundùm esse intelligibile, & repræsentatiuum, & sic vnitur potentiæ absque dependentia à potentia: sic enim dicit quidditatem obiecti specificans ipsam potentiam, & determinans ipsam trahendo ad se, siue ad obiectum, ipsumque in idem obiectum transformando quoad esse repræsentatiuum, in quo sensu verificatur dicta propositio Comment. nempè, quod magis fiant vnum potentia, & species, quàm materia, & forma: istæ enim duæ entitates non transformantur mutuò inter se; sicut potentia transformatur in obiectum quoad esse repræsentatiuum per speciem: quæ doctrina patitur maximas difficultates, & præcipuè quia non est intelligibile, quod eadem species, quæ entitatiuè est accidens, sit substantia obiecti, & quomodò trahat potentiam ad identitatem realem. Tum quia licèt potentia dicatur intentionaliter transformata in obiectum, quando attingit illud medio actu cognitionis, tamen hæc transformatio

tio non est vera per transitum verum potentiæ in entitatem obiecti, & per veram identitatem, vt satis de se patet. Vide Meldul. *disputat.* 4. *num.* 51.

383. SECVNDÒ Notandum, quod in vniuersum triplex vnio, seu conuenientia potest hic considerari, quantum ad præsentem materiam spectat: alia scilicet commensurationis, seu adæquationis: alia participationis alicuius communis, seu tertiæ entitatis, & alia ordinis: Sic Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. & *lib.* 2. *distinct.* 16. *quæst.* 1. *ad.* 2. Prima est in entitate, seu quantitate: Secunda in vniuocatione duorum in tertio: & tertia est, quando vnum ordinatur ad aliud: prima, & secunda certum est non inesse inter speciem, & potentiam: sed est tertia vnio, quæ ab eodem Seraph. Doct. *ibid. lib.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. dicitur vnio per modum cognoscentis, quatenùs potentia informatur specie, & ipsum actuat in ordine cognoscitiuo completo, nempè per quam ponitur in actu primo, & per speciem expressam receptam in potentia ponitur in actu secundo completo: Idque magis explicat *lib.* 2. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. dicens, quod talis conuenientia ordinis non dicit communicantiam in tertio, sed similitudinem vnius ad alterum: & *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. species, quæ vnitur potentiæ, habet comparationem ad potentiam, in qua est, ad obiectum, ad quod est, & quod repræsentat: hinc sequitur, quòd cùm species sit similitudo virtualis obiecti, ratióque cognoscendi ipsi potentiæ, cùm ipsi potentiæ imprimitur, tunc potentia ponitur in actu primo secundùm rationem exprimendi, vt loquitur Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 39. *quæst.* 1. *ad* 4. seu in esse repræsentatiuo, & cùm additur actus secundus, tunc superadditur locutio, seu species expressa.

384. TERTIÒ Notandum, quod hæc vnio per conuenientiam ordinis importat duo: vnum est ipsa assimilatio potentiæ cum obiecto in actu primo; aliud est constitutio ex potentia, & specie vnius totalis causæ, quod tamen sano modo intelligendum est: Nam potentia, & species concurrunt quidem ad actum cognitionis, non tamen quasi singula sint principium partiale ad partiales effectus, vt sunt plures portantes pondus, sed ambæ agunt cum subordinatione mutua, non quod species agat in animam, nec è conuerso, sed quælibet habet suam propriam actiuitatem, & ambæ conueniunt in vnicam integram rationem formalem principij, vt euenit in Patre, & Matre respectu Filij: quæ exempla afferuntur à Seraph. Doct. in simili *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* & *ad vlt.* & *quæst.* 5. & dicuntur partiales partialitate causæ, totalésque totalitate effectus: totus enim attingitur ab vtraque cum dependentia mutua, ita quod vitalitas actus ipsi inest ratione potentiæ: determinatio verò potentiæ, & assimilatio cum obiecto inest ratione speciei: quæ duæ rationes constituunt vnum principium totale adæquatum. His positis ponitur

385. PRIMA CONCLVSIO: Ex potentia, & obiecto mediante specie fit vnum vnitate tantùm ordinis, & in esse repræsentatiuo, seu intelligibili: non verò per transformationem, vel identificationem, vt volunt Thomistæ: Est S. Bonauent.

cit.

Digitized by Google

cit. Scoti, Aliorumque apud Meld. *disp.* 4. *num.* 51.

Probatvr: Quia nulla alia vnitas potest assignari, & maximè transformatiua Thomistarum: ergo.

Probatvr antecedens: Quia nec vnitas naturæ communis potest eis inesse, vt de se patet, cùm obiectum, & species sint differentis generis: nec transformatiua, & identificationis, quia quæ sunt separabilia actu, ad inuicem non habent identitatem realem: ergo erit tantùm vnio ordinis.

Probatvr secundò: Quia intantùm vniuntur, inquantùm habent constituere vnam causam totalem completam ex pluribus concausis: sed ad id non est necessaria vnio aliqua Physica, vt per se patet in pluribus portantibus idem pondus, in generatione prolis ex Patre, & Matre ex S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 25. *citat.* ergo.

Obiicies ex Auer. Magis fiunt vnum potentia, & obiectum, quàm materia, & forma: sed materia, & forma non fiunt vnum per transformationem: ergo si maior vnio est illa, illa erit identificationis.

Respondetvr talem propositionem esse falsam absolutè loquendo: licèt possit explicari metaphoricè, nempè quoad assimilationem intentionalem factam in potentia respectu obiecti: quod dictum tamen magis verificatur de specie expressa, quàm impressa: illa enim est intentionalis formalis similitudo: hæc verò virtualis tantùm.

386. Secvnda Conclvsio: Species tam externæ, quàm internæ effectiuè concurrunt ad actum vitalem sensationis: Est S. Bonauent. *suprà cit.* & *lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corp.* vbi ait, quod posse sentire est ex coniunctione potentiæ cum organo benè disposito: sentire verò est ex cōiunctione ipsius cum obiecto: quæ vnio non est ipsius obiecti entitatiuè, sed suæ speciei *ex quæst.* 2. *ibid. in fine corp.* & *ad* 1. ergo coniunctio potentiæ cum specie est causa actualis sensationis: Idem apertè docet *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. vbi excipit tantùm cognitionem, quæ habetur ab anima Christi mediante cognitione Verbi Diuini: Idem & in Itiner. ment. *c.* 2. vbi docet speciem esse virtutem obiecti concurrentem cum potentia, ipsamque speciem sæpè appellat rationem cognoscendi.

Probatvr secundò ratione: Potentia de se non est principium sufficiens, & completum ad eliciendum actum; ergo necessariò exigitur concursus actiuus obiecti per speciem: Antecedens conceditur ab Aduersariis: & ratio est, quia si non requireretur species obiecti, potentia posset tendere in quodcunque obiectum siue præsens, siue absens, & quocunque tempore, quod est falsum.

Respondent tamen requiri speciem, vel obiectum vt conditionem sine qua non: non verò vt comprincipium.

Contra, & simul probatur Consequentia: Quia conditio sine qua non non potest assimilare potentiam cum effectu: sed species assimilat potentiam cum obiecto: agens enim semper intendit assimilare sibi effectum, & principium efficiens est principium distinguendi, & assimilandi, vt patet in Patre, & Matre: ergo causalitas tribuenda est speciei in productione sensationis: Tum etiam

Digitized by Google

etiam quia si non concurreret species actiuè, omnes sensationes essent eiusdem rationis, & perfectionis, posset & potentia producere actum etiam, quando adest impedimentum inter ipsam, & obiectum, quando est absens, & quando de illo nunquàm habuit speciem.

PROBATVR tertiò peculiariter de specie externa ex D. August. 11. *de Trinit. cap.* 5. vbi in actu visionis appellat speciem quasi parentem prolis. Tum quia si species externa non concurreret actiuè, sequeretur, quod etiam per spatium vacuum posset videri obiectum, vel per medium opacum, & impeditum.

PROBATVR sequela à Mastrio *citat. num.* 105. quia potens agere in distans actione alterius rationis, qua agit in medium, si hæc impeditur, non idcircò cessat agere in distans: sic Sol illuminans medium, licèt ab illuminatione impediatur ob opacitatem, non tamen cessat agere in subterraneas partes terræ: ergo licèt obiectum non possit immittere speciem ob impedimentum medij, adhuc posset concurrere ad visionem cum potentia actione diuersæ rationis: sed hoc est impossibile, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 5. loquens de luce, & simul de Specie, vbi affert Aristot. 2. *de an. text.* 66. dicentem, quod per vacuum non est videre, & D. August. 12. *Confess. cap.* 3. dicentem, vbi lux esset, si esset, nisi superesset eminendo, & illustrando. Addit Seraph. Doct. quod sensatio non fieret ob præsentiam impedientis, sed ob absentiam adiutorij, scilicet speciei. Tum quia visio intenditur, & remittitur iuxta intensionem, & remissionem specierum: ergo signum est ipsas concurrere actiuè. Tum quia in speculo videtur res à tergo existens, ad quam obiectum immediatè non potest concurrere, sed est species reflexa, quæ agit: sic nummus in fundo vasis aqua pleni videtur ex certo loco, è quo non videretur, si aqua non esset: idque euenit ex refractione radiorum variante medium, qua refractione potest attingere nummus potentiam visiuam mediante specie, quam potentia immediatè non potest attingere. Tum quia ex suprà traditis species possunt videri: ergo immediatè concurrunt. Tum etiam quia alioquin species essent omninò superfluæ. Nec valet dici requiri ad determinandam, & excitandam potentiam, & ad producendas species in sensibus internis: Non valet, inquam, cùm potentia posset determinari à præsentia obiecti, obiectumque posset simul cum potentia media sensatione externa producere species internas.

387. OBIICIES primò: Cognitio est actio vitalis; ergo non potest procedere à principio non viuo, quale est species: alioquin effectus excederet in sua perfectione causam suam.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & distinguendo consequens: Actio vitalis non potest procedere à principio non viuo, vt à totali, & præcipuo, concedo, vt à partiali, & non præcipuo, & simul cum vitali, & præcipuo, nego: sic Sol, & homo generant hominem: & ad illud de perfectione effectus: transeat per ordinem ad causam totalem, negatur de partiali. Tum etiam

quia

Digitized by Google

quia est falsa illa propositio de causa æquiuoca : quare cùm in sensatione, & cognitione duo adsint, scilicet vitalitas actus, & assimilatio cum obiecto : primum principaliter est à potentia ; & secundum à specie, sed simul cogentibus ambabus : quod & patet etiam in actibus supernaturalibus, qui sunt vitales, & simul supernaturales, eo quod habitus non vitales concurrunt ad ipsos.

OBIICIES secundò : Potentia in operatione sua iudicat, vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 8. art. 3. quæst. 2. ad vltim.* at species, vel obiectum non habet vim iudicandi : ergo.

RESPONDETVR ex traditis suprà negando, quod cognitio, & iudicium formaliter consistat in productione actus, sed consistit in receptione eiusdem actus producti à dictis duabus concausis simul cum tendentia in obiectum, quæ receptio fit in potentia : quod & infrà fusiùs tradetur *in tract. de An. rationali.*

OBIICIES tertiò : In actu cognitionis non adsunt duæ formalitates respondentes duabus formalitatibus potentiæ, & speciei : est enim vna simplex actio, maximéque intellectio ; ergo falsum est à specie produci.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4. ad 4.* quod licèt cognitio sit simplex, tamen possunt ad eam concurrere plures formalitates antecedentes : non enim tanta vnitas requiritur in causis, quanta in effectu. Tum etiam quia illæ formalitates respicientes duas concausas non tollunt simplicitatem realem actus.

OBIICIES quartò : Ad sensationem requiritur obiectum præsens, sed in sensibus internis non est obiectum præsens : ergo saltem in sensationibus externis sufficit obiectum præsens ; alioquin non differret cognitio intuitiua ab abstractiua : quia species semper requireretur in quacunque sensatione.

388. HÆC obiectio supponit ad cognitionem abstractiuam requiri obiectum relucens in specie, licèt absens : ad intuitiuam obiectum præsens : petitque celebrem quæstionem, an sensatio externa possit fieri absque obiecto præsente : Idem & de cognitione intuitiua. Communiter à Nomin. Scotist. & Thomist. sustinetur Sententia negatiua, voluntque id implicare contradictionem. Nos ex Seraph. principiis oppositum sustinemus tum supernaturaliter, tum naturaliter : ita etiam P. Baudunius 2. *de an. quæst. 22. & 23.* Aliique apud Ruu. qui idem sustinet supernaturaliter posse fieri : Sic *quæst. 13.*

INFERO hanc Conclusionem primò ex Seraph. Doct. nam *in Opusc. de reduc. artium §. Videamus ergo*, &c. dicit, quod similitudo, seu species complet potentiam, per quod rendit in obiectum (addit) & licèt non semper obiectum ita sentiatur, semper tamen, quantum est de se, gignit similitudinem, cùm est in sua perfectione, idest cùm potentia habet speciem obiecti : ergo licèt immediatè obiectum non sentiatur eo, quia præsens non est, tamen potest sentiri. Ratio autem potissima est ex traditis à Seraph. Doct. in superioribus, quia species dependet intrinsecè à suo originali principio, simulque à virtute ab ipso exeunte, sicut & lux : vnde non implicat etiam naturaliter posse per paruum tempus remanere sensationem existente absente obiecto, ratione virtutis superadditæ ipsi

Digitized by Google

speciei : vnde sicut virtus in lapide impressa absente proiiciente paulatim languescit, sic & species : & est Sententia Aristot. & D.August. apud Ruu. Et Confirmatur, quia obiectum relucet in specie : ergo potest aliqualiter videri etiam in specie, licèt imperfectè, quodque magis patebit infrà in quæstione quinta de auditu : auditus enim fit media specie, & tamen sonus verus, realisque tunc non adest, sed non est maior ratio de auditu, quàm de visu : ergo.

PROBATVR & experientia : Quia si quis apertis oculis aspiciat Solem, & posteà eos claudat, vel aliundè figat aspectum, vel quando respexit colorem rubeum, etiam ipsum videt per paruum tempus, licèt imperfectè, omniaque apparent illius coloris : & si virga ignita velociter in gyrum mouetur, apparet circulus igneus, vbi non est ignis, & baculus apparet fractus in aqua; sic & fiunt ludificationes arte necromanthiæ ope Dæmonum per species à Dæmone impressas in potentia absente obiecto : de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 3. qui id asserit : sic & manna in deserto videbatur habere omnes sapores, qui verè ibi non erant : ergo tales sensationes sunt ratione vel speciei impressæ adhuc durantis, vel ratione speciei expressæ, quæ ibi aliquandiu permanet etiam absente obiecto : tandem quia supernaturaliter nullam video implicantiam : Sic & Suarez *t.* 3. *in* 3. *part. disput.* 53. *sect.* 41. Conimbr. 2. *de an. cap.* 6. *quæst.* 3. *art.* 1. Ruuius 2. *de an. tract. de obiecto, & speciebus quæst.* 13. Molina *in part.* 1. *quæst.* 55. *art.* 2. *disputat.* 2. *membr.* 5. contra Nomin. Aliosque : Deus enim potest supplere per modum efficientiæ dependentiam speciei ab obiecto, vt euenisse creditur in miraculo mannæ habentis omnem saporem, sed sapores tam multiplices ibi non erant, sed tamen immutatio fiebat in gustu manducantium virtute specierum ibi existentium sine reali præsentia. Tum etiam quia Deus potest immittere actum vitalem in potentia absque præsentia obiecti, & probabiliter creditur factum esse, quando Iesus visus est in forma pueri, quando apparuit caro in Eucharistia, in quibus casibus (ait S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.) visus est Christus in signo intentionali : & hinc sumitur ratio efficax, quam innuit S.Bonau. *lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Ad cognitionem rei requiritur existentia rei, sed hæc potest esse in se, & in sua causa, sicut & in simili, idest in specie expressa : ergo & in specie expressa, vel in actu vitali infuso potest cognosci intuitiuè res.

PROBATVR consequentia: Quia ideò obiecti præsentia requiritur, vt subministret speciem potentiæ : sed in tali casu adest species formans potentiam, vel sensum : ergo hoc posito poterit elici sensatio absque obiecto præsente. Tum quia si cognitio rei potest haberi in sensibus internis ipsa re absente, ergo & in externis.

PROBATVR consequentia ex doctrina S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad* 2. *& lib.* 3. *distinct.* 23. *dub.* 4. quia cùm species defertur à sensu vsque ad imaginatiuam, non exit genus abstractionis, quæ quidem fuit in sensu particulari : in vtraque enim cognitione concurrit abstractio speciei, quæ non differt essentialiter in externis, & internis

internis sensibus: ergo. Idem & docet Vasq. *part. 1. disputat. 38. num. 9.* sed tamen Ioan. à S. Thom. in Log. *quæst. 23. art. 2. & de an. quæst. 6. art. 4.* negat paritatem: eo quia, (ait ipse,) in sensatione externa loco speciei expressæ requiritur obiectum præsens, non verò in internis, in quibus adest species expressa, in qua videtur obiectum.

SED Contra: Quia motio à sensibus externis proueniens fit mediante specie, sicut & in internis: ergo sicut recepta specie interna potest potentia exire in actum, cùm sit sufficienter formata in actu primo: idem & omninò currit in sensibus externis.

ADFERVNT varias responsiones Aduersarij, vt videre est apud Meldul. *disp. 5. num. 236.* qui omnes istas mutationes redigunt in imaginatiuam, sed verè non satisfaciunt, cùm in tali cognitione non solùm videatur obiectum, sed & cum omnibus circunstantiis externis magnitudinis, figuræ, distantiæ, vt experientia patet: nec potest dici prouenire ab imaginatione, in qua talis species est impressa: hæc enim operatio posset impediri per imperium voluntatis, & tamen verè non potest impediri: Ex quibus Respondetur Obiectioni factæ, concedendo requiri obiectum præsens, sed tamen vnitum potentiæ mediante specie, vt dictum est: & ad sequelam, quod non differunt cognitio abstractiua, & intuitiua, in sequenti obiectioni respondetur.

389. OBIICIES primò cum Meldul. Quod sequeretur omnem cognitionem esse abstractiuam, & nullam esse intuitiuam, & tamen istæ duæ cognitiones specie differunt per hoc, quod intuitiua est rei præsentis, & præsenter existentis, vt præsens est: abstractiua est rei absentis, vt absens est: sed cognitio externa est intuitiua essentialiter: ergo non potest esse abstractiua: cognitio enim intuitiua dicit respectum transcendentalem ad obiectum præsens, quod & infrà de anima intellectiua fusiùs examinabitur.

RESPONDETVR concedendo cognitionem intuitiuam, & abstractiuam non differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter secundùm magis, & minùs esse perfectum: conueniunt enim in hoc, quod ambæ sunt abstractiuæ, quatenùs in vtraque requiritur abstractio speciei: disconueniunt posteà, quod intuitiua, cùm magis sit imperfecta in sensibus externis, habet maiorem dependentiam ab obiecto, & exigit præsentiam obiecti, & si potest intueri obiectum absens, id potest per modicissimum tempus, vt dictum est, & hinc dicitur intuitiua rei existentis: at abstractiua, cùm sit perfectior, non habet tantam dependentiam ab obiecto, ob id potest etiam intueri obiectum absente, & destructo obiecto per speciem: & per hoc satisfit obiectioni Meldul. simulque magis confirmatur id, quod est traditum suprà, nempè posse potentiam externam percipere obiectum absens saltem per absolutam Dei potentiam, cùm dictæ duæ cognitiones non differant nisi accidentaliter: Vide, quæ traduntur à nobis infrà *part. 3. tract. 2. quæst. 9.*

DICES: Deus non potest exercere defectum causæ formalis, seu materialis: ergo nec supplere informationem speciei.

RESPONDETVR id posse facere

by Google

per modum efficientis, & influentis eo modo, quo dicitur de lumine gloriæ.

Obiicies secundò cum Io. à S. Thom. Differt cognitio externa ab interna, quod illa est experimentalis, ista omninò abstracta, & in alio: sed experimentalis deducitur ab obiecto præsenti, & motione eorum, in quam resoluitur vltimatè omnis sensitiua cognitio externa: Interna verò est in alio, & adhuc resolubilis in experimentalem: ergo cùm differant per experimentum, quod essentialiter requiritur, in sensitiua externa requiritur obiectum præsens.

Respondetur primò negando differre essentialiter istas duas cognitiones: nam species in vtraque cognitione non exit genus abstractionis, vt docet Seraph. Doct.

Respondetur secundò vtranque esse experimentalem, cùm vtraque sit per speciem sensibilem.

Obiicies tertiò cum Serbellon. Non potest dari sensatio absque termino: sed species non est talis terminus: est enim id quo, seu virtus obiecti: ergo aliud requiritur: sed non adest obiectum præsens, ergo talis sensatio erit sine termino.

Respondetur concedendo Maiorem & distinguendo Minorem: Species non est terminus sensationis, vt species est impressa, & virtus obiecti, concedo: vt similitudo obiecti, & expressa, in qua relucet aliqualiter obiectum, nego: & ad consequens

Respondetur requiri obiectum existens vel in se, vel in specie, concedo: sic negatur consequentia.

390. Ex traditis igitur concludendum est speciem esse necessariam ad quamlibet sensationem: harum autem specierum necessitas explicatur à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 17. art. 1. quæst. 2. ad 4. & lib. 1. dist. 39. art. 1. quæst. 1. ad 4. & lib. 3. dist. 14. artic. 1. quæst. 1. ad 2. & in corp. & quæst. 3. ad 6. & art. 2. quæst. 1. ad 1. & 2. & lib. 2. distinct. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1. fund. 5. & in corp. & alibi sæpe* dicente prouenire ex hoc, quod intellectus de se, cùm sit tabula rasa, indiget, ad hoc vt cognoscat obiecta, vt ipsi vniatur, simulque assimiletur, sed non potest immediatè ipsis vniri obiectiuè: quia in ratione entitatis, & obiecti valdè excedit potentiam, sicque nec potest potentia de se assimilari: igitur exigit aliquid, quod sit similitudo obiecti, geratque vices ipsius, sed talis similitudo est ratio cognoscendi ipsi potentiæ, sicque habet & actiuitatem per ordinem ad actum. Et hinc patet, quænam sint ipsius munera: sunt enim duo præcipua: Primum est ponere potentiam in actu primo cognitiuo: Secundum est concursus cum potentia ad actum cognitionis, ad quem ambæ concurrunt, sed dependentia mutua, non quod species agat in potentiam, vel è conuerso, cùm potentia non mutuet suam virtutem à specie: sed quia ambæ sunt simul necessariæ in exercitio suæ virtutis, quam habent de se in actu primo: Vnde, vt dictum est, sunt partiales partialitate causæ, & totales totalitate effectus: quod & magis explicabitur in tractatu de Anima intellectiua.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO VIII.

Expenduntur aliqua de potentiis materialibus, & externis.

391. SVPERSVNT aliqua expendenda pro complemento cognitionis externorum sensuum, quibus sufficit breuis explicatio, quæ sub vnico titulo trademus: suntque sequentia.

PRIMÒ: An sensibile positum supra sensum impediat sensationem.

SECVNDÒ, An excellens sensibile lædat sensum.

TERTIÒ, An sensus decipi possint in sensatione.

QVARTÒ de sufficientia quinque sensuum externorum.

ET circa primum dubium Suarez *de an. lib.* 3. *quæst.* 3. Conimbric. 2. *de an. cap.* 11. *quæst.* 3. excipiunt gustum, & tactum: Scotus cum suis excipit omnes sensus præter visum, quos volunt *citat.* DD. impediri in casu posito: Thomistæ apud Ioan. à S. Thom. *quæst.* 4. *art.* 3. docent verificari hanc propositionem de omnibus sensibus externis, &. eandem existimo Sententiam Seraph. Doct. qui *in Opusc. de reduc. artium* §. *secundum lumen*, *&c.* ait nullam posse fieri apprehensionem in sensibus externis, nisi per aliquam similitudinem, & conuenientiam organi, & obiecti, pro eo quod natura sensus determinata est: Et *ibid.* §. *videamus ergo*, *&c.* addit: In illuminatione cognitionis sensitiuæ est considerari tria, scilicet cognoscendi medium, cognoscendi exercitium, & cognoscendi oblectamentum: medium cognoscendi est similitudo, seu species, quæ egreditur ab obiecto, sicut proles à parente, & hoc generaliter (idest in omni sensatione) realiter, idest per veram immissionem, & generationem speciei (& exemplariter, quæ sit similitudo obiecti) necesse est interuenire in omni sensatione: Illa autem similitudo non facit completionem in actu sentiendi, nisi vniatur cum organo, & potentia: Et cùm vnitur, noua fit perceptio, & per illam perceptionem fit reductio mediante specie in obiectum: & licèt non semper obiectum ita sentiatur, semper tamen quantum est de se, gignit similitudinem, cùm est in sua completione: Explicat postcà alia duo proposita, scilicet exercitium, & oblectamentum cognoscendi sublimissimè, trahitque ad mores totum, quod dicit: Sic & in Itiner. ment. *cap.* 2.

SED ad rem nostram patet Seraph. Doct. velle, quod omnis sensatio fiat per receptionem speciei, obidque semper exigat aliquod medium, & hinc sensibile positum supra sensum impedit sensationem, cùm impediatur medium.

392. ADVERTE tamen ex S. Doct. *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad vltim.* quod duplex est immutatio in sensu: alia naturalis, alia animalis, seu intentionalis, & vtraque est vel perfectiua, vel abiectiua, & læsiua: perfectiua est, quando absque læsione potentia, & organum recipit sensationem absque inordinatione, & cum oblectamento (vt docet *in Opusc. de reduc. artium cit.*) omnis enim sensus suum sensibile conueniens quærit cum desiderio, inuenit cum gaudio, & repetit sine fastidio: Læsiua verò est, quando vel corrumpitur organum, vel impeditur ab eius exercitio,

Digitized by Google

exercitio, vel saltem cum difficultate agere potest, vel cum imperfectione: Addit in Itiner. Ment. *cap.* 2. Intrant hæc sensibilia exteriora per has quinque portas, non per substantias suas, sed per similitudines suas primò generatas in medio, & de medio in organo exteriori, & de hoc in interiori, &c. & tunc delectatur sensus in obiecto per similitudinem abstractam percepto, quando scilicet adest proportionalitas inter obiectum, medium, & potentiam; ita vt non adsit excessus inter receptum, & recipiens: sensus enim tristatur in extremis, & delectatur in mediis: quare in Sententia Seraph. Doct. sensibile supra sensum positum non facit sensationem, scilicet perfectiuam, licèt possit facere læsiuam.

PROBATVR autem: Quia ad hoc vt fiat vnio inter potentiam, & obiectum, requiritur receptio ipsius obiecti, sed non potest percipi secundùm suum esse materiale: alioquin fieret solùm immutatio naturalis, & Physica, læsiuaque, non verò intentionalis: ergo per similitudinem, & speciem tantùm: & licèt aliqui sensus vt gustus, & tactus videantur fieri per applicationem obiecti materialis, tamen sensatio ipsorum tunc ratione talis tactus non fit, sed per receptionem speciei, quæ necessariò immittitur per medium, nempè per carnem coopertam pellicula, vt patebit in sequentibus suo loco, & docet Seraph. Doct. *lib.* 4. *infra cit.* Et hinc infert Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. quod solùm sensus visus, & tactus, & forsan etiam auditus erunt in actibus suis in patria, quia adsunt media sufficientia ad immittendas species proprias: non verò cæterorum sensuum ob deficientiam medij.

QVOD verò per appositionem sensibilis super sensum fiat immutatio naturalis, & vt plurimùm læsiua.

PROBATVR: Quia dum non adest proportio in receptione sensibilis inter obiectum, & potentiam, tunc fit tristatio: organum enim est mixtum ex quatuor elementis cum temperamento, & harmonia: ergo si alteratur tale temperamentum, tunc fit immutatio Læsiua: Tum quia species (ait S. Doct. in Itiner. ment. *cit.*) habet rationem formæ, virtutis, & operationis, secundùm quod habet respectum ad principium, à quo emanat, ad medium, ad quod transit, & ad terminum, in quem agit: ergo debet habere proportionalitatem cum potentia, ad hoc vt ipsam informet, repleat eius indigentiam, & inclinationem, & oblectet eandem, vt etiam tradit *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. ergo si excedit improportionaliter, lædet ipsam potentiam: Et hæc quoad primam difficultatem.

393. CIRCA secundam, An excellens sensibile lædat sensum: Serbellon. *disp.* 2. *art.* 8. *num.* 112. dicit Nos valdè laborare difficultate in hac quæstione, nec posse rectè explicare hanc læsionem fieri per species intentionales, quod & ipse facit facillimè eo, quod negat istas species, & pro speciebus docet lucem sufficere, & ob id ex nimia luce lædi sensum visus: in Aliis sensibus posteà docet prouenire ex qualitatibus contrariis, quod assertum Serbelloni non caret difficultatibus maximis, & sine dubio maioribus, de quibus sufficienter dictum est supra, vbi probauimus necessitatem specierum

Digitized by Google

ſpecierum in omni ſenſatione, & inſufficientiam lucis.

Hinc omiſſis variis Opinionibus, quas afferunt Ruuius, Meldul. Aliique, reſoluitur hæc quæſtio à Seraph. Doct. breuiter, & ſubtiliſsimè *in lib. 1. diſtinct. 1. artic. 3. quæſt. 1. ad 2.* qui notat hanc propoſitionem non verificari de potentia intellectus, ſed tantùm verificari de ſenſitiuis: quod probatur ab ipſo Seraphico ex triplici capite: tum ex parte potentiæ, ſeu organi: tum ex parte obiecti: tum ex parte modi apprehendendi.

Probatvr primò ex parte potentiæ, & organi: Nam organum, à quo dependet ſenſus, exigit quandam medietatem, & harmoniam, de qua in ſuperioribus dictum eſt, & agit Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 17. quæſt. vltim.*) ſed hæc harmonia non tantùm tollitur per contrarium, ſed & alteratur per excellens ſenſibile, quando, ſcilicet, deficit à proportionalitate, & harmonia, de qua etiam agit Seraph. Doct. *in Opuſc. de reduc. artium, &* in Itiner. Ment. *capit. 2.* ergo ex hac parte verificatur hæc propoſitio.

Probatvr ſecundò ex parte obiecti: Nam obiectum ad extra excitat, & agit: ergo ſi aufertur proportionalitas inter potentiam, & obiectum, verbi gratiâ, ob nimiam actiuitatem, vel impreſſionem, vt euenit in viſione magnæ lucis, vel alicuius obiecti nimiùm colorati, lædetur potentia.

Probatvr tertiò. ex parte modi apprehendendi: Nam ſenſus in apprehendendo ſuum obiectum tendit exteriùs, obidque & diſpergitur exterius, ſicque cùm obiectum eſt improportionatum, tunc virtus læditur: quod patet experientia ſuprà adducta, vt ſi verbi gratiâ in Solem feratur aſpectus in nimio ſtrepitu auditus, in nimio odore, in guſtu amaro, & in tactu aſpero, tunc inuritur læſio in ipſis ſenſibus: intellectus verò ex prima ratione non læditur eo, quod non dependet ab organo: nec ex ſecunda, quia influentia obiecti excellentis procedit ab intimis, ideſt, ab intellectu agente, & ideò ipſam potentiam intrans corroborat: nec in tertia, quia in perceptione obiecti colligitur ad ſe, & ſic fortificatur.

Obiicies contra ſuprà dicta ex Serbellon. Obiectum non agit in potentiam niſi intentionali modo, & per ſpeciem intentionalem, ſed hæc nullam efficientiam Phyſicam habet, & læſio eſt effectus realis proueniens à qualitatibus extremis, & inconuenientibus: ergo falſa Concluſio.

Respondetvr negando Maior. & ſimul Minorem: Ratio eſt, quia, vt ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 13. quæſt. vltim.* cum ſpecie exit virtus ab obiecto etiam agens Phyſicè in medium, & in organum, obidque & ſi eſt excellens, erit læſiua organi. Tum quia ſpecies ſunt capaces intenſione maiori, & minori, & ob id etiam maiori, vel minori actiuitate.

Dices: Potentia naturaliter inclinat non ſolùm ad ſuum obiectum, ſed etiam ad eius ſpeciem tanquam ad ſui perfectiuum naturale: ergo non poteſt lædi ab ipſis. Tum quia ſpecies eſt comprincipium ſenſationis, ergo quò perfectior, eò perfectior

fectior erit cognitio: ergo falsa Conclusio.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib.4. dist.49. citat. & lib.1. distinct. 1. citat.* quod potentia inclinat in obiectum, quia est conueniens, perficiens, & conseruans, sed conuenientia consistit in proportionalitate, & harmonia limitata, & hæc potest deficere per excessum, vel per diminutionem: ergo & species tales ab ipso immissas associatas cum virtute proportionata: sicque negatur consequentia.

CIRCA Tertium dubium: An Sensus possit errare.

394. ACADEMICI putarunt sensus semper errare, & nihil certi esse in sensibus.

ALII negarunt posse vnquam errare.

ALII negant propriè, & per se errare, quia semper adest conformitas in cognitione sensitiua ad obiectum, quod apprehendit, etiam quando sensus videtur apprehendere rem externam, aliter ac fit; quia tunc non apprehendit illam, sed aliam loco eius: dicitur autem per accidens errare, quatenùs est causa deceptionis intellectus.

COMMVNIS Opinio Seraph. Doct. est sensum per se, & secundùm suam propriam naturam non posse decipi, sed tantùm per accidens: idque maximè est verum in sensibilibus propriis, nam in communibus est facilior deceptio. Seraphicus Doctor *lib. 2. distinct.8. part. 2. art. 3. quæst.3.* tractat egregiè hanc quæstionem dicens, quod sensus non potest errare in sui obiecti particularis perceptione, quando saluatur media dispositio organi, medij, & obiecti: si enim organum est affectum aliqua contraria dispositione, vt in oculo, si esset aliquis noxius humor, verbi gratiâ, tendens ad rubedinem, omnia apparerent rubea: & si organum gustus esset affectum humore bilioso, & amaro, omnia apprehenderentur amara: & si medium est impeditum, verbi gratiâ, aër vaporibus plenus, vel densus, & rarus, &c. sic baculus partim in aqua, & partim in aëre apparet fractus: & si obiectum esset impeditum, verbi gratiâ, nimis distans, &c.

HINC fit, ait Seraph. Doct. quod si candela ex pinguedine serpentis formata sit, accensa facit apparere paleas veluti serpentes: Dæmon autem potest sua astutia diuersimode ludificare nostros sensus, & hoc scilicet vel ostendendo præsens esse, quod non est, vel aliter ostendendo, quam est: vel abscondendo, quod est, de quo aliàs redibit Sermo, hancque materiam tractat fusè & subtilissimè Seraph. Doct. *loc. cit.*

395. CIRCA quartum, & vltimum dubium, quod est de sufficientia quinque sensuum.

OMISSIS variis modis ab Aliis allatis, Seraph. Doct. multiplicem enumerationem sensuum affert: Primò in Itiner. ment. *cap.2.* ex prædominio elementorum maiori, vel minori: si enim obiectum est purius lucidus, sic spectat ad visum, si terreum spectat ad tactum, si intermedium, scilicet aqueum, spectat ad gustum, si aëreum spectat ad auditum, si vaporabile igneum specta, ad odoratum. Alio modo etiam *ibid.* assignat hanc enumerationem desumptam ex diuersa oblectatione,

Digitized by Google

ne, quam causant obiecta sensibus: Sed *in opusc. de reduc. artium* assignat hanc diuisionem ex maiori, vel minori depuratione horum mixtorum prouenientе ex luce existente secundùm maiorem, vel minorem actualitatem in ipsis: si enim est in suæ proprietatis eminentia, & puritate quadam, spectat ad visum, si commixta cum aëre, facit ad auditum, si cum vapore, facit ad odoratum, si cum humore, facit ad gustum, si cum terrea grossitie, facit ad tactum: deinde *lib. 3. distinct. 13. dub. 1.* considerat hos sensus vt ministros potentiarum internarum secundùm cognitionem experimentalem: vnde ait sensum visus, & auditus inseruire maximè intellectui, ille quidem propria exercitatione: istæ aliena instructione: cæteri verò ad appetitum vltimatè ordinantur: si enim sensibile tendit ad sensum cum distantia, & remotione, est odoratus, si immediatè, est gustus, & tactus per diuersas sensationes, & tandem in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 35.* assignat varias differentias inter hos sensus, quas quisque poterit videre: nam in re clara non est, cur immoremur. Nunc transeamus ad sensus in particulari examinandum.





TRACTATVS II.

DE ANIMA.

De Sensibus exterioribus in particulari.

TRACTATIONEM de potentiis sensitiuis, & de speciebus obiectorum ipsorum sequitur de eisdem expensio etiam in particulari: Hinc de more diuersas quæstiones proponemus, easque secundùm principia Seraphica soluemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De sensu visus, organo, & medio.

396. IN hac multiplici quæstione solùm adest dissidium inter DD. circa duo, scilicet in qua parte resideat potentia visiua, & quodnam sit obiectum proprium, & adæquatum visus.

Et circa primam partem suppono ex communi DD. & maximè Anathomicorum in oculo adesse varias, & diuersas partes constituentes integrum organum: nam adsunt tres humores, quinque tunicæ, sex, vel septem musculi, & duo nerui, & Primò in centro oculi est humor crystallinus sic dictus, quia sua pelluciditate crystallum repræsentat, non tamen imitatur eius duritiem: Secundò adest tunica vndique complectens illum humorem crystallinum, & dicitur aranea ob subtilitatem, & ob nitorem dicitur specularis, & ex ipsa, & crystallino humore pupilla oculi conflatur: Tertiò medietas huius globuli crystallini respiciens cerebrum est immersa in quodam alio humore, qui dicitur vitreus, quia est similis vitro in fornace cocto, & iste circundatur à tunica, quæ dicitur reticularis, quia in illa sunt multæ venulæ sese intersecantes ad oculorum nutritionem concessæ, quæ tunica tamen non ambit ea parte, qua crystallinus humor supra vitreum extat, vt si globulus ligneus poneretur in aqua, vna pars esset discooperta, & in hoc pupilla enatat: Quartò est alia tunica, quæ à figura folliculi vuæ dicitur vuea, & dicitur etiam pia Mater, quæ ambit totum oculum, relicto sibi foramine à parte anteriori, vbi est aranea, vt per illud foramen fiat visio,

recipian

recipianturque ſpecies, & à colore dicitur nigrum oculi, quia eſt ad nigrum tendens, vt ſua opacitate ſpecies in pupilla receptæ reflectantur, vt fit in ſpeculo: non eſt tamen in omnibus eiuſdem coloris, vt de ſe patet: Quintò ſequitur tertius humor, qui dicitur albugineus, ſeu album oculi, qui pupillam non obtegit, nec partem aliquam tunicæ vueæ, ſuſtinetque has tunicas dilatatas, ne impediant viſionem, & humefacit araneam, & humorem cryſtallinum: Sextò adeſt alia tunica, & dicitur cornea, quia dura, & pellucida ad modum corneæ laminæ ſubtiliſſima, totum oculum, etiam pupillam muniens duritie ſua, non tamen impedit, quia tranſparens eſt, dicitur etiam dura mater: Septimò adeſt exigua pellicula totum oculum vltimò ambiens, quæ dicitur adhærens, ſeu Adnata, ſeu pericranium, quia oritur à tunica ambiente caluariam, & firmat totum oculum: Octauò adſunt & ſex muſculi, & duo nerui: muſculi ſunt ligamina quædam, quibus oculi mouentur ad quamlibet partem, ſcilicet, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & in circunferentiam: Duo nerui oculis inſeruientes, qui dicuntur viſorij, ſeu optici, ſuntque bifurcati à cerebro procedentes per foramina, quæ ſunt in concauitate Caluariæ, vbi ſunt oculi, & deinde in media via concurrunt adinuicem, & antequam ad oculos perueniant vnus à ſiniſtra ad dexteram, alter à dextera ad ſiniſtram terminantes ad oculos, in quibus degenerant à ſubſtantia neruorum, euaduntque in tunicam ſuprà dictam reticularem, & cooperiuntur ab aliis duabus tunicis ſuprà dictis, ſcilicet ab vuea, ſeu pia matre; & à cornea, ſeu dura matre: Ab his neruis ſpiritus animales à cerebro in oculos diffluunt, & ab oculis in cerebrum ſpecies deferuntur. Temperamentum oculorum à Galeno ponitur igneum: ab Ariſtotele aqueum, ſcilicet humidum, frigidumque, & eſt probabilius, vt patet ex variis humoribus, quibus componitur, & ex humiditate, quæ ex ipſis exit: Oculorum figura maximè accedit ad ſphæricam, quæ eſt perfectiſſima, & conuenientiſſima, tum vt facilè moueri poſſint, tum vt notant Perſpectiui, quia niſi oculus eſſet rotundus, non poſſet percipere niſi obiectum æquale ſibi, & directè oppoſitum: Viſio enim fit per lineas rectas ab obiecto perpendiculariter cadentes in oculum, quarum concurſus fit in centro oculi: vnde ſi oculus eſſet planus, non poſſent ab obiecto maiori duci ad oculum plures lineæ perpendiculariter cadentes in oculum: ſic enim eſſent paralellæ, & ſi caderent in planum, eſſent inter ſe ſeparatæ, & nunquam in oculi centrum occurrerent: Situs oculorum eſt conuenientiſſimus, ſcilicet in ſuprema parte corporis tanquam in ſpecula, vt animal inde poſſit percipere bona, & mala: de quo vide Conimbr. 2. *de an. quæſt. 6. & in probl. de ſenſibus ſect.* 1. De oculorum Phyſiognomia vide S. Bonau. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 58. His ſuppoſitis diſquirunt DD. in quanam ex dictis partibus ſitum ſit organum viſiuæ potentiæ.

ALIQVI apud Maſtrium dicunt organum conſiſtere in neruorum opticorum coniunctione: Alij in dictis neruis, & humore cryſtallino.

COMMVNIOR, & vera Sententia docet conſiſtere in pupilla oculi:

Sic S. Bonauent. *in Opusc. Centil. part.* 3. *sect.* 21. *& lib.* 4. *dist.* 6. *part.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* & ratio est, quia est veluti gemma in centro oculi collocata, lucida, transparens ad modum speculi, vt dictum est; aliæ verò partes id non habent: ergo.

397. QVOAD secundam partem tituli quæstionis, dicimus, quod mediũ visus est duplex, scilicet internũ, & externum: Primum est humor vitreus, & aqueus medians inter pupillam oculi, & eiusdem tunicam, in quo prædominatur lumen, diciturque à Seraph. Doct. lumen innatum, & internum *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 4. *in opin.* 2, *&* 3. *& distinct.* 27. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp. & lib.* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. patetque ex compressione oculi ad vnam partem, tunc enim cernitur fulgor quidam, & quandoque quasi muscæ videntur volitantes ob humorem commixtum cum fulgore ibi existentem: Secundũ, medium, scilicet externum est quodlibet corpus diaphanum, & transparens medians inter potentiam, & obiectum: idque patet, quia opacitas impedit visionem: Sic Seraph. Doct. *loc. citat.* His explicatis superest pro complemento huius quæstionis explicare naturam obiecti visus. Hinc

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum adæquatum potentiæ visiuæ.

398. CERTVM est apud Omnes ad obiectum visus pertinere lucem, lumen, & colorem: sed dissidium est, an omnia ista simul concurrant in vnicam rationem obiecti ita, quod color dicatur lux incorporata: an verò quodlibet per se sit obiectum visibile: Pro explicando sensu Seraph. Doct. conformiter ad aliàs tradita de luce, & lumine in libris de Cœlo.

PRIMÒ Notandum, quod, vt in loco citato ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 2. *&* 3. *per totum* diximus, lux potest sumi pro forma substantiali existente in quolibet corpore secundùm maiorem, vel minorem actualitatem, & pro qualitate accidentali, & dicitur fulgor, seu lumen, quo corpus luminosum redditur sensibile, quod lumen, cùm sit qualitas naturalis, est etiam immixta cum eodem corpore luminoso, & vt intentionalis diffunditur per medium illud illuminans, reddensque obiectum actu visibile: Hincque orta est illa communis propositio: Color est lux incorporata, quæ tantùm torquet DD. ipsosque distrahit in varias Sententias. Nam Complut. Aliique dicunt lucem esse rationem dispositiuam coloris, idest, qua redditur visibilis actu.

COMMVNITER Alij Thomistæ volunt rationem materialem obiecti visus esse colorem: formalem verò, & motiuam esse lumen: Scotus, & Sequaces apud Meldul. docent esse duas entitates species diuersas, lumenque requiri tantùm exterius, vt color videatur.

ALII non distinguunt lumen à colore, sed sustinent ipsum colorem esse lumen in opaco diuersimodè receptum: Sic Scaliger, Aliique apud Mastrium *disputat.* 5. *num.* 59. S. Bonauent. verò licèt discrepet in principiis ab omnibus, conuenit tamen in Conclusione cum prima opinione

ne Thomist. quatenùs pro materiali ponit colorem, & pro formali lucem: docet igitur S. Doct. quod obiectum visus est lux incorporata, id est nec color præcisè, nec lux præcisè, sed color, cum quo immixta est lux intrinseca existens in quolibet corpore, in cuius lucis virtute est actu visibilis, & emittere potest speciem ad oculum, dummodò etiam adsit lux exterior illuminans obiectum ad extra, & per medium: Sic *lib. 2. dist. 10. art. 3. quæst. 1. ad vlt. & lib. 2. dist. 13. art. 2. quæst 2. ad 2. & in corp. & art. 3. quæst. 2. & lib. 1. dub. 5. in prol. & dist. 3. part. 1. dub. 7. & lib. 3. dist. 23. dub. 4. & dist. 24. art. 1. quæst. 2. & lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 5. quæst. 1. in corp.* & Breuil. *part. 5. cap. 4.* Quare vult, quod vltra lucem externam illuminantem medium, & ipsum visibile obiectum exterius adsit etiam lux, seu fulgor, à luce proueniens terminatus, & receptus in corpore, & quasi incorporatus, & quod iste fulgor, seu lux sit veluti ratio formalis, & completiua coloris, prout est obiectum visus: ita quod nec color absque luce est visibilis, nec lux absque colore: Sic & *lib. 2. distinct. 10. art. 3. quæst. 1. ad vlt.* Et hæc est ratio, quare duplici definitione definitur color, scilicet, in ordine absoluto ad se, & in ordine ad visum, vt mox patebit. His positis

399. PRIMA CONCLVSIO: Obiectum adæquatum visus non est color præcisè, nec lux præcisè, sed color simul cum luce, seu fulgore, quatenùs ex his duabus entitatibus fit vnum obiectum, scilicet ex colore tanquam ex materiali, & ex luce tanquam ex formali, siue tanquam actuante. Est S. Bonau. *lib. 1. dist. 3. part. 1. dub. 7. &* Breuil. *part. 5. cap. 4. & lib. 2. dist. 13. art. 2. quæst. 1. ad 1. & quæst. 2. in corp. & art. 3. quæst. 2. in corp. & lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 5. quæst. 1. & lib. 2. distinct. 27. art. 1. q. 2. in corp. & in Op. de reduc. artium,* sed clarissimè *lib. 3. dist. 23. art. 1. q. 3. in corp. & ad vlt.* Vbi supponit, quod obiectum materiale non facit conuenientiam, nec differentiam in specie: sed album, & nigrum visum non diuersificant specie ipsum visum: ergo se habent vt obiectum materiale: ergo aliud requiritur; sed id est luminositas: ergo hæc est ratio formalis obiecti visus: quod

CONFIRMATVR ex Arist. qui colorem multipliciter definiuit, & primò in ordine ad se: secundò in ordine ad visum, & in hac definitione includit lucem, vt rationem mouentem, quod & infrà in sequen. Concl. demonstrabitur.

PROBATVR secundò: Potentia visiua est vna: ergo & obiectum ipsius est vnum: potentia enim specificatur per obiectum, sed tendit in lucem, & in colorem: ergo ad hoc, vt constituant vnicum obiectum, debent coincidere in vnicam rationem: sed visus tendens in album, & nigrum non accipit diuersitatem: ergo se habet color vt quid materiale, materiale enim non specificat potentiam: Sic S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 23. citat.* ergo lux est ratio formalis actuans ipsum colorem in esse formalis obiecti.

PROBATVR tertiò: Lux est ratio motiua: color est ratio, in quam visus tendit vt in quod: ergo coincidunt vt materiale, & formale color, & lux.

PROBATVR antecedens: Quia color intantum est visibilis, inquantùm est lucidus: Hìc tamen moneo, quod

quod licèt dicatur lux esse rationem actuantem, tamen propriè color tantùm est de se visibilis, licèt, vt actu videatur, requiratur lux, & in hoc sensu dicitur lux esse ratio formalis obiecti visus.

400. OBIICIES primò cum Meldul. Ruuio, & Aliis. Color est diuersæ speciei à lumine: ergo non possunt constituere vnum obiectum speciei per se.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & negando consequentiam: licèt enim, ait Seraph. Doct. *lib. 2. d. 27. art. 1. quæst. 1. in corp.* considerata secundùm se sint diuersæ species: tamen considerata per ordinem ad potentiam visiuam possunt constituere vnum obiectum per se tanquam ex materiali, & formali, quod & in aliis rebus conspicitur: sic potentia, & species sunt diuersæ rationis, & tamen in vnicam causam coeunt: sic & in cæteris obiectis scientiarum habituum: Tum etiam quia, vt dictum est, licèt lux se habet vt ratio actuans: tamen id non impedit, quin color habeat propriam rationem formalem visibilitatis obiectinæ: sed tamen requiritur lucis actiuitas, vt actu possit videri.

OBIICIES secundò: Color de se est visibilis: ergo non habet visibilitatem à luce.

PROBATVR antecedens: Quia à solo colore producitur species: ergo & de se est visibilis: & Confirmatur quia causa materialis coloris est mixtio quatuor qualitatum, vt etiam aduertit S. Bonauent. *lib. 4. distinct. 49. part. 2. art. 5. quæst. 1. in corp.* ergo de se est sensu perceptibilis.

RESPONDETVR ex eodem Seraph. Doct. concedendo antecedens, si sumitur visibilitas in potentia: negatur in actu: nam, vt rectè discurrit Iauell. *de an. quæst. 33.* color secundùm se est per totum corpus, sed non sufficit, vt moueat visum: requiritur enim, vt sit in perspicuitate corporis terminati, ad quod exigitur fulgor intrinsecus, & lux extrinseca, vt dictum est; vnde Seraph. Doct. ait *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 1. quæst. 1. in corp.* quod albedo de se est disgregatiua visus quantum ad aptitudinem, non semper quantum ad actum: Et ad id de specie coloris

RESPONDET S. Bonau. produci quidem à colore speciem vi lucis, & virtutis ex obiecto immissæ, & per talem lucem reddi colorem actu visibilem: Immò simul cum specie coloris etiam producitur species lucis, quæ est ipse fulgor, vt dictum est, & infrà clariùs tradetur.

CONTRA: Lux de se est visibilis absque colore: ergo color non se habet vt quid materiale.

HÆc obiectio petit aliam quæstionem, quomodò lux sit visibilis: si enim de se est visibilis absque colore, sequitur, quod obiectum formale visus est multiplex specie: Hinc respond. ex traditis *in lib. de cœlo tract. 3.* lucem formam substantialem simul cum lumine accidentali immixto in corpore luminoso immittere lucem, seu fulgorem per medium, quæ prout est repræsentatiua obiecti, à quo exit, dicitur qualitas intentionalis: prout verò cadit sub sensu, dicitur realis, & naturalis.

DICES: Ille fulgor, prout cadit sub sensu, vel est coloratus, vel non: Non primum, cùm color sit ex mixtione quatuor qualitatum sensibilium: ergo secundum: ergo color non spectat ad rationem formalem obiecti.

RESPON

Respondetur, quod color est duplex, alius est apparens: alius est verus: verus consurgit ex mixtione vera quatuor qualitatum: apparens consurgit dupliciter, primò vel ex aggregatione substantiæ lucidæ, in qua adest aliqua opacitas terminans perspicuum: secundò vel ex refractione lucis aggregatiua ipsius, vel quádo aliquod corpus recipit aliquam opacitatem ratione crassitiei, verbi gratiâ, vaporum existentium in aëre: Sic S. Bonauent. qui de colore vero *lib.* 4. *dist.* 49. *cit. aliisque loc. cit.* loquitur: De apparente primo modo loquitur *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* vbi ponit densitatem in corporibus cœlestibus ex aggregatione lucis esse causam visibilitatis ipsorum, & *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* vbi appellat lumen abstractum id est depuratum à quacunque corporeitate: De apparente secundo modo loquitur *ibid.* vbi dicit, quod lumen est terrenæ materiæ incorporatum, obidque visibile, & *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. dicit, quod lux forma substantialis non videtur ab oculo secundùm se, sed tantùm ratione fulgoris, vel coloris eam inseparabiliter concomitantis, maximè vbi est vehementia lucis, & *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 5. *quæst.* 1. *in corp.* Vbi est peruietas, & perspicuitas, ibi non est visio terminata, & vbi est magnitudo lucis, adest etiam aliqua opacitas terminans visionem, vt patet in Sole, & stellis: quare sequitur, ait Seraph. Doct. *ibid.* quod vbi est verus color, qui est ex mixtione quatuor elementorum, est tantùm visibilitas potentia, actu verò, dum superadditur lumen, vt patet in noctiluca, quæ est corpus coloratum, sed lucens: & quando adest apparens, tunc etiam videtur obiectum, sed tamen vt coloratum: Vnde remanet firma nostra assertio, quod solùm propriè color est visibilis in potentia, habetque in se & materiale, & formale; at requirit lucem, ad hoc vt actu percipiatur, sicque lux videtur vt colorata: & ambo concurrunt in rationem visiuam obiecti complendam.

401. Secunda Conclusio: Colores veri essentialiter distinguuntur à luce, licèt provt terminant actum, visionem ipsam importent, vt rationem motiui, seu formalis, seu potiùs actuantis: Apparentes verò non differunt à luce.

Remanet probata hæc Conclusio ex præcedenti Conclusione: & ratio primæ partis euidens est, quia color habet diuersas causas, & rationes formales à luce, cùm sit ex mixtione quatuor elementarium qualitatum, & ad hoc vt videatur actu, exigit lucem.

Ratio secundæ partis est, quia colores apparentes fiunt ex aggregatione lucis, seu fulgoris, vel ex diuersa reflexione, vt patet in Iride: quæ reflexio vel fit in obiecto, vel etiam in medio, vt patet in vitris triangularibus, & sphæricis, in quibus fit varia reflexio, per quam apparent obiecta sub diuersis coloribus.

402. Quæres: quomodò ex mixtione quatuor qualitatum emanant colores, cùm non appareat, ad quid in colore conducat calor, & frigus.

Respondetur hanc emanationem esse vnum ex præcipuis naturæ arcanis: attamen cum Seraph. Doct. dicendum ex mixtione quatuor

tuor elementorum, quæ formaliter in mixto remanent secundùm maiorem, vel minorem raritatem, densitatem, & actualitatem, ad quas concurrunt etiam calor, & frigus, resultant secundæ qualitates ex primis procedentes, & cùm immixta sit lux incorporata, apparent actu tales colores, & verè visibiles: Vide Suarez *de an. lib. 3. cap. 15.* fusè differentem originem colorum.

403. TERTIA CONCLVSIO: Color duplici definitione definitur ab Aristot. Prima, Color est *Motiuus eius, quod est secundùm actum perspicui.* Secunda, Color est *Extremitas perspicui in corpore determinato.*

CIRCA quas definitiones multùm laborant Interpretes: Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 3. part. 1. dub. 7.* breuiter se expedit, & clarè dicens, quod secunda definitio est coloris secundùm id, in quo est: prima verò, provt dicit ordinem ad visum, quem mouet: Vt autem intelligantur istæ definitiones.

ADNOTANDVM est, quod sicut lumen definitur actus perspicui, vt tale est, idest est quid transparens, & diaphanum: etsi aliquod corpus est tale, est ratione luminis, vt docet S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 13. art. 2. quæst. 1. & 2. &* Comp. Theol. *lib. 2. cap. 6.* vnde lumen est actus perspicui, idest informat totum perspicuum ipsum penetrando: Color verò dicitur extremitas perspicui, idest terminans ipsum perspicuum, idest se ostendens tantùm in extremitate perspicui reliquo remanente opaco, sicque in hac definitione duplici explicatur ratio coloris, provt est accidens in subiecto, & provt etiam est aptus mouere visum ob densitatem corporis, in quo est ob perspicuitatem extremitatis illuminatæ, & in hoc sensu dicitur lux incorporata, scilicet in potentia ex Seraph. Doct. *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 1. quæst. 3. ad 3.* Secunda verò definitio traditur per ordinem, quem habet color ad visum, provt enim est in corpore illuminato, habet emittere speciem, & visum mouere, sicque est qualitas corporis terminati, quæ in ordine ad immutandum visum, exigit actum, seu illuminationem lucis.

404. QVARTA CONCLVSIO: Dantur diuersæ species colorum prouenientes ex varia mixtione elementorum, & qualitatum secundùm maiorem, vel minorem actualitatem, & refractionem ipsorum elementorum.

EXPLICATVR Conclusio, & simul probatur: Color oritur ex permixtione elemētorum, & primatum qualitatum: sed hæc permixtio est varia: ergo & color: & ob id quando prædominatur aër, & aqua, fit color albus, flauus, quando ignis, & niger, quando terra prædominatur: Albedo autem est primus omnium colorum, vt ait S. Bonauent. *Serm. 2. de S. Agnete:* Nigredo verò est ei opposita, & ambo faciunt extremitates in coloribus, ex quarum permixtione oriuntur colores medij, omnesque reducuntur ad hæc capita præcipua, scilicet album, nigrum, purpureum, rubrum, flauum, viridem, cæruleum, qui posteà diuiduntur in alia genera, & fusè innumera; de quibus Conimbric. *cap. 7. quæst. 3.* in quo magis, quàm in quolibet alio effectu natura suas opes explicat: Ex quibus patet lumen esse necessarium ad visionem tum ex parte organi, in quo inclusus est fulgor vetus: tum

tum ex parte obiecti, & intrinsecè & extrinsecè ex parte medij.

QVÆRES: cùm Angeli, & anima rationalis sint lumina spiritualia: an possint videri ab oculo corporeo.

QVÆSTIO hæc tractabitur in Theologia in tractatu de visione beata: Pronunc respondetur ex S. Bonauent. negatiuè: ratio est, quam adducit Seraph. Doct. in simili *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 7. quia ad visionem requiritur receptio in organo corporeo speciei immissæ ab obiecto; obidque debet esse proportio formalis inter receptiuum, & receptibile ita, quod cùm receptiuum sit corporeum, & extensum, & receptibile debet esse tale, se habet enim vt forma receptiui: & hinc ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. *& lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 3.

PER visum corporeum nihil potest percipi, quin sit extensum: Quibus tamen non obstantibus *ibid.* in Theologia sustineo probabiliter oppositam partem etiam ex principiis seraphicis, nempè ex eo, quod potentia sensitiua est spiritualis, & pars organica minùs principalis, ratioque potentiæ obedientialis potest eleuari tum ad actiuè videndum, tum ad passiuè recipiendam formam spiritualem.

QVÆRES secundò: an visio fiat per intus sumptionem, an per extramissionem.

PLATONICI dicunt fieri per extramissionem radiorum, qui peruenientes ad obiectum commiscentur cum specie, & rursum reuocantur ad potentiam.

COMMVNIS tamen opinio opposita est Aristot. omniumque Sequac. cum D. Thom. D. Bonauent. & Scoto: Ratio est, tum quia sic cæteræ potentiæ operantur per receptionem, & non per extramissionem, eo, quia sunt potentiæ vitales, operantur immanenter, sicut potentia visiua. Tum per experientiam, cùm possit videri in speculo res posita à tergo. Tum quia id, quod emittitur ab oculo, vel est substantia, vel accidens: sed neutrum potest esse: non quidem substantia, quia daretur penetratio substantiarum: nec accidens: esset enim radius minimæ virtutis, obidque omninò superfluus, cùm pateat ad sensum exigi validiorem illuminationem externam: Vide Suarez *lib.* 3. *cap.* 17. vbi affert alias probationes.

DICES Aristot. afferre quendam, qui semper ante se videbat imaginem, eo quia ait Aristot. ob debilitatem visus radij visibiles refrangebantur in propinquo aëre tanquam ex opaco, sicque videbat suam imaginem.

RESPONDETVR id accidisse, vel ob deceptionem potentiæ imaginatiuæ, vel quia ab oculis infirmis exibat humor crassus, qui incrassabat aliquantulum aërem, sicque in ipso relucebat imago. Sic etiam menstruatæ per emissionem noxiæ qualitatis inficiunt specula.

INSTAS: Quod feles de nocte emittunt radios ex oculis, quibus illuminant aërem.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 24. *art.* 2. *quæst.* 4. *in corp.* prouenire ex magna copia fulgoris in oculis existentis, idque est ipsis valdè singulare, sed tamen hîc non infertur fieri visionem per extramissionem.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Expenduntur aliqua dubia circa potentiam visiuam.

406. CONIMBRICENSES in tractatu problematum ad quinque sensus spectantium plura dubia circa potentiam visiuam afferunt, & soluunt: quæ quisque poterit videre, & etiam apud Meldul. *disp. 5. n.* 108. Nos breuitati consulentes hæc sequentia tantùm ex iisdem desumpta vt principaliora, & maximè conducentia ad notitiam naturæ sensus visus proponimus.

QVÆRES igitur primò: Quare Aliqui media nocte somno experrecti ferè æquè, ac clarè videant, ac interdiu: quodque euenit etiam in felibus, Leonibus, aliisque animantibus, quæ noctu prædam venantur?

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *in Op. de reduc. artium*, §. *Primum ergo lumen*, *&c.* vbi dicit, quod spiritus sensibiles, seu animales naturam luminis habent, & in neruis vigent, & ipsorum natura est clara, & pervia: & *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4. in opin. 3. & aliis locis suprà traditis, & præcipuè lib. 2. dist. 10. art. 3. quæst. 1. ad vlt.* docet, quod ad immutandum visum debet concurrere duplex lux, scilicet incorporata, internaque, & lux exterior solis illuminantis: cùm igitur adsint & fulgor inclusus in oculo, & spiritus animales, qui sunt igneæ naturæ: hinc ex suprabundantia talis fulgoris, & talium spirituum generantur noui spiritus luminosi, qui veluti emicant de noctu, & illuminant aliqualiter obiectum ita, quod potest fieri visio, licèt imperfecta: Et hinc etiam magis probata manet solutio quæsiti de visione per intu sumptionem: nam talis emissio radiorum est ad illuminandum aliqualiter obiectum, non ad sensationem faciendam.

407. QVÆRES secundò: Cur Aliqui non possunt oculos defixos tenere diu in obiectum, sed veluti tremebundi aspiciunt.

RESPONDETVR prouenire ex inopia, & debilitate spirituum vitalium, ex qua carentia etiam senes difficiliùs vident. Tum etiam quia pellicula inuoluens humorem crystallinum præ siccitate contrahitur, & rugatur præsertim in senibus, & hæc etiam est causa, quare ignis multùm nocet oculis, quia nimiùm exsiccat.

QVÆRES tertiò: Cur Æbriis omnia apparent circumagi, sicut & illis, qui aliquandiu rotantur.

RESPONDETVR in Æbriis id prouenire à larga spirituum copia, vnde nascuntur alij spiritus calidi, & valdè nobiles, qui suo motu inquietant organum visus: Præterea in Æbriis copiosiores sunt spiritus, & minùs cocti, ex quorum fœcibus nascitur lipitudo, ob eandemque causam visus obtunditur, & nerui optici laxantur ob talem spirituum abundantiam, nec sustinent pupillarum æqualitatem: In pueris posteà, & in cæteris etiam agitatione, & rotatione illa multùm commouentur spiritus: vnde toti commoti magna copia tendunt ad oculos, quos perturbant.

408. QVÆRES quartò: Cur obiectum aliquod aspecturi à se illud aliquantulum amoueant: alij verò, vt

vt lusci, propiùs admoueant.

Ratio discriminis est, quia Senes parum luminis, & spirituum habent, ideò remouent, vt externo lumine obiectum illustretur: lusci verò nimium luminis interni habent, ideò approximant obiectum, ne concurrente lumine exteriori cum interno nimia sit lucis copia: vel quia non possunt procul discernere, quæ caua, & quæ eminentia sint.

Qværes quintò: Cur Collimantes in scopum claudant vnum oculum.

Hoc dubium petit explicationem illius propositionis Euclidis, quam etiam affert Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 5. *ad oppos.* & clariùs *lib.* 4. *distinct.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst. vltim. fund. vltim.* Videre est secundùm Pyramidem, idest videre est secundùm triangularem directionem radiorum, ita quod basis est res visa, & angulus intelligitur fieri circa pupillam oculi: Explicatur sic: quia inter partes corporis visi quædam obiiciuntur pupillæ directè, & perpendiculariter: aliæ verò lateraliter, quæ omnes immittunt species in ipsam pupillam: & cùm hæc sit angustior rebus ipsis, & figuræ orbicularis, fit, vt species istarum partium coeant in centro oculi, vbi fit visio, vt cuspis, seu conus istius pyramidis sit in pupilla, basis verò in obiecto, in cuius medio est linea axis opticus dicta à centro oculi ad partem obiecti directè, & perpendiculariter oppositam: & quia visio talis partis est distinctior, & certior, ideò dicere solent nos certificari de re visa per axem: vnde quò rectiùs oculo opponitur, eò perfectiùs videtur, quia radij sunt axi viciniores: Insuper quia obiectum conspicitur duobus oculis: hinc duæ sunt pyramides, quæ solumodò in ipso obiecto conueniunt, & per medium partialiter, & iuxta oculos ipsos totaliter discrepant, & consequenter sicut sunt duæ pyramides, ita sunt duo axes, qui in idem pūctum conspirant eiusdem obiecti, licèt inchoent quilibet à proprio oculo: Et hinc patet, quare eadem res, licèt inspiciatur duobus oculis, gemina non apparet, quia scilicet ambo axes in idem punctum vniformiter incidunt tam obiecti, quàm loci: Vnde quia in vno loco videtur, vnica apparet: E contra, si pupilla vnius oculi comprimatur, quia disiunguntur axes, & quamuis ad idem punctum obiecti terminentur, non tamen ad eundem locum, tunc obiectum geminatum intuetur, & in duobus locis: licèt enim in illo loco non adsit verè obiectum: attamen quia potest adhuc oculus sic compressus ob suam sphæritatem recipere species ab illo obiecto, potest etiam moueri ad visionem, quæ tamen ad alium locum terminatur; disiunguntur enim axes, & ob id fiunt etiam non vniformes: & hinc etiam elicitur ratio, quare cùm obiiciuntur oculo plura obiecta, licèt omnia simul ipsi oculo appareant visibilia: tamen solùm in vnicum obiectum fertur obtutus, quia visio per lineam fit rectam: & cùm cæteri radij visuales non perueniant recta linea ad pupillam oculi, quia scilicet ex aëre cadunt ad medium densius scilicet in varios oculi humores, per quos transire debent, antequam perueniant ad pupillam, sicque propriè non videntur, licèt appareat illa multitudo confusa: Hinc

Respondetvr ad dubium

de clausione vnius oculi, quod cùm radius visualis debeat esse paralellus cum instrumento, verbi gratiâ, cum bombarda, cùm dirigat ictum recta linea, ideò si aperiuntur ambo oculi, radius visualis non erit paralellus cum instrumento, si conspiciatur instrumenrum per extremitatem.

ADDIMVS tamen, quod ad percipiendam distantiam vtroque oculo vtendum est, quia, quæ videntur per eandem lineam, vel penè eandem, non apparent distincta: at si percipiatur distantia, debet etiam percipi disiunctio, & videri corpus, seu spatium interiectum, quæ disiunctio faciliter percipitur duobus oculis, quia tunc visio fit per duos axes inter se dissitos, vt dictum est: Et hinc clauso oculo vno difficiliùs est filum in foramen acus inducere, immò punctum aliquod notatum in charta cuspide aciculæ difficulter tangitur: aperto autem vtroque oculo facillimè: Æbrij etiam, quia radij visuales ob titubationem oculi non sunt fixi, difficulter faciunt congredi duos digitos inter se. Idem contingit aspicientibus obiectum procul dissitum etiam duobus oculis: non enim aduertuntur distantiæ obiectorum remotorum, cùm per eandem penè lineam videantur: hinc cœlum apparet nobis inhærere in ambitu horizontis; Columnæ, & arbores recto ordine inter se dispositæ, cùm remotæ sunt, simul esse videntur.

409. QVÆRES sextò: Cur per angustum foramen res magna videtur, si oculus foramini approximetur, & si remoueatur, non videtur nisi pars obiecti, & è contra, si lapidem exiguum positum inter oculos, & vastum aliquod obiectum propiùs oculo admoueamus, maiorem obiecti partem occultabit: Item cur cùm sumus vicini muris alicuius Ciuitatis, pauciora ex illa videamus ædificia, quàm cùm remoti eramus?

RESPONDETVR, quia cùm visio fiat per emissionem radiorum visualium ad modum pyramidis, cuius cuspis est in centro oculi, in quo lineæ visuales concurrunt, si oculus est propè foramen, radij visuales causant maiorem angulum, & consequenter magis se dilatant versus basim pyramidis, magnamque obiecti molem comprehendunt: at si elongetur oculus, quia radij visuales debent per foramen transire, vt ad oculum perueniant, constringuntur inter se, & minorem angulum causant in oculo, & consequenter non tam se dilatant versus basim: & hæc est ratio (ait S. Doct. *lib. 2. dist. 24. cit.*) quare res à longè minores videntur, quàm sint. Ad id de lapide patet: quia pyramis versus cuspidem est angustior, ideóque paruus lapis sufficiens est ad occultãdum obiectum, quia potens est impedire concursum radiorum, si est propè oculum: & si elongetur, quia radij visuales inter se magis distant, nequit totaliter occultare obiectum similiter, & murus Ciuitatis est maior oculis, & corpus interiectum excedens latitudinem distantiæ oculorum, quò propiùs est oculis, maiorem partem obiecti obtegit, & quò remotiùs minorem.

QVÆRES septimò: Cur baculus medius existens in aqua apparet fractus.

RESPONDETVR, quia species in aqua crassiori refranguntur per medium difforme: pars verò extra aquam emittit species per medium vniforme, obidque illa pars in aqua apparet alio loco.

QVI

Digitized by Google

Qvi vult solutionem aliorum consimilium dubiorum, adeat Conimbric. & Mastrium *cit.* Hæc sufficiant pronunc.

QVÆSTIO IV.

Quodnam sit organum, medium, & obiectum Auditus.

410. INter sensus externos perfectiorem locum occupat visus, & secundò sequitur Auditus, quia sunt puriores, & perfectiores, & secundùm se, & ratione obiectorum, vt rectè docet S. Bonauent. *in Opusc. de reduc. artium:* & *lib. 4. distinct. 49. part. 2. art. 3. quæst. 1.*

Hinc consequenter de Auditu hîc agendum: Vt autem pateat, quodnam sit formaliter organum Auditus.

Advertendvm, quod à medio cerebri proueniunt duo nerui ad vtranque aurem protracti, quorum vterque terminatur ad ossiculum quoddam, in quo est foramen anfractuosum ad modum cochleæ, & valdè paruum, vt extremum acus versus aurem vix capere posset, ne aqua, vel aliud extrinsecum aurem ingrediens læderet organum; immò humorem quendam crassum, & acrem continet, vt si quæ bestiolæ se intruderent in aurem, illo humore tanquam visco detineantur: secundò foramen hoc versus cerebrum maiusculam facit excauitatem, quæ tegitur quadam pellicula, quam miringam, seu tympanum appellant: est enim ad instar pellis tympani, quæ membrana sustentatur tribus ossiculis: quorum primum dicitur malleus: secundum Incus: tertium Stapes à figuris, quas habent, & in concauitate tympani sunt posita: tertiò tale foramen circundatur extremitate nerui à cerebro procedentis, in quo sunt spiritus ad interiores sensus species deferentes, quæ per organum ab extra recipiuntur: quartò in dicto foramine vsque ad miringam includitur aër, qui à S. Bonauent. appellatur aër innatus, qui non est verus aër, sed est substantia quædam tenuis, vitalis, & animata, estque sic velata, ne nimio fragore, vel alia de causa externa euanescat: His positis

Hic disquirunt Philosophi, in quanam ex his partibus resideat organum hoc: Aliqui in neruis: Alij in spiritibus: Alij in tympano collocant.

Commvnior cum Seraph. Doct. est consistere in illa substantia aërea: Sic in Centil. *part. 3. sect. 21.* est enim aptior ad efformandam perceptionem soni, est & propinquior neruo auditorio, est & substantia animata: igitur in ipsa collocanda est ratio organi Auditus: quæ rationes non currunt in aliis partibus.

Addimvs probabiliter etiam Tympanum esse de complemento huius organi: Et hæc quoad primam partem.

411. Circa secundam, & tertiam partem tituli quæstionis de obiecto, & medio Auditus: multiplex quæstio à DD. proponitur. Et primò cùm certum sit sonum esse obiectum Auditus adæquatum: quæritur, quid sit: an scilicet sit motus aër: an qualitas ex motu producta.

Qværitvr secundò: an medium deferens sonum sit solus aër: an etiam aqua: an etiam aliquid aliud.

Qværi

Qværitvr tertiò: quodnam sit subiectum primum, in quo recipiatur sonus, scilicet an in corporibus, se percutientibus: an in aëre intermedio percusso.

Qværitvr quartò: an sonus deferatur ad aures secundùm esse reale: an intentionale.

Qværitvr quintò: an sonus diuidatur in plures species: an sit vnica species specialissima. Pro solutione quæstionum propositarum supponimus tanquam certum ad sonum necessariò requiri concussum trium corporum, vel duorum, quæ tamen habeant rationem trium corporum: requiritur enim, quod adsint duo percutientia, vnum scilicet percutiēs, aliud percussum, & vnum medium, quod atteritur, frangitur, agitatur, & intercipitur, verbi gratiâ, dum excitatur sonus in ære campanæ, est mallæus percutiens, æs percussum, & aër interceptus, collisus, & agitatus: verum tamen est, quod non est necesse, vt hæc tria corpora sint omnia discontinua: fieri enim potest, vt solùm percutiens, & percussum sint discontinua, non verò elisum, & intermedium: vt cùm virga agitatur per aërem, tunc aër est corpus percussum, & etiam intermedium, cùm pannus, vel papyrus scinditur, tunc aër crepitat: tonitruum fit ex percussione ex nube, & exhalatione accensa: sic & sonus fistolæ: immò tria corpora possunt esse continua, vt vna pars elidit alteram, vt in agitatione ventorum in aëre.

Addimvs, quod conditiones horum corporum percutientium, vt sonus commodiùs excitetur, sunt tres.

Prima est, quod sint dura, & resistentia, vt medium interiectum frangant, ex qua fractione oritur sonus: hincque mollia, vt est spongia, non edunt sonum, quia non faciunt ictum, sed sine difficultate cædunt, quodque intelligendum est de sono perfecto: nam in aqua fit sonus etiam imperfectus.

Secvnda, quod sint leuigata, & tersa; aër enim in superficiem æqualem totus, & facilè extruditur: Si verò corpora sunt aspera, & inæqualia, pars hærebit in cauitatibus, & secundùm partes non totus comminuetur.

Tertia corpora debent esse concaua ad sonum perfectum intensiorem, & prolixiorem: vt sunt tympanum, tuba, organum, campana, quia aër inclusus ad latera sæpiùs repercutitur, sæpiúsque agitatus, & commotus egreditur: iuuat etiam qualitas peculiaris corporum se percutientium: vnde argentum magis sonat, & inter ligna minùs fagum. Conditiones corporis intermedij sunt, quod sint molle, facile, & violenter potens resilere, vt est aër, & aqua. His suppositis vt certis experientia.

412. Primò respondetur primo quæsito sonum esse obiectum adæquatum Auditus: Isque non est formaliter motus, vt dixerunt malè Aliqui, sed est qualitas quædam causata à tribus corporibus percutientibus: estque de tertia specie qualitatis, motus enim est sensibile commune: at sonus tantùm ab Auditu percipitur, ergo.

Nec valet ad oppositum, quod Arist. ipsum appellat motum resilientis aëris: nam intelligi debet causaliter, non formaliter: immò nec motus est causa proxima soni, sed est alteratio consurgens in aëre commoto, concomitans ipsum motum,

Digitized by Google

quæ barbaro vocabulo posset dici sonatio.

413. CIRCA secundùm dubium de medio: Aliqui dicunt esse solùm aërem: Alij addunt aquam; etiam S. Bon. in Centil. *part.* 3. *sect.* 21. docet primariò esse aërem, additque etiam aquam posse esse tale medium deferens, vtrumque est sufficiens ad recipiendas, & ad differendas species soni: De aëre tum interno, tū externo certum est, de aqua patet, etiam de piscibus, qui audiunt voces externas: vt communiter asseritur à DD. Addit S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 2. *part.* 2. *dub.* 1. *& lib.* 4. *dist.* 49. *p.* 2. *art.* 3. *q.* 1. probabile esse sonum esse in Empyreo, & corpora Beatorum auditura cantum, & sonum, & licèt ibi non sit aër eiusdem rationis cum nostro, & ob id nec per spirationem, & respirationem, sed vel per aërem innatum ipsis, vel per aliam qualitatem æquiualentem: faxit Deus, vt id experiamur.

414. CIRCA tertium dubium, quodnam sit subiectum primum primò recipiens sonum: Aliqui dicunt esse corpora se percutientia: sed probabilior est S. Bonau. *cit.* & communior immediatè recipi in aëre intermedio: & ratio est, quia si fieret receptio in corporibus percutientibus, statim ac fit percussio, audiretur sonus, sed non auditur: ergo signum est recipi in aëre moto. Tum quia si in vacuo fieret talis percussio, non audiretur sonus: ergo signum est, &c.

415. CIRCA quartum, an deferantur soni realiter: an intentionaliter: Communior, & verior est Sententia S. Bonauent. in Centil. *cit.* *& in Op. de reduc. artium: Et* in Itiner. ment. *cap.* 2. sonum realem tantùm recipi in aëre intermedio inter corpora percutientia, ipsumque multiplicare suas species, quousque fiat sensatio: ratio est, quia sonus, cùm sit qualitas realis, habet vim suæ similitudinis generatiuam, & limitatam. Tum quia nulla est ratio dictans talem multiplicationem realem.

PROBATVR: Quia vel multiplicatur ab aëre simplici primò percusso, & hoc non, quia multoties percutio aëris est tam parua, vt impossibile sit ipsum alium aërem percutere: vel ab aëre simul cum sono, & hoc non, quia alioquin sonus audiretur continuatus secundùm continuationem talis commotionis, quod est falsum ipsa experientia teste. Tum quia sonus perueniens simul ad aures plurium deberet in minutissimas partes disrumpi, quod est impossibile in percutione modica, & tenui. Tum etiam quia simul sonus auditur à propè, & à remotè existentibus, quod est impossibile, si fieret multiplicatio realis. Tum quia auditio fit in aqua, vbi non est aër. Tum quia sonus auditur factus in vase æneo incluso in omni parte, sed ibi non potest fieri per aërem ad extra commotum: ergo per multiplicationem specierum.

OBIICIES primò Arist. 2. *de an. t.* 82. asserere sonatiuum esse motiuum aëris continuationes vsque ad auditum: ergo si est aër continuè motus, est secundùm reale esse.

RESPONDETVR sonatiuum esse causam motionis intentionalis, non realis, vt dictum est, & talis debet esse sensus Philosophi, ne sibi contradicat, vt notat etiam Meldul. *citat. num.* 156.

OBIICIES secundò: Sonus non percipitur in instanti, sed post aliquod spatium temporis, & si perciperetur per species, fieret perceptio in

Google

in instanti, cùm producantur instantaneè, vel imperceptibili tempore: ergo.

Meldvla *num.* 105. *& seq.* notat hanc esse maximam difficultatem, expenditque varias responsiones, nempè Conimbric. Ruu. &c. quas confutat: & tandem Ipse respondet cum Tatareto hîc, & Auersa sonum, statim ac fit, immittere suas species, & successiuè, sicut etiam successiuè fit, & hoc vsque ad certam distantiam spatij, in quo ab omnibus ibi existentibus simul percipitur, siue propè, siue remotè sint corpori sonoro: Sed

Contra: Quia ictus statim transit, sed species sensibiles externæ dependent in fieri, & conseruari ab ipso obiecto secundùm ipsius Sententiam: ergo vel sibi contradicit iis, quæ suprà tradidit de speciebus visus, vel non satisfacit difficultati.

Respondet *ibid.* species soni non ita dependere in conseruari ab obiecto vt species visus, quod non possent manere aliquantulum absque præsentia obiecti.

Contra: Ergo vera nostra Conclusio suprà tradita de speciebus visus, & aliorum sensuum, quod potest fieri sensatio absente obiecto, & sic satisfit hac solutione toti difficultati.

416. Hinc adæquatè Respondetur ex doctrina S. Bonauent. qui notat *in Opusc. de reduc. artium*, quod species visus sunt puriores, & ob id velociores speciebus soni: istæ enim sunt immixtæ cum aëre, & ob id deferuntur cum maiori successione, quàm illæ.

Obiicies tertiò: Multitudo sonorum confundit auditum: at si sensatio fieret per species, non fieret talis confusio, cùm non sint inter se contrariæ: ergo fit per sonum realem.

Respondetvr talem confusionem non oriri ex speciebus, sed ex applicatione sensus, quæ est limitata: Pluribus enim intentus minor fit ad singula sensus.

Obiicies quartò: In sono Campanæ auditus sonus multiplicatus est realis: ergo.

Respondetvr multiplicari sonum ex multiplici percussione aëris facta in concauo campanæ: sic nihil contra Nos: Non enim per id probatur non peruenire per species ad auditum.

Dices: Quomodò sensus potest terminari ad sonum non actu existentem, sed iam præteritum, & transactum.

Respondet Meldul. *num.* 155. hanc esse potiorem difficultatem, & dicit, quia species etiam sunt sensibiles, sicut euenit etiam in aliquibus speciebus visus: & cui non placet hæc responsio (ait ipse) aliam meliorem adinueniat: & licèr possit sustineri hæc responsio.

Nos tamen ex traditis satisfacimus plenè dicendo, quod sensatio potest fieri etiam obiecto non existente præsente post transactum modicum tempus.

417. Circa quintum dubium de speciebus Soni: Respondetur sonum diuidi in plures species, quarum tamen extremæ sunt grauis, & acutus: ille fit cum agitatione aëris maiori, iste cum minori: Dantur & aliæ species mediæ: diuisio tamen magis propria est in sonum communem rebus inanimatis, & proprium animatis, ille diuiditur in naturalem,

&

& in artificialem: iste in articulatum: & non articulatum.

Et communiter (ex S. Bonauent. *in Ps.* 28.) diuiditur in sonum purum, in sonum vocem, & in sonum sermonem: primus se habet vt genus, & quid superius: cæteri vt quid inferius: Sonus item purus alius est interior: alius exterior: Primus exercetur intra sensorium auditus: cùm enim sit inclusus in aure aër innatus, potest in eo fieri aliqualis sonus imperfectus: & patet, cùm mouetur ille aër ex humore noxio, fit sibilus, & innitus: sic etiam ex motione spirituum ibi concurrentium, sicut etiam sentitur, quando digitum auri apponimus: Exterior verò ex percussione corporum modo iam dicto: Sed quia sonus perfectior est Vox, & Sermo: Hinc sequens quæstio proponitur de Voce.

QVÆSTIO V.

Quid sit Vox, & Sermo: quomodò efformentur: Vbi de Echo: & magis explicatur natura Soni.

418. AVDITVS, vt suprà diximùs, secundum locum dignitatis post visum obtinet non solùm ratione obiecti purioris, vt aduertit S. Bonauent. *in Opusc. de reduc. artium*: sed quia maximè completur per obiectum completius, quod est Vox articulata, & Sermo, & hac ratione Auditus appellatur Disciplinæ, & scientiarum Mater: per auditum enim faciliùs, quàm per propriam inuentionem se insinuant in homine initia iustitiæ: fides enim est ex auditu, imò & tota ciuilis vita vno auditu consistit: Et cùm omnis veritas (vt ait S. Bonauent. *Serm.* 4. *&* 5. *&* 6. *Hexaëm.*) ad hæc tria capita reducatur, scilicet ad veritatem rerum, morum, & verborum, seu vocum: ab huius perceptione maximè dependet cognitio veritatis rerum, & morum: & ratio est iam dicta, quia fides, & omnis alia veritas est ex auditu. Tum etiam quia (vt notauit *Serm.* 2. *&* 11. *Hexaëm. in fine*) adest in voce quid latentis energiæ, & vitalitatis, per quam intensiùs imprimitur veritas, quàm per visum: Hinc de Voce, & Sermone aliquid dicendum: Quare

419. NOTANDVM primò, quod (vt aduertit S. D. *lib.* 2. *dist.* 21. *dub.* 1. *&* *dist.* 10. *art.* 3. *q.* 1.) Vox, vt efformetur, exigit tria, scilicet instrumentorum aptitudo, virtus motiua, & virtus directiua: Ad primum requiruntur organa apta: Ad secundum vis ipsa organa mouens: Ad tertium vis animæ excogitatiuæ: Et quoad primum sciendum est, quod ab ore versus pectus sunt duæ viæ, quarum altera est collocata à parte posteriori, & est, per quam cibus deglutitur, tenditque in ventriculum, & dicitur gula: altera est, per quam aër in refrigerium cordis, & caloris superefluentis ad pulmonem mittitur, & dicitur guttur, vel arteria aspera: est enim inæqualis per anfractus circulares ducta ex materia simili cartilagini, vel ossi, versusque os, & sub mento, quod vulgò dicitur pomum Adami, habet & magnam cauitatem, quæ dicitur gurgulio, & iuxta extremum linguæ interius habet suum foramen ante cauitatem gulæ, quod in deglutione sursum fertur, in quo dantur varij musculi ad diuersos sonos efformandos.

Hvic foramini adest membrana cartilaginosa, quæ claudit ostium ipsius, & dicitur epyglosis, seu linguula, seu vula à similitudine vuæ: hancque membranam prouidit natura, ne aliquid cadat in gurgulione, & si cadit, tunc excitatur tussis, & ferè suffocatur.

Per hanc viam à capite aliquando efluunt rheumata, quæ appoplexiam causant, vel ptiticam: Hoc gurgulione duplex aër immittitur, primò respirando, quo sonus hinc ortus non dicitur vox, sed respiratio, aut habitus: secundò ad experimendam sensationem aliquam, & sic dicitur peculiari ratione vox: Dum igitur percipitur aër extrinsecus, & recipitur intra, sed tamen ab aëre interno, à pulmone frangitur, & percutitur, tuncque gignitur Vox

420. Notandvm secundò, quod cùm vox non solùm requirat instrumenta apta, sed & virtutem motiuam, quæ præcipuè inest in pulmonibus, & virtutem directiuam, hæcque vltima consistit in actibus potentiæ excogitatiuæ: hinc patet, quod vox tantùm est animalium animam sensitiuam habentium, & simul habentium pulmonem, quo fit respiratio, (vt rectè aduertit Seraph. Doct. *lib. 1. distinct. 40. art. 4. quæst. 2. ad 6.*) Vnde (vt ait *lib. 1. distinct. 9. dub. 7. & distinct. 27. part. 2. quæst. 4.*) primò vnitur species sensui interno, deinde ipsam cogitat experimendo sibi ipsi, & deinde ipsam cogitationem exprimendo voce sensibili: quæ omnia (ait S. Doct. *lib. 2. dist. 21. dub. 1.*) sunt imperfectè in aliquibus animalibus, perfectè autem in homine.

Hinc patet dari loqutionem licèt imperfectam in animalibus, quatenùs importat articulationem vocum, qua exprimunt varios effectus, & conceptus internos: vt patet in picis, & psitacis: Et hæc est ratio, quare animalia cognoscunt diuersitatem vocum aliorum animalium: sic ouis cognoscit vocem agni ipsam quærentis, sic canis voces alterius canis latrantis ob præsentiam lupi, & sic de aliis multis: quod & probat eruditissimè Hyeron. ab Aquapendente in suo opusculo de hac re edito apud Meldul. *dis. 5. n. 134. & seq.*

Differt tamen hæc loquutio articulata brutorum à loquutione hominum per hoc, quod hæc hominum est perfecta (ait S. Bonauent. *cit.*) idest quia hæc articulatio est composita litteris, syllabis, dictione, & oratione, obidque & magis elaborata est. Tum etiam quia hæc fit mediis labiis, dentibus, & lingua: loquutio verò brutorum fit potiùs in faucibus media laryinge, & linguula, ideò est magis confusa: estque etiam naturalis, & propria vnicuique speciei, at homo pro libito variat ipsam: His positis

421. Vnica Conclvsio: Vox rectè sic definitur ab Arist. 2. *de an. t. 90.* Vox, *est percussio respirati aëris ab anima, quæ in his partibus collocatur cum imaginatione aliqua ad eam partem, quæ arteria, seu gurgulio dicitur.* Dicitur, (*percussio,*) non formaliter, sed causaliter, causatur enim à percussione, sicut & sonus: Dicitur (*respirati aëris ab anima, quæ est in his partibus, idest in pulmonibus, & aliis instrumentis,*) vt distinguat alios sonos ab animali producibiles: vt est stridor dentium, motus labiorum, qui non sunt vox: Dicitur (*cum imaginatione,*) vt explicetur vocem repræsen

præsentare internos affectus, per quod discernitur à sono puro, & etiam à tussi, quæ non fit cum imaginatione aliqua.

DICES primò: Vox competit etiam rebus inanimatis: ergo.

RESPONDETVR competere vocem metaphoricè tantùm: propriè enim est expressio affectus interioris: Vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 8. *infrà cit.*

DICES secundò: Hæc definitio competit etiam Sermoni: ergo non benè definitur.

RESPONDETVR concedendo antecedens: & negando consequentiam: Vox enim definitur hîc, vt est communis etiam Sermoni, qui est vox articulata, seu multiplicata, & distincta.

QVÆRES: an Angeli habeant voces?

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *&* *distinct.* 10. *art.* 3. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 21. *cit.* quod habent voces internas, non verò externas, & si videntur loqui exterius, non est propriè loquutio, sed est sonus causatus ex motione corporum ab ipsis assumptorum, qui sonus articulatur, & distinguitur, vt percipiatur ad modum vocis.

422. QVÆRES: quomodò efformetur Echo?

RESPONDETVR, quod Echo est sonus reflexus: sicut enim in visu contingit videri rem aliquam per reflexionem, vbi non est, verbi gratiâ, in profundo speculi ex eo, quod species reflectuntur à corpore terso, & polito, sic & in auditu: cùm enim species soni, vtpotè virtuales similitudines illius impingentis in corpus concauum habeant vim producendi ibi eundem sonum, sicut faciunt in aure, ideò illum producunt, & multiplicant secundùm multiplicitatem concauitatum, in quas reflectuntur, qui soni producti deinde emittunt speciem sui, quarum ratione ab aure multiplicatio sonus auditur, sicuti species visibiles in speculo visæ alias species sui emittunt in oculos.

ADVERTE tamen non omnia corpora esse capacia talis reflexionis, népè hiatibus plena: vt dolia, tipæ fluminum: item mollia, aspera, humida, & inæqualia, sed debent esse dura, leuigata, ac benè compacta, quæ aërem non dispertiant, sed integrum reddunt; sed quia in reflexione sonus est remissior, quàm in directo sono, ideò regulariter audiuntur tantùm vltima verba: quodque etiam euenit, quia vox reflexa impeditur ab auditione à vocibus directis: Verum quidem est, quod in aliquibus locis adest Echo, in quo audiuntur omnia verba integri carminis: sic dicitur in montibus Parmensibus adesse tale Echo, & in quodam Palatio propè Mediolanum, & hoc, quia corpora concaua sunt ita disposita, vt partes priores ab vltimis non turbentur.

QVI plurium dubiorum de auditu solutionem vult, adeat Conimbric. *in Problem.* 2. *&* 3. De Physiognomia aurium vide S. Bonau. in Com. Th. *lib.* 2. *cap.* 58. & Nos infrà aliquam breuiter trademus.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

De Odoratu, Gustu, & Tactu.

423. PRo explicatione horum triũ sensuum Notandum, quod cùm Nasus inseruiat in animantibus, respirantibus, & olfacientibus, (non enim omnia gaudent hoc sensu) ad respirationem, & olfactionem hîc habet partes externas, & internas: externæ sunt duæ, scilicet superior, quæ est ossea, & inferior, quæ est cartilagenea, quasi fornex cooperiens duo foramina, quæ nares appellantur, quorum vnum ad cerebrum tendit, & per quod expurgatur cerebrum, & deferuntur odores: aliud tendit ad finem palatus, & ad guttur, per quod transit aër in respiratione vsque ad cor: Partes internæ sunt sequentes: In superiori parte narium, & sumitate nasi interius eminent duo tubercula mammillarum similitudine, quæ ideò dicuntur processus mamillares, seu papillares, sub his adest os quoddam habens plura foramina, sed præcipuè duo principalia respondentia duobus foraminibus dictis nasi, quod os dicitur cribrum, vel os spongiosum è similitudine cum cribro, vel spongia: super has caruncula adest pellicula exangnis continuata cum tunica, quæ ad palatum, guttur, & linguam extenditur, quæ pellicula inseruit ad defensioné duorum tuberculorum, habetque minuta foramina, vt tum aëri, tum odoribus, tum pitnitæ, & excrementis cerebri esset peruia. Adsunt & duo nerui è cerebro procedentes, & ad dictas carunculas terminati, quibus spiritus vitales, animalesque deferuntur à cerebro, & species ad cerebrum deferuntur: His prænotatis.

424. PRIMA CONCLVSIO: Sensorium immediatum, seu organum odoratus non consistit in cerebro, vt dixerunt Aliqui, eo quia est potiùs organum internorum sensuum: nec item in neruis è cerebro prodeuntibus, cùm solùm inseruiant ad deuehendos spiritus, & species, sed in duobus paruis tuberculis mamillaribus: sunt enim coniuncta cerebro, sunt & aëreæ, & humidæ naturæ, obidque magis apta ad odores percipiendos, & emittendos ad cerebrum: & hæc est communior.

HVIVS sensus autem obiectum est odor, vt de se patet, & notat S. Bonau. in Centil. *part. 3. sect. 21.* & in Itiner. Ment. *cap. 2.* & Comp. Theol. *lib. 2. cap. 35.* Odor autem est quædam qualitas orta ex temperamento quatuor qualitatum prædominante siccitate: & à Seraph. Doct. dicitur vapor *in Opusc. de reduc. art. & lib. 4. dist. 49. p. 2. art. 3. quæst. 1.* dicitur qualitas non absoluta, sed emanatio, idest non permanens in corpore, vt permanent color, & tangibilis qualitas, sed exiens ad extra: Et licèt dicatur vapor, non est tamen intelligendum, quod sit substantia, sed qualitas vaporosa promanans à corpore, vbi viget vaporosa substantia: Et hinc patet, quare color, & siccitas vt plurimùm prædominantur in odore, sicut humidum in fœtore, quia humiditas est causa corruptionis.

MEDIVM autem odoris est aër, & aqua (ait Seraph. Doct. in Centil. *cit.*) & de se patet: Immutat autem per species, non secundùm esse reale: Sic S. Bonauent. *loc. cit.* Patet ex traditis de cæteris sensibus. Tum etiam

etiam quia exhalationes reales non reperiuntur in quolibet puncto medij, aliter in aula, verbi gratiâ, nihil aeris existeret: & tamen in quolibet puncto aulæ percipitur odor, ergo ibi reperitur secundùm esse intentionale. Tum quia videmus percipi à piscibus odores in aëre existentes: at si essent exhalationes veræ, non perciperentur, cùm vt plurimùm à ventis alibi deferuntur.

425. SECVNDA CONCLVSIO quoad gustum: Hoc organum residet vt plurimùm in lingua, & palato, præcipuè in cuspide linguæ: Sic S. Bonauent. in Centil. *part. 3. sect. 21.* Adsunt enim in lingua duo nerui immissi à cerebro vsque ad illius cuspidem, qui in alios minores per totam linguam diffusos diuiduntur, & per quos à cerebro transmittuntur spiritus animales, & ab ipsa species ad sensus internos. Gustus obiectum est sapor, qui ex Aristot. sic describi potest: Sapor *est qualitas sensibilis secunda ex commixtione primarum resultans humido aqueo super siccum terrestre prædominante, & calore decoquente, potentiam gustatiuam immutans:* Dicitur, (*qualitas,*) loco generis: Dicitur, (*secunda,*) vt distinguatur à primis: Dicitur (*ex commixtione quatuor qualitatum,*) vt innuatur qualitates puras elementares non esse obiectum gustus, obidque elementa pura de se non esse commistibilia: Dicitur (*humore aqueo super siccum prædominante,*) ad differentiam odoris, in quo siccum prædominatur super humidum, & hoc siccum debet esse terrestre, non igneum: hoc enim ob sui raritatem est gustui ineptum: sicut humidum aqueum non aëreum, ne citò dilabatur, sicut aër, sed permaneat ob eius crassitiem, requiritur etiam calor, vt digerat siccitatem, & frigiditatem terream, quæ duæ qualitates extremæ tollunt gustationem: Dicitur, (*immutans potentiam gustus,*) vt indicetur saporem esse obiectum sensibile proprium non commune gustus.

QVOAD medium extrinsecum dicimus cum Seraph. Doct. in Centil. *part. 3. sect. 21.* esse humorem salinalem, licèt medium intrinsecum sit caro, & pellis cooperiens linguam, & maximè cuspidem: Vnde sapor humefactus saliua immittit speciem in pellem, & carnem, quæque recipitur in organo gustus causans sensationem sui: Addimus saporum species esse plures prouenientes ex diuersa commixtione quatuor qualitatum, & prædominio humidi, quarum extremæ sunt amarum, & dulce: illud est humidum maximè à sicco separatum: istud est maximè coniunctum cum sicco: Dantur & alij sapores medij, de quibus Vide Conimbric. 2. *de an. quæst.* 1. *artic.* 2. *cap.* 10.

426. TERTIA CONCLVSIO circa sensum tactus: Organum tactus est neruus, seu caro neruosa, quæ à cerebro in modum retis extenditur per totum corpus, coperta tamen carne, & pelle extrinseca: & hæc caro, & pellis est medium huius organi: Sic S. Bonauent. in Centil. *c. r.* & communior cum Arist. contra Aliquos asserentes esse carnem, & pellem suprà dictam, quam Nos ponimus pro medio sensationis.

PROBATVR: Quia talis neruus, seu caro neruosa & continuatur cum cerebro, & distenditur per totum corpus, & est susceptiua spirituum animalium, qui procedunt à cerebro, &

ficientis

etiam delatiua specierum, & est sufficientis temperamenti ad tactum: ergo.

Obiectum autem tactus sunt omnes qualitates tangibiles elementares, vt calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum, & densum, leue, & graue, asperum, & lene: Sic S. Bonau. in Centil. *part.3. sect.* 21. Verum tamen est, quod omnes secundæ qualitates intantùm sunt tangibiles, inquantùm constant primis quatuor qualitatibus, in quibus inest vnica ratio formalis tangibilis, scilicet immutatiua complexionis primarum qualitatum, quibus animal constat: quæ immutatio fit mediantibus speciebus, vt de aliis dictum est: Immutatio autem fit ex excellenti prædominio existente in obiecto, & maximè in primis qualitatibus: nam in secundis potest fieri etiam in remissiori gradu, vt in aspero, & leni: patet enim experientia, si manus est intensè calida, non immutari à tactu aquæ calidæ in gradu remissiori, benè autem in tactu rei aliqualiter asperæ, & lenis.

Quod verò per species fiat tactus immediatè, patet experientia: vt si quis habeat super digitos extensam pelliculam, adhuc sentiretur corpus tangibile: si accedamus ad ignem, sentimus calorem ignis, & etiam aëris calefacti: ergo si sentimus per medium externum, id fit per species, sed non est maior ratio de tactu immediato, cùm qualitates tangibiles semper immittant suas species: Videantur Conimbric. in tract. problematum, qui circa hos sensus proponunt, & soluunt pulcherrima dubia, & valdè curiosa.

Quæres: quomodò differant sensus gustus, & tactus.

Respondetur conuenire quidem ambo in hoc, quod obiectum vnitur realiter cum medio intrinseco, & quia in vtroque percipitur, & obseruatur voluptas: differunt tamen primò in obiecto formali, vt dictum est; secundò in modo percipiendi obiectum: nam gustus semper percipit obiectum simul cum humido, non sic tactus: tertiò organo: gustus enim est in lingua, & palato, tactus in toto corpore: quartò in fine: nam tactus pertinet ad corpus forinsecus, gustus ad conseruandum corpus intus, & tandem quia possunt separari, &c. Sic Meldul. *disp.* 5. *num.* 176.

Et hæc de sensibus externis.



TRACTA



TRACTATVS III.

DE ANIMA.

De Sensibus internis.

427. PRÆTER sensus externos enumeratos dari aliquem sensum internum certum est apud omnes Philosophos, & Theologos, & experientia ipsa suadetur tam in homine, quàm in brutis: Recordantur enim sensationum externarum, & ad illa obiecta accurrunt, vnde bonum aliquod perceperint, & fugiunt ab eo, vnde malum ipsis venerit: hinc patet etiam dari potentiam sensitiuam appetitiuam: quare in re tam certa de an sit, non est tempus frustrà terrendum. Hinc.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot sint sensus interni, quæ eorum organa, & operationes.

CIRCA numerum potentiarum sensitiuarum internarum est maxima varietas opinionum: nam Aliqui reducunt eas ad tres potentias; scilicet sensum communem, memoriam & iudicatiuam: Sic Picol. Tolet. Faber, Aliique. Alij ad quatuor capita reducunt, scilicet sensum communem, phantasiam, æstimatiuam, & memoratiuam. Sic D. Thom.& Sequac. apud Complut. Alij addunt quintam, scilicet imaginatiuam distinctam à phantasia. Vltima tandem opinio vnicam tantùm potentiam recognoscit, solúmque docet distingui penes officia, & operationes: estque Alens.*part.2.quæst.7.memb.2*.Tatar. Plurimque Aliorum: & est Seraph. Doct. vt infrà patebit.

QVOAD organum, seu subiectum immediatum: Aristotelici eam reponunt in corde: Medici in cerebro, & hæc est opinio Seraph. Doct. Pro solutione

428. PRIMÒ Notandum, quod in assignanda ratione distinctiua potentiarum internarum variant DD. Aliqui enim distinguunt ex diuersitate cellularum existentium in cerebro:

bro: Sic Rabesanus *hic quæst.* 2. & quia adsunt (ait) quinque cellulæ, ideò & quinque potentiæ realiter distinctæ: sic enim ex diuersitate organorum externorum arguimus diuersas potentias realiter distinctas: sic etiam Faber *theor.* 100. Immò & id videtur sentire Seraph. Doct. nam in Comp. Theol. *lib.* 2. *dist.* 36. *& deinceps* notat adesse in cerebro varias cellulas, & tot, quot sunt potentiæ internæ, & in Centil. *part.* 3. *sect.* 21. diuidit potentias secundùm partes cerebri: Attamen sensus Seraph. Doct. non est, quod ex dictis cellulis inferatur distinctio realis potentiarum, sed tantùm quoad manifestationem, & diuersa munera, ad quæ eadem potentia est apta: Sic *lib.* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1. vbi conferens influentiam capitis cum influentia cordis, dicit, quod influentia capitis est generalior secundùm manifestationem, pro eo quod in capite omnes sensus apparent, & eminentiorem situm habent, & in eo sunt cellulæ aptæ ad cognoscendum, & nerui apti ad sentiendum, & mouendum: vnde Seraph. Doct. assignat discrimen tantùm quoad manifestationem, quæ fit per operationes, non quoad rationem formalem: vnde hæc regula de distinctione potentiarum desumpta à dictis cellulis est valdè fallax: vt notat etiam Galenus apud Runium *hic num.* 61. qui docet hanc multiplicem distinctionem ad alia officia datam fuisse à natura, & hoc etiam dato, non hinc necessariò inferenda est distinctio realis, sed tantùm penes diuersa officia potentiarum: Hinc

429. SECVNDÒ Notandum, quod in eodem obiecto cognito ab inferiori, & superiori potentia plura cognoscit superior, quàm inferior, siue in ordine intellectiuo; siue in sensitiuo, quod & innuit Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad vlt.* Sed clarissimè S. Thom. *part.* 1. *q.* 78. *art.* 4. *ad* 2. *&* 4. exemplum habemus primò in sensu, & in intellectu, & etiam in diuersis sensibus. In intellectu quidem, quia licèt non cognoscat nisi acceptum per sensus, & dependenter ab eis: at in obiecto cognito per sensus plura ipse cognoscit, quàm sensus, vt colorem cognoscit visus solùm in ratione visibilis: intellectus verò cognoscit plura alia, vt esse visibilem, esse qualitatem, &c. Idem proportionaliter est dicendum de sensibus internis: nam sensus communis cognoscit colorem, non solùm vt visibilem, sed vt visum, vt diuersæ naturæ à sono, & vt delectabilem.

RATIO est, quia potentia, quò perfectior, eò altior, & vniuersalior, & plura sub se comprehendens: hincque patet, quod licèt potentiæ sensitiuæ internæ sint organicæ, tamen quia sunt perfectiores externis, ideò maiorem vnitatem admittunt, & eò magis, quò exigunt actus subordinatos inadæquatos. Et hinc rectè dixit Scotus *lib.* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *part.* 2. §. *ad rationes*, quod si potentiæ sunt subordinatæ in eodem genere, tunc potentia superior potest continere in suo obiecto primo obiectum primum inferioris, sicque sensus communis continet in suo obiecto primo obiecta quinque sensuum exteriorum, in quo casu cùm actus potentiæ inferioris, & etiam obiecta sint inadæquata, non possunt ponere distinctionem in superiori, quæ tantùm per actus, & obiecta adæquata potest specificari: non

non enim tanta distinctio requiritur in potentiis, sicut in actibus, quia vna potentia maximè superior potest in plures actus specificè distinctos: vt patet de intellectu, &c.

Hincqve Seraph. Doct. dixit *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *fund.* 1. *& per totam*, *& lib.* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 3. quod potentiæ vnitas exigit non solùm idem obiectum formale, sed & eandem rationem immutationis actiuæ, & passiuæ: & *lib.* 2. *distinct.* 19. *dub.* 2. quod potentia distinguitur per actus, qui circumplectuntur totam potentiam, idest, qui sit adæquatus, & ita ab illa potentia percipiatur, quod non possit percipi ab alia sub eadem ratione.

430. Tertiò Notandum, quod licèt *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *quæst. vlt. ad* 2. dicat Seraph. Doct. speciem, quæ à sensu defertur ad imaginatiuam, non exire idem genus abstractionis, non per hoc tamen vult dicere, quod eundem modum immutandi potentiam habeat in sensibus externis, & internis: Sed vult dicere, vt se explicat *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. quod tam sensus externus, quàm internus cognoscit res non in communi, sed sub conditionibus materialibus, scilicet indiuidualibus, & singularibus. Differunt tamen, quod sensus externus percipit res materiales præsente materia eo modo, quo diximus suprà suo loco; Interni verò res cognoscunt absente materia etiam permanenter, & per consequens perfectiori abstractione præscindente à præsentialitate obiecti: Et hinc *lib.* 3. *dist.* 23. *dub.* 4. dicit, quod sensus cognoscit per species omninò concretas materiæ, & imaginatio per species partim concretas, & partim abstractas: quod dictum in superioribus explicauimus ad sensum Seraph. Doct. & in Centil. *part.* 3. *sect.* 23. dicit, quod sensus accipit formas in materia: imaginatio extra materiam: & quia hæc abstractio importat in eodem genere plures actus inadæquatos: hinc fit posse ab vna potentia totali exerceri.

Addit Seraph. Doct. *loc. cit. lib.* 4. *dist.* 5. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad vltim.* quod abstractio in anima separata maior, & minor non infert diuersitatem potentiarum: benè autem in anima, dum est coniuncta corpori: ex diuersa enim abstractione etiam diuersificantur potentiæ: vt dictum est, &c. His prænotatis.

431. Prima Conclvsio: Potentiarum sensitiuarum interiorum organum, & subiectum est substantia cerebri, ipsiusque medulla: Est S. Bonauent. in Centil. *part.* 3. *sect.* 21. & in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 34. *& seq.* qui licèt recognoscat diuersas cellulas in cerebro, non per hoc tamen infertur diuersitas organorum, vt infrà patebit: est & Aliorum *suprà cit.* Meldul. item *disp.* 5. *quæst.* 8. *art.* 5. Serbel. *disp.* 2. *quæst.* 2. *art.* 14. Bagatæ. Ruuij *hic* Aliorumque contra Arist. recognoscentem cor pro subiecto.

Qvod verò sit opinio Seraph. Doct. elicitur ex eo, quod *lib.* 2. *dist.* 20. *dub.* 6. docet, quod anima, dum est in corpore, complexionem corporis imitatur, & obid infantia, quia est mollis, & complexio cerebri fluida, ideò non potest esse ibi fortis impressio specierum, nec fortis conuersio super illas: hinc totum cerebrum recognoscit pro organo operationum internarum animæ.

PROBATVR autem ex Ruuio: Quia ex vsu anathomicæ artis constat neruos à cerebro deriuari, in eoque coniungi, cor verò non attingere: à medulla enim cerebri spinali, quæ est quædam substantia alba in medio cerebri posita parùm durior, sexaginta paria neruorum promanant distributa per totum corpus, & septem paria à parte anteriori ad sensus externos, nempè duo optici, seu visorij ad oculos, & alij duo motorij, quibus mouentur vndequaque, & deinde duo pro quolibet alio sensu, cum hoc tamen, quod ad sensum tactus distribuuntur tanquam in ramos per totum corpus. Tum etiam quia læsa phantasia applicantur remedia capiti, non cordi: patet etiam ex fumositatibus ascendentibus ad cerebrum, quæ impediunt operationes internas.

432. SECVNDA CONCLVSIO: Potentia sensitiua cognoscitiua interna est vnica tantùm secundùm speciem, & numerum, multiplex verò secundùm officia, & actus: Est Plurimorum supracit.

PRIMA pars patens est ex S. Bon. nam vt plurimùm omnes potentias internas sensitiuas vocat vnico nomine imaginationis, vt videre est *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4 ad 2. & lib. 1. dist. 16. art. 1. quæst. 2. ad 4. & lib. 3. distinct. 14. art. 3. quæst. 2. arg. vlt. ad oppositum* confundit sensum communem cum imaginatiua, & *lib. 1. dist. 39. art. 1. quæst. 2. ad 2. & lib. 4. distinct. 50. part. 2. quæst. 1. &* in Cent. *part. 3. sect. 23. &* in Itiner. ment. *cap. 2.* verum quidem est, quod in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 36. ad* 40. omnes potentias internas enumerat, & maximè *in cap.* 40. dicit, quod memoria incipit à sensu communi, & imaginatione, & completur potentia in seipsa: & in Centil. & in Comp. Th. *cit.* eas reducit ad quinque capita, suntque sensus communis, vis imaginatiua, vis æstimatiua, phantasia, & memoria, cui addit reminiscentiam in rationalibus: sed talis enumeratio est desumenda penes officia, & actus diuersos, cùm *in suprà cit. locis* ipsas confundat in vnum: Vnde in Centil. *part. 3. sect. 21.* dicit, quòd imaginatio aliquando dicitur sensus communis, aliquando imaginatio, aliquando memoria secundùm diuersa officia, & actus: & hinc conformiter ad hoc dictum notat *lib. 2. distinct. 24. part. 2. dub. 3.* quòd istæ potentiæ sensitiuæ internæ in vnum coincidunt integrantes quasi vnum perfectum posse circa ista sensibilia, & ideò notanter appellat istas nomine virium, non verò potentiarum: quia, vt notat *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1. in fine corp.* eadem potentia habens diuersos actus dicitur habere diuersas vires, non verò diuersas potentias, quia potentia nominat entitatem distinctam ab ipsa sua radice: quibus

PROBATVR primò: Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi istas potentias: ergo.

PROBATVR Min. Quia sicut non multiplicatur ob hanc rationem intellectus, licèt habeat diuersos actus etiam specie distinctos eo, quod potentiæ superiori id ex sua perfectione competit, sic & potentia interior sensitiua, cùm sit superior externis sensibus, potest multiplicem actum producere.

PROBATVR secundò: Potentiæ, quæ habent idem obiectum, & eundem modum immutationis, non distin

distinguuntur inter se, nisi penes munera, vel actus diuersos, sed potentiæ internæ sensitiuæ sunt huiusmodi: ergo: Maior est certa, quam & supponit Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. *fund.* 1. *& pluribus aliis locis.* Minor probatur: Potentiæ sensitiuæ internæ habent pro obiecto rem singularem sensibilem, à qua immutantur per speciem præscindentem à præsentialitate obiecti: ergo habent idem obiectum, & eundem modum immutationis.

Respondent Aduersarij, quòd licèt omnes potentiæ interiores recipiant species eiusdem rationis, non tamen circa eas eodem modo negotiantur: nam sensus communis recipit, & discernit varias species, sed non retinet vt aliæ potentiæ: & harum aliqua retinet species rerum vt præteritarum, aliqua non: quæ omnia indicant diuersitatem formalem in obiecto, & in ratione immutatiua.

Contra: Quia hoc discrimen est accidentale non per se in obiecto, cùm omnes potentiæ æqualiter abstrahant species ab obiecto vt absente: præteritio enim nihil addit ad abstractionem rei absentis: Immò omnes sensus, cùm immutentur ab obiecto vt absente, conueniunt etiam in ratione præteriti.

Qvare optimè notat Seraph. Doct. in Comp. Theol. *cit.* sensum communem appellari duobus nominibus, scilicet sensus, & communis iuremeritò, scilicet nomine sensus, quia eius munus est recipere species præsente materia, cùm ad ipsum, vt ad centrum reducantur omnes sensus externi: item nomine communis, qui habet iudicare sensata, eaque ad inuicem comparare, & discernere inter se, vt abstracta à præsentialitate materiæ: quæ ratio est communis cæteris sensibus: & hinc dicitur communis, scilicet sensibus externis, & magis internis.

433. Obicies primò: Obiecta horum sensuum habent diuersos modos immutandi potentiam, & sensus item habent diuersa organa, & diuersos actus: ergo distinguuntur specificè, & realiter.

Probatvr antecedens quoad obiecta: Sensus communis percipit sensibilia præsentia: cæteri absentia, & inter hos aliqui percipiunt ea vt præterita, vt memoria: alij præscindunt à præteritione.

Qvoad organa: quia sunt in diuersis cellulis, vt patet ex Anathomia, & aduertit etiam Seraph. Doct. *suprà cit.* habent enim diuersa temperamenta: ergo.

Respondetvr negando absolutè antecedens: ad probationem respondetur ex S. Bonau, *lib.* 3. *dist.* 23. *dub.* 4. omnes sensationes horum sensuum internorum conuenire in hac ratione formali obiectiua, quatenùs percipiunt per species partim concretas materiæ, & partim abstractas, quod suprà explicauimus, scilicet concretas, idest repræsentantes rationes indiuiduales: abstractas, idest, præscindentes à præsentialitate obiecti: quæ ratio etiam competit sensui communi, vt dictum est, & infrà magis explicabitur, & ob id omnes præscindunt à præteritione, & absentia.

Et ad id de cellulis Respondetur totum cerebrum esse organum horum sensuum: sed quia sensus internus habet multiplicem vim, & actus diuersos, quippè qui est superior, & sublimior sensibus externis, qui

actus sunt subordinati, & per se inadæquati, vt patet etiam in intellectu.

Hinc etiam isti actus exigunt diuersitatem temperamentorum in tota illa substantia cerebri, ita quod in vna parte habet maiorem humiditatem, & in alia maiorem siccitatem, sed tamen non in summo, sed in esse refracto, & secundùm vnum, & intra eundem ordinem specificum per magis, & minùs tantùm variando.

Dices S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 24. *art.* 1. *art.* 2. *q.* 4. *ad* 2. docere species sensuum externorum & internorum non exire idem genus abstractionis: ergo etiam isti externi cum internis constituent vnicam potentiam.

Sed iam responsum est huic difficultati, & satisfactum est explicando mentem Seraph. Doct. *ex lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. vbi notat conuenire omnes in hoc, quod non abstrahunt à singularitate, sed posteà differunt in abstractione à præsentialitate.

Obiicies secundò: Quia in aliquibus animantibus aliqua ex his potentiis deest: ergo signum est distinctionis realis.

434. Respondetur negando antecedens: licèt ex defectu dispositionum non adsint actus: nam etiam nutritiua habet plures actus, quorum aliqui in aliquo viuente deficiunt.

Obiicies tertiò Aristot. distinguere inter phantasiam, siue imaginatiuam, & sensum communem: Sic 2. *de an. t.* 155. & probat etiam hanc differentiam tum ratione obiecti, quia sensus communis immediatè immutatur à sensu externo in actu: tum ratione modi immutandi, quia sensus communis percipit sensibilia externa, vt præsentia sunt.

Phantasia verò mouetur mediatè, & præscindit à præsentia obiecti: tum ratione organi: quia organum sensus communis habet dominium humiditatis: est enim ordinatum ad facilè recipiendum species: in organo verò phantasiæ præualet siccitas, quia est ordinata ad retinendas species: sicuti & cætera organa aliarum potentiarum differunt in prædominio alicuius qualitatis, vt infrà dicetur, vt docet Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 36. *& deinceps*: tum & ratione actuum adæquatorum diuersorum: quod enim vna operatur, non potest alia operari: ergo concurrunt omnia requisita ad distinctionem specificam potentiarum.

Respondetur ex Meldul. *cit. num.* 296. Arist. *in lib. de mem. & remin. cap.* 1. *in fine* docere oppositum: dicit enim, quod phantasiæ species sensibilis phantasiæ est passio sensus communis: & hinc sequitur pro eodem sumere sensum communem, & phantasiam: vnde ad textum suprà allatum respondent interpretes ibi Arist. non considerare potentias secundùm se, sed actus, & munera ipsarum: sicque verum dicit, & nihil contra Nos: Ad alias rationes adductas in obiectione

Respondetur ad primam partem negando fieri diuerso modo immutationem in sensibus internis: quia, vt dictum est, omnes præscindunt à præsentia obiecti, & si sensus communis recipit species externorum sensuum actu sentientium, id ei est per accidens, & concomitanter tantùm, idest cognitio sensus communis est abstractiua, cui concomitatur

Digitized by Google

tatur intuitiua sensus externi: Vnde hac solùm ratione dicitur sensus (vt ait S. Bonauent. *cit.*) dicitur verò communis, quatenùs est idem cum phantasia, scilicet provt prescindit ab intuitiua cognitione: & hinc patet responsio ad secundam partem, negatur enim habere diuersa obiecta. Et quoad tertiam partem de varietate temperamenti cellularum cerebri iam patet responsio ex suprà traditis: nam illæ dispositiones existentes in variis partibus cerebri nec sunt oppositæ, nec ita annexæ, vt non possint mutari: patet id experientia aliquos statim recipere species, easque tenaciter retinere: alios ex opposito, vnde tales qualitates variantur secundùm magis, & minus, & obid nec sunt quilibet per se actus adęquati, sed subordinati ad integrandum vnum perfectum posse (vt ait in simili S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 2. *dub.* 3.)

INSTANT Aduersarij (& est potissimum argumentum) æstimatiua percipit res insensatas, verbi gratiâ, conuenientiam, & disconuenientiam rerum, sensus communis, & phantasia tantùm res sensatas: ergo habent munera omninò disparata: sed negatur obid inferri diuersitatem potentiarum, quod infrà patebit in seq. quæst. nam, vt dicetur, potentia interna non potest percipere insensata, nisi priùs percipiat sensata, seu res, quibus conueniant talia prædicata insensata.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum potentiæ sensitiuæ cognitiuæ.

435. QVIA certum est sensus internos percipere obiecta sensuum externorum, & patet experientia, nempè irrationalia percipere differentias rerum externarum ab externis sensibus perceptarum: & quia in homine intellectus non immediatè mouetur à sensibus externis, sed gradatim procedendo ad sensus internos: Præterea etiam adsunt affectiones, seu proprietates, quas Seraph. Doct. appellat nomine intentionum ad differentiam specierum, quas appellat imagines: vnde *lib.* 2. *cap.* 38. & 39. in Com. Theol. appellat, inquam, eas nomine intentionis, quia sunt quid maximè abstractum à sensatione, & differens ab ipsis speciebus: quare in his rebus sensibilibus, quæ non cadunt sub sensu saltem immediatè, vt sunt conuenientia, & disconuenientia, priuationes, negationes, amicitia, odium, &c. dicuntur communiter insensata, sicut & sunt ipsæ sensationes sensuum tum internorum, tum externorum: habent enim potiùs esse spirituale, vel abstractum: hinc difficultas maxima est, an intra rationem obiecti horum sensuum internorum cōprehendantur ista insensata, & si cognoscuntur: an cognoscātur immediatè per proprias species: an per species rerum sensatarum: an experimento: & an cognoscant etiam proprias sensationes sentiendo se sentire: quod etiam examinabitur de sensatio

Digitized by Google

sensationibus in ordine ad sensus externos: & hac occasione quæritur etiam, an animalia irrationalia habeant prudentiam, vel aliquem discursum operando propter finem intentum. In hac quæstione quot capita, tot sententiæ.

PRIMA Opinio denegat sensibus internis perceptionem insensatorum, verbi gratiâ, sensationum sensuum externorum rerum conuenientiam.

SECVNDA Opinio concedit sensus internos percipere hæc insensata, & sensationes proprias, & externorum sensuum, sed mediante specie immissa à rebus, & actu elicito ab ipso sensu: Sic Multi cum Meldul. Aliqui ad solum instinctum reducunt actus per ordinem ad hæc insensata.

TERTIA Opinio admittit species insensatorum in brutis, & ipsa percipere hæc insensata mediis talibus speciebus, obidque & percipere sensationes tum aliorum sensuum, tum & proprias: & hanc esse Seraph. Doct. vel conformiorem suis principiis demonstrabo: Pro solutione quæstionis

436. PRIMÒ Notandum, & supponendum, quod suprà traditum est *in tract.* 1. huius secundæ partis de speciebus, nempè quamlibet rem corpoream creatam habere vim generatiuam suæ similitudinis, immittique plures species, verbi gratiâ, sensibilium communium, substantiarumque simul cum speciebus accidentium sensibilium propriorum, & ab istis illas modificari, & percipi à potentiis internis per modum vnius, quod & dicendum est etiam de sensationibus externorum sensuum: vnde species coloris, quæ immittitur ab ipso, modificatur etiam per ipsius sensationis speciem, quod simul cum ipsa recipiatur: & ratio est, vt ait Ruuius *hic quæst.* 3. *num.* 84. quia sensus internus non percipit obiecta sensuum externorum, nisi vt sensata ab ipsis externis, obidque & simul modificata, per sensationis speciem per modum vnius percipiuntur obiecta.

437. SECVNDÒ Notandum, quod cùm triplex appetitus in vniuersum inueniatur, vt notat S. Bonauenr. *lib.* 2. *dist.* 38. *art.* 3. *quæst.* 1. nempè rationalis, naturalis, & sensitiuus: adest etiam triplex lumen directiuum dictans, & veluti ostendens, simulque mouens rem ad consequutionem obiectorum talium appetituum: vnde in naturalibus puris hoc regimen directiuum est quædam inclinatio, seu pondus, seu intentio, quæ potiùs est quid passiuum: In rationalibus est quoddam lumen iudicatorium dirigens tum in cognoscendo, tum in operando, quod lumen est innatum, & in anima impressum à Deo à sui origine: quod Seraph. Doct. appellat modò nomine luminis, modò speciei impressæ, modò habitus naturalis, modò lucis innatæ: Sic *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vlt. & fund.* 3. *& quæst.* 3. *ad* 4. *& pluribus aliis locis:* de quo lumine agemus in sequentibus suo loco: quod lumen, prout in se consideratur, dicitur species, sed pro vt est in anima, est veritas ipsam animam informans.

IN sensitiuis posteà adest lumen, seu regimen medio modo se habens infra libertatem, & supra necessitatem dictans, & excitans bruta ad apprehendendum sibi vtilia, & ad fugiendum noxia: & hoc lumen ab aliis communiter appellatur instinctus naturalis: à Guarino *disput.* 10. *de an. exp.* 6. appellatur nomine speciei

Digitized by Google

speciei idealis ab humoribus naturalibus, complexioneque in phantasia excitatæ, docetque talibus speciebus animalia tali ritu opus suum exercere: ab aliis dicuntur species insensatæ: Sic Arriaga *infrà citat.* Vnde S. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 18. *artic.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* notat ex authore de causis prop. 11. & 16. quod anima rationalis creatur in vmbra intelligentiæ (scilicet Angelorum) & sensibilis in vmbra rationalis ex hoc, quod anima rationalis in cognitione deficit à cognitione Angelica, & sensitiua à cognitione rationalis: & ideò secundùm indigētiam vniuscuiusque à Deo donatur secundùm instinctum propriæ naturæ: vt etiam innuit in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 39. & in Centil. *part.* 3. *sect.* 21. vbi notat, quod Imaginatio in brutis dicitur æstimatiua, vel indicatiua, secundùm quam dicimus sagacitatem, & prudentiam esse in brutis secundùm propriam vniciuiusque naturam: quæ tamen in homine, cùm sit associata cum ratione, multiplicatur secundùm diuersitatem eorum, de quibus fit ratiotinatio: at in brutis, quia est absque ratione, ideò non multiplicatur, sed tantùm operatur vno modo secundùm instinctum naturæ cuiusque.

438. Tertiò Notandum, quod procedendum est proportionaliter circa hoc lumen directiuum potentiæ sensitiuæ, ac dicitur de lumine innato rationalium: nam, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *q.* 2. illud lumen iudicatorium, seu species impressa in anima, cùm dicatur species vt comparatum intellectui, & comparatum obiecto dicatur veritas, habet vim repræsentatiuam veritatum spiritualium, verbi gratiâ, virtutum Dei, intellectionum, cognitionis primorum principiorum: attamen requiritur vlteriùs immissio, & receptio in intellectu specierum ipsorum terminorum explicantiúm talium principiorum primorum veritates.

Pari modo dicendum de illo lumine innato, & directiuo potentiæ sensitiuæ respectu insensatorum: ad hoc enim vt repræsentet phantasiæ talia insensata, requiritur concursus specierum obiecti sensati, quæ cùm sit virtus eiusdem obiecti, habet repræsentare obiectum non solùm quoad sensibilitatem, sed & adiuta ab illo lumine innato tanquam à causa principali habet producere speciem affectionum eiusdem obiecti concurrente eadem phantasia, & cum spiritibus etiam animalibus, qui, vt dicit Seraph. Doct. *in Opusc. de reduc. artium*, habent naturam luminis, scilicet conformitatem cum suprà dicto lumine, quod appellatur etiam lumen cognitionis sensitiuæ ab eodem Seraph. Doct. quam doctrinam licèt ex diuersis principiis tradunt etiam ex parte Guarin. *cit.* Arriag. in Phys. *disp.* 8. *sect.* 6. *subsect.* 12. *num.* 71. & *de an. disputat.* 6. *sect.* 1. *num.* 100. & *seq. vltim. editionis:* pro qua faciunt etiam ea, quæ in Phys. tradidimus ex Seraph. Doct. *lib.* 2. de Causa finali *quæst.* 5. His positis

439. Prima Conclusio: Sensus tam externi, quàm interni percipiunt proprias sensationes, & hoc primis actibus, & actu directo, non reflexo: Est plurium Philosophorum apud Ruuium *hic quæst.* 4. Arriag. *disputat.* 6. *sect.* 1. *subsect.* 12. *num.* 102. & 103. Guarin. *disputat.* 7. *exp.* 6. §. *sexta Conclus.* Morandi *tr.* 3. *quæst.* 9. *num.* 274. & Plurium Aliorum,

rum, quæ & infertur ex principiis Seraphicis suprà traditis in fundamentis.

Probatur primò ex doctrina tradita ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 8. part. 1. quæst. vltim. ad vltim.* Sensus tam externus, quàm internus non solùm recipit in se speciem, sed iudicat etiam de tali receptione: sed hæc est sensatio: ergo percipit sensationem. Tum quia species est virtus obiecti percepti: ergo facit ad percipiendam perceptionem obiecti: sed hæc est sensatio: ergo. Tum quia sensatio ipsa est entitas realis suæ similitudinis productiua. Tum quia sequeretur, si non perciperent suas sensationes, quod non differrent ipsorum operationes à non sentientibus, quod est falsum ex tradit. suprà ex Seraph. Doct. *in 2. Notab.*

Probatur sequela: Non sentientia producunt solùm suos actus, nec ab ipsis afficiuntur, cùm sint transeuntes, sed sentientia & producunt, & afficiuntur per suos actus, quia sunt immanentes: ergo & suas potentias productiuas denominant sentientes tales actus.

Dices: potentias affici per suos actus, quos recipiunt: sed hoc pacto non rectè infertur se sentire proprios actus: nam etiam hoc pacto cor, pulmo, & alia membra non sentientia afficiuntur ab ira, risu, afflictione, & similibus, & tandem non per id dicuntur percipere suas sensationes.

Contra: Quia hæc sensatio, seu perceptio est iudicatiua: vt dicit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 8. citat.* est enim coniuncta cum actu, quo percipit sensus se immutari, & tunc accingit se ad operandum: sed id non potest esse absque perceptione sensationis: ergo est dispar ratio de cæteris membris, ac de sensibus.

Probatur assumptum: Quia pupilla absque vllo imperio vel voluntatis, vel imaginationis se restringit, & dilatat pro exigẽtia lucis, & obiecti: animalia erigunt aures, oculos figunt: ergo signum est sensus percipere affectionem illarum specierum in se factam: promit enim eos actus, qui magis sunt apti ad suscipiendam sensationem.

Hinc dicendum est hanc sensationem sensationis haberi per irradiationem dictam luminis innati, & per sensum concurrentem simul cum specie obiecti.

440. Secunda Conclusio: Sensus interni percipiunt insensata, seu affectiones insensatas suorum obiectorum, & hoc primis actibus: Est suprà *cit.* DD. & infertur patenter ex principiis Seraphicis suprà allatis.

Probatur primò: Quia adsunt omnia necessaria ad perceptionem talium insensatorum: ergo.

Probatur antecedens primò ex parte potentiæ: Quia sicut appetitu, adest naturalis inclinatio in obiectum sibi conueniens, & ad noxium fugiendum: ergo in potentia cognoscente adest lumen innatum naturaliter dictans, & excitans ad perceptionem talis conuenientiæ, & disconuenientiæ: Sic ex S. Bonau. *lib. 2. dist. 39. cit.*

Probatur secundò ex parte obiecti: Nam potentia sensitiua interna recipit species proprij obiecti: sed hæc est virtus repræsentans idem obiectum eo modo, quo requiritur ad naturam talis potentiæ: ergo potest virtute luminis innati tanquam causæ principalis, & propria virtu-

te

immissa ab obiecto fieri immediata perceptio talium affectionum: sunt enim proprietates obiecti, & spectantes ad integritatem potentiæ. Tum quia ad Diuinam prouidentiam spectat tribuere vnicuique proprium modum operandi, secundùm quod est necessarium ad vitam tuendam, & ad propagationem propriæ speciei: quod & adnotauit D. Thom. apud Arriag. *cit.*

RESPONDET Meldul. *num.* 266. negando ad talem perceptionem requiri species insensatas, sed sufficere sympathiam, & antipathiam naturalem, seu instinctum, & quod potentia cognoscat obiectum conueniens naturaliter, non verò formaliter, vt est conueniens: Sed

CONTRA: Quia non explicat, quid sit hæc antipathia, & instinctus: vel enim spectat ad potentiam cognitiuam: vel ad appetitiuam: non merè ad appetitiuam, cùm hæc sit cæca, & requirat lumen ostendens obiectum, quod feratur in id, quod sibi est naturale: ergo spectat etiam ad potentiam cognitiuam: ergo est quid superadditum, & hoc est lumen innatum suprà dictum. Et ad id de cognitione materiali: Potentia cognoscit obiectum sibi conueniens, sed conuenientia non est obiectum sensus, sed tantùm sensibilitas secundùm Aduersarios: ergo non cognoscit obiectum conueniens, sed indiscriminatim tantùm rationem sensibilitatis, sed hoc est falsum.

PROBATVR experimento: Quis enim dicet, (vt ait rectè Arriaga,) quando ostendo panem cani, & ille ad me accedit, tunc nihil cogitare de pane vt sibi conueniente, nec velle se mouere, vt panem comedat vt sibi vtilem? Et dum baculo illum à me repello, quis credet illum non fugere baculum vt sibi noxium? alioquin idem esset ipsorum sentientium motus, ac motus lapidis ad centrum.

PROBATVR tertiò: Intellectus cognoscit ipsam conuenientiam: ergo & phantasia: nihil enim potest cognoscere intellectus, nisi id, circa quod versatur phantasia.

ADDIMVS sensus internos cognoscere etiam priuationes, & negationes, idque non directè, sed per species rei oppositæ, verbi gratiâ, lucis, & actu quodam diuisiuo: Sic ex S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim. & lib.* 3. *distinct.* 23. *dub.* 4. sic species vituli mouet vaccam ad cognitionem, & appetitum ad amorem: & quia non adest cognitio visiua in oculo, hinc Sensus communis percipit vitulum absentem, & non præsentem.

441. OBIICIES primò: Species conuenientiæ non potest ab obiecto sensibili emitti, nec ab alia causa: ergo à solo Deo: Sed id est merè voluntarium: ergo.

RESPONDETVR primò negando antecedens absolutè: producitur enim in sensu interno adiutorio luminis innati, & speciei externæ, quæ, cùm sit virtus obiecti, concurrit simul cum dicto lumine ad producendas affectiones obiecti.

INSTAT Meldula: Illa species, qua producitur cognitio, verbi gratiâ, in Phantasia ouis disconuenientiæ lupi, erit eiusdem rationis cum specie, quam habet lupus de alio lupo, & tamen non percipit talem disconuenientiam: ergo aliundè debet percipi.

Respondetvr negando antecedens: Diuersum enim est lumen innatum in oue, & in lupo, & cùm talis cognitio principaliùs proueniat à lumine innato, minùs principaliter à specie sensibili: hinc & habet secundùm diuersa lumina repræsentare diuersa.

Instat secundò: Conuenientia hæc est relatio, sed relatio non potest percipi absque discursu, qui est proprius tantùm homini: ergo.

Respondetvr negando Maiorem: Est enim quid absolutum,quia consistit in ratione boni appetibilis, licèt explicetur per relationem,& includat relationem transcendentalem: nam,vt notat rectè Seraph.Doct. *l.* 2. *c.*38. in Comp. Theol. non est necesse, vt animal apprehendat, quid sit conuenientia, amicitia, sed tantùm illud obiectum vt sibi commodum, vel noxium.

442. Obiicies secundò: Sensatio propria est extra Sphæram obiecti sensus interni: ergo non potest percipi.

Probatvr antecedens: Sensus organicus solùm potest immutari per id, quod recipitur in organo ab extra: sed sensatio propria est intranea

Respondetvr negando antecedens: Ad probationem respondetur negando antecedens absolutè. Tum etiam quia in percipiendo sensationes externorum sensuum percipit ea, quæ spectant ad obiecta sensibilia ipsorum, in percipiendo proprias percipit etiam quid sensibile trahens originem à sensationibus externis. Tum etiam quia istæ sensationes sunt productiuæ propriæ speciei

Obiicies tertiò: Sensus non sunt super se reflexiui: ergo nec possunt percipere proprias sensationes.

Respondetvr hanc esse potiorem difficultatem in hac Sententia: nam certum est, quod, vt rectè docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist inct.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vlt. & distinct.* 37. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vlt. & lib.* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. *& dist.* 25 *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *in corp. in fine:* solùm illæ potentiæ, quæ non dependent ab organo in operari, & à materia extensa, possunt reflectere se super se, & super actus suos: reflexio enim est eleuatio alicuius totius extra, & supra potentiam, vel subiectum, qua eleuatione potest ferri in seipsum, vel in actus suos per nouum actum, quasi circulum absoluendo: vt patet exemplo reflexionis lucis,& hæc est perfectè in potentiis inorganicis ob sui immaterialitatem, immunitatemque à materia extensa: At organicæ non possunt habere talem reflexionem, cùm constent ex duabus partibus diuersis, scilicet ex virtute animæ, & organo corporeo, in quo fit receptio speciei, licèt actus sit totius coniuncti: Attamen cùm receptio fiat in organo anima informato, obidque sensitiuo modo, cùm actus sit totius coniuncti, actu directo debet sentire se sentire, & immutari: Hinc

Respondetvr concedendo antecedens, & distinguendo consequens: duplex est sensatio, altera pura receptio,qua organum immutatur,& de hac concedo cōsequentiam: altera sensatio est illa receptio coniuncta cum quodam actu, quo coniunctum percipit se immutari, & secundùm quam immutationem specierum accingit se ad operationem,& de hac nego consequentiam: Hanc doctrinam tradit Seraph. Doct. subtilissimè

Digitized by Google

lissimè *lib. 2. distinct. 8. part. 1. quæst. vltim. ad vltim.* vbi dicit, quod hoc discrimen est inter visionem factam ab Angelo in corpore assumpto à visione oculi sentientis, & viui: quod in prima adest receptio speciei in oculo, sed non in potentia alligata corpori, & hæc non est vitalis in oculo, animalis verò est receptio sic in oculo, quod etiam in potentia; sed est principaliter ratione organi, & iudicium est ratione potentiæ in organo, non tamen præter organum: ideò & receptio, & iudicium est totius coniuncti, licèt ex diuersa ratione: & hinc cùm adsit iudicium in perceptione, & immutatione, necessariò sensus sentit se sentire.

Dices: Ergo si sensus attingit propriam sensationem, hæc erit obiectum vt quod, sed id non potest fieri absque reflexione totius in actum: ergo erit reflexio perfecta.

Respondet Morandus *cit.* negando sequelam maioris: cùm enim non sit reflexio propria, & perfecta, sensus non potest ferri in sensationem propriam vt quod: sed tantùm vt quo: idest illa actione, qua fertur in obiectum vt quod, percipit etiam sensationem, qua fertur in suum obiectum vt quod: quia, vt dictum est, recipiendo speciem, sentit se immutari, & accingit se simul ad ferendum se in obiectum tali sensatione.

Dices cum Conimbric. *lib. 3. cap. 3. quæst. 1.* Sensatio non est obiectum, nec continetur intra sphæram sui obiecti, cùm sit quid spirituale: ergo: obiectum enim visus est color, non visio: ergo.

Respondetur distinguendo antecedens: Sensatio non est obiectum sensus vt quod, concedo: vt quo, nego: obidque negatur non contineri intra sphæram sui obiecti: & id maximè verum de sensibus internis. Et ad id, quod sensatio non est sensibilis, sed quid spirituale.

Respondetur non esse sensibilem vt quod, concedo: vt quo, nego: & licèt entitatiuè non sit corporea, & sensibilis: tamen adest proportio inter potentiam sentientem, quæ est spiritualis, & ipsam sensationem: Et hinc

443. Tertia Conclusio: Sensus internus habet aliquale iudicium, seu quendam discursum, licèt imperfectissimum, qui ab aliis appellatur sagacitas: ab aliis prudentia sensitiua: Est S. Bonauent. *lib. 2. dist. 8. suprà cit.* & in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 39.* dicentis, quod hanc vim phantasiæ multi dixerunt esse aliquid rationis, sed dicimus non esse veram electionem, sed aliquid simile.

Vt autem intelligatur sensus huius Conclusionis, & simul probetur: Aduerte ex Scoto apud Meldul. *num. 275.* quod iudicium tripliciter potest sumi: primò pro cognitione certa rei etiam simplicis, & de hoc loquitur S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 8. part. 1. quæst. vltim. ad vlt.* secundò pro cognitione ad inuicem vnitorum, vel distinctorum, quod fit per quandam collationem imperfectam, & materialem attingendo extrema vel vnita, vel distincta, adest per modum vnius, vel quod vnum non est aliud, & de hac collatione agit S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 24. artic. 1. quæst. 3. ad 3. & lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3.* tertiò pro actu vero, & propriè collatiuo, idest compositiuo, vel diuisiuo attingendo,

do & connexionem distincti, & differentiam, & in hoc propriè interuenit discursus, qui est progressus intellectus à cognitione vnius propositionis ad aliam per vim inductiuam: Vnde requiritur necessariò cognitio plurium propositionum, & multiplex actus cum inductione ab vno noto ad aliud cognoscendum, & hoc tertium iudicium completum certum non inesse in brutis, sed tantùm primum, & secundum, & hoc secundum etiam imperfecto modo.

PROBATVR autem: Tum quia æstimatiua componit plura diuersa, vt montem aureum: Phantasia confert vnum cum alio attingendo conuenientiam, vel disconuenientiam: sic & S. Bonauent. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 38. *&* 39. Sic & videmus animalia eligere bonum, & reiicere noxium: canem quærentem in triuio færam, & olfactu percipere non pertransisse per duas vias,& absque olfactu per tertiam commeare: sic & apparet tale iudicium in apibus,in formica: vnde dicitur *Prov. cap.* 2. *Vade ad formicam piger.* Videmus item multa animalia disciplinari, & voces humanas intelligere, & ad proprium nomen vocata venire, & imperata facere multa: quæ omnia indicant irrationalia frui aliquali iudicio, & discursu licèt imperfecto.

VT autem pateat, qualis differentia insit inter discursum hominum,& iudicium brutorum.

ADNOTANDA est doctrina, quam tradit Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 39. quod in homine Phantasia coniuncta est rationi, & à ratione dirigitur: ideò quià diuersificatur ratio ad diuersitatem eorum, de quibus ratiotinatio fit, ideò operationes phantasiæ etiam multiplicantur valdè in homine: In brutis verò, quia non est coniuncta cum ratione, regitur non à ratione, sed ab instinctu naturæ, seu à lumine innato, de quo suprà dictum est: ideò conceptio phantasiæ operatur in talibus vno modo, inde est, quod hirundo semper facit nidum vno modo, sic & cætera: & quia variantur obiecta etiam in brutis, ideò etiam variatur instinctus, scilicet secundùm variationem humorum, complexionis, & spirituum operantur: quando verò pluribus actibus in his se exercent, tunc & acquirunt habitum, obidque & facilitatem ad tales actus, quando scilicet excitantur ab obiecto: Vide P. Guarin. *disputat.* 10. *exp.* 6. multa experimenta ad hanc Conclusionem afferentem.

Ex quibus infertur, quare animalia tempora præsagiunt futura: id enim prouenit, quia ad mutationem temporum humores in animalibus mutantur, propter quorum mutationem ad certos actus excitantur.

QVÆSTIO III.

Explicantur varia nomina, & actus competentia sensui interno, seu multiplicitas sensuum internorum.

444. SVPRA diximus vnicam esse potentiam sensitiuam internam in sentientibus, habereque plures actus, munera, & nomina: Hinc

PRIMA CONCLVSIO: Actus, quos producit potentia interna sensitiua, sunt quinque, & ob

id

id sortitur quinque nomina ipsos actus indicantia, suntque sensus communis, imaginatiua: æstimatiua: phantasia: & memoria: Est S. Bonauent. in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 36. & deinceps.*

PROBATVR, & simul explicantur singillatim: Prima vis potentiæ sensitiuæ internæ dicitur sensus communis, quia enim ab obiectis externis immittuntur species ad sua propria organa, & ab istis per diffusionem immittuntur intra cerebrum, & recipiuntur in anteriori parte cerebri, ad quam tanquam ad centrum terminant nerui sensorij ipsorum quinque sensuum: Duo munera autem insunt huic sensui communi: alterum, quatenùs dicitur sensus: alterum, quatenùs dicitur communis: nam prout est sensus, habet recipere rerum species sine materia, & tamen præsente materia ex hoc, quod sensus externi intantùm immittunt ad intra species, inquantùm habent obiectum præsens modo aliàs dicto; prout verò est communis (& id est proprium huius facultatis) habet iudicare sensata, & sensationes sensuum externorum, verbi gratiâ, quod color videtur ab oculo, sonus auditur ab auditu, & vltra hoc ipsa sensata comparare, & discernere inter se: & hinc patet dici communem non communitate prædicationis, vel vniuersalitatis, quasi sit genus ad alios sensus: nam tale commune non habet actum distinctum ab actibus singularium, sed sensus communis habet actus distinctos ab actibus externorum, sed dicitur communis, quia præsidet omnibus sensibus particularibus iudicando illorum sensationes: & hinc etiam ponitur in anteriori parte cerebri, quæ est medullosa, & humida ad faciliùs percipiendas species sensuum particularium.

DICES: Sensus communis est vnicus, & determinatæ complexionis in organo particulari: ergo non potest percipere tot obiecta vt plurimùm contraria, & exigentia diuersas complexiones in organo.

RESPONDETVR ex suprà traditis *in quæst. 1. in 2. Notab.* quòd sensus communis dicit duo, scilicet organum, & virtutem animæ: virtus est superior, nobilior, & perfectior eminenter quocunque sensu externo: organum autem est, vt dictum est ex Seraph. Doct. medullosum, & humidum, ideò est proportionatum ad facilè recipiendum omnes species inferiorum, & ratione virtutis, quia est vniuersalior, & eminenter in se vniens virtutem particularium exteriorum: hinc potest de ipsorum obiectis deiudicare: nec est verum, quod species inter se sint contrariæ, cùm habeant esse abstractum à materia, & veluti quoddam esse spirituale, intentionaleque, vt dictum est suprà de speciebus, &c. sed quia, vt notat Seraph. Doct. *lib. 2. cit. cap. 34. in fine*, alia est virtus, quæ benè recipit, alia est, quæ benè tenet: Hinc

445. SECVNDÒ adest alia virtus, quæ dicitur imaginatiua, & est, qua apprehenduntur imagines, & species rerum sensibilium, & in qua reseruantur: & ideò residet quidem in anteriori parte cerebri, quæ tamen habet maiorem duritiem ex frigiditate cerebri prouenientem, hæcque virtus plus abstrahit, quàm sensus communis, nempè imagines à rebus absente materia: & hinc appellatur thesaurus formarum, quia in ea for-

ma-

Digitized by Google

mæ abstractæ recipiuntur, & retinentur, & ferè immobilitantur.

446. Tertiò adest vis æstimatiua, residetque in prima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida est ex motu spirituum ad ipsam concurrentium, eius munus est & recipere species prodeuntes à sensu communi rerum sensibus externis perceptarum, & vltra hoc cognoscere affectiones insensatas ipsorum obiectorum, & hac ouis percipit inimicitiam lupi, amicitiam ouis, & agni, vtilitatem cibi proportionati, noxam ex cibo noxio, &c. Apprehendit autem intentiones, seu affectiones naturæ, non rationis: vnde non apprehendit, quid sit amicitia inimicitia, commodum, vel incommodum, sed tantùm simpliciter, prout sibi sunt proportionata, vel improportionata cognoscit.

447. Qvartò adest alia vis, quæ dicitur Phantasia residens in media parte cerebri: eiusque officium est componere imagines, seu species cum imaginibus, & speciebus: Item intentiones cum intentionibus, idest affectiones insensatas cum insensatis: Item imagines, seu species cum intentionibus, affectionibusque insensatis: Anima enim sensitiua per hanc virtutem primò apprehendit, quod aliquid est album, vel nigrum, hasque species componit fingendo aliquid vt chimæram: secundò componit affectiones insensatas, &c. sic ouis apprehendit, quod nato suo sunt præbenda vbera, & alienum esse repellendum, componit & species cum affectionibus, vt cùm ouis apprehendit lupum per suam speciem, & cognoscit inimicitiam, obid & fugiendum.

Per hanc virtutem anima sensitiua habet omnem possibilem cognitionem, & perfectiorem, cùm non solùm sciat præsentia, sed & prouidet sibi futura: Item & habet etiam quendam actum quasi electionis, licet non propriè, sed ob aliqualem similitudinem, cùm per ipsam eligunt animalia, quod sibi est vtile, & refutant noxia: per hanc animalia faciunt sibi casas, & de cibo prouident in longinquum: per hanc sciunt, quod aliquid est tale, & aliud est differens veluti per modum affirmationis, & negationis: Hæc vis, dum est coniuncta rationi, quia à ratione dirigitur, hinc in homine diuersificatur secundùm diuersitatem eorum, de quibus fit ratiocinatio: Vbi autem non est rationi coniuncta vt in irrationalibus, tunc regitur secundùm instinctum naturæ, & quia natura vno modo est in habentibus speciem vnam, ideò conceptio phantasiæ operatur in talibus vno modo; & inde est, quod hirundo facit nidum semper vno modo: Et quia hæc virtus operatur tam in somno, quàm in vigilia, hinc res in somno videntur præsentes, quia fit reuersio ad sensum communem, quatenùs vtraque vis operatur in somno: In vigilia verò, vt dictum est in habentibus rationem, tam varia, & mirabilia operatur, vt patet experientia in hominibus.

448. Et si quæras: Vnde fit, quod Melancholici, infirmi, & amentes multas habent phantasias, seu actus phantasticos.

Respondet Seraph. Doct. *in loc. citat.* hoc non prouenire ex illustratione, quæ fit per imaginationes rerum sensibilium, sed ex passionibus naturæ, & confusione spirituum ascendentium ad cerebrum, & caput

put turbantium: tales enim spiritus inuolutiones specierum faciunt generando horribiles visiones, & conceptiones: quod & in calce quæstionis fusiùs explicabitur.

QVÆRES secundò: Quare raró fit deceptio Phantasiæ in brutis, sæpè in hominibus.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 2. in Comp. Theol. *cit.* euenire, quia bruta citiùs recipiunt influxus primi motoris, vt patet in formica, quæ quando cibum quærit, intra dies tres non pluit, & gallus cantum suum per tempus variat, quia mutationem auræ ex influxione primi motoris præsentiunt: Homines verò multùm occupantur circa suas conceptiones conferendo, componendo, & diuidendo: & hinc non tam citò, & sensibiliter influentias cœlestes percipiunt, sicut bruta, quæ non tantùm occupantur in suis imaginationibus, nec secundùm illas operantur, sed tantùm secundùm instinctum naturæ.

ADDIT Seraph. Doct. hanc vim phantasticam plurimùm impedire intellectum eo, quod nimis occupat animam compositione, & diuisione imaginum non solùm acceptarum à sensibus, sed etiam fictarum, & maximè impedit in cœlestibus meditandis eo, quod vt plurimùm conceptiones vtriusque sunt dissimiles. (Addo) & hinc contemplatiuus procedens per imagines non valdè proficit in notitia, & amore Dei, benè autem abstrahens ab imaginibus. Tandem aduerte, quod Alij attribuunt omnes istos actus æstimatiuæ, & imaginatiuæ, quos Seraph. Doct. recognoscit in Phantasia: quod discrimen tamen est nullius momenti, cùm eadem sit potentia operans per diuersas vires, & facultates, & cùm potior denominatio in istis actibus sit à vi phantastica.

449. QVINTÒ adest & vis vltima, quæ dicitur memoria, quæ residet præcipuè in posteriori parte cerebri, seu in capite, seu cerebello, qui est locus siccus propter neruos motiuos, qui oriuntur ex ipso: Hæc duo munera exercet: alterum est conseruatio specierum: alterum est esse principium recordationis præteritorum vt sic, vnde eius actus est recordatio actus præteriti: & hinc duas operationes oportet præcedere memoriam, scilicet receptionem speciei per sensum communem, in quo memoria incipit, & conseruationem eiusdem speciei per imaginatiuam cum distinctione ipsarum specierum, & obiectorum: & deinde in memoria sequitur conseruatio intentionum per æstimatiuam à figuris, seu speciebus rerum elicitarum, idest specierum expressarum: quare, cùm memoria actus sit cognitio, seu cogitatio actus alicuius præteriti ipsius recordantis, & hoc inquantum præteriti, sequitur, quod memoria habeat pro obiecto actum præteritum ipsius recordantis, inquantùm est præteritus.

ET hinc (vt rectè obseruat Meld. *num.* 286.) exigit quatuor ratione actus præteriti, seu obiecti: & alia quatuor, provt obiectum est actus præteritus.

ET quantum ad obiectum, provt recordatio est actus ipsius recordantis præteritus, primò requiritur, quòd recordatio habeat duplex obiectum, scilicet remotum, circa quod recordans habuit actum: & proximum, estque ille actus præteritus, qui fuit productus circa illud obiectum

obiectum, verbi gratiâ, cognitio de industria alicuius in aliqua arte: secundò est, quod actus iste, qui est obiectum proximum, quando existit, debet imprimere speciem sui in potentiam memoratricem, vt hæc posteà possit exire in actum recordationis: tertiò, quod actus iste fuerit proprius ipsius recordantis, non alterius: quartò, quod actus iste sit obiectum potentiæ recordariuæ: prout verò est præteritus iste actus, alia quatuor requiruntur: primum, quod actus recordationis debet necessariò esse posterior tempore obiecto recordato, alioquin non esset actus præteriti: secundum, quod potentia recordatiua percipiat fluxum temporis mediantis inter tempus, quo priùs fuit cognitus, vel productus ille actus, & tempus recordationis, & hoc vel determinatè, vel indeterminatè: tertium, quod obiectum non sit in se præsens: non enim esset cognitio memoratiua, sed intuitiua: quartum, quod sit præsens per speciem sui: quæ omnia innuit Seraph. Doct. *loc. citat. & lib. 2. distinct. 8. infrà cit.*

450. Ex quibus infertur primò, quòd duo ad memoriam requiruntur, scilicet retentio specierum expressarum actus præteriti, & recordatio eiusdem actus: primum habet rationem habitus: secundum rationem actus: Sic S. Bonauent. *lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 1. quæst. 2.*

Secundò, quod si cognoscimus rem præteritam, si de ea non præcesserit cognitio, talis cognitio non dicitur recordatio.

Addimus ex Seraph. Doct. quod ad hoc caput spectat aliquo modo reminiscentia, quæ tamen differt à memoria, seu recordatione: quod recordatio est replicatio cognitionis habitæ de aliqua re: reminiscentia verò est replicatio rei priùs cognitæ, sed posteà oblitæ, quæ iterum cognoscitur media ratione excitante species per collationem temporis, loci, vel aliorum consimilium, quæ habeant inter se aliquam connexionem: vnde causatur ex pluribus principiis circunstantibus illud, cuius propriè est reminiscibilitas: vnde reminiscentia exigit obliuionem rei alicuius, sed tantùm ex parte, nam per id, quod remansit, potest quandoque reminisci se sciuisse: Si verò quis totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum.

Adverte tamen reminiscentiam propriè sumptam esse solùm in homine: in animalibus verò esse tantùm memoriam: nam in illa requiritur discursus, & operatio rationis inferentis ex antecedente consequens, quod non potest fieri nisi per conuersionem intellectus possibilis super eas species, quas habet apud se, reducendo ea ad actum, quæ habet in habitu.

Ex quibus omnibus infertur, quod cùm suprà dictæ vires versentur circa idem obiectum formale, scilicet circa rem vt absentem per species abstractas eodem modo, hinc infertur omnes integrare vnicam potentiam sensitiuam.

Pro explicatione maiori dictorum proponuntur aliqua dubia, & soluuntur: Hinc

451. Quæres primò: Vnde oritur deceptio in Phantasia, & in aliis sensibus.

Respondet S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 8. part. 2. art. 1. quæst. 3.* quod ludificatio Phantasiæ solùm contingere potest, quando non saluatur media

media dispositio organi, medij, & obiecti: vnde tripliciter potest contingere: primò, quando videtur aliquid esse præsens, quod non est: secundò, quando cognoscitur aliter, ac est: tertiò abscondendo, quod est: Primus error contingit, quando Phantasmata, seu species existentes in imaginatiua offeruntur forti oblatione ipsi Phantasiæ, vel Phantasia fortiter illis intenditur, tunc similitudo rei videtur esse veritas, idque fit, verbi gratiâ, in phrænetico per assensum fumositatum ad cerebrum, quæ caput turbant, fortiter calefaciunt membranas cerebri: & hinc fit confusio specierum, ob quam infirmus credit se videre multa, quæ verè non videt: similiter, quando sensus interior ob aliquam inualetudinem, & turbationem cerebri fortiter intendit ad aliquam speciem, tunc similitudo videtur veritas: Sic D. August. refert de quodam, qui tanta conuersione recogitabat imaginem cuiusdam mulieris, quod ei carnaliter commisceri videbatur etiam vigilando, quod & dæmon etiam potest facere. Secundus error est, quando res aliter, ac est, naturaliter apparet sensui, idque prouenit vel ob variationem aliqnam ex parte organi: vt quando humor sanguineus, vel vapor igneus descendit ad oculos: tunc ea, quæ videntur, rubea apparent, vel ob variationem obiecti, ob quam apparet diuerso modo, ac est. Tertius est ob occultationem obiecti, & hoc, quia impeditur visus sensus, ne perueniat ad sensibile; vel impeditur species, ne perueniat ad sensum. Error tamen primus suprà positus maximè contingit in Phantasia.

452. QVÆRES secundò: Vnde oritur, quod faciliùs memoramur ea, quæ in pueritia didicimus, & diutiùs etiam, quàm quæ cognouimus alio tempore, & simul etiam ea, quæ à nobis inuenta fuere, quàm quæ ab aliis inuenta.

RESPONDETVR ad primum: Quia animus in pueritia non est circa multa implicatus, & distractus, & hoc maximè in eo, qui habet addiscendi maximam aciditatem: illas enim primas species cum iucunditate recipit, firmiúsque imprimit. Tum etiam, quia fit perceptio cum admiratione ob cognitionem rerum nouarum. Ad secundum procedit eo, quia naturali dilectione amplexantur à nobis inuenta, & vt noua magna cum attentione ea percipimus, obidque & intensiores species producuntur, & imprimuntur.

453. QVÆRES tertiò: Vnde oritur illa vocum series, quas vno tractu proferimus.

RESPONDETVR eodem modo voces pronuntiari, quo priùs sunt apprehensæ, estque veluti specierum catena, quam vti directo filo sequimur pronuntiando memoriter eas voces, quas species repræsentant; vnde si aliquis anulus illius catenæ, ut ita dicamus, excidat, nisi statim religetur catena, reliquæ voces non veniunt: quæ regula tamen non est infallibilis, cùm aliquando indiscriminatim apprehendantur species, & tunc non adest ista necessaria colligatio specierum inter se: sed quia ut plurimùm habemus delectum eorum, quæ rationabiliter dicenda sunt, sic assuescimus bonis specierum combinationibus,ità ut etiam somniando discurrimus, ut patet in addiscentibus lectionem, concionem, &c.

QVÆRES quartò : Cur potiùs vnius rei faciliùs recordamur, quàm alterius?

RESPONDETVR evenire, vel quia species est intensior, vel illustrior, vel juxta inclinationem naturalem.

QVÆRES quintò : Cur quandoque cogitamus de re, de qua fortè ante viginti annos non cogitauimus?

RESPONDETVR euenire vel ob aliquam combinationem specierum nouam, vel ob aliquod obiectum externum simile perceptum de nouo, vt dictum est suprà de reminiscentia.

QVÆRES sextò : Quando excitantur species, & præcipuè faciliùs recenter acquisitæ?

RESPONDETVR ob rationes dictas suprà de reminiscentia, faciliùs tamen excitantur recenter acquisitæ: quia istæ sunt intensiores, & in substantia cerebri magis humida, & ob id faciliùs agitantur: species autem antiquæ inhærent in substantia crassiori, & licciori, ob id difficiliùs mouentur.

454. QVÆRES septimò : An omnes dictæ vires sensitiuæ sint in omnibus animantibus. Negant Aliqui. Communior affirmat : omne enim animal habet appetitum, quo quærit sibi commodum, & refugit noxium: ergò requiruntur potentiæ internæ perceptiuæ talium obiectorum : Addimus tamen inesse in aliquibus imperfectissimo modo, & maximè in habentibus tantùm aliquos, non omnes sensus externos.

QVÆRES octauò : Quomodò producantur species in sensu interno? an sit scilicet eadem numero, quæ per totum cerebrum commeat vsque ad memoriam.

RESPONDETVR ex traditis ex Seraph. Doct. suprà de specierum origine species produci ab obiecto originaliter, & ab eius virtute progrediente vsque ad organa interna diffundi per generationem : Vnde non est omninò eadem, nec omninò diuersa, sed est eadem se multiplicans, & exercens varios actus, concurrente tamen simul eadem potentiâ interna ad talem diffusionem : Vide, quæ suprà tradita fuere de speciebus.

QVÆSTIO IV.

De Somno, & Vigilia.

455. INTER animalium Passiones præcipuum locum obtinent somnus, & Vigilia propter eorum communitatem, cùm omnibus animantibus conueniant : Hinc

PRIMÒ Quæritur, quænam sint somni, & vigiliæ causæ.

RESPONDETVR, quod causa efficiens remota somni sunt cor, cerebrum, & virtus animæ : cor enim suo calore vapores excitat : cerebrum eos sua frigiditate condensat, & virtus animæ eos attrahit in altum vsque ad cerebrum : proxima verò est præsentia vaporum obstruentium meatus, per quod impediuntur spiritus animales, ne procedant ad sensus exteriores, ibique & vigiliæ causa efficiens est exercitium actuale eorundem spirituum.

RATIO huius dicti est, quia cùm principium omnis sensationis requirat spiritus animales, qui dicuntur spiritus motores, quia dant motum virtutibus, & sensibus animalibus, & quia isti generantur in cerebro, & per neruos, meatusque transmittuntur

Digitized by Google

tuntur ad omnes sensus, & organa corporis: hinc, si cessat talis transmissio spirituum, cessat & motus, & insimul ligantur organa, ne operentur, sicut euenit in somno.

Hinc definitur somnus: *ligatio sensuum vel omnium, vel aliquorum exteriorum ad quietem animalium instituta:* Vigilia: *solutio eorundem sensuum:* Sic S.Bonau. *in Io.collat.*51.A Seraph. Doct. *lib.*2. *dist.*18. *art.*1. *quæst.*1. *arg.*4. *ad oppos. & dist.* 25. *part.* 2. *quæst. vlt. ad* 4. Sic definitur somnus: *est quies naturalis animalium virtutum cum intensione naturalium*, per quam definitionem meliùs explicatur natura somni. Dicitur enim, *quies*, vt detur intelligi, quod somnus est non præcisè ob impedimentum transmissionis spirituum à cerebro, sic enim potiùs esset quid violentum, cùm violenter detinerentur ibi, sed quatenùs natura virtute attractiua retinet spiritus in cerebro, per quam retentionem fit somnus, qui est quies, Dicitur, *animalium virtutum*, vt intelligatur ligatio non solùm sensuum exteriorum (scilicet vel omnium, vel aliquorum) sed etiam aliorum interiorum.

Dices cùm Guarino: Impeditur etiam vsus rationis, & operatio voluntatis: ergo non est ligatio tantùm virtutum animalium.

156. Respondet S.Bonauent. *lib.*2. *dist.*25. *part.*2. *quæst. vlt. in corp. & ad* 4. quod anima, dum est in corpore, pendet à corpore in suis actibus, & ob id exigit dispositiones necessarias in corpore, quibus ablatis auferuntur etiam actus proprij animæ rationalis, & hinc vsus rationis, & actus voluntatis: impeditur enim organum, in quo resident spiritus necessarij ad exercendas operationes animæ in corpore, hinc & actus etiam eiusdem animæ: vnde sub nomine virtutum animalium veniunt etiam actus rationales.

Dices: In somno semper aufertur vsus rationalium potentiarum, sed non semper virium animalium, vt imaginationis, phantasiæ, &c. ergo malè definitur somnus.

457. Respondet S.Bonauent. *cit.* quod quando anima est in corpore, exigit dispositionem actualem in corpore, & in organo: cùm autem hæc attendatur secundùm supremum corporis, & secundùm spiritus nobilissimos existentes in corde, & in cerebro, & quia quando aliquid aufertur ab aliquo, priùs aufertur id, quod est in eo excellentissimum, & cùm aliqua virtus debilitatur, priùs ab ea aufertur summum, quàm id, quod citra summum: hinc est, quod quando læditur corpus, priùs, & citiùs læditur in eo, quo conformabatur virtuti intellectiuæ, quàm sensitiuæ: ideò fumositates ascendentes ad cerebrum, quæ perturbant, & impediunt spiritus in somno, vel in pueris, vel in phtæneticis, vel alia læsio organorum, in quibus resident spiritus nobilissimi, faciliùs impedit vsum rationis, quàm imaginationis: Vnde non sequitur, quod somnus sit ligatio rationis, non verò virtutum animalium: illa enim est ex consequenti, ista est per se, licèt aliquando non omnes ligentur: Ex quibus patet, quænam sit causa formalis somni, cùm sit formaliter quies virtutum animalium, &c. & quænam materialis, est enim cerebrum: Causa verò finalis est quies animalis, & consequenter virium, spirituumque reparatio propter conseruationem animalis; concoctio perfecta, &c.

Digitized by Google

Ratio autem, quare isti effectus obtinentur per somnum, est, quia dum vna potentia quiescit, altera fortiùs operatur: igitur quiescente potentia sensitiua operatur intensiùs vegetatiua cum suis virtutibus naturalibus: & hinc dicitur in data definitione: somnus est quies virtutum animalium cum intensione naturalium.

458. QVÆRITVR secundò: An omnes potentiæ sensitiuæ ligentur in somno.

RESPONDETVR, quod aliquando omnes ligantur, aliquando non omnes, sed aliquæ tantùm: Primum prouenit ex duplici capite, scilicet vel ex vehementi copia vaporum obruentium spiritus animales, ne exerceant sua munia: vel ex deficientia spirituum animalium: cùm enim exigui sunt, attrahuntur ad ventrem propter concoctionem cibi, aliasque functiones necessarias, & naturales obeundas: tunc enim omnia organa remanent spiritibus destituta, sicque & sensus omninò sopiti: Secundum verò prouenit, quando obstruuntur meatus à fumositatibus, sed non omnes meatus, per quos descendunt spiritus animales, obstruuntur vel non totaliter: & hinc ligantur aliqui sensus, sed non omnes siue interni, siue externi: & hinc aliqui in somno loquuntur, ambulant, audiunt, respondent, &c. sed tamen vt plurimùm confuso modo, eo quia spiritus ex vaporum copia agitati res ostendunt perturbato modo, quo casu etiam intellectus, & potentia appetitiua potest quandoque operari, licèt confusè: Aduerte etiam faciliùs ligari in somno sensus externos, quàm potentia motiua, & hoc quia sensus recipiunt spiritus ab anteriori parte cerebri, quando est magis humida: ideò ob maiorem copiam ... moris facilè obstruuntur meatus, qui sunt angustiores: at potentia motiua recipit spiritus à posteriori parte cerebri, quæ est siccior, & per ampliores meatus communicantur: vnde non tam facilè obstruuntur meatus potentiæ motiuæ.

459. QVÆRITVR tertiò: An extra somnum detur ligatio sensuum?

RESPONDETVR dari ligationem sensuum extra somnum non naturalem, sed præternaturalem prouenientem ex morbo: & hæc ligatio est multiplex, sicut & multiplex causa: si enim est ligatio subita omnium sensuum, & vitalium potentiarum cum respiratione, & pulsu ferè abolito, & sudore frigido, dicitur syncopis, seu deliquium, quodque euenit vel ex imaginatione, vel sanguinis aspectu subito, vel motu repentino, vel venere, vel ex vulnere, vel ex dolore vehementi, vel ob defectum, & refrigescentiam spirituum: & hoc deliquium diuiditur multipliciter secundùm varia accidentia concomitantia: si verò est cessatio motus voluntarij remanente aliquo motu naturali inuoluntario, vt motus oris, oculorum, pedum, &c. dicitur Epiplexia: si aufertur omnis motus, & sensus cum parua respiratione, dicitur apoplexia, seu catalepsis, de quibus Medici agunt: quando verò est ligatio naturalis per concursum cordis, cerebri, & virtutis animalis, tunc est verè somnus.

HIC autem aduerte, quod somnus necessarius est cuicunque animali iuxta cuiusque propriam naturam ita, quod non sit nimius, nec breuis, sed moderatus: nimius enim valdè nocet partibus in somno quiescentibus

Digitized by Google

centibus eo, quod nimio tempore remanent & operatione, & spiritibus destitutæ; sicque euadunt torpentes, & ineptæ ad operationem: Tum etiam quia calor vitalis vtpotè inclusus intra festinè decoquit cibum: quare per hanc festinam concoctionem multæ generantur superfluitates, calorque debilitatur: Nimium verò breuis somnus parum iuuat, quia nec spiritus, nec vires sufficienter possunt reparari.

Qværitvr quartò: Quare Plantæ non indigeant somno.

460. Respondetvr, quia virtus sensitiua operãdo consummit spiritus, ideò ad ipsos restaurandum est necessaria vacatio ab operibus: Virtus verò nutritiua consummendo restaurat vires, & perficit spiritus, ideò in nutritione, & operatione perficitur natura: hinc non indiget vacatione.

Qværitvr quintò: Quare post somnum recordamur operationum internarum; non tamen motuum, aliarumque externarum actionum, vt loquutionis.

Respondetvr, quia operationes internæ, vt somnia relinquunt species in memoria: at operationes externæ, scilicet motus, loquutio, &c. non nisi mediis sensationibus externis possunt causare species in sensu interno, quæ cùm non adsint in his casibus, aut saltem non sit attentio potentiæ perfecta, non causabunt de seipsis memoriam in internis sensibus: quæ omnia possunt inseruire ad notitiam habendam de vigilia, quia oppositorum est eadem ratio: Pro maiori tamen explicatione.

461. Qværitvr sextò: Vnde pronenit Vigilia?

Respondetvr pronenire ex aperitione viarum, & transitu spirituum ad externa organa: hoc autem dupliciter potest euenire: vel ex eo quod animal seipsum excitat, & dicitur expergisci: vel quod ab alio excitatur, & dicitur propriè excitari: Primum duobus modis potest contingere, scilicet vel naturaliter, vel violenter: Naturaliter fit, quando consumptis iam humoribus, & restauratis per nutritionem spiritibus ad externa dennò effunduntur: Violenter verò fit, cùm ex passione aliqua doloris, vel timoris ab aliqua imaginatione imminentis mali causati fit magna torius corporis commotio, vt spiritus ab internis ad externa per totum euocentur: Secundum scilicet excitatio ab alio contingit, quia organnm alicuius sensus externi à valido obiecto veluti excitatur, & pungitur, qua ratione virtus coporis regitiua illuc immittit spiritus, quando commotio est valida, tanquam in auxilium partis oppugnatæ, vnde soluitur somnus per spirituum præsentiam, sic homines clamore, tactu, odore, & lumine possunt excitari: Sic Meldul. *disp. 5. num. 356.* Vide apud cir. Authorem, & Conimbricenses plura ad hanc rem.

QVÆSTIO V.

De Somnio.

462. Qvia animal inter dormiendum fingit, & imaginatur varia, hinc de hac proprietate consequente ad somnum aliqua sunt explicanda.

Qværitvr igitur, primò: quid sit somnium, & quomodò contingat?

Respon

Respondetur Arist. sic definire somnium, quod & Seraph. Doct. *in Centil. part.* 3. *sect.* 23. & *in Op.* declarat, terminosque tradit: Somnium *est phantasma apparens in somno, seu apprehensio phantasmatis facta, & exhibita per sensum internum, dum dormimus.*

Dicitur (*apprehensio Phantasmatis, seu Phantasma*) idest repræsentatio actualis.

Dicitur (*exhibita, dum dormimus per sensum internum*) vt excludantur actus intellectus: in hoc enim non contingunt somnia, & per id etiam excluduntur spectra, quæ in vigilia apparent phræneticis, & amentibus, quod ex sequentibus meliùs clarescent: Circa modum verò, quo fiunt somnia, & per quam potentiam.

Advertе, quod, vt suprà diximus, & innuit Seraph. Doct. *in Comp. Theolog. lib.* 2. *cap.* 39. & *lib.* 2. *dist.* 23. *artic.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 4. cùm non semper sensus interni in somno ligati remaneant, sed soluti, & liberi: cùm autem conseruentur species in imaginatiua obiectorum externorum impressæ, & in memoria phantasmata, seu species expressæ: hinc Phantasia soluta in somno multoties circa talia phantasmata negotiatur, ipsaque simul componit, & hoc, quia à vaporibus spiritus commouentur, & isti commouent phantasmata, ex qua commotione fit tot rerum diuersarum compositio, & hinc Phantasia, id quod ex tali compositione, & collatione resultat, recognoscit, ac si vera essent obiecta.

Et hinc etiam soluitur illud dubium: quare aliqui parum, vel nihil somniant: nec alij in principio dormitionis, sed tantùm in medio, & magis in fine.

463. Respondetur, quod qui nihil somniant, habent caput repletum multis fumositatibus, vt sunt pueri infantes, & adulti valdè humidi: Et hac eadem causa in principio dormitionis multi non somniant, quia in initio vapores valdè abundant, qui obstruunt meatus, & ligant omnes potentias internas. In medio incipiunt tales fumositates desinere, & in fine posteà omninò ferè tolluntur: hinc somnia incipiunt in medio, & clarè habentur in fine, ac si essent vigiles. Et quia adsunt phantasmata aliqua magis intensa, vel magis conformia nostræ inclinationi, & complexioni, hinc de iis plus somniamus.

464. Quæritur secundò: Quænam sint causæ somniorum, & quot genera sint?

Respondet S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. quod quinque de causis fiunt somnia: primò quædam contingunt ex dispositione corporis: secundò quædam ex sollicitudine mentis: tertiò quædam ex illusione diabolica: quartò quædam ex reuelatione Angelica: quintò quædam ex visitatione diuina. Prima duo habent causam internam, scilicet physicam, naturalemque, & moralem: Et hinc melancholicis tristia somnia occurrunt, vt funera, tenebræ, &c. quia flaua bili affluunt, rixas, iurgia, inimicitias, &c. qui sanguine abundant, ignes, combustiones, &c. vel læta, &c. qui pituita abundant, flumina, imbres, potum, cibum, &c. Aliquando etiam conquærimur dormientes nos premi aliquo pondere maximo, idque prouenit eo, quod animalis vis humorum multitudine occupatur, de quo infrà dicetur, & ista

ista dicuntur somnia naturalia, quia habent causam naturalem: quæ autem habent causam moralem, verbi gratiâ, sollicitudinem mentis, nimium affectum, vel odium, &c. dicuntur somnia animalia, quia sequuntur affectus internos: Sic *in Centil. part.* 3. *sect.* 23.

Somnia verò aliquando proueniunt à causis externis, scilicet à Deo, Angelis, & Diabolo, & consequenter etiam ex influxu cælorum, & syderum: à Deo fiunt hoc modo, vel imprimēdo immediatè apparitiones, vel imprimendo nouas species, quibus Phantasia determinatur ad illa efformanda: vel præhabitas species coordinando, & applicando, &c. Ab Angelo verò excitantur somnia, ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* solùm excitando species præhabitas, ac interuentu spirituum transferendo, conferendo, &c. phantasmata repræsentando Phantasiæ: sic & à Diabolo cum hoc discrimine solùm, quod Angeli boni in bonum, mali in malum somnia excitant: hinc oramus quotidiè, vt procul recedant somnia, hostiumque phantasmata, &c. Aduertit tamen Seraph. Doct. quod Angeli, vel Dæmones non possunt excitare somnia, nisi eorum, quorum species antecedenter sunt in memoria, obidque non possunt excitare cæcum à natiuitate ad somniandum circa colorem.

465. Vt autem ex traditis habeatur cognitio varietatis dictorum somniorum: Aduertit in *Centil. part.* 3. *sect.* 23. ex D. August. quod omnia, quæ vident dormientes, ad quinque reducuntur: suntque oraculum, visio, somnium, insomnium, & phantasma: Oraculum est, quando Deus, vel Angelus, vel Sanctus aliquid euenturum, vel non euenturum prænuntiat siue faciendum, siue vitandum: Visio est, cùm id, quod quis videt, euenit eodem modo, quo apparuerat: Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest: (Intellige de somnio Diuino, vel Angelico) & hoc modo frequentius Deus multa secreta suis Sanctis dictat, cum interpretatione tamen eorum, quæ ostendit: Et ratio est (ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *quæst. vlt. ad* 5.) quia tunc homo est minùs distractus ad exteriora: Tum quia plus agitur, quàm agat: Tum ob alias rationes, quas citato loco affert: Vide etiam *in Op. de* 7. *Itiner. atern. itin.* 5. *&* de *profectu Religios. lib.* 2. *cap.* 74. *& seq.* Insomnium est, quando Phantasiæ repræsentantur species rerum, quas apprehenderat, & hoc est somnum naturale, de quo suprà. Phantasma est, quando quis in principio somni videt aliquod sibi repræsentatum, & vigilare se credit vt homines in se irruentes, &c. ad hoc genus spectat Ephialtes, prouenitque ex sanguine tetro, incocto euadente cerebrum, ipsumque grauante, mouenteque illas imagines terrificas, & quia in somnis res paruæ videntur magnæ, obid sic affectus eluso Phantasiæ sensu videtur sibi comprimi, & suffocari, ab aliquo inuadi, & hinc vim sibi infert, emittit gemitus, vt se liberet, nec potest se omninò excitare multo halitu vias spirituum obsidente, immò & prauo humore cor pectoris musculos deorsum, & tendones simul occupante, donec tandem calore naturali concurrente, & spirituum conatu ille prauus humor attenuatur, & tandem consumitur:

Digitized by Google

tur: Sed quia istius modi affectiones ex stomachi incoctione, & humorum colluuie originem habent, solent incubi grauium morborum anteambulones esse.

466. QVÆRITVR tertiò: Cur in somniis tam multa noua, extranea, portentosa animo obuersantur?

RESPONDETVR, quia tunc vapores, & spiritus inordinatè, & tumultuosè in cerebro diuagantur, & simulacra obturbant, commiscent, hebetant: Anima enim quasi otium agens ad vsum specierum segniter se applicat, intentionem negligit, quo fit, vt multa aliena, & inter se minimè cohærentia coniungat, modò hæc, modò illa, vt quidque obuium est apprehendendo rerum ordines, situs, magnitudinis loca miris modis euariet: exemplum affert Arist. de nubibus in aëre pendentibus, quæ nunc in hanc, nunc in aliam figuram transeunt: & de litteris, quæ multifariam compositæ diuersa componunt nomina.

QVÆRITVR quartò. An possit fieri diuinatio ex obseruatione somniorum.

DE hac materia fusè agunt Conimbr. *in lib. de diuinatione per somnium*, quæ appellatur somnispicia: & S. Bonauent. etiam aliqua tradit *lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 1. quæst.* 3. qui breuiter respondet, quod loquendo de somniis, quæ sunt à Deo, & Angelis, præsagiunt certa, & verè futura: quæ à Dæmone, nullius sunt roboris: quæ à causa naturali, sunt signa, idest coniecturæ præsagientes infirmitates, vel alios naturales effectus: quæ sunt à causa morali, indicant nostras inclinationes.

QVÆSTIO VI.

De Appetitu sensitiuo explicantur plura dubia.

467. IN superioribus enumerauimus ex Seraph. Doct. inter potentias animæ sensitivæ etiam appetitum, quem & vnicam constituere potentiam simul cum motiua appetitiua diximus, & probauimus, licèt à Multis tanquam duæ potentiæ recognoscantur: Vnde de vtraque indiscriminatim agemus.

PRO explicatione supponendum tamen est triplicem in vniuersum dari appetitum ex Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 38. art. 2. quæst. 1.* scilicet naturalem, sensitiuum, & rationalem, primus est inclinatio, seu pondus, quod habet vnaquæque res etiam absque præcedente cognitione, licèt cum aliquali principio intrinseco actiuo tendendi ad suum centrum, & bonum sibi conueniens, quem & habent etiam sentientia, & rationalia: & de hoc egimus *in lib. 2. Phys. de causa finali:* Alij duo appetitus mouent suum subiectum ad quærendum bonum sibi proportionatum, & ad fugiendum oppositum ex præcedenti cognitione, & lumine directiuo, & dicuntur cognitiui: de rationali agemus infrà *in 3. parte huius operis de anima:* est enim voluntas rationalis, seu appetitus deliberatiuus: hîc verò est sermo de appetitu sensitiuo, qui & dicitur appetitus animalis, de quo quæritur, quid sit: secundò, quod sit suum obiectum: tertiò, an sit merè passiuus: deinde alia plura expendemus.

468. RES

Digitized by Google

468. Respondetvr ad primum dubium, quod appetitus sensitiuus est facultas, seu potentia; qua animal tendit in bonum sensibile sibi conueniens, per quam definitionem differt ab appetitu rationali, qui tendit in bonum non sensibile, scilicet in honestum, hic autem tendit in bonum sensibile, scilicet vtile, & delectabile: ideò etiam dicitur appetitus sensualis, quia sequitur bona sensuum exteriorum.

Respondetvr ad secundum, & patet responsio ex traditis, nempè ipsius obiectum esse bonum sensibile, siue vtile, & delectabile.

Dices: Ad hunc appetitum spectat irascibilis, quæ refugit malum: ergo habet pro obiecto etiam malum.

Respondetvr, respicere malum ratione boni concupiti: hinc negatur Consequentia.

Respondetvr ad tertium esse potentiam actiuam, mediumque tenere inter rationalem, & naturalem, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 38. cit* quia enim tendit in obiectum motu, qui est supra necessitatem, qua tendunt naturalia, & infra libertatem, qua tendunt rationalia, hinc passiuè se habet, quatenùs mouetur, seu excitatur ab obiecto: mouentur enim irrationalia quadam impetuositate, & pondere naturali: sed actiuè propriè se habet in tali tendentia, quare, dum mouentur appetitu sensitiuo, reguntur, & diriguntur semper à cognitione præcedente, qua cognitione præcedente ipse appetitus actiuè se mouet. Et si quæras, quodnam sit hoc medium inter potentiam naturalem, & liberam?

Respondet Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 1. art. 1. quæst. 1. in corp.* quod in brutis est aliquod dominium respectu actuum exteriorum, quia pro libito compescit pedem, & motum, non tamen respectu actu s interiores: vnde si aliquid amant, necessariò amant: Vide *ibid.*

469. Qværitvr quartò: Quotuplex sit appetitus sensitiuus?

Respondetvr primò non distingui appetitum in tot membra, quot sunt potentiæ sensitiuæ cognitiuæ, vt volunt Scotistæ cum Hurtado, & Aliis, sed vnicum tantùm sufficere pro omnibus, & dici appetitum sensitiuum: sic S. Bonau. in Cent. *part. 3. sect. 22.* vbi diuidit appetitum in deliberatiuum (qui est rationalis) & in naturalem, qui est sensitiuus: Sic & in Comp. Theol. *lib. 2. c. 41. & lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 3. in corpore & ad v.t.* docet diuersificari appetitum rationalem à sensitiuo penes obiectum, & modum tendendi in ipsum: sensibilis enim tendit in obiectum vt conferens, & vt determinatus ab obiecto: at rationalis indeterminato modo tendit in bonum vt honestum seipsum determinans.

Hinc Respondetur secundò, quod licèt communiter hæc potentia diuidatur in concupiscibilem, & irascibilem: attamen probabilius dicendum cum Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 24. part. 1. quæst. 1.* esse vnicam potentiam habentem diuersos actus subordinatos.

Probatvr, quia habent idem obiectum formale, & eundem modum tendendi in ipsum: ergo sunt vnica potentia: Probatur antecedens: quia omnis potentia appetitiua dicitur talis, quia tendit in bonum sibi conueniens, sed ad hoc requiritur fuga ab opposito: ergo si irascibilis refugit malum, id euenit ex subordinatione ad concupiscibilem, scili-

Digitized by Google

cet, ad hoc vt sine impedimento adipiscatur bonum sibi conueniens, & per hanc subordinationem respondetur obiectis in contrarium.

OBIICIES cum Meldul. Quælibet potentia cognitiua externa, & interna sentit dolorem, voluptatem, & alios actus diuersos appetitus sensitiui: ergo quælibet habet suum appetitum: Probatur consequentia: quia cuilibet sensui respondet sua conuenientia, & disconuenientia: ergo & suus appetitus ad ipsam.

RESPONDETVR transeat antecedens: negatur consequentia: nec probatio antecedentis aliquid concludit contra Nos, cùm ad illos actus sufficiat appetitus.

471. QVÆRITVR quintò: Quodnam sit subiectum, seu organum potentiæ sensitiuæ appetitiuæ?

RESPONDENT Aliqui cum Meldul. *num*. 318. hanc potentiam in communi sumptam residere in cerebro: in particulari verò in quolibet organo sensuum.

SED Respondet Seraph. Doct. *lib*. 2. *capit*. 41. Comp. Theolog. quod cùm hæc potentia, licèt sit vnica, habeat plures actus differentes secundùm proportionem sensuum particularium, & virtutis motiuæ, residere putandum est & in corde, & in cerebro: sunt enim duæ potiores partes, quæ simul mutuam respondentiam habent, & quæ sunt principium omnium affectuum, & motuum, quæ in corpore fiunt.

471. QVÆRITVR sextò: Quosnam actus habeat hæc potentia?

RESPONDET Seraph. Doct. *loc. cit*. quod hæc vis appetitiua mouet quandoque corporaliter, quandoque spiritualiter: spiritualiter mouet dupliciter aut diligendo, aut odiendo, & sic diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem, per quas appetit anima bonum, & insurgit contra malum: Istæ duæ potentiæ, seu potiùs facultates, si coniunguntur rationi, vt in homine, frænantur, & reguntur à ratione, éstque principium gaudij, spei, doloris, & timoris: si sunt sejunctæ à ratione, dicuntur sensualitas, quæ coniungitur corpori, & nulla lege perstringitur, appetitque, quod est corpori delectabile, & refugit nociua: Provt verò mouet corporaliter, diuiditur in naturalem, vitalem, & animalem: Prima residet in hepate: secunda in corde: tertia in cerebro, quarum tamen primum principium est cor: propriè tamen hæc vis est *animalis*, qua mouentur membra.

AN verò concupiscibilis, & irascibilis sint duæ potentiæ: Thomistæ asserunt distingui realiter: Probabilius est dicere esse vnicam ex hoc, quod intantùm irascibilis mouetur contra malum, inquantùm respicit bonum, obidque habent idem obiectum.

472. QVÆRITVR septimò: An vis motiua sit differens ab appetitiua.

RESPONDETVR *ex traditis suprà in principio tract*. 1. esse vnicam potentiam habentem tamen diuersos actus, loquendo tamen de motibus exigentibus in motore cognitionem sensitiuam: Addimus, quod motus appetitus alius est purè animalis, scilicet directus à cognitione, alius purè naturalis non dependens à cognitione, alius medio modo se habet.

DE purè naturali, vt est motus cordis, arteriarum, non est hîc sermo: aliàs enim de ipso egimus: motus purè animalis dicitur progressiuus, qui habet principium in animali partim supra necessitatem, & partim

partim infra libertatem : vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. dist.* 38. *supracit.* & de hoc genere satis dictum est in Physica, & infrà etiam agemus, cùm de imperio voluntatis. Motus verò medio modo se habens est multiplex.

PRIMVS dicitur Respirationis, qui fit cogente natura, aliqualiter tamen dependet ab appetitu, cùm per aliquod tempus possit cohiberi : ad ipsum verò requiritur attractio aëris ad cor per pulmonem, & asperam arteriam facta, & dicitur inspiratio, & vlteriùs requiritur expulsio aëris attracti, & hæc dicitur propriè respiratio.

SECVNDVS dicitur Risus, de quo Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 8. part. 1. quæst. vlt. in corp.* éstque quidam motus localis causatus à virtute motiua residente in corde, seu in musculo diaphragmatis, ad cuius agitationem extenduntur simul musculi thoracis, faciei, & oris vsque ad genas, ad quem motum consequitur sonus vocis : Vide Meldul. *num.* 371. qui multa dissetit de risu.

TERTIVS dicitur Vox, de qua suprà satis dictum est.

QVARTVS dicitur fletus oppositus risui, ad quem tria concurrunt, scilicet motus aëris, vox, seu gemitus, vt lachrymarum effusio; motus causatur eodem modo, ac risus, sed à diuersa causa, scilicet à dolore restringente pulmones, diaphragma, & musculos : lachrymæ fiunt ex humore, vel secundùm Aliquos, existente in pericordio cordis, suntque excrementum sanguinis ad cor attracti, vel secundùm Alios residente in cerebro, & oculorum profundo, quod dicitur spongia lachrymarum. Exit autem iste humor vel ex confricatione, vel ex infirmitate, vel calore capitis, vel ex affectu cordis, nempè vel gaudij, vel tristitiæ : hinc pueri, & mulieres faciliùs emittunt lachrymas; quia magis abundant humore, & faciliùs commouentur ad dolorem, & gaudium.

QVINTVS dicitur sternutatio, éstque motus, quo aër inclusus in pulmonibus totus simul per nares cum impetu exprimitur ex tunicæ internæ nasum vestientis irritatione: vel secundùm communiorem est motus cerebri, quo per nares nititur sibi molesta expellere, seque expurgare.

SEXTVS dicitur Oscitatio, éstque motus, quo multo aëre, aperto satis ore attracto, & aliquatenùs retento, natura fumosis exhalationibus grauata eas cum aëre, quem reddit, à se abigit.

SEPTIMVS dicitur Pandiculatio, éstque motus neruos otio, vel aliquo vapore contractos distendens, fitque maximè, cùm expergiscimus.

OCTAVVS : Singultus fit, quando stomachus restringitur in fibris superioribus tentans aliquid expellere infixum innaturaliter ori, & œsophago.

NONVS : Tussis est motus, quo pulmo attractum aërem elidit impetu in pituitosa, quæ asperam arteriam infarciunt.

DECIMVS : Rigor, & Horror est quædam refrigeratio caloris natiui, qua spiritus infrigidantur, & qua musculi contrahuntur.

VNDECIMVS. Vomitio est motus, quo fundus ventriculi sursum irritatus agitur ad noxia ori inhærentia ejicienda.

DVODECIMVS. De origine signorum, quæ apparent in nato existente in vtero Matris. Vide Meldul. *disp. 5. num.* 380.

PARS



PARS TERTIA.

DE ANIMA.

473. D vltimam, & difficiliorem consideratio-nem deuenimus, quæ est de anima rationali, ipsiusque attributis, & licèt multa à nobis in superioribus, maximè in prima parte edisserimus ad ipsam spectantia, attamen cùm eiusdem animæ rationalis cognitio maximè sit necessaria, *hinc* de ipsius essentia, attributis, & potentiis in particulari nunc agendum est.

Et quia à nobis vt verè fidelibus Sectatoribus Seraphicæ Doctrinæ, ad hoc vt sensus ipsius Seraphici Doctoris Germanus habeatur, in sequentibus quæstionibus & ipsius Textus, & verba necessariò essent subjicienda, nihilominùs ne eadem frustatoriè repetamus, cùm nobis sit notum illud Philosophi, quod potest fieri per breuiora, non debet fieri per longiora; Ipsius Textum apponere omittimus, cùm fusè in quæstionibus sequentibus habeatur; sicque vt recto ordine procedamus, In primo Tractatu huius tertiæ partis de anima rationali in communi tractatum proponimus, in quo non solùm ipsius naturam, sed & attributa essentialia expendemus.

Digitized by Google



TRACTATVS PRIMVS.

De Anima rationali in Communi.



QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Anima rationalis, & qualiter distinguatur ab aliis animabus, & ab Angelo.

CERTVM est, & de fide definitum *in Concil. Vien.* animam rationalem esse formam corporis humani, & ob id conuenire cum cæteris animabus in esse actum corporis organici, vt dictum est in prima parte horum librorum de anima: Et cùm suprà dixerimus animas sensitiuas, & vegetantes esse spirituales, & ex alia parte animam rationalem esse substantiam puram spiritualem intellectualem, obidque in spiritualitate aliqualiter conuenire cum dictis animabus, & in intellectualitate cõuenire cum Angelis: hinc disquirendum est, per quid ab istis substantiis essentialiter differat: Antequam autem vlteriùs procedamus in hac quæstione.

SVPPONIMVS primò, tanquam de fide ipsam animam rationalem ab aliis animabus differre per ordinem ad causam extrinsecam producentem per hoc, quod illæ educuntur de potentia materiæ, vt suo loco probatum est, ista autem immediatè à Deo creatur: sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 18. art. 2. quæst. 3.* vbi fusè probat animam rationalem non fieri ex traduce, idque tum ex ipsius incorruptibilitate: tum quia est per se existens, obidque composita ex materia, & forma: tum quia ob eius dignitatem debet habere totum suum esse immediatè à Deo.

SVPPONIMVS secundò, animam in eodem instanti, ac creatur, etiam infundi, & vniri corpori, in qua assertione, licèt aliquando Aliqui SS. PP. dubitarunt, tamen communis opinio Catholicorum est, quod in eodem instanti, ac creatur, etiam vnitur corpori ob multa inconuenientia, quæ ex opposita Sententia sequerentur, quæ inconuenientia, & absurda ab eodem Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 18. art. 2. quæst. 2.* enumerantur: His positis. Quæritur: quænam sit ratio distinguens animam rationalem à cæteris substantiis spiritualibus.

PRIMA Opinio asserit animam rationalem esse actum corporis organici, quatenùs est vegetans, & sentiens: non verò quatenùs est rationalis: Vnde per primam rationem differt ab Angelo, & per secundam à cæteris animabus: sic Vulpes, Ferrar. Caiet. Alijque pauci.

COMMVNIS Opinio tenet esse actũ corporis organici, provt est rationalis.

nalis, & eſſentialiter differre ab Angelo etiam,& à cæteris animabus per propriam differentiam ſpecificam.

TERTIA Opinio docet differre ab Angelo ipſam animam per exceſſum perfectionis rationalitatis exiſtentis in Angelo ſupra animam.

QVARTA Opinio eſt Aliorum dicentium differre per vnibilitatem ad corpus tanquam per differentiam conſtitutiuam: citaturque Seraph. Doct.pro hac opinione à Gadio. Tatar.Lycheto, Gratiano,Aliquibuſque Aliis Scotiſtis, ſed malè, & falsò, vt notauit Ferchius *tom. 2. de Angelis quæſt.* 111. Seraph. igitur Doct. docet differre per propriam differentiam, ſed hanc nobis innoteſcere per vnibilitatem ad corpus humanum.

PRO ſolutione quæſtionis.

475. PRIMÒ Notandum ex S.Bonauent.*lib. 2. diſt. 1. part. 2. art. 3.q.2. in corp.* quod duobus modis poteſt explicari ipſum propter quid, nempè eſſentiam ſpecificam, primò indicando cauſam, propter quam res eſt, ideſt notificando per principia intrinſeca ipſam eſſentiam, & à priori: ſecundò à poſteriori notificando, & nominando illam cauſam per aliquam proprietatem immediatam eſſentialem, idque vt plurimùm euenit: nam intellectus noſter rariſſimè peruenit ad cognitionem differentiarum ſpecificarum à priori, ſed tantùm à poſteriori, ſicut notat Seraph. Doct. *loc. cit. in fine quæſtionis.* idque eſt conforme traditis ab Ariſt. in lib. poſter. de demonſtrat.

SECVNDÒ Notandum,quod anima rationalis, cùm ſit indiuiſibilis, eſt non ſolùm per ſe exiſtens conſtans ex materia, & forma, ſed & ſimul ſecundùm ſuam indiuiſibilem entitatem forma, & perfectio corporis, & principium operationum, quas exercet in corpore, & mediante corpore,ſic *lib. 2. diſt. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 2.* Vnde vt eſt forma corporis, dicit ordinationem Intrinſecam ad corpus proportionatum, ſcilicet nobiliſſima organizatione compactum in ordine ad conſtituendum tertium, ſcilicet hominem,ſic *lib. 2. diſt. 1. p. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 2.* hinc vnibilitas ad tale corpus humanum in ordine ad vegetare, ſenſificare, viuificare ipſum, eſt proprietas eſſentialis primò ab eiuſdem principiis intrinſecis emanans: & hinc, ait Seraph. Doct. vnibilitas ſignat nobis à poſteriori primam formam, & differentiam latentem, per quam diſtinguitur anima ab Angelo: Vnde, vt ſubdit *ibid. in fine corp. & ad 1.* illud, quo anima eſt vnibilis corpori tali, dicit quid eſſentiale reſpiciens, quod eſt nobiliſſimum in anima, & ita penes illud rectè ſumitur differentia ſpecifica: & hinc vnibilitas dicitur differentia, provt dicit naturalem aptitudinem, quæ ineſt animæ ſecundùm principia intrinſeca, quæ priora ſunt natura: Hinc patet malè citari Seraph. Doct. à Marginiſtis Scoti, Aliiſque, quaſi recognoſcat verè vnibilitatem pro differentia ſpecifica, nec hoc dicit Seraph. Doct. ſed vult, quod differentia ſpecifica deſumi debeat penes principia intrinſeca, quæ ſunt materia, & forma: ſed quia adeſt aliqua conuenientia in his cum Angelo: hinc à nobis notificatur talis differentia à poſteriori per vnibilitatem, quæ eſt proprietas immediatè ab ipſis principiis emanans. His poſitis.

476. PRIMA Concluſio: Anima rationalis rectè definitur, ***Subſtantia incorporea, ſpiritualis, intellectualis, per*** ſe

se existens, & vt talis ordinata ad vniri corpori humano. Est S. Bonau. in Centil. *part.* 3. *sect.* 19. & in Comp. Theolog. *lib.* 2. *cap.* 30. & communis.

PROBATVR, & explicatur. Dicitur (*substantia*) loco generis; Dicitur (*incorporea, & spiritualis*) per quod differt à cæteris formis corporeis: Dicitur (*intellectualis, & per se existens*) per quod differt à cæteris animabus: Dicitur (*vt talis ordinata ad vniri corpori*) per quod differt ab Angelo. Dicitur (*corpori humano*) per quod iterum differt à cæteris animabus.

477. SECVNDA CONCLVSIO. Vnibile corpori humano per informationem, & non vnibile, si formaliter sumantur, non sunt differentiæ per se distinguentes specie Angelum, & animam: Est S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 1. *cit.*

PROBATVR primò à Seraph. Doct. Vnibile, & non vnibile sunt prædicata secundi modi: primum enim dicit aptitudinem: secundum dicit negationem aptitudinis: ergo non sunt differentiæ specificæ, quæ sunt prædicata primi modi: Tum quia non vnibilitas est communis aliis, quàm Angelo, vt materiæ primæ, immò & chymeræ: ergo non sunt differentiæ constitutiuæ: Tum quia omnis differentia constitutiua est optimum in ipsa specie, sed vnibilitas, & non vnibilitas formaliter sumptæ non sunt huiusmodi: ergo.

478. TERTIA CONCLVSIO: Vnibile corpori humano per informationem est prædicatum maximè aptum ad indicandam à posteriori propriam differentiam specifici constitutiuam, & distinctiuam animæ rationalis ab Angelo: Est S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 1. *cit.* & *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* & *lib.* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad vlt.*

PROBATVR autem ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *cit.* primò vnibilitas est proprietas prouenieris immediatè ex principiis intrinsecis animæ: ergo per hanc explicantur ipsa principia intrinseca, & maximè idem principiatum, quod est anima: Antecedens est patens. Consequentia probatur, quia proprietas immediatè habet inter alia hoc, quod innotescere facit suum principium ex *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad arg.*

PROBATVR secundò: Quia quodcunque prædicatum ponitur in aliquo essentialiter, & essentialiter negatur de altero, in illo necessariò ponit differentiam essentialem: sed vnibilitas ad corpus humanum est huiusmodi in anima: non enim conuenit animæ accidentaliter, alioquin fieret vnum per accidens: ergo.

PROBATVR tertiò: Illud, quo mediante anima perficit corpus humanum, est id, quo anima est rationalis anima, & quod est principium nobilium operationum, sed seipsa est talis, non mediante potentia: ergo secundùm seipsam est anima: at id, quo perficit corpus, est vnibilitas; ergo per ipsam tanquam per immediatius explicatur ratio, & differentia essentialis animæ: se habent enim ordinatim ista tria, scilicet quo est anima, quo perficit corpus, & quo est principium operationum.

PROBATVR quartò: Anima est pars, & vt talis incompleta, & in toto completa, igitur per id, quo perficitur, & peruenit ad complemen- tum

tum : at id est vnibilitas corpori humano : ergo.

Obiicies primò cum Scoto: Omnis differentia prior est per naturam, quàm species constituta, sed vnibilitas est quid posterius ipsa anima: ergo.

479. Respondet S. Bonau. vt dictum est *in prim. Notab.* concedendo Maiorem,& distinguendo Minorem : Vnibilitas est posterior, si sumitur formaliter, concedo : si radicaliter, nego : Cùm enim sit proprietas primò,& immediatè ab anima emanans, ipsa indicat nobis à posteriori principia intrinseca, & rationem, qua distingnitur ab Angelo : Angelus enim etiam constat materia, & forma spirituali, ideò per vnibilitatem, & non vnibilitatem nobis innotescit eorum differentia.

Obiicies secundò : Differentia completiua debet esse propria eius, cuius est differentia : sed esse vnibile conuenit etiam cæteris formis : ergo.

Respondet S. Bonauent. esse vnibile vt sic, non esse differentiam animæ rationalis, sed esse vnibile corpori humano.

Contra : Differentia specifica debet accipi penes id, quod est optimum in re, sed esse vnibile conuenit animæ penes suum esse infimum : ergo.

Probatvr Min. quia est vnibilis, vt forma est, sed optimum in ea est, esse spiritum rationalem immunem à corporeitate : ergo.

Respondet S.Bonau. concedendo Maiorem ; negando Minorem Ad probationem respondet esse vnibilem animam secundùm id, quod ipsa est in se : quia seipsa est spiritus rationalis, seipsa est forma corporis, seipsa,& non mediante potentia constituit cum corpore hominem : hæc enim sunt vnum, & idem in anima, sed tamen meliùs notificatur eius essentia per vnibilitatem.

Instat iterum : Anima rationalis actu est separabilis, & hoc per naturam : ergo vnibilitas non est quid intrinsecum animæ secundùm suam naturam : oppositum enim differentiæ specificæ non potest inesse ipsi rei per naturam.

Respondetvr concedendo antecedens, & negando consequentiam : aptitudo enim inest inseparabiliter rei, & si adesse potest separatio actu, sequitur, quod priùs sit vnibilitas : obidque talis separatio nihil obest tali proprietati, per quam explicatur natura animæ.

Obiicies tertiò : Si anima vt rationalis est forma corporis : ergo ei tribuit rationalitatem ; sed hoc est falsum : nam corpus non fit rationale :

Respondetvr negando sequelam Maioris : ideò enim est vnibilis corpori humano, vt constituat hominem, eique communicet suas operationes tanquam termino totali, & completo : hæc differentia enim est inter formas accidentales, & substantiales, quod illæ cùm non faciant cum substantia vnum per se, ipsi communicant suum effectum formalem: at istæ quia sunt ordinatæ ad constituendam tertiam entitatem, huic etiam communicant suos effectus.

Et hinc patet, quosnam effectus communicat anima rationalis corpori, & quosnam homini constituto : quia enim est forma includens potentias organicas, scilicet vegetantem, & sensitiuam, hos effectus immediatè communicat corpori:

at

at vt rationalis communicat hos effectus tertiæ entitati constitutæ.

480. QVÆRITVR: Quomodò differat rationalitas Animæ, & Angeli?

RESPONDET Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 1. cit. quæst. 1. ad vlt. & lib. 1. dist. 25. art. 1. q. 3. in corp.* quod rationale, prout dicit intellectum, seu vim purè intellectiuam discernendi verum à falso, est commune Deo, Angelis, & Hominibus: prout dicit vim discernendi per inquisitionem, & collationem, & discursum, sic est differentia hominis, quia importat vnionem animæ cum corpore: explicat id *lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 4.* anima rationalis necessariò dicit vnibilitatem cum corpore mediante vi vegetatiua, & sensitiua: & quia dependet in intelligere, & ratiocinari à potentia sensitiua alligata organo, & per consequens non potest exercere nisi inquisitiuo, & collatiuo modo: Hinc tali pacto rationale dicitur differentia Hominis, non Angeli, scilicet rationale vnibile.

QVÆSTIO II.

An Anima rationalis sit Immortalis.

481. HANC quæstionem plurimi Authores confundunt cum alia de indiuisibilitate animarum, sed malè: nam, vt vidimus in citata quæstione in prima parte, aliqua anima potest esse indiuisibilis, & simul mortalis, & corruptibilis: Vnde meritò Seraph. Doct. hanc de immortalitate seiunctim proponit, & soluit *lib. 2. dist. 19. quæst. 1.* cùm sit attributum proprium animæ rationalis, non sic indiuisibilitas, quæ competit etiam cæteris animabus. Et licèt omnes DD. Catholici in hoc conueniunt tanquam de fide, quod anima rationalis sit immortalis: fuit enim determinatum *in Concil. Later. & Vien.* Attamen altercantur maximè circa duo: primum est, an Aristoteles cognouerit hanc immortalitatem: secundum, an sit demonstratiua per rationes naturales, & euidentes, & hoc secundum sequitur, si primum sit verum, scilicet dato, quod Arist. id cognouerit, infertur posse naturaliter demonstrari. Nos tamen breuiter vtrumque examinabimus.

ET circa primum variant Interpretes Arist. Alij affirmando ipsum hanc immortalitatem agnouisse: Alij negando. Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 19. quæst. 1 ad 3.* est dubius de mente Arist. credit tamen ipsum agnouisse hanc immortalitatem.

SED de mente Arist. agunt fusè Interpretes, præcipuè D. Thom. Scot. Iauel. Ferchius *vestig. 6.* Conimbric. & plures SS. PP. quos quisque videre potest.

Nos enim omissis superfluitatibus ad solutionem quæstionis per ordinem ad veritatem, & etiam ad rationes naturales procedemus: & hoc vt satisfaciamus præcepto facto *à Concil. Lateran.* omnibus Magistris, & Lectoribus Philos. vt argumenta soluant hanc veritatem impugnantia: Hinc pro solutione quæstionis

482. PRIMÒ Notandum, quod immortalitas dupliciter potest sumi: primò quatenùs immortale nullo pacto, vel potestate diuina potest aboleri, sicque solus Deus habet immortalitatem (ait D. Paulus *ad Timoth. cap. 6.*) solus enim

seipso absque alterius iuuamine potest seipsum conseruare, vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 19. art. 1. quæst. 1. ad 1. & lib. 2. distinct. 17. art. 1. quæst. 1. ad 5. & lib. 1. distinct. 8. part. 1. dub. 9.* secundò dicitur immortale, idest quod suapte natura exigit perpetuationem, quamuis per absolutam Dei potentiam possit deficere: sic quælibet creatura est mortalis, quia quælibet creatura est vertibilis in nihil, & indiget causa conservante: immortalitas autem hoc secundo modo potest contingere adhuc dupliciter: primò quatenùs mors alicui actu non potest aduenire ex aliqua ratione extrinseca, & hac ratione corpus Adæ erat in statu innocentiæ indissolubile: poterat enim non mori: poterat etiam mori, scilicet cadendo ab illo statu perfecto: secundò quatenùs nec actu, nec potentia potest contingere, licèt possit deficere, vt dictú est, & tali pacto anima rationalis, & Angelus sunt immortales.

Secvndò Notandum, quod aliud est dicere posse probari rationibus naturalibus animam rationalem esse mortalem: aliud, quod non potest probari ratione naturali ipsam esse immortalem, & aliud est posse absolutè probari esse immortalem: Primum est hæresis: Secundum, & Tertium nequaquam: Sic Ruui *lib. 3. tract. de an. separ.* Addit Seraph. Doct. *in Eccl. cap. 3. in fine*: quod licèt probetur eius immortalitas rationibus naturalibus, difficile tamen est pertrahere firmiter mentem ad id absque lumine fidei: His positis.

483. Prima Conclvsio: Anima rationalis est immortalis ex natura sua: Est de fide, vt dictum est, & fusè edocetur à Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 19. quæst. 1. & 2. & dist. 1. part. 2. art. 3. quæst. 2. ad vlt. & lib. 2. dist. 17. artic. 1. quæst. 1. ad 5. & art. 2. quæst. 1. ad 2. & plurimis aliis locis*: Sic & cæteri DD. Catholici, & præcipuè Tolet. qui fusè hanc quæstionem pertractat tum in via Aristotelis, tum secundùm rectam Philosophiam, tum secundùm nostram fidem.

Et quoad Aristot. possunt videri textus plurimi ab ipso Toleto, Aliisque allati: circa quos aduertit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 19. quæst. 1. ad 3.* quòd si occurrat aliquis textus eiusdem Philosophi, in quo videatur asserere animam mortalem, vt est *in lib. 3. t. 66.* vbi docet, quod intellectus corrumpitur quodam alterius corrupto: aliæque consimiles authoritates apud ipsum inueniri possunt: Aduertit, inquam, Seraph. Doct. ibid. quod debet Arist. piè interpretari, ne sibi objiciantur contradictiones, quod esset indignum tanto viro, & cùm patentissimè *in lib. hoc 3. de An.* doceat intellectum esse immortalem, impassibilem, & incorruptibilem: Hinc dicendum est ipsum asserere intellectum quoad operationem cessare læso organo imaginatiuæ, à qua in intelligere dependet.

Omittimvs etiam innumerabiles authoritates S. Scripturæ, & SS. DD. probantes hanc animæ immortalitatem, quas quisque potest videre apud DD. fusè hanc materiam tractantes: & ad rationes desumptas tum ex ratione naturali, & Philosophica, tum ex Theologica: quod facit Seraph. Doct. *loc. cit.* dicens, quod potest considerari anima vel in ordine, vel secundùm se: In ordine, scilicet respectiuè per ordinem ad cæteras creaturas, ad diuinam iustitiam, & ad finem, qui competit ad quamcunque creaturam: Item secundùm se quantum

ad

ad virtutem eiuſdem animæ quantum ad actum, & quantum ad obiectum.

484. PROBATVR igitur ex ordine, quem habet inter cæteras creaturas: Nam debet eſſe proportio in hac vniuerſitate creaturarum primæ creaturæ cum vltima: ſed prima eſt materia prima, & eſt immortalis, & anima eſt vltima forma: ergo & hæc debet eſſe immortalis. Tum quia debet dari perfecta combinatio diuerſitatis differentiarum omnium creaturarum: contingit enim dari ſubſtantiam quantam, incorruptibilem, eſtque Cælum: item ſubſtantiam immunem, & non coniunctam quantitati molis incorruptibilem, eſtque Angelus: ergo debet dari ſubſtantia media incorruptibilis, quæ non eſt magnitudo, ſed coniuncta magnitudini, & hæc eſt anima rationalis.

485. PROBATVR ſecundò ex ordine diuinæ iuſtitiæ: Nullum enim bonum eſt irremuneratum, & nullum malum impunitum, ſed multa bona in hac vita remanent irremunerata, & multa mala impunita: ergo debet dari alia vita, vt locum habeat recta iuſtitia Dei; ſed hæc non poteſt exerceri in corpore, cùm moriatur: ergo anima erit immortalis, vt in ea exerceatur recta iuſtitia.

PROBATVR tertiò ex ordine ad finem: Remoto vltimo fine omnes alij fines ſunt caſſi, & vani; ergo debet dari beatitudo, & hæc, vt ſit perfecta, debet includere immortalitatem: Tum quia beatitudo eſt finis naturalis animæ: ergo debet ferre ſecum immortalitatem.

PROBATVR quartò ex virtute animæ: Illa virtus, quæ per receſſum, & impermixtionem cum corpore corruptibili fortificatur, & potentior efficitur, eſt incorruptibilis per naturam: ſed anima eſt huiuſmodi: quò enim magis eleuatur homo interior, eò magis abſtrahitur ab homine exteriori, idque importat maiorem independentiam, & ſeparabilitatem à corpore, obidque & immunitaté à corruptibilitate corporis.

PROBATVR quintò ex operatione animæ: Anima in operari eſt independens à corpore, nec vllum organum ſibi appropriat, ergo & duratio, quæ conſequitur eſſe, & operari animæ: non enim ſeneſcit, vel antiquatur in ſuo eſſe, ac operari, nec habet contrarium.

486. PROBATVR ſextò ex obiecto: Obiectum animæ intellectiuæ eſt veritas, ſed veritas eſt incorruptibilis: ergo vt ſit proportio inter ea, anima erit incorruptibilis: ſic & obiectum voluntatis eſt bonum infinitum: Tum quia in perceptione obiectorum excellentiſſimorum non læditur, ſed magis fortificatur: ergo cùm talia obiecta ſint incorruptibilia, & anima, &c.

CONFIRMATVR à Toleto: Quia poteſt percipere infinitum: ergo habet infinitam capacitatem: ergo & durationem: Idem Toletus affert plures alias rationes, quæ verè probant intentum: attamen ſecundùm veritatem eſt dicendum cum Seraph. Doct. *in Eccl. cit.* quod tales demonſtrationes, licèt menti benè diſpoſitæ poſſint perſuadere ſufficienter immortalitatem animæ: attamen loquendo de demonſtratione rigorosè ſumpta, quæ eſt cauſa ſcientiæ propriæ abſque fide, non demonſtrant ſufficienter: ſuppoſitis tamen principiis fidei perſuadent demonſtratiuè, & cum toto rigore.

OBIICIES primò, D. Paulum dicere

cere solùm Deum esse immortalem, sic *p. Timoth.cap. 6.*

CONFIRMATVR *ex Eccl. c.3.* vbi dicitur, quod vnus interitus hominis,& iumentorum,& æqua vtriusque conditio : ergo.

487. RESPONDET S. Bonau. *lib.2. distinct.19. quæst. 1. ad 1.* solùm Deum dici immortalem, quatenùs absolutè loquendo solus Deus est incapax interitus, nec indiget alterius adiutorio ad sui conseruationem, non sic anima, quæ licèt sit immortalis positiuè, potest tamen cadere in nihil Deo auferente suum concursum conseruatiuum de potentia absoluta.

AD alium Textum. Respondet S.Greg. 4. *Dial. cap. 4.* hoc esse dictum Atheistarum aliquorum. Potest etiam dici cum D.Hieron. id esse verum quoad mortem totius,vel corporis.Affertur etiam in contrarium Sententia Sophronij à sexta Synodo allata, in qua dicit animam rationalem per gratiam esse immortalem : ergo per naturam non erit immortalis : sed

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 17. art. 1. quæst. 1. ad 5.* dici immortalem per gratiam, quatenùs gratia dicit influentiam superadditam gratuitam naturæ, per quam conseruatur natura : non verò prout gratia dicit quid supernaturale.

OBIICIES secundò ex Damasc. Omne, quod à versione incipit, ad versionem tendit : sed anima rationalis à versione incipit, cùm sit creata: ergo ad versionem tendit. Tum quia est annihilabilis : Tum quia est in ea separabilis forma à materia : ergo per naturam est mortalis.

RESPONDET S. Bonau. *lib. 2. distinct. 19. quæst. 1. ad 2.* & ex iis, quæ tradit *lib.1. dist. 8. part.1. art.1. quæst. 2. ad 4. 5.6.7. 8.& 9.* quod illa tendentia in nihil, quæ inest omni creaturæ, non est per aliquem appetitum positiuum, sed est per defectum vanitatis, idest inest creaturæ annihilabilitas ratione eius,quod est ex nihilo, nec tamen dicitur id inesse naturaliter ex suis principiis intrinsecis, sed tantùm dicitur naturale, quatenùs nulla creatura potest in sui conseruationem, sed indiget Dei concursu influente. Et eodem modo

RESPONDETVR obiectioni de separabilitate materiæ, & formæ: nam naturaliter non sunt separabiles &c. hîc autem non quærimus, quid Deus possit, sed quid congruat naturis rerum, vt loquitur Seraph. Doct.

OBIICIES tertiò : Inter recipiens, & receptum naturale debet esse proportio naturalis, sed corpus est recipiens, & mortale, & anima est recepta : ergo erit mortalis. Tum quia anima essentialiter est actus corporis : ergo non potest esse sine corpore.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. & art. 3. quæst. vlt. ad vlt.* quod sufficit proportio in ratione materiæ informabilis, & actus informantis, non in cæteris attributis : Præterea adest etiam proportio in hoc, quod cùm anima sit libera potens stare, cadere, & resurgere, datum etiam ei est corpus potens mori, & non mori, vt datum fuit primo homini : Præterea corpus tale datum est animæ,vt ordinatum esset ad immortalitatem : cùm enim sit pars recipiens formam, habuit & dispositiones proportionatas ad recipiendam animam, & ad fieri

fieri participem cum ipsa beatitudinis æternæ.

488. Obiicies quartò: Anima in corpore dependet à corpore in operari: læditur enim læso corpore: ergo est mortalis.

Respondetur impediri per accidens ratione vnionis, quia dum est in corpore, dependet à Phantasmatibus, &c. de quo aliàs, &c. similiter etiam dum est in corpore, patitur, & etiam post separationem, sed hæc passio non est corruptiua, sed accidentalis entitati animæ: hinc non sequitur, quod debeat esse mortalis.

Qui vult solutionem aliorum argumentorum obiectorum, adeat Tolet. Meldul. Aliosque, & præcipuè Hurtadum grauiter inuehentem in eos, qui sub specioso titulo doctrinæ Aristotelicæ docent mortalitatem animæ, inter quos Cremoninus damnatus miserrimè excelluit, & innumera mala in animas credentium inuexit hac occasione.

QVÆSTIO III.

Vtrum Anima rationalis sit æqualis perfectionis in omnibus hominibus.

489. Pro explicatione tituli supponendum est primò tanquam certũ, & de fide contra Pitagoricos animam rationalem multiplicari ad multiplicationem indiuiduorum: Nec est verum id, quod dixit Acchillinus, scilicet secundùm Philosophiam animam esse vnam, & secundùm fidem esse multiplicem: qui error detegitur à Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 2. veritas enim non est contraria veritati.

Supponendum est secundò, duplicem perfectionem posse considerari in animabus rationalibus, alteram essentialem, seu substantialem, alteram accidentalem, hæc attenditur respectu eorum, quæ accidunt animæ, & de hac non est sermo, sed de substãtiali, quæ iterum est duplex: alia specifica, alia indiuidualis: prima importat prædicata essentialia specifica, & de hac non est sermo: nam omnia insũt æqualiter in omni anima rationali: Indiuidualis verò est, quæ prouenit ex differentia indiuiduali, & entitatiua, secundùm quod competit tali indiuiduo, & provt habet contractam in se naturam talem, & de hac perfectione indiuidua procedit quæstio: an scilicet detur inter hanc, & illam animam gradualis latitudo perfectionis indiuidualis.

Prima Opinio negat omninò posse dari in animabus rationalibus aliquam differentiam inæqualitatis in vlla perfectione substantiali entitatiua, sed omnes æquè esse perfectas, & si adest aliquod discrimen, obuenit ratione corporis, & per accidens. Ita Dur. Sot. Zimar. Tolet. qui oppositam appellat temerariam, & periculosam, sed verè nimis audaciter dictum profertur contra præcipuas scholarum Columnas.

490. Secunda Opinio est ferè Omnium Scholasticorum. D. Thom. Rich. S. Bon. Aliorumque, & facultatis Parisiensis apud Ruuium *lib.* 2. *de ann. cap.* 3. *quæst.* 3. admittentium gradualem inæqualitatem in animabus: Pro solutione

Primò Notandum, quod cùm communiter dicatur substantiam non recipere magis, & minus, glosanda

da est hæc propositio (ait Seraph. Doct.) nempè sumptam Logicè, seu Metaphysicè, seu secundùm prædicata quidditatiua, & provt abstrahit ab indiuidualitate non recipere magis, & minus: at provt consideratur in hac, vel illa materia, in qua potest habere maiorem, vel minorem actualitatem, dicendum est admittere magis, & minus: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *dub.* 2. *& lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. *& lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. *& lib.* 1. *dist.* 44. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* Vt autem hæc veritas intelligatur.

Secvndò Notandum, quod licèt entitas specifica animæ in ratione speciei sit indiuisibilis: importat tamen intra suam sphæram latitudinem gradualem per ordinem ad differentias indiuiduales: & ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. quia in quanto virtutis fit accessus ad summam simplicitatem, & entitatiuam perfectionem per additionem graduum virtutis, & per talem additionem fit purior, & perfectior: Cùm autem anima vniatur materiæ non propter bonum materiæ, sed propter bonum proprium, & ad constituendum compositum, & tertiam entitatem, nempè vt per informationem consequatur finem suum proprium naturalem: hinc etiam nec hæc anima vnitur huic corpori, nisi propter bonum proprium, & vt constituat hoc indiuiduum: hinc sequitur, quod secundùm maiorem, vel minorem dispositionem inuentam in corpore, & ab agente naturali per se inductam, etiam recipit maiorem, vel minorem perfectiuam actualitatem, & ideò maior dispositio in corpore exigit perfectiorem formam: Quare Deus dat meliorem formam, secundùm quod materia est meliùs disposita: sic *lib.* 2. *dist.* 9. *quæst.* 3. *ad* 3. *& in serm.* 1. *de pluribus Martyribus, & lib.* 2. *dist.* 32. *dub.* 6. & Ruuius *cit. num.* 63.

491. Prima Conclvsio: Inter animas rationales datur gradualis perfectio, & obid participari potest ab indiuiduis cum inæqualitate perfectionis indiuidualis: Est S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 32. *dub.* 6. vbi habet hæc verba: satis probabile *est*, quod in ipsa creatione sit præcellentia in animabus, & quod dicuntur pares, hoc non intelligitur quantum ad priuationem ordinis naturalium in præcellentia, sed quantum ad priuationem ordinis in dominio, & seruitute: Idem & asserit *lib.* 2. *dist.* 9. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in corp. in fine:* vbi dicit, quod in hominibus sunt gradus, & ordines, & quoad naturalia, & quoad dignitates.

Et si quæritur. Vnde veniat ista præcellentia naturalium, an ex parte animæ, an corporis?

Dicendvm, quod cùm anima non sit propter corpus, sed corpus propter animam, ista præcellentia venit ex parte animæ, quæ præcellentia non est in anima ratione principij ex quo, cùm sit ex nihilo, sed ratione sapientiæ Conditoris producentis omnia secundùm ordinem debitum: non est tamen negandum, quin multùm faciat bona dispositio corporis ad exercitium illarum habilitatum naturalium animæ: Hæc Seraph. Doct. hinc.

Probatvr primò: Si perfectiones naturales indiuiduales non possunt participari cum inæqualitate ab indiuiduis, aut est ratione propriæ entitatis, & perfectionis, aut ratione

tione indiuiduorum, sed neutrum est: ergo.

PROBATVR min. Non primum: Quia si non adest inæqualitas gradualis, id erit ratione spiritualitatis animæ: sed id falsum est, cùm intellectualitas in Deo, in Angelis, & in hominibus sit vniuoca, & tamen inæqualis: ergo: Nec secundum: quia sicut inæqualitas specierum non repugnat vnitati generis, sic nec inæqualitas indiuiduorum poterit repugnare vnitati specificæ: non enim est maior ratio de genere, ac de specie, & indiuiduo, cùm omnia identificantur simul, licèt distinguantur formaliter.

PROBATVR secundò argumento à Seraph. Doct. facto *in Serm. 1. de pluribus Mart.* Dispositio, & organizatio materiæ inducitur per se ab agente naturali propter animam infundendam: ergo melior dispositio inducitur propter meliorem animam: alioquin per accidens se haberet melior dispositio in materia à natura per se introducta.

CONFIRMATVR, & simul iterum Probatur consequentia: Dispositio materiæ naturaliter ordinatur ad informationem formæ: ergo melior dispositio adhoc vt meliùs informetur materia à forma, sed meliorem dispositionem naturaliter consequitur melior effectus formalis eiusdem formæ, scilicet constitutio melioris compositi; & meliùs compositum non potest constitui nisi à meliori forma substantiali: ergo.

RESPONDENT id totum prouenire à dispositionibus accidentalibus corporis.

CONTRA. Quia effectus formalis formæ per se primò commensuratur cum perfectione substantiali formæ, à qua per se primò procedit, & non à perfectione accidentium: substantia enim non potest per se primò commensurari accidentibus: ergo si melior est effectus formalis, melior erit causa formalis, sicque melior anima.

492. PROBATVR tertiò: Quia secundùm omnes Theologos debet recognosci in anima Christi, & Beatæ Virginis maior perfectio indiuidualis, quod & determinatum fuit in Vniuersitate Parisiensi: ergo.

PROBATVR quartò à posteriori ex operationibus animæ ex S. Bonauent. *lib. 2. dist. 3. dub. 2. 3. & 4.* Intellectus naturaliter consequitur essentiam animæ, sed vnus homo meliorem habet intellectum, & operationem, quàm alter: ergo & meliorem animam:

PROBATVR Minor: Quia ex meliori operatione colligitur melior potentia: sic etiam Seraph. Doctor. *lib. 2. dist. 9. quæst. 1.* colligit secundùm regulas Peripateticas ex conuenientia operationum specifica vnitatem specificam in omnibus Angelis, & differentiam perfectionum indiuidualium ex diuersitate operationum intra eandem speciem.

RESPONDENT prouenire ex varia dispositione organorum.

CONTRA primò: Quia aliud est, quod defectus organorum possint impedire animam ab operationibus suis: aliud, quod possint præbere perfectionem: Tum etiam quia dantur plures, quorum sensus sunt perfectiores, vt sunt viuax complexio, memoria, & imaginatio fæcunda, qui tamen in speculationibus sunt ineptissimi.

CONTRA secundò: Quia incredibile ferè est tantam esse organorum diuersitatem, vt sufficiens causa possit

possit esse tam multiplicis ad scientias aptitudinis, ineptitudinisque ad diuersitatem artium, & scientiarum: Tum etiam quia qualitates secundæ speciei, vt ingeniositas, & tarditas, proueniunt ab intrinseco animæ, non ab extrinseco: ergo supponunt maiorem perfectionem in anima.

PROBATVR Consequentia: Quia ad talium qualitatum exercitium per se à natura introducuntur dispositiones proportionatæ: ergo per ordinem ad meliorem animam: Tum quia quæcunque indiuidua in natura non omninò sunt similia, & maximè homines: & quare id denegandum est soli animæ rationali?

OBIICIES primò: Essentia animæ rationalis est indiuisibilis: ergo non potest vna esse substantialiter perfectior altera: & si est diuersitas; ergo erit specifica.

493. RESPONDETVR concedendo antecedens quoad prædicata essentialia specifica: negando quoad indiuidualia: Ratio est (ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 9. quæst. 1. ad 2.*) quia magis, & minus secundùm proprietates inseparabiles non variant speciem per se, licèt variant perfectiones indiuiduales.

OBIICIES secundò: Quia sequeretur vnum hominem esse magis hominem altero, & magis liberum.

RESPONDETVR negando sequelam: fit enim transitus à perfectione specifica ad indiuidualem: Vnde quoad dominium libertatis negat Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 32. dub. 6.* Consequentiam: est enim æquale in omnibus, loquendo de dominio à coactione: sed quia exercitium libertatis consequitur ad iudicium rationis, in quo datur inæqualitas: hinc etiam maior, vel minor promptitudo in exercitio libertatis: *& lib 2. d 3. part. 1. dub. 2.* concedit magis, & minus in libero arbitrio quoad exercitium, non verò in libertate à coactione.

OBIICIES tertiò: Si colligitur imperfectior anima ex imperfectioribus operationibus, & perfectior anima ex perfectioribus: ergo quando mutatur homo aliquando ab exercitio perfectiori ad minus perfectum, mutabitur & anima: & è contra, si processu temporis perficientur organa: Tum etiam quia homini amenti à natiuitate dabitur anima amens: sic arguunt Tolet. Aliique, sed malè.

RESPONDETVR negando sequelam: aliud enim est inferri meliorem animam ex dispositionibus per se primò inductis, & intentis à natura in materia, & de his Nos loquimur: Aliud est de dispositionibus inductis per accidens ob aliquale impedimentum: de quo fusè Seraph. Doct. & quidem acutissimè *lib. 2. dist. 25. part. 2. quæst. 6.*

494. QVÆRES: an inæqualitas animarum sit in omnibus hominibus: an tantùm in aliquibus? Aliqui primum asserunt: Alij oppositum sustinent.

RESPONDETVR igitur vtrumque esse probabile, licèt affirmatiua magis sit conformis doctrinæ Seraphicæ: sustinet enim omnes Angelos constituere vnam speciem athomam, & tamen diuersificari, esseque inæquales in perfectione indiuiduali intra limites eiusdem speciei: *Sic* S. Bonau. *lib. 2. dist. 19. q. 1. & dist. 3. p. 1. dub. 2. 3. & 4.* quam doctrinam applicat etiam hominibus *lib. 2. distinct. 9. quæst. 8. & 9.* In hoc enim magis relucet Diuina Potentia, Sapientia, & Munificentia, & vniuersi conuenientia,

nientia, & pulchritudo: Tum etiam quia sustinet, quod sicuti in compositione tum interna, tum externa hominum non detur omnimoda æqualitas, nec inter duos homines, sic nec in progressu spirituali animæ, & secundùm id de quocunque iusto verificatur, quod dicitur: *Non est inuentus similis, &c.* Idem & proportionaliter est dicendum de statu naturali. Altera pars tamen non caret sua probabilitate: nam videtur incredibile gradus innumeros interuenire inter sphæram vnius speciei, licèt adhoc possit responderi non fieri multiplicationem graduum diuersorum per aggregationem, cùm in augmento quantitatis virtus accessu ad summum est per augmentum simplicitatis, & puritatis.

TRACTATVS II. DE ANIMA.

De Potentiis intellectiuis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit Intellectus, & quotuplex. Vbi de Intellectu agente, & possibili.

495 PRimò supponimus tanquam certum, & aliàs à nobis probatum, Intellectum esse potentiam superadditam animæ rationali ipsam ponentem in actu primo, & per quam potest producere actus intellectionis, ipsamque esse ab eadem anima distinctam: sed quia intellectus noster est veluti tabula rasa indigens speciebus ab obiectis receptis, ad hoc vt possit exire in actus secundos, & in hoc dependet à Phantasia, & cæteris sensibus tum internis, tum externis: hinc disquirunt, an intellectus sit potentia organica in intelligendo, sicuti anima est organica in sentiendo. Et quia intellectus exercet plura munera, & actus: Quæritur, an verè ipse intellectus sit vnica potentia: an verò multiplex, & præcipuè procedit quæstio de intellectu agenti, & possibili.

QVOAD primum dubium licèt non defuerint, qui assererent Intellectum esse formaliter potentiam organicam, ita vt in suis actibus exigat necessariò organum determinatum, cui alligatur, & maximè in primis actibus, istique citantur à Mastrio *disp. 6. num.* 1. Attamen communis Opinio asserit etiam, si dum est in corpore, habeat aliquam depen-

dentiam à phantasmatibus, secundùm se tamen consideratum esse potentiam inorganicam:

Qvoad secundum dubium Aliqui negant hanc distinctionem intellectus in agentem, & possibilem: Alij admittunt distinctionem realem: Alij formalem tantùm: hanc vltimam sustinet Seraph. Doct. vt videbimus. Pro solutione

496. Primò Notandum, quod cùm homo sit vnum per se constitutum ex corpore, & anima, etiam ipsi competunt operationes, secundùm quod est vnum: Vnde (vt ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad vlt.*) sentire, viuere, ratiocinari est totius coniuncti. Et hinc anima ratione huius vnionis pendet à corpore, sed cùm operationes dictæ sint diuersæ rationis, etiam important diuersam dependentiam, vt rectè notat, & probat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *quæst.* 6. *in corp.* & *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *cit. in corp.* nam quoad operationes sensitiuas pendet omnimodè à corpore, cùm receptio fiat in organo, & actus producantur in corpore, cum corpore, & per corpus: & quoad actus verò rationales, vt est intelligere, non dependet à corpore essentialiter, quia non producit eos per corpus, cùm & receptio specierum, & productio fiat immediatè in ipsa anima: Vnde eos etiam habet separata à corpore, quæ cùm sint vera, attamen anima, dum est in corpore, & corpori vnita, non omninò intelligit præter corpus, ita quod requiritur debita dispositio in corpore: Ratio est (ait Seraph. Doct.) quia licèt anima secundùm se non dependeat à corpore, provt tamen est vnita corpori, dependet ex ipso corpore, ita quod amissâ debita complexione corporis desinit vnio, & ipsa existentia animæ in corpore, hinc & exigit debitam actualitatem in corpore, seu organo, quæ consistit in perfecta organizatione, & conseruatione nobilissimorum spirituum in cerebro, & organis: & hinc læso cerebro homo fit amens: Aduertit tamen Seraph. Doct. quod id est verum pro statu isto naturæ destitutæ secundùm cursum naturalem: nunc enim homo addiscit mediante via sensus tum interni, tum externi, qui ordo congruit naturæ lapsæ, non verò statui innocentiæ, & gloriæ: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 23. *art.* 2. *quæst.* 1. *fund. vlt.* addit etiam Scotus, quod talis debet seruari ordo in his potentiis subordinatis pro statu isto: Alij alias rationes adducunt, quas reiicit Seraph. Doct. de quibus etiam potest videri Meldul. *disp.* 6. *n.* 9. & *seq.*

497. Secvndò Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst* 4. *fund.* 1. & *seq.* & *in corp.* & *lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. quod sicut se habet materia ad alias causas, cum quibus nunquam coincidit ex hoc, quod passiuitas, & actiuitas in eodem subiecto debent habere diuersa principia habentia diuersas formalitates reales, quod & docuit Arist. 2. *Phys. tex.* 70. & *seq.* sic se habet potentia intellectiua, seu anima intellectiua respectu receptionis specierum, & actuum, & actiuitatis: diuisio enim potentiæ immediata est per actiuum, & passiuum: & hinc idem secundùm idem formaliter non potest simul esse in actu, & in potentia, & illuminatum, & illuminans: Hinc infert Seraph. Doct. debere necessariò assignari in intellectu duplex potentia, scilicet agens, & patiens: Et vt rectè percipiatur.

498. Ter

498. Tertiò Notandum, quod cùm ab Aristot. communiter dicatur nihil esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, & quod intellectus est tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum: hæc sano modo sunt intelligenda (ait S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2.) vnde aduertendum, quod in anima nostra adsunt aliqui habitus innati, & simul cum ipsa concreati, alij acquiruntur mediantibus sensibus per receptionem specierum abstractarum, & sunt species, quæ abstrahuntur ab obiectis, & recipiuntur in potentiis: Primi autem innati appellantur à Seraph. Doct. nomine speciei impressæ, seù luminis innati, quo mediante percipiuntur ea, quæ non per speciem, sed per sui essentiam cognoscuntur: vt sunt prima principia, virtutes, eadem anima, Deus, & similia, ad quorum tamen completam cognitionem requiritur receptio specierum primorum terminorum, vel alicuius speciei superadditæ, & adiuuantis intellectum ad talem notitiam: His positis sit

499. Prima Conclusio: Intellectus est potentia superaddita animæ necessaria, adhoc vt anima possit cognoscere, eaque entitatiuè inorganica: Est communis ferè omnium, & Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *cit. & aliis locis.*

Et patet, quia anima separata à corpore intelligit, & cognoscit. Tum quia etiam in corpore est reflexiua super proprios actus: Tum quia ipsa est independens à corpore.

Obiicies: Quia intellectus intelligit spiritualia modo corporeo: Tum quia læso cerebro impediuntur eius operationes: Tum etiam quia posset intelligere in pede, quæ omnia indicant dependentiam ab organo.

Respondetvr ex traditis in primo fundamento animam, & intellectum esse quidem independentem ab organo, attamen ratione vnionis, cùm anima non potest hos actus exercere absque corporis recta dispositione, & absque eo, quod recipiat species à sensibus organicis. Vnde organa offensa impediunt operationes intellectus; sed tamen hoc impedimentum est ab extrinseco: idque patet, quia nunquam, dum est in corpore, per quodcunque impedimentum potest tolli omnimodè aliqualis vsus ipsius, sicut euenit in potentiis organicis, quæ intrinsecè dependent ab organo in vsu, & exercitio: sic offensa pupilla non ampliùs potest videre: Et ad id, quod intelligit in pede,

Respondetvr, quod cùm sit tota in tota, & tota in qualibet parte intellectiua, intelligit per totum, sed quia intellectio est totius coniuncti, dicitur intelligere in capite, &c. ob dependentiam allatam: Respondet etiam Guarinus *disp.* 12. *exp.* 8. non intelligere in pede, eo quod anima aliquam extensionem habet in corpore sibi peculiarem, ob quam hîc speciem suscipiat.

500. Secvnda Conclvsio: Intellectus pro statu isto naturaliter in primis actibus eorum, quæ intelliguntur per species abstractas, dependet ab externis, & internis sensibus, quoad alios actus sequentes dependet ab internis tantùm actu operantibus: Est etiam communis cum S. Bonau.

Probatvr: Quia nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Tum quia species necessariò deferuntur per sensus internos, & externos ad

Digitized by Google

ad intellectum. Tum quia læſa Phantaſia impeditur intellectio. Tum quia cùm cogitamus entia ſpiritualia, id facimus effingendo in Phantaſmate aliquid compoſitum: ergo intellectus dependet à ſenſibus.

NOTANTER autem dixi intellectum pro ſtatu iſto naturaliter dependere à ſenſibus, quia aliter eſt dicendum de modo ſupernaturali, vt de ecſtaſi, vt dicetur infrà.

OBIICIES primò: Magis dependet Phantaſia à ſenſibus externis, quàm intellectus ab ipſis, & ab ipſa Phantaſia: ſed hæc poteſt operari nullo ſenſu operante exteriùs, vt patet in ſomno: ergo etiam intellectus: & ſi non poteſt intellectus operari abſque concurſu Phantaſiæ, ſequitur, quod ſit materialior ipſa Phantaſia.

RESPONDETVR negando Majorem: Ad ſenſum enim patet magis intellectum dependere à Phantaſia cooperante: neque hinc infertur maior materialitas in intellectu, cùm hæc dependentia ſit ab extrinſeco, & ratione ſtatus, & ordinis huius vitæ mortalis.

OBIICIES ſecundò: Intellectus habet ſpecies innatas multarum veritatum ſpiritualium: ergo non dependet à ſenſibus.

RESPONDETVR, vt dictum eſt *in vlt. Notab.* Intellectum quidem habere has ſpecies innatas, ſed tamen non ſufficere, adhoc vt actu exeat in operationem actualem, ſed requiritur receptio ſpecierum externarum, verbi gratiâ, in cognitione primorum principiorum receptio terminorum, in cognitione aliarum rerum ſpiritualium requiritur receptio ſpecierum appropriatarum, vel ſub ratione ſimilis, vel effectus: Sic *lib. 3. diſt. 23. dub. 4. & lib. 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 1. ad 2.*

501. QVÆRES: An in Ecſtaſi Intellectus dependeat à Phantaſia?

RESPONDETVR, quod duplex eſt Ecſtaſis, ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis: Prima contingit in Melancholicis, & cogitabundis, vt docent Conimb. *lib. 3. de an. quæſt. 8. artic. 3.* qui afferunt plura exempla aliquorum, qui naturaliter ſublati ſunt ad ſublimium conſiderationem, abſque eo quod aliquid ſenſibus operarent: ſupernaturalis verò eſt ex ſpeciali gratia, & hæc eſt multiplex: alia imperfecta, & hæc poteſt ſtare etiam cum vſu Phantaſmatum: alia perfecta, quæ conſiſtit in vnione perfecta, & intima Dei: & hæc ex ſpeciali gratia habetur independenter à ſenſibus tum externis, tum internis: de qua S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 24. dub. 4. & in Op. de 7. Itiner. æternit. Itiner. 4. diſt. 4. artic. 4. & in Op. de 7. Grad. contemplat. & in Io. in proœm.* de qua in Theologia.

ADVERTVNT tamen hìc Conimbr. quod diſcrimen eſt inter ſomnium, & ecſtaſim: quod in ſomniis vires naturales intenduntur, & cognitiuæ ligantur: è contra in ecſtaſi vires naturales ligantur, & intellectus eleuatur ad celſiora relinquendo potentias inferiores otioſas. Vide S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 25. part. 2. quæſt. vlt. ad 4.*

502. QVÆRES iterum: An in ſtatu innocentiæ adfuiſſet hæc dependentia?

RESPONDET S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 23. cit.* quod in adultis non adeſſet talis dependentia, ſicut nec in corporibus glorioſis: benè autem in paruulis ob fluidam complexionem,

&

Digitized by Google

& imperfectionem cerebri, & organorum: Vide S. Bonau. *lib. 2. dist. 20. dub. 4. & dist. 23. art. 2. per totum.* Et hinc inferunt plures Theologi recensiores, quod B. Virgo etiam dormiens mærabatur, quia ipsius potentiæ intellectiuæ operabantur independenter à sensibus; quod elucidabitur in Theologia.

503. TERTIA CONCLVSIO: Intellectus agens, & possibilis sunt duæ potentiæ, seu potiùs vires intellectus non realiter, sed formaliter tantùm distinctæ: Est Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. q. 4. & lib. 2. dist. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. & lib. 2. dist. 19. part. 1. dub. 8. & lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad arg. & dist. 16. quæst. 1. ad 5. & lib. 4. dist. 50. part. 2. quæst. 1. & lib. 2. dist. 18. artic. 2. quæst. 1. in corp. & Serm. 5. Hexaem. & pluribus aliis locis* contra Serbellon. *disp. 3. quæst. 2. art. 1.* Aliosq.

PROBATVR primò: Idem secundùm idem non potest simul esse agens, & patiens, sed intellectus respectu eiusdem est simul agens, & patiens: ergo importat aliquam differentiam à parte rei: Tum quia agens est semper in actu: patiens non semper.

CONFIRMATVR: Idem formaliter non potest esse simul actiuum, & passiuum: sunt enim duæ primæ, & maximæ differentiæ primò diuidentes potentiam: ergo.

QVOD verò non distinguantur realiter: patet ex traditis in prima parte huius operis in tractatu de potentiis animæ in communi: non enim sunt terminus Physicæ causalitatis, nec sunt separabiles. Addimus tamen cum Seraph. Doct. quod licèt distinguantur inter se à parte rei, attamen hæc distinctio est minima, cùm duæ sunt vires eiusdem intellectus integrantes ipsum.

OBIICIES primò: In potentiis sensitiuis non assignatur sensus agēs, & patiens: ergo multò minùs debet assignari in intellectu, cùm sit potentia spiritualior, & magis vna, & virtuosior.

RESPONDET Seraph. Doct. negando paritatem: in sensu enim aliud est recipiens, scilicet organum, aliud est agens, scilicet potentia: at in intellectu eodem est recipiens, & agens secundùm diuersas rationes, scilicet ex eo quod anima habet materiam, & formam: Sic *loc. cit. lib. 2. dist. 24. & lib. 4. dist. 50.*

OBIICIES secundò: Sequeretur dari compositionem duplicem in intellectu: sunt enim duæ differentiæ.

RESPONDETVR negando sequelam: non enim propriè sunt differentiæ componentes, &c. sed duæ realitates minimæ, quæ secundùm nostrum modum concipiendi dicuntur differentiæ.

OBIICIES tertiò: Nulla est necessitas ponendi hos duos intellectus nec ex parte obiecti, nec ratione intellectus: sic Serbellon.

PROBATVR antecedens: non ratione obiecti: quia in sensu communi est de se intelligibile: nec aliud requiritur, sed intellectus habet de se vim receptiuam eiusdem, ergo frustrà ponitur intellectus agens.

RESPONDETVR negando assumptum: ad probationem respondetur negando vtramque partem: quod & in sequen. quæst. patebit.

INSTAT idem Serbellon. Si est necessarius intellectus agens, maximè vt depuret obiectum à conditionibus indiuiduantibus, sub quibus latet quidditas, sed non possunt istæ conditio

conditiones impedire vnionem immediatam obiecti cum intellectu possibili: ergo frustrà ponitur agens.

Respondetvr concedendo Maiorem, & distinguendo Minorem. Obiectum immediatè potest vniri intellectu possibili cum conditionibus indiuiduantibus, nego præcisis conditionibus ab eodem intellectu vt agente, concedo, sic negatur Consequentia.

504. Qvarta Conclvsio: Intellectus admittit alias diuisiones non tanquam in diuersas potentias, seu vires, sed secundùm diuersos respectus, vel munera.

Probatvr, & Explicatur Conclusio ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 3. *&* in Comp. Theolog. *lib.* 1. *cap.* 44. Si enim consideratur in ordine ad diuersum statum, seu subiectum, diuiditur in speculatiuum, & practicum: si enim sistit in se, dicitur speculatiuus, si extenditur extra se, vniturque voluntati, est practicus: si considerariatur secundùm aspectum, diuiditur in rationem, intellectum, & intelligentiam, ratio dicitur, prout respicit ad inferiora, intellectus ad par, & intelligentia ad superius, & prout dicit actum abstractum à creatis: Item dicitur intellectus pro ipsa potentia, intelligentia pro ipso actu, & memoria pro eodem intellectu repleto speciebus: Item dicitur pars superior, prout respicit æterna: Inferior, prout respicit inferiora.

QVÆSTIO II.

Explicantur munera intellectus agentis, & patientis. Vbi de speciebus intelligibilibus.

505. Ardva valdè est hæc Quæstio ob diuersitatem opinionum circa hæc munera intellectus agentis: cùm enim communiter dicatur ipsum reddere species actu ab intellectu intelligibiles: Quaritur, an verè eas faciat, & quomodò.

Prima Opinio est Dur. negantis omninò hunc intellectum agentem: Alij dixerunt esse Deum assistentem intellectui, seu aliquam intelligentiam superiorem, &c. Sic Auer. Auic. Alijque Antiqui: contra quos Seraph. Doct. agit *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. Alij dicunt dari intellectum agentem, cuius munus est producere intellectionem, eamque imprimere in possibili: Sic Iandun. Alij communiter dicunt intellectum agentem efficere species actu intelligibiles, easque offerre possibili: discrepant tamen in modo talis efficientiæ, de quibus variis modis potest videri Meldul. *disp.* 5. Ruui. *quæst.* 2.

Pro solutione quæstionis, & intelligentia sensus Seraphici Doctoris

Primò Notandum, quod communiter triplex munus assignatur intellectui agenti: Primum est illustratio phantasmatum, seu specierum: Secundum efficere illam speciem, & consequenter obiectum actu intelligibile: Tertium producere, & imprimere speciem intelligibilem in intellectu

tellectu possibili. S. Bonauent. addit quartum *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4.* nempè concurrere simul cum specie,& intellectu possibili ad vnam perfectam intelligentiam: quæ quatuor munera ferunt secum graues, & ferè inextricabiles difficultates ob diuersitatem, & multiplicitatem sensuum Philosophorum: nam circa primum, quod est illustrare Phantasma, Aliqui dicunt hanc illustrationem fieri in Phantasmate per productionem cuiusdam qualitatis, seu luminis, quo lumine concurrente potest Phantasma immutare intellectum possibilem: Sic Tolet. Picolom. & Alij plures apud Conimbric. *lib. 3. cap. 5. quæst. 2.* Alij dicunt esse illustrationem tantùm materialem, seu radicalem, quatenùs Phantasma ob vicinitatem, & coniunctionem cum intellectu agente potest concurrere ad intellectionem: Seraph. Doct. *loc. cit.* docet intellectum agentem illustrare Phantasma, quatenùs in ipso facit apparere naturam communem, & quidditatem obiecti: Vnde hæc illustratio est simul effectiua, & obiectiua: effectiua, quatenùs reddit Phantasma actu intelligibile: obiectiua, quatenùs facit in ipso apparere naturam communem denudando ipsum à conditionibus indiuidualibus, & per id explicatur secundum munus intellectus agentis, quod & infra meliùs explicabitur: & id etiam ex parte docet Caiet. *part. 1. quæst. 85. artic. 1.* Circa tertium munus, quod est producere speciem intelligibilem non est minor dissensio: nam communiter asseritur ipsa de nouo produci ab ipso intellectu, & imprimi in intellectu possibili: Sic plures, qui tamen diuersificant in modo, vt aduertunt Conimbric. *cit. quæst. 5. art. 1.* Seraph. Doct. à cæteris discrepat, vt mox videbimus: Circa quartum munus, an intellectus agens verè intelligat, est etiam varietas opinionum apud Conimbric. *cit. quæst. 2. art. 2.* Alij negant: Alij affirmant, inter quos est S. Bonau.

506. SECVNDÒ Notandum, quod cùm ex traditis in superioribus ex Seraph. Doct. in Itiner. Ment. *cap. 2.* species sit virtus obiecti, seu vicaria gerens vices obiecti, per consequens etiam multiplicem rationem repræsentatiuam rationum existentium in obiecto debet includere: immò cùm ex S. Bonauent. aliàs tradito quælibet res creata corporea positiua permanens habeat vim fœcunditatis, qua potest producere sui similitudinem, & cùm in obiecto sensibili adsint plures entitates reales, vt accidentia sensibilia propria, & communia, item & substantia compositi, ex tali obiecto emanare dicendum est aggregatum specierum, sed per modum vnius, sicut & per modum vnius, & secundùm quandam vnitatem iacet ipsum obiectum, licèt multiplex entitatiuè: Hincque ad rem nostram notauit Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad* 8. quod aliquando habitus existentes in anima, licèt sint diuersi, dicuntur tamen vnum per quandam collectionem: sic & dicendum est de istis speciebus, quæ sæpè appellantur à Seraph. Doct. nomine habitus: hinc eadem species, vel aggregatum talium specierum diuersa habet repræsentare sub alio, & alio lumine: Ex quo sequitur, quod in sensibus tum internis, tum externis eadem species multiplicata repræsentat obiectum singulare cum conditionibus indiuidualibus, & depurata ab intellectu agente habet repræsentare

ſentare quidditatem talis obiecti, & ſimul cum ſpecie ſubſtantiæ ipſam eandem ſubſtantiam: hincque infertur veritas dicti Seraph. Doct. *in lib.* 2. *distinct.* 10. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 1. *distinct.* 9. *dub.* 7. quod ſpecies, dum protenditur ex obiecto ad potentiam hanc, & illam, licèt ſit eadem originaliter, ideſt reſpectu obiecti, à quo emanat, per ordinem tamen ad diuerſas potentias eſt alia, & alia, & ratio eſt, quam affert Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 2. quia eadem ſpecies, dum peruenit ad intellectum, exit genus abſtractionis, ſecundùm quam inerat in potentiis ſenſitiuis. Quare in hoc fundamento duo enodantur digna cōſideratione: Primum eſt ab obiecto diffundi plures ſpecies per modum tamen vnius: Secundum eſt, quod ſecundùm diuerſitatem luminum, quibus abſtrahitur, & depuratur, etiam obiectum diuerſimodè repræſentat: Vtrumque elicio ex iis, quæ tradit Seraph. Doct. tum *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in fund.* 1. vbi dicit, quod per ſe ineſt alicui ſenſibili obiecto, ineſt & ipſi ſiue coniuncto materiæ; ſiue abſtracto à ſenſibilibus, & *in fund.* 2. docet, quod forma ſubſtantialis non poteſt mouere ſenſum ſeparatum à formis accidentalibus, ideſt abſque ſpeciebus ſenſibilium: igitur ſubſtantia ſimul cum accidentibus immittit ſui ſpeciem: ſed vt appareat ſenſus Seraph. Doct. circa primum, & ſecundum munus intellectus agentis circa ſpeciem.

507. Tertiò Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 4. *in corp. in improbat.* 3. *opin.* vbi dicit, quod intellectus agens differt à poſſibili, ſicut habitus, & potentia, quatenùs ſcilicet eſt habitualis potentia virtutem habens reddendi ipſam ſpeciem ſenſibilem, quæ in Phantaſmate erat intelligibilis in potentia, actu intelligibilem ab intellectu eo ferè modo, quo lux reddit colores de potentia ad actum viſibilitatis, idque fit per abſtractionem ipſius à conditionibus indiuiduantibus, & ſenſibilibus: vt aduertit *ibid. ad* 2. & clariùs *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 4. hincque patet veritas ſuprà poſita, quod hæc illuminatio eſt ſimul effectiua, & obiectiua, ſed magis obiectiua, non propriè effectiua, vt volunt Conimbric. Aliique: non enim eſt verum, quod intellectus agens efficiat ſpecies: Et licèt communiter id aſſeratur, vt videre eſt apud Conimbric. *cit. quæſt.* 5. *art.* 1. qui oppoſitam ſententiam appellant errorem in Philoſophia, ſed nimis audacter, cùm probabilior, & rationabilior ſit aſſertio Seraphica, eo quia ſpecies eſt virtus obiecti repræſentatiua: ergo tantùm à ſuo principio originali poteſt produci: Quæ opinio fuit Stoicorum, & à D. Boetio apud *cit.* Conimbric. aſſerta: quod & ſuprà, cùm egimus de ſpeciebus ſenſibilibus, probatum eſt à nobis ex Seraph. Doct. *in Serm.* 11. Hexaëm. in Itiner. Ment. *cap.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 17. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. quia enim diffunditur per medium tanquam per deferens modo diffuſiuo, & generatiuo ſimul cum virtute exeunte ab obiecto: hinc & ad potentias ſenſitiuas peruenit, & cum tali virtute multiplicatiua diffunditur ad interiores, & ad intellectum, fatemur quidem ad talem diffuſionem de vna in aliam potentiam concurrere etiam ipſas potentias tum mediante ſpecie in ipſis impreſſa, tum mediante expreſſa, qua repræ-

ſentant

ſentant ſuo modo ipſum obiectum: Vnde Phantaſia non ſolùm offert ſuam ſpeciem, ſed & coadiuuat per expreſſam intellectum agentem, vt infrà dicetur: Sed ne fiat aliqua æquiuocatio circa dicta varia Seraph. Doct.

508. QVARTÒ Notandum, quod ad aures Seraph. Doct. triplex ſpecies in vniuerſum datur: Alia, quæ dicitur abſtracta (& eſt, de qua hîc eſt ſermo, & quæ ab obiecto immittitur ad potentias:) Alia dicitur infuſa, ſuntque ſpecies, quas indidit Deus in intellectu Angelorum, Adæ, Salomonis, Chriſti, & Beatæ Virginis, per quas poterant omnia cognoſcere: Alia dicitur innata, & vt plurimùm à S. Doctore appellatur ſpecies impreſſa, de primis loquitur *in loc. huc-uſque cit.* De ſecundis loquitur *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* *diſtinct.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in arg. & lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 3. *diſtinct.* 14. *art.* 3. *per totum:* De vltimis, ſcilicèt de impreſſis, ſeu innatis, ſicut & de abſtractis agit *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt. & diſtinct.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 2. *& lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.* vbi etiam appellat ſpeciem abſtractam innatam, ſed cum hoc diſcrimine (ait Seraph. Doct.) quod ſpecies innata abſtracta eſt ſimilitudo tantùm, ſpecies verò innata impreſſa in anima à ſui prima conditione eſt ſimilitudo, & ſimul etiam veritas, de qua dicitur *Pſ.* 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei:* naturaliter enim anima habet inditam aliquam cognitionem, licèt imperfectam de Deo, aliarumque veritatum ſpiritualium, & *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *in corp.* appellat eandem lucem, ſeu lumen iudicatorium, & *lib.* 3. *diſt.* 23. *dub.* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* vbi dicit, quod aliqua videntur per ſui eſſentiam, ideſt per talem ſpeciem innatam; & *ibid.* diſtinguit de ſpecie abſtracta: vel enim eſt concreta materiæ, ideſt ſenſibilibus conditionibus præſente materia, vt ſe explicat *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *quæſt.* 1. *& diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in fund.* 3. §. *Contra, &c.* vel eſt partim concreta materiæ, & partim abſtracta, ſcilicet cum conditionibus ſenſibilibus abſente materia: prima ſpectat ad ſenſus externos: ſecunda ad internos, vel eſt omninò abſtracta à conditionibus materialibus, & hæc eſt propria intellectus: Addimus, ſed quia etiam intellectus habet ſuam fœcunditatem, hinc etiam ei non eſt deneganda productiua virtus ſpecierum, & iſtæ ſunt ſpecies expreſſæ, de quibus infrà.

509. QVINTÒ Notandum, quod circa quartum munus intellectus agentis eſt quæſtio inter Philoſophos, an verè intellectus agens intelligat: an verò tantùm abſtrahat ſpeciem, & offerat ipſam intellectui poſſibili, & poſteà verè intelligat: Henricus Gandau. D.Thom. Conimbric. *loc. cit. quæſt.* 2. *artic.* 2. negant: Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 24. *cit.* affirmat: & Albert. Magn. Scotus, Caiet. Alijque apud cit. Conimbr. Et vt id pateſiat, aduertit Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 4. quod duplex abſtractio poteſt fieri ab intellectu agente: alia ad generandum habitum: alia ad exercitium talis diſpoſitionis, & habitus facti: prima fit per depurationem ſpeciei à conditionibus indiuiduantibus, & impreſſionem eiuſdem in intellectu poſſibili, per quam ponitur in actu primo: ſecunda eſt per exercitium, & actum

secundum, & licèt hoc munus spectet principaliter ad possibilem, tamen ad id etiam concurrit intellectus agens, qui non solùm reddit obiectum actu intelligibile, sed etiam intellectum, & cognitum: Sic Seraph. Doct. *lib.2. dist. 24. cit. in corp. in improbat. 2. opin.* vbi dicit, quod possibilis non intelligit sine agente, nec agens sine possibili. Et hinc patent munera vtriusque intellectus: Intellectus agens habet duas actiones: alteram, qua abstrahit: alteram, qua cognoscit: Possibilis verò duas passiones, & vnam actionem: Passiones sunt receptio speciei impressæ, & expressæ: actio verò est productio intellectionis, seu speciei expressæ: His positis

510. Prima Conclusio: Datur intellectus agens verè illustrans modo suprà dicto Phantasma tum obiectiuè, tum effectiuè: Est Seraph. Doct. *suprà cit.*

Probatur: Quia ex Arist. 3. *de an. t.* 18. Intellectus agens se habet ad Phantasma, sicut lumen ad colores, sed lumen reddit effectiuè colores actu visibiles, obidque & effectiuè operando in colores reddendo eos visibiles, & coadiuuando ad immissionem speciei, & obiectiuè ipsos extrinsecè illuminando: ergo & intellectus agens ad Phantasmata illustranda concurrit.

Probatur secundò: Quia species in Phantasia non est apta, nec proportionata ad intellectum informandum, cùm sit sensibilis, & materialis, & cum conditionibus singularibus: ergo vt informet intellectum, debet obiectiuè, & effectiuè reddi apta, scilicet per depurationem à singularitate, & materialitate: sed id est munus intellectus agentis: ergo intellectus agens transfert & effectiuè, & obiectiuè species de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, & spiritualium.

511. Obiicies cum Fortunio Liceto *lib.3. de intell. ag. cap.* 42. Hæc translatio specierum de vno ordine ad alium vel fit per transmigrationem eiusdem speciei de vna potentia ad aliam, vel per transmutarionem entitatiuam de vno genere speciei in aliud genus: sed neutrum potest dici: non quidem primum, cùm accidens non possit migrare de subiecto in subiectum: nec secundum, quia remanent in Phantasia phantasmata immutata: ergo.

Confirmatur: quia species sensibiles sunt de se etiam intelligibiles, & in eas potest intellectus, cùm sit potentia illimitata potens in quodcunque obiectum intelligibile: ergo.

Respondetur ex principiis Seraphicis nullo ex his modis allaris fieri talem illustrationem, sed cùm species per sui multiplicationem modo diffusiuo defeatur de vna in aliam potentiam, sic potest remanere immutata in Phantasia species sensibilis, & eadem multiplicata, sed depurata ab intellectu agente deferri in possibilem, sicque in rigore non est eadem, nisi per respectum ad suam originem, sed est alia generata: Alij alias responsiones adferunt, vt videre est apud Meldul. *disputat. 6. num.* 132. sed hæc est aptior, quæ elicitur ex doctrina Seraph. Doct. aliàs sæpè tradita de modo generandi species.

Ad aliud Respondetur: quod species sensibilis, seu obiectum sensibile est quidem intelligibile ab intellectu, sed modo intellectiuo: de quo

quo infrà dicetur, nempè vt docet S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad vlt.* priùs abstrahendo, & depurando, posteà descendendo ad particularia.

512. SECVNDA CONCLVSIO: Intellectus agens simul cum possibili verè intelligit. Est S.Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. Thomist. Iandun. Fabri *Theor. cap.* 2. Plurimumque Aliorum.

PROBATVR: Tum quia intellectus agens verè abstrahit: ergo intelligit: abstractio enim non potest fieri absque cognitione, quia fit cognitiuo modo assumens vnum, & aliud relinquens: Tum quia intellectus est vna potentia integrata ex duabus realitatibus, seu facultatibus.

OBIICIES primò ex Toleto *lib.* 3. *quæst.* 13. Illius potentiæ est intelligere, cuius est recipere species, quibus determinatur ad operandum, & ad actus immanentes: sed id spectat ad intellectum possibilem: vel ergo intellectus agens non intelligit, vel est vnum, & idem formaliter cum possibili.

RESPONDET S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad vlt.* quod intellectus possibilis non est ita passiuus, quod etiam non sit simul actiuus, non tamen vt est agens, cùm non possit speciem abstrahere, nec de specie iudicare nisi adiutorio agentis: similiter nec ipse intellectus agens operationem intelligendi potest perficere, nisi formetur acies intellectus possibilis ab ipso intelligibili, idest nisi recipiatur in ipso species intelligibilis, & ponatur in actu primo: Vnde cùm cogitamus de vtroque, non debemus cogitare vt de duabus substantiis, vel de duabus potentiis realiter distinctis, sed de vna integrata per duas realitates, & vires concurrentes ad vnam perfectam intellectionem: vnde intellectus agens habet abstrahere speciem, & de ipsa iudicare: patiens ipsam recipere, & mediante agente producere intellectionem, & ipsam in se recipere.

OBIICIES secundò: intelligere est vnus actus simplex: ergo est à potentia vna simplici: ergo vel non concurrunt ambæ potentiæ, vel sunt vnum, & idem formaliter.

CONFIRMATVR: Quia idem organum, seu potentia simul cum organo habet vim receptiuam, simul & actiuam, vt patet in oculo fellis, qui potest speciem suscipere, & speciem à se de nouo facere: Item eadem potentia imaginatiua recipit, & operatur: ergo multò magis id potest facere intellectus possibilis absque alia potentia agente, cùm sit spiritualior, & virtuosior.

513. RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *in quæst. cit. lib.* 2. *dist.* 24. quod licèt nostrum intelligere sit vnus actus simplex: ad ipsum tamen possunt concurrere plures causæ subordinatæ, vt sunt, verbi gratiâ, Pater, & Mater ad productionem prolis, quæ causæ exercent diuersas causalitates, nempè intellectus agens abstrahendo, & reddendo obiectum, quod erat potentia intelligibile, ipsum actu facit & intelligibile, & intellectum, & intellectus possibilis recipiendo, & complendo ipsam intellectionem.

AD Confirmat. Respondetur negando paritatem de potentia organica, in qua aliud est formaliter recipiens, aliud est agens, scilicet virtus animæ. Et ad id de oculo fellis

RESPONDETVR id nostrum proba-

re intentum: nam alia dispositione recipit speciem, & alia, qua facit speciem, vel abstrahit luminositatem, sic & in intellectu agente,& possibili: dicunt enim diuersas formalitates: Aliam responsionem etiam affert Seraph. Doct. negando paritatem de organo: nam cùm species defertur à sensu ad imaginationem, non exit genus abstractionis,scilicet à sensibilitate: Vndè in eodem organo potest esse ratio receptiua, & actiua absque abstractione; At cùm species peruenit ad intellectum,exit nouum genus abstractionis, & ideò requiritur potentia abstrahens, estque intellectus agens, & alia receptiua.

Instas: Intellectus agens se habet vt lumen ad colorem, sed lumen terminat suam actionem ad colorem visibilem, non verò ad visum, qui producitur à potentia: ergo intellectus agens post illustrationem nihil agit.

Respondetvr similitudinem non currere, vt dicitur, quatuor pedibus,sed tantùm valere in hoc,quod sicut lux reddit colorem actu visibilem,intellectus verò reddit obiectum actu intelligibile;sed vltra hoc etiam habet actu intelligere, seu cognoscere.

514. Tertia Conclvsio: Intellectus pro statu isto propriè non potest producere species obiectorum, sed solùm Phantasmata depurare, & modificare reddendo ea actu intelligibilia, ipsaque separare, vel iungere cum aliis, & ipsis prolibito vti: Est Seraph.Doct. *locis cit. in* 2. *&* 3. *Notab.* & suprà in quæst. de causis productiuis specierum, est & Guarin. *disp.* 12. *de an. exp.* 10. qui citat Durand, Baconum, Aresium, Themistium Auempace contra Communem, quam tenent, & afferunt Conimb. *cap.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1. qui & citant S. Bonauen. *ex lib.* 2. *distinct.* 3. *art.* 2. *quæst.* 1. *part.* 2. qui nihil tamen ad rem pro ipsis dicit, sed benè oppositum, vt est videre in responsione *ad* 1. *& in corp. in Improb. opin.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. *&* 5. Citant etiam Richard. *ibid. art.* 6. *quæst.* 2. Alensem, Aliosque,sed malè: nam Alensis idem dicit ac Seraph.Doct. Richardus autem videtur fauere oppositæ sententiæ, dum in responsione *ad* 1. notat, quod intellectus agens Angelorum per similitudinem istorum inferiorum instrumentaliter educit de potentia sui possibilis speciem intelligibilem, per quam de nouo habet de se inferiori aliquam cognitionem,sed sensus huius Doctoris est ex iis, quæ ipse tradit, quod intellectus Angelicus posset de nouo recipere species horum inferiorum, ipsasque reddere intelligibiles per depurationem eo modo, quo suprà dictum est.

Probatvr igitur primò:Quia si intellectus posset pro libito proprias species producere, eas etiam possideret independenter à Phantasmate, sicque in amentia iis posset vti, & per consequens nullus daretur amens: ratio enim est independens ab organo, & corrigit sæpè fallacias sensus communis,& Phantasiæ, consequens est falsum, vt de se patet: ergo & antecedens. Tum quia satis obiectum fit præsens intellectui per Phantasma oblatum intellectui: ad id enim ponuntur species: ergo aliæ superfluæ sunt.Tum quia si sensibiles non sufficiunt, maximè ob materialitatem,sed hæc non impedit, cùm & ipsæ sint spirituales, & abstractæ, & possint magis depurari, & spiritualizari.

Digitized by Google

zari. Tum quia species est semen, & virtus obiecti concurrens ad intellectionem: sed sic esset semen, & virtus intellectus, nec exprimeret obiectum, effectus enim exprimit id, à quo producitur.

515. OBIICIES primò: Phantasma est quid corporeum, & materiale: ergo non potest fieri spirituale,& transmutari ab intellectu agéte.

RESPONDETVR negando antecedens, sed dicitur corporeum, quia repræsentat rem corpoream, dicitur materiale, quia repræsentat sensibilia: sed de se est quid abstractum, & spirituale.

INSTAS: Phantasma secundùm suum esse materiale mouet immediatè intellectum agentem, ergo potest immediatè mouere possibilem: ergo frustatoria est illa depuratio.

RESPONDETVR mouere intellectum agentem secundùm id, quod ei proportionatur: cùm enim sit virtus obiecti, obid in eo relucent plures rationes obiecti, quarum aliquæ sunt proportionatæ solùm sensibus, aliæ intellectui, vt sunt quidditates, &c. & dum mouet intellectum agentem, non per hoc mutatur Phantasma ex suo esse, sed ipsum concurrente etiam Phantasia, & simul intellectu multiplicatur, & ex ipso Phantasmate multiplicato per diffusionem modo aliàs dicto, alia species gignitur proportionata, & abstracta, quæ doctrina magis elucidabitur in sequentibus quæstionibus.

516. QVÆRES: an concurrat Phantasma sensus interni ad operationes intellectus?

RESPONDETVR, vt dictum est, concurrere speciem,quæ est in Phantasia, quatenùs se multiplicando, prout est virtus obiecti, protenditur ad intellectum agentem modo suprà allato: Concurrit & species expressa eiusdem Phantasiæ, quatenùs subordinata est intellectui, & ipsam offert eidem intellectui, in quo eadem species abstracta se habet veluti quid materiale ad actiones intellectus: licèt enim Phantasma non sit subiectum, in quo species intelligibilis recipiatur, est tamen subiectum, ex quo eruitur, & circa quod intellectus agens operatur, quicquid dicat Meldul. *disput.6. num.* 98. idque sequitur euidenter ex traditis principiis Seraph. Doct. de diffusione specierum ex obiecto, & ex alia parte species expressa, seu sensatio se habet vt concausa cum intellectu ad productionem speciei intelligibilis, licèt minùs principaliter: quod verò in intellectione sit necessaria conuersio ipsius intellectus ad phantasmata, patet ex traditis in præcedenti quæst. idque de lege ordinaria, & pro statu isto: nam in statu glorioso, & innocentiæ, & in B. Virgine aliter est dicendum:Et hinc etiam oritur obliuio,nempè ex hac dependentia: cùm enim species delebiliter insint in Phantasia, indelebiliter in intellectu: hine sequitur obliuionem oriri ex hac necessaria conuersione ad ipsas species sensitiuas.

QVÆSTIO III.

De Obiecto Intellectus quodnam sit.

517. OBIECTVM alicuius potentiæ aliud est secundùm naturalem inclinationem: aliud secundùm naturalem attingentiam: primum est, quod etiamsi non possit viribus

viribus naturalibus attingi, tamen ad ipsum inclinet potentia, vt est beatitudo: secundum est, quod propriis viribus potest attingi: & hoc aliud est motiuum, aliud terminatiuum: primum est, quod mouet potentiam per immissionem propriæ speciei ad ipsam potentiam, cum qua etiam concurrit ad actum vitalem: secundum est terminatiuum tantùm, non verò mouens, qualis est visio Dei: Quæstio hîc procedit de obiecto motiuo intellectus, quod sit.

Sed hîc vlteriùs est supponendum, quod de intellectu dupliciter est loquendum, primò pro statu isto mortali, in quo dependet à sensibus: secundò secundùm naturam eiusdem intellectus in quocunque statu: Hinc

Prima Opinio est D.Thom. *part.* 1. *quæst.* 12. *art.* 4. *& quæst.* 84. *art.* 7. *& quæst.* 87. *art.* 3. statuentis pro obiecto ens materiale, idest quidditatem rei materialis: quod Aliqui eius Interpretes intelligunt generaliter ex natura potentiæ. Alij verò communiter intelligi debere dicunt de intellectu pro statu isto: sic etiam Scotus *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *& quodlib.* 14. *artic.* 2. Faber. *Theor.* 85. Aliique cum Meldul. *disp.* 6. *n.* 137. *& seq.* Pro obiecto posteà adæquato secundùm naturalem inclinationem intellectus sumpti secundùm naturam suam statuunt ens reale in tota sua latitudine: non verò ens reale vt verum: secundùm naturalem verò attingentiam statuunt ens limitatum, & finitum.

Secunda Opinio est Seraph. Doct. statuentis pro obiecto adæquato intellectus sumpti quocunque modo ens reale sub ratione veri: Idem asserit Ægidius *quodlib.* 4. *quæst.* 10. cum Aliis. Pro solutione quæstionis.

518. Primò Notandum, quod veritas ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8 *part.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 4. *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* potest considerari secundùm se, & absolutè in ente, secundò cum relatione ad aliud: primo modo dicitur indiuisio entis ab esse, siue ab actu absoluto existentiali, siue principiorum primorum intrinsecorum ipsius entis, quibus est verè in se absolutè: & in hoc sensu dixit D. August. *lib.* 2. *sol. cap.* 5. verum est id, quod est, non autem id, quod videtur: Vnde talis veritas est quid absolutum in se: secundo modo respectiuè, scilicet per ordinem ad id, à quo, & ad id ad quem: primò à quo scilicet ad Ideas Diuinas: intantùm enim est veritas aliqua, inquantùm est exemplata ad regulam primæ, & summæ veritatis: secundò ad quem, idest per ordinem ad intellectum, quem habet mouere, idest in quo est nata imprimi, exprimi, & conformari, in quo sensu dixit *cit.* S. August. verum est id, quod ita se habet, vt videtur cognitori: & hinc resultat veritas in intellectu, quæ est conformitas intellectus cum obiecto secundùm se, seu provt habet veritatem in se: idque habet quælibet res ex sui natura propria, cùm ex sui natura sit generatiua suæ propriæ similitudinis, obidque intelligibilis, provt est vera in se: nam vt notat *in collat.* 72. *in Io.* veritas est id, quo res est, & ostendit id, quod est: ex qua doctrina sequitur, quod cùm intellectus specificetur ab obiecto, vel ab ente, quatenùs est ab ipso intelligibile, & attingibile, & cùm sit attingibile, provt est in se, idest, provt habet veritatem in se, ordinabilem tamen ad intellectum, & ad ipsum conformabilem, sequitur, inquam, obiectum

obiectum esse motiuum intellectus, quatenùs est verum, quod etiam aduertit Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* nec hinc sequitur circulus inter obiectum, & potentiam, scilicet dicendo obiectum esse verum, quatenùs est conformabile intellectui, & intellectus est verus, quatenùs est conformabilis cum obiecto: nam diuersimodè sumitur veritas in obiecto, & in intellectu: in obiecto quidem absolutè, in intellectu respectiuè, & per participationem: & hac distinctione conciliantur multa dicta Seraph. Doct. quæ videntur inter se parum constantia, in quibus modò loquitur de veritate secundùm se, modò in ordine ad primam, & summam veritatem, modò in ordine ad intellectum, vt videre est *lib.* 1. *dist.* 8. *cit.* & *dist.* 35. *quæst.* 1. & *seq.* & *dist.* 3. *part.* 1. *dub.* 7. & *distinct.* 38. *art.* 2. *quæst.* 1: *ad* 4. & *dist.* 41. *art.* 2 *q.* 2. & *pluribus aliis locis*, vt dicemus in Metaphysica, sed videatur præcipuè *in Serm.* 3. Hexaëm. §. *vidisti, quomodò ab vno, &c.* vbi altissimè explicat hos tres dictos respectus, item & *Serm.* 4. & 5. His positis.

519. PRIMA CONCLVSIO: Ens sub ratione veri est obiectum adæquatum formale intellectus in quocunque statu: Est S. Bonau. *lib.* 2. *dist.* 39. *dub.* 1. & *lib.* 1. *dist.* 45. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 2. *dist.* 34. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *arg.* 3. *ad oppos.* & *in resp. ad idem*, est & plurium Thomistarum.

PROBATVR primò ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 24. *cit.* Potentiæ distinguuntur per actus, & obiecta, sed intellectus, & voluntas sunt duæ potentiæ distinctæ: ergo & ipsorum obiecta, sed voluntas, & intellectus tendunt in ens: ergo aliquid distinctiuum formale debet superaddi, sed aliud non potest assignari, nisi bonum, & verum: ens enim est quid commune non distinctiuum.

RESPONDET Scotus *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. §. *his visis*, & *quæst.* 20. *de an.* concedendo Maiorem de potentiis non subordinatis, sed voluntas, & intellectus sunt subordinatæ, sicque possunt habere idem obiectum formale, nempè ens sub ratione entis.

CONTRA ex Seraph. Doct. *ibid.* Potentiæ distinguuntur per actus, & inde per obiecta saltem manifestatiuè, sed sunt duæ potentiæ distinctæ formaliter secundùm se, & entitatiuè, & sunt quid absolutum: ergo non sunt subordinatæ quoad suam entitatem, ergo & debent habere distincta obiecta. Tum quia, antequam dicant subordinationem quoad exercitium suorum actuum, sunt in se quid absolutum, & absolutè distinctæ: ergo & ipsarum obiecta.

PROBATVR secundò. Ens eo modo, quo est motiuum intellectus, est obiectum ipsius, sed vt intelligibile est motiuum, & ratio intelligibilitatis est veritas ipsius, id est ratio manifestatiua: ergo tantùm ens est obiectum vt verum: Tum quia illa subordinatio est in ordine ad diuersas formalitates: ergo.

RESPONDENT Scotistæ negando Minorem: non enim visibile in colore est ratio motiua visus, nec audibile auditus, sed est aliquid absolutum, sic nec intelligibilitas, sed est aliquid absolutum antecedens ipsi.

CONTRA: Quia color intantùm dicitur visibilis, inquantùm est color, obidque visibile radicaliter est idem

idem, ac color, sed obiectum intantùm dicitur intelligibile, inquantùm supponitur in ipso veritas absoluta: ergo ens in ratione veri est radicaliter intelligibile, & obid etiam obiectum ipsius intellectus.

PROBATVR Minor: Obiectum ideò dicitur intelligibile, inquantùm potest manifestari à potentia: sed veritas est radix talis manifestabilitatis: ergo: & hinc sumitur intelligibilitas radicaliter, non formaliter, nam formaliter includit ipsam intellectionis formam denominantem, sicque intellectus terminat ad verum intelligibile radicaliter: Addo, & quia intellectus est super se reflexiuus, & super actus suos, ideò etiam potest terminare ad obiectum formaliter intelligibile, & verum formaliter: non sic visus ad visibile formaliter, sed tantùm radicaliter, quia non est sic reflexiuus: Sic & Ariaga *d.8. sect.1. n.3.*

CONFIRMATVR per suprà tradita: quia in specificatione potentiæ debet principaliter attendi ratio tendentiæ in obiectum formale: sed intellectus tendit in ens, vt eius naturam sciat, & intelligat, non vt nesciat, sed scit ipsum, quatenùs cognoscit, sicuti est: ergo vt verum.

OBIICIES primò: Ens præintelligitur ad veritatem, sed in illo priori est cognoscibile: ergo non est obiectum intellectus vt verum.

PROBATVR Maior: Quia veritas est proprietas entis, ergo est quid posterius.

520. RESPONDETVR distinguendo Maiorem: Ens præintelligitur ad veritatem radicalem, nego, ad formalem, transeat, scilicet provt dicit ordinem ad intellectum: præterea præintelligitur vt quid materiale, concedo, vt formale obiectum, nego: & negatur in illo priori esse intelligibile formaliter, sed tantùm radicaliter modo super allato: Nec enim sumitur hîc ens vt verum, provt importat proprietatem consequentem, & formalem distinctam, sed provt dicit expressibilitatem, quæ oritur ex indiuisione principiorum entis, & conuenit ipsi enti vt sic.

OBIICIES secundò: Intellectus apprehendit aliquando falsum: ergo falsa Conclusio.

RESPONDETVR ex Seraph. Doctor. *lib.1. dist.45. art.1. quæst.2. ad 2. & dist.46. art 1. quæst.4. ad 5.* quod cùm falsum scire non sit scire, sed tantùm verum scire: vnde veritas circumplectitur totam potentiam intellectiuam: hinc si cognoscit aliquid, necessariò id cognoscit sub ratione veri: alioquin intellectus necessariò dissentiret, vndè etiam falsitas fundatur super ens verum: sic negatur Consequentia.

OBIICIES tertiò: Intellectus aliquando format ad libitum propositionem falsam, & ipsam cognoscit, ergo falsa responsio: Sic dicendo, Homo est asinus.

HVIC obiectioni ex doctrina desumpta ex Seraph. Doct. *lib.1. dist.8. cit. quæst.2. & lib.2. dist.37. quæst. vlt.* satisfit primò cogitando hominem esse asinum sub ratione falsi, & sic cogito verum: verum enim est hominem non esse asinum, & talis propositio habet veritatem essentialem signi: talis enim propositio formatur ad significandum falsum, licèt careat veritate accidentali, idest, rei in se, & hæc vocatur simplex apprehensio, vt notat *lib.1. dist.8. cit. q.2.* per quam intelligitur, quid est, quod per nomen dicitur: Sic apprehendendo contradictoria de eodem, sed absque

absque iudicio, & assensu: id enim est impossibile. Et hac doctrina satisfit consimilibus obiectionibus desumptis ex falsitate entis rationis, entis negatiui, & similium, in quibus intellectus vel decipitur in cognitione veri apparentis sub ratione veri: vel pro libito efformat propositiones falsas modo suprà allato, quæ in intellectu habent suam veritatem essentialem, licèt careant accidentali: Vide, quæ à nobis ex S. Doct. tradita fuere in Physic. de priuatione *lib.* 1. *ad num.* 159. Et in Logica *à num.* 589.

521. SECVNDA CONCLVSIO: Licèt omne ens reale sub ratione veri sit obiectum adæquatum intellectus, datur tamen aliquod ens contentum sub hoc obiecto, quod non est attingibile ab eodem, licèt ad ipsum habeat naturalem inclinationem: Est S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. & *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *dub.* 8. Vbi probat, quod anima est quodammodò omnia, quia nata est cognoscere omnia, etiam Deum: sed tamen finito modo, non verò comprehensiuo: ad primam enim cognitionem sufficit proportio conuenientiæ, quæ etiam magis completur per lumen gloriæ: ad secundam requiritur proportio æqualitatis, & æquiparantiæ, quæ non potest esse in finito respectu infiniti obiecti, licèt ad ipsum habeat inclinationem, ex hoc quod est expressa similitudo Dei, vt ait *lib.* 1. *dist.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 1. Et hinc *lib.* 2. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5. infert, quod quia intellectus est capax, vt in eo scribantur, pingantur, & imprimantur similitudines omnium rerum huius mundi, ideò vniuersum repræsentat Deum in quadam vniuersitate, & totalitate sensibili: creatura verò rationalis in quadam totalitate spirituali, & in imagine rationali, & aliæ creaturæ irrationales in parte tantùm, scilicet vel in vmbra, vel in vestigio: de quibus *lib.* 1. *distinct.* 3 *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. & alibi dicetur.

522. OBIICIES primò: Quia Deus est perfectionis infinitæ: ergo non potest à potentia finita percipi. Tum quia à Deo non potest abstrahi species: ergo nec potest cognosci, cùm tantùm per species possit cognoscere.

RESPONDETVR, vt dictum est, Deum cognosci finito modo: Et ad id de specie, Respondet S. Bonauen. *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ad vlt.* quod cognoscitur mediante specie, vel lumine innato, obidque per sui essentiam, vt suprà in præced. quæstione.

OBIICIES secundò: Intellectus non potest cognoscere contingentia futura, nec substantias spirituales, nec priuationes, & negationes, licèt sint entia realia, & vera: ergo falsa Concl.

PROBATVR antecedens; non potest cognoscere futura contingentia, quia solus Deus ea cognoscit, nec potest cognoscere substantias spirituales, quia non habent species ipsas repræsentantes: nec mutationes, nec priuationes, quia non immittunt speciem sui.

RESPONDET S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *dub.* 8 quod intellectus ratione possibilitatis est omnia fieri, habetque capacitatem recipiendi, quicquid est intelligibile proportionato modo ipsius entitati: sed quia habet intellectum agentem limitatum, à quo possibilis dependet: ideò quia non habet lumen, quod possit super

super omnia, vt sunt futura: ideò hæc non potest actu viribus naturalibus percipere: ratio est, quam assignat *lib. 2. dist. 7. part. 2. art. 1. quæst. 3. in corp.* quia cognitio pendet à re: ergo si res est incerta & in se, & in sua causa, ideò non potest super hæc contingentia: non sic Deus, cuius cognitio non pendet à re, potest tamen ea percipere Deo reuelante: Ad aliud de Angelis, & de priuatione, &c.

RESPONDET S. Bonauen. *lib. 3. dist. 23. dub. 4.* quod omne, quod cognoscitur, vel cognoscitur per sui essentiam, vt Deus, vel per sui speciem, vt res materiales, vel per rem aliam ab ipso simpliciter differentem, & hoc vltimo modo cognoscuntur Angeli, priuationes, entia rationis, &c. Et hinc sequitur veram esse nostrã Conclusionem, nempè intellectum posse cognoscere omnia entia, & si ea aliquando non attingit, id euenit ob aliquod impedimentum, non quia potentia non sit capax: Modum autem huius cognitionis tradit Seraph. Doct. *in Serm. 5.* Hexaëm. (*§. quarta ergo consideratio*) sic dicens, Anima primò se confert ad cognitionem rerum materialium per sensus, hinc ad res abstractas per intellectum, deinde ad sui cognitionem, deinde intelligẽtiarum separatarum, & tandem Dei per triplex medium, scilicet per ratiocinationem, per cognitionem experimentalem, vltimò per intellectualem, & hoc per species proprias, vel per essentiam rei, vel per species alienas conferendo, componendo, distinguendo, &c. quod & infrà in quæstione septima magis clarescunt, vbi expendemus etiam opin. Thomist. circa ens materiale.

QVÆSTIO IV.

Quomodò cognoscat Intellectus singularia.

523. QVÆSTIO potest proponi de cognitione intuitiua, & de abstractiua: & quoad intuitiuam.

PRIMA Opinio sustinet non posse percipi intuitiuè ab vllo intellectu creato siue coniuncto, siue separato: Sic Vulpes cum Aliquibus.

SECVNDA Opinio est Scotist. asserentium posse attingi à quocunque intellectu siue coniuncto, siue separato.

TERTIA Opinio est S. Bonauen. asserentis posse cognosci intuitiuè ab intellectu separato tantùm: Circa cognitionem abstractiuam.

PRIMA Opinio est Scotist. apud Meldul. *disp. 6. num. 190.* posse cognosci singulare cognitione primaria, & directa, quam sequuntur plures Alij, vt Nomin. Suarez *de an. lib. 4. cap. 3.* Tolet. *lib. 3. quæst. 13.* Ruu. *tract. de intellectu possibili quæst. 3.* vbi mordicus eam sustinet.

SECVNDA Opinio est communis Thomist. cognosci tantùm vniuersale directè, singulare verò indirectè, & reflexè, & hæc est opinio Seraph. Doct. Pro solutione

PRIMÒ Notandum, quod in singulari materiali duo possunt considerari: alterum est ratio materialitatis, seu sensibilitatis: Alterum est singularitas ipsa: primum prouenit ab esse hîc, & nunc, & subiectum quantitati, & qualitatibus sensibilibus, vt docet *lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 2. quæst. 3.*

Digitized by Google

quæst. 3. *in arg. & Serm.* 5. Hexaëm. 5. *quarta ergo consideratio:* secundum est singularitas, quæ importat indiuidualitatem, seu differentiam indiuiduale.

524. Cvm autem, vt aliàs dictum est, apprehendatur singulare, non apprehenditur sub ratione singularitatis, sed naturæ communis, vt Petrus qua homo: Hinc duplex cognitio potest fieri de singulari: alia distincta ipsius cum omnibus conditionibus indiuiduantibus, & materialibus: Alia confusa, estque ipsius singularis sub ratione communi, vt est cognitio Petri, secundùm quod homo, vel vt effectus talibus, & talibus accidentibus, idque est proprium sensuũ: & cùm pro statu isto intellectus non percipiat singulare nisi per sensus, idque abstrahendo, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. hinc sequitur, quod nec potest cognoscere singulare distinctè, & directè, nisi confusè, idest non cognoscit singularitatem, nisi quatenùs includitur in tali homine: non verò prout est principium huius determinatæ singularitatis distinctæ ab alia: Nam, vt rectè Trombet. apud Meldul. *n.* 203. notat, aliud est intelligere singulare sub ratione singularitatis, ita quod singularitas sit ratio intelligendi: aliud est, quod singularitas percipiatur, quatenùs percipitur illud obiectum, in quo est ipsa: Primum enim non admittitur in cognitione primaria: sed tantùm secundum, quatenùs licèt singularitas non immittat speciem sui, & ob id non possit se habere in ratione principij effectiui, potest tamen esse terminus cognitionis reflexæ: His positis sit.

525. Prima Conclvsio: Singulare, seu singularitas secundùm se est directè cognoscibilis ab intellectu distinctè cognoscente non impedito: Est S. Bonauen. *lib.* 4. *dist.* 50. *par.* 2. *quæst.* 1. vbi agens de potentia intellectiua separata dicit, quod per intellectum anima cognoscit res sub conditionibus materialibus præsente materia, & hoc est sensus exterioris, & res sub iisdem conditionibus absente materia, & hoc est imaginationis, & illas etiam res cognoscit abstractis omnibus materialibus, & hoc per vnam potentiam, quæ potens est omnibus his modis cognoscere.

Probatvr autem euidenter: Singulare est intelligibile, & ens verum: ergo continetur sub obiecto adæquato intellectus: Intelligibilitas enim est proprietas consequens ad veritatem rei: ergo dum non impeditur ratione materialitatis coniuncti, potest intelligi actualiter ab intellectu, cùm adsit proportio inter potentiam, & obiectum.

Obiicies primò: Sensus est singularium, intellectus est vniuersalium ex Arist. ergo solùm potest percipere singularia.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5. Arist. docere, quod sensus est singularium solùm, idque conceditur: Intellectus verò est vniuersalium quidem, sed etiam singularium: quare non sumitur illa authoritas cum præcisione: non enim in hoc consistit præcisè differentia harum potentiarum, idest cum præcisione, ita quod singularia solùm spectent ad sensus, cùm sint etiam intellectus.

Obiicies secundò ex Aristot. 2. *de an. t.* 37. & 38. Res intantùm est intelligibilis, inquantùm est immaterialis, sed singulare est materiale: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 4. Arist. docere rem esse intelligibilem, quatenùs concurrit elicitiuè ad cognitionem, & cùm possit concurrere secundùm esse materiale, concurrit secundùm esse immateriale, idest per speciem immaterialem sui: id tamen non impedit, quin possit esse terminus cognitionis secundùm esse materiale; immò ex hoc sequitur necessariò posse cognosci secundùm esse materiale ratione speciei, quæ est virtus ipsius obiecti materialis.

526. SECVNDA CONCLVSIO: Singulare, vt tale est pro statu isto est cognoscibile à nostro intellectu coniunctò confusè tantùm, & actu reflexo: Est S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.* 1. *& lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. vbi affert hanc pulcherrimam doctrinam, qua sufficienter probatur conclusio sic dicens. Quia intellectus coniungitur corpori, ideò habet potentias, secundùm quas dependet à corpore quantum ad operationem, & per quas intellectus, quandiù est in corpore, exit ad exteriora: quia illæ potentiæ sensitiuæ sunt mediæ, scilicet sensus particularis, & imaginatio: quoniam ergo singulare non peruenit ad intellectum, nisi per istas potentias, & assensus per has secundùm abstractionem, & depurationem, & quia abstractio facit de singulari vniuersale, ideò non potest singularia cognoscere, vt intellectus, idest directè, nisi sit separatus *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5. vbi ait, quod sensus est solùm singularium: at intellectus est & singularium, & vniuersalium, quia solus intellectus comprehendit intrinseca principia Petri, & Platonis, circumscriptis omnibus accidentibus dicit eos esse discretos, & distinctos. Hæc Seraph. Doct. per quæ patet singularitatem cognosci ab intellectu actu reflexo, & solùm post cognitionem vniuersalium: ex qua doctrina eruitur ratio efficax ad probandam Conclusionem, Intellectus, dum est coniunctus cum corpore, dependet in operari à sensibus, nec potest aliquid corporeum intelligere, nisi priùs præcognoscatur per sensus, sed talis cognitio fit per abstractionem vniuersalis à singularibus conditionibus, dum transit ad intellectum: ergo directè non cognoscit nisi vniuersale.

527. OBIICIES primò: Intellectus agens abstrahit ab omnibus conditionibus singularibus vniuersale: ergo tunc illas conditiones cognoscit directè.

CONFIRMATVR: Quia in perceptione naturarum Petri, & Platonis cognoscit eos distinctos: ergo & directè cognoscit singularitatem.

RESPONDETVR abstrahere, & simul cognoscere: sed ita quod conuertit se super obiectum proportionatum, scilicet super vniuersale abstrahendo, & simul relinquendo conditiones singulares; obidque ponit differentiam non positiuè, sed negatiuè, quatenùs scilicet cognoscit proprietates vniuersales non competere singulari: sic negatur consequentia.

OBIICIES secundò: Intellectus noster cognoscit pro statu isto inductiuè principia, sicut demonstratiuè Conclusionem ex Arist. *lib.* 2. *Prior. cap.* 19. *& prop. cap.* 20. sed inductio est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale: ergo intellectus

tellectus debet priùs cognoſcere ſingularia.

RESPONDETVR concedendo Maiorem,& Minorem, & negando Conſequentiam: vel diſtinguendo Maiorem : Cognoſcit inductiuè principia ità, quod prior ſit cognitio ſingularium, nego, poſterior, concedo: nam intellectus non poteſt cognoſcere aliquid, niſi dependenter à ſenſibus, obidque abſtrahendo, qua abſtractione factà poſteà comparat vniuerſalia cum hoc, & illo indiuiduo, & hinc inductione poſteà infert Concluſionem.

INSTAT Ruuius: Non poteſt intellectus agens producere ſpeciem in intellectu poſſibili, niſi ſecundùm exigentiam Phantaſmatis, & obiecti per ipſum repræſentati, à quibus modificatur, & determinatur actio eius: ſed Phantaſma non repræſentat naturam vniuerſalem, ſed ſingularem,ac determinatam per tales conditiones materiales: ergo naturaliter eſt impoſſibile, quod concurrat cum intellectu agente ad productionem ſpeciei repræſentantis vniuerſalem naturam: & hoc eſt præcipuum fundamentum Aduerſariorum.

CVI tamen ex dictis occurritur, & ex dicendis in ſeq. quæſt. nempè ſpeciem in Phantaſia repræſentare ſingulare, prout eſt obiectum Phantaſiæ, concedo: prout eſt intellectus,nego. Et ad id, quod non poteſt concurrere, niſi ſecundùm quod eſt, ſcilicet repræſentatiua ſingularis, diſtinguo: prout eſt in Phantaſia, concedo: prout in intellectu agente, nego: eadem enim ſpecies repræſentat vtrumque ſecundùm exigentiam potentiæ, in qua eſt.

528. QVÆRES: quomodò fiat hæc cognitio reflexa?

CAIET. Reſpondet cognoſci ſingulare per quandam conſequentiam, ita *in part.1. quæſt. 86. art.1.* Alij dicunt, quod intellectus cognoſcit vniuerſale, & hinc reflectens ſe ſuper proprium actum, quem videt factum per ſpeciem ortam à Phantaſmate cognoſcit ſic Phantaſma: Seraph. Doct. *lib.2.diſt.24.art.3.quæſt.4. in in prob. 2.Opin.* ait,quod intellectus poſſibilis non eſt merè paſſiuus, ſed eſt etiam actiuus, quia & ſuſcipit ſpeciem, & conuertitur ſuper Phantaſma, & de illo iudicat, ſicque per conuerſionem, ſeu reflexionem cognoſcit poſt vniuerſale ſingulare, quod dictum videtur tamen parum rationabile: ſi enim conuertitur ad Phantaſma de illo iudicando, requirit in ſe ſpeciem proportionatam, quam non habet, cùm ſit tantùm vniuerſalis: ſed per tradita *lib.4. diſt. 50. part.2. quæſt. 1. ad vlt.* explicatur Seraph. Doct. vbi docet, quod intellectus quidem abſtrahendo, & reſoluendo aſcendit ab infimo vſque ad ſupremum, & ſimul ordinando totam lineam prædicamentalem ab indiuiduo percepto per ſenſus ad ſpeciem, & inde ad genera: & deinde deſcendit componendo, ſeu comparando à generaliſſimo vſque ad indiuiduum, & hoc pacto per conuerſionem, ſeu reflexionem, ſeu deſcenſum, & comparationem, verbi gratiâ, naturæ humanæ,animalis, &c. cum hoc, vel illo indiuiduo, in quo iſta recognoſcit, & cum alio, &c. & hinc cognoſcit ſingulare.

529. ADDIMVS ad ſuprà tradita doctrinam verè dignam, quam affert Seraph.Doct. *ib. 1.diſt.28.dub.1.* qua radicitus tolluntur difficultates obiectæ à Ruuio, & Aliis, & pateſit modus cognitionis ſingularium: ait

ait igitur, quod intelligi aliquid præter alterum, poteſt eſſe multipliciter, aut quantum ad intellectum apprehendentem rem perfectè, ſicuti eſt: aut quantum ad reſoluentem, ſeu abſtrahentem: ſi primo modo, non poteſt intelligi aliquid ſine illo, quod eſt ei ratio intelligi, vt Deus præter Deitatem, homo præter humanitatem: poteſt tamen intelligi effectus non intellecta cauſa, & inferius non intellecto ſuperiori: poteſt enim quis apprehendere hominem non intellectis prædicatis ſuperioribus, & hæc eſt cognitio implicita, ſeu confuſa: Alio modo poteſt aliquid præter alterum intellectu reſoluente: ſed quia intellectus reſoluens, ſeu abſtrahens eſt duplex, ſcilicet vel ſemiplenè reſoluens, vel plenè, & completè: primo modo poteſt intelligi aliquid eſſe non intellecto alio: non verò ſecundo modo: Hæc Seraph. Doct. hinc infero, quod cùm proprium ſit intellectus agentis procedere reſolutiuo modo, ſiue abſtractiuè, ſed tamen ſemiplenè: nam abſtractio, & reſolutio plena, quæ eſt cum euidenti collatione, & ratiocinatione, ſpectat ad poſſibilem, vt docet *lib. 2. diſt. 24. cit.* hinc poteſt agens abſtrahere à Phantaſmate rationem vniuerſalem non cognitis ſingularibus, & ſimul apprehendere tale vniuerſale. Et hinc corruit fundamentum Aduerſariorum, qui in hac abſtractione vim totam ponunt, quaſi non poſſit abſtrahi vna ratio, ſimulque cognoſci, niſi cognitis iis, quæ ſunt connexa cum tali ratione, quod eſt falſum in apprehenſione ſemiplena, & imperfecta, qualis eſt illa intellectus agentis, & etiam poſſibilis: quæ veritas etiam magis patebit ex ſeq. quæſtione: Item Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 45.* dicit, quod in cognitione abſtracta per ſenſus cognoſcuntur vniuerſalia, & deinde per hanc vniuerſalem ſpeciem ſe conuertit ad particularia, & hoc per ſimilitudinem vniuerſalem.

QVÆSTIO V.

Quomodò Intellectus cognoſcat vniuerſalia: an per proprias ſpecies: an per ſpeciem ſingularium.

530. QVÆSTIO hæc non procedit de vniuerſali diuerſo realiter, & ſubſtantialiter à ſingulari: certum enim eſt (ait S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 1. in corp.*) ſpeciem vnius rei non poſſe generare ſpeciem omninò differentis rei, & obid non mouetur quæſtio, an verbi gratiâ, cognitio hominis vt ſic generetur per ſpeciem ſenſibilium communium Petri, cùm iſta habeant diuerſas ſpecies ab ipſo ſingulari, vt aliàs dictum eſt: ſed an cognitio hominis vt ſic, ſeu naturæ humanæ habeatur per ſpeciem, verbi gratiâ, Petri, & huius hominis in particulari.

PRIMA Opinio aſſerit ſingularia percipi per proprias, & diuerſas ſpecies, quam probabilem exiſtimant Meldul. *diſp. 6. num. 217.* Aliique cum ipſo.

SECVNDA Opinio eſt communis vtrumque cognoſci per eandem ſpeciem, & hæc eſt Seraph. Doct. & Scotiſt. cum eodem Meldul. qui tuentur hanc vt magis probabilem: cum hac opinione ſunt & Conimbric. *cap. 5. quæſt. 6. art. 1.* aſſerentes eandem ſpeciem

speciem repræsentare vniuersale, & singulare: Sic & Valentia apud Ruuium *cit.* Pro solutione

PRIMÒ Notandum, quod species, cùm sit semen, & virtus obiecti, etiam habet repræsentare obiectum cum omnibus suis conditionibus, & cùm in obiecto adsint plures rationes, verbi gratiâ singularitatis, vniuersalitatis, &c. hinc & habet virtutem ipsas repræsentandi secundùm exigentiam suæ actualitatis, & concursus, quem habet cum potentia: idque suprà, cùm de speciebus egimus, probatum est: sed quia tota difficultas versatur in hoc, quomodò eadem species possit & vniuersale, & simul singulare repræsentare, & præterea quomodò possit vniuersale absque singulari repræsentare: Hinc

531. SECVNDÒ Notandum, quod aliud est singulare cognosci sub ratione singularitatis, ita quod singularitas sit ratio intelligendi: aliud est, quod singularitas dicatur esse obiectum cognitum, aut pars obiecti intellecti: primum non admittimus, nec puto admitti ab Aliis DD. Secundum potest admitti in cognitione confusa, ita quod priùs cognoscatur vniuersale, secundariò singulare, & in hoc stat æquiuocatio Aduersariorum, qui transeunt de vna ad aliam rationem, quod & adnotauit Tromber. *in 7. Met. quæst. 7. art.* 2. & priùs Scotus *lib. 1. dist. 2. quæst. 3. lit. C.*

532. TERTIÒ Notandum, quod dum species vniuersalium est abstracta à singularibus, & inest in intellectu, habet in ipso eandem virtutem, & rationem repræsentatiuam, quam habent species vniuersales rerum infusas à Deo in intellectu Angelico: Vnde eodem ferè modo procedere debent in cognitione singularium ipsi Angeli, & homines: Hinc aduertenda est doctrina, quam tradit Seraph. Doct. loquens de speciebus Angelorum *lib. 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1.* vbi dicit in intellectu Angelico concreatas esse species vniuersales omnium specierum, per quas, quando vult cognoscere aliquid in particulari, dirigit aspectum in ipsam componendo species in se, sicque cognoscit, quæ doctrina malè intellecta à pluribus reiicitur tanquam insufficiens, eo quod si habent dirigere aspectum in singularia, ipsa deberent priùs agnoscere: attamen si rectè intelligatur, nullam difficultatem ingerit, immò plures inextricabiles difficultates in hac materia tollit: Sciendum igitur est, quod cùm in specie adsint plures rationes obiecti in ipsa relucentes: est enim virtus, & semen obiecti, vt suprà, & aliàs dictum est; Hinc in specie duo præcipua consideranda sunt: primùm est fundamentum, siue hypostasis, estque ipsa entitas speciei: Secundum est ipsa extensio, vel modificatio, vel vt dicit *lib. 1. dist. 3. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. & lib. 2. distinct. 16. art. 1. quæst. 1. ad* 4. ipsa quantitas virtutis, secundùm quam in potentia sensibili habet repræsentare rem secundùm exteriorem dispositionem, in spirituali verò etiam intima rei: est enim de se indifferens, quatenùs est vniuersalis ad multa singularia cognoscenda: vt docet *lib. 2. dist. 18. art. 2. quæst. 1. ad* 4. Cùm autem quælibet species tam corporea, quàm spiritualis sit capax nouę modificationis, secundùm quam magis, vel minùs repræsentat vel plures, vel pauciores rationes obiecti: hinc & illa species vniuersalis accedente aspectu, vel collatione cum indiuiduo habet repræsentare & vniuersalem

uersalem, & singularem ipsius naturam cum aliis conditionibus indiuiduantibus: Exemplum habemus in obiecto sensibili, verbi gratiâ, albo tripalmari, cuius vnius duntaxat palmus detectus est, producitur species pupillæ æqualis, quæ est repræsentatiua albedinis illius quasi specificæ spectatæ in omnibus partibus vniformibus, & si posteà reliquæ partes albedinis detegantur, tunc & ipsæ sua virtute concurrunt ad modificandam illam speciem, relinquendo quidem ipsam in sua vnitate quasi specificata, sed tamen modificata, ita quod non facit multiplicare visiones, sed tantùm prima visio remanet modificata: Idem pariter dicendum est de specie vniuersali indifferente, verbi gratiâ, speciei lapidis, hæc est vna, & indifferens, & vniuersalis secundùm suam entitatem, capax tamen modificatione, si detegatur, & exhibeatur singulare: tunc enim eadem species valet repræsentare & naturam communem, & singularitatem: quare in actu primo species repræsentat semper idem, siue obiectum singulare sit, siue transierit, siue sit futurum, quia repræsentat tantùm intima, & naturam communem specificam, at in actu secundo nequaquam: non enim potest repræsentare obiectum singulare, nisi fiat reflexio, collatio, diuisio, & compositio cum ipso singulari: & hinc tollitur infinitas specierum, & noua receptio specierum singularium, quam inferunt ex Doctrina Seraphica Aduersarij, vt ipse Seraph. Doct. aduertit *lib.2. dist.3. cit. de arg.*

Addimus ex Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 45. quod à sensibilibus abstrahit intellectus speciem vniuersalem, & deinde se conuertit ad singularia per eandem speciem vniuersalem: cognoscit enim aliquando visum à longè esse substantiam corpoream, & deinde per motum esse animal, & hinc hominem, & posteà Petrum.

Dices: Ergo per speciem vniuersalem additam intellectui existenti in actu primo poterit cognoscere, & præsentia, & absentia, & præterita, & futura quæcunque æquali modo

Respondetur ex Seraph. Doct. *ibid.* negando consequentiam: nam licèt quoad entitatem species sit completa, tamen in ratione repræsentatiua singularium non est completa, sed indiget modificatione, & extensione, & directione ad ipsa singularia: sicque non potest cognoscere, quod non est, vel quod est in improportionata distantia, & si cognoscit præterita, id est, quia conseruat ipsorum species in memoria; quam difficultatem non ita facilè possunt euadere Aduersarij tenentes species completas esse inditas in Angelis, &c. de quo in Theol. suo loco: hanc eandem doctrinam Seraphicam tradit Theophil. Rainaudus in sua Theol. naturali *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 111. & deinceps ipsam admittunt Vasq. *in part.* 2. *quæst.* 51. *num.* 6. Salas. *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 115. His positis

533. Vnica Conclusio: Vniuersale cognoscitur per speciem singularis, & viceuersa singulare per speciem vniuersalis: est enim eadem: Est. S. Bonauent. *lib.2. dist.17. suprà cit. & dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. *& lib.2. dist.* 3. *cit.*

Probatur primò: Sicut se habet vniuersale in essendo, sic & in repræsentãdo: sed species in essendo est totum esse indiuidui: ergo & in repræsentando: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 3.

dist. 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. Maior est certa, cùm representatio consequatur ad esse rei: Minor est certa in Philos. & Arist.

PROBATVR Secundò: Species est virtus, & semen obiecti: ergo habet virtutem repræsentandi ipsum obiectum, quale est, sed adest in obiecto natura communis, & ipsa indiuiduata; ergo & ipsa habet repræsentare.

CONFIRMATVR: Quia species singularis repræsentat illud quoad omnia sua prædicata magis, & minùs vniuersalia: vnde si species Petri repræsentat hunc hominem, repræsentat etiam hominem simpliciter animal, cùm sint vnum, & idem realiter, & inseparabilia ad inuicem. Tum etiam, quia, vt rectè advertit Trombet. *cit.* alia est abstractio speciei intelligibilis à Phantasmate: alia est vniuersalis à singularibus: Prima spectat ad intellectum agentem: Secunda spectat ad possibilem: Addo ego ex Seraph. Doct. contra Scotum: sed in prima abstrahitur eadem species, prout repræsentat tantùm rationem vniuersalem: ergo & in secunda: ergo eadem species vtrumque valet repræsentare: abstrahere enim propriè est, cùm potentia abstrahens possit vtrũque cognoscere, apprehendit vnum, altero non apprehenso, quod & vterque intellectus agens, & patiens potest præstare, vt suprà probatum est.

534. OBIICIES primò: Eadem species per se repræsentatiua obiecti non potest repræsentare idem sub oppositis rationibus: sed tales sunt vniuersale, & singulare: ergo.

RESPONDETVR negando Minorem: vniuersalitas enim, prout dicit communitatem, & indifferentiam naturæ intrinsecè includitur in singulari, & præsupponitur in ipso: sic negatur consequentia.

DICES: Ergo eadem species repræsentabit modò distinctè, modò indistinctè, distinctè in Phantasia, indistinctè, in intellectu: sed id est impossibile: ergo.

RESPONDETVR concedendo Maiorem, si sumitur primò, & per se: negando secundariò. Tum etiam quia negatur esse eandem speciem propriè, sed dici eandem, scilicet multiplicatam, eandem per ordinem ad obiectum, diuersam per ordinem ad potentias, & cum tali diuersitate benè stat, quod sit simul repræsentatiua per se primò singularis completi, & secundariò naturam communem.

OBIICIES secundò: Species repræsentat naturaliter, quidquid repræsentat, obidque secundùm totam suam virtutem: ergo non potest repræsẽtare naturaliter vnum sine alio.

RESPONDETVR concedendo antecedens, si sumitur secundùm se: at si sumitur, prout habet mouere potentiam, sic negatur, quia mouet potentiam secundùm eam rationem, quæ est potentiæ magis proportionata: obidque secundùm rationem vniuersalis habet primò mouere intellectum.

OBIICIES tertiò, cum Ruuio: Species coadiuuans intellectũ agentem est Phantasma, sed Phantasma repræsentat tantùm singulare, ergo & in intellectu agente, cùm sit idem cooperans, repræsentabit singulare.

RESPONDETVR distinguendo Minorem: Phantasma in Phantasia repræsentat singulare sub ratione singularis, idest cum conditionibus materialibus, concedo; prout circa illum negotiatur intellectus, repræsentat singulare cum conditionibus

singularibus, & materialibus, nego: sub ratione communi, & immateriali, concedo: & in hoc stat, vt puto, hallucinatio Ruuij, Aliorumque, quia aliud est cognoscere singulare sub ratione singularitatis, & conditionum singularium, & materialium: id enim spectat ad sensum: aliud cognoscit idem singulare sub ratione communi relucente in ipso, & hoc admittimus in intellectu. Vnde prima ratio obiectiua in sensu est singularitas, in intellectu est vniuersalitas, scilicet ratio communis: & ratio est, quam affert Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. *&* *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. quia Phantasma exit genus abstractionis, & quia negotiatio intellectus agentis est secundùm abstractionem spiritualem depurando obiectum à materialitatibus: Hinc Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. quod pro statu isto duplex abstractio fit ab intellectu agente, seu potiùs ad duplicem fit abstractio talis, scilicet ad generandum habitum, ponendumque intellectum possibilem in actu primo, & ad iudicandum de obiecto repræsentato per speciem: idque exigit depurationem à conditionibus materialibus.

535. Dices cum Trombeta ex Scoto *lib.* 2. *dist.* 9. *quæst.* 1. *& lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. à Mastrio *cit. num.* 201. Alia est abstractio speciei intelligibilis à Phantasmate: alia vniuersalis à singulari: prima fit ab intellectu agente: secunda à possibili: prima, cùm extrahatur à Phantasmate, non potest non esse singularis, cùm Phantasma sit singularis, & repræsentans singulare: secunda verò fit, quando consideratur natura secundùm se communis, fitque vniuersalis ab intellectu possibili: ergo per diuersas species cognoscitur singulare, & vniuersale.

Respondetur, quod quando hîc loquimur de vniuersali, non sumimus vniuersale Logicum, sed vniuersale Metaphysicum, scilicet naturam secundùm se indifferentem ad fieri vniuersalem, & ad contrahi ab extra à differentia indiuiduali, & hæc, vt dictum est, relucet in Phantasmate, & ab intellectu agente abstrahitur, negaturque tunc repræsentare tantùm singulare, sed repræsentat singulare sub ratione vniuersalis in Phantasmate relucentis. Et ob id semper firma stat nostra Conclusio, quod per eandem speciem cognoscitur in Phantasia singulare, & in intellectu vniuersale: licèt verè non possit dici propriè eadem species, nisi penes suum originale principium, sed tantùm eadem multiplicata, vt aliàs dictum est; & in hoc sensu concedimus fieri has cognitiones per diuersas species, & quando per reflexionem intellectus cognoscit singulare, id facit per eandem speciem vniuersalis priùs cogniti: quæ doctrina est diligenter aduertenda, nam facilis est hallucinatio, & transitus à Phantasmate cognito à Phantasia ad idem secundùm rationem vniuersalis perceptum ab intellectu agente, & quando per eandem speciem fit conuersio ad singulare, per quam modificatur, & veluti extenditur per eandem conuersionem ad singulare cognitum per reflexionem.

QVÆS

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit primum cognitum inter vniuersalia.

536. QVÆSTIO hæc ferè ab Omnibus pertractatur in principio Physicæ: sed quia ibi est extra suam sphæram, est enim purè animastica: Nos ad hunc locum suum proprium ipsam transtulimus: In qua tamen Aduerte hîc non fieri comparationem inter vniuersale, & singulare: suprà enim satis disputata est hæc Quæstio: nec item esse sermonem de cognitione actuali: vnde communiter dicitur quæstio de primo cognito, non de primo cognoscibili, scilicet non de cognitione habituali, vel virtuali: hæc enim cùm supponat habitum factum ex actibus præcedentibus, nec est prima primitate originis, obidque nec de hac quærimus: sed de prima apprehensiua, non quidem complexa, sed simplici: certum enim est simplicem præcedere complexam: Hæcque item non sumitur pro cognitione simplici distincta siue actuali, siue potentiali: certum enim est, quod in potentiali distincta priùs cognoscimus vniuersalia, verbi gratiâ, si habeo cognoscere genus distinctè, oportet cognoscere per species subiectas, sicut etiam certum in cognitione actuali distincta magis vniuersale esse priùs cognitum: priùs enim cognoscuntur partes, quàm totum, vt genus, & differentia, quàm ipsum definitum, quod & notauit Seraph. Doct. *lib.2. distinct.3. art.1. quæst. 2. fund.5.* Certum est etiam, quod comparando cognitionem confusam cum distincta, præcedit in eodem genere, verbi gratiâ, cognitio confusa animalis, & distincta eiusdem.

QVÆSTIO igitur reducitur ad cognitionem actualem, & potentialem confusam, quodnam sit primum cognitum vniuersale primitate originis, verbi gratiâ, in cognitione potentiali confusa vniuersalis primum, quod nostro intellectui sese naturaliter offert, sit magis, vel minùs vniuersale genus, an species: & in actuali confusa, verbi gratiâ, videndo Petrum à longè, an priùs cognoscatur in eo ratio hominis: an animalis, an corporis, an entis, in qua

PRIMA Opinio est Thomistarum communis asserentium magis vniuersale esse primum cognitum primitate originis, adduntque esse vniuersale non præcisum omninò à singularitate: vnde volunt primum cognitum non esse, verbi gratiâ, ens vt sic, sed hoc ens, hoc corpus, &c.

SECVNDA Opinio asserit non posse assignari regulam in hoc, sed modò percipi magis vniuersale, modò minùs, prout sensus operatur, & illud magis sensui, vel minus appropiat: Sic Zimar. Auersa, Alijque.

TERTIA Opinio est Scoti, & Sequac. & Aliorum etiam asserentium primum cognitum in cognitione actuali, & potentiali confusa esse speciem specialissimam: Pro solutione

537. PRIMÒ Notandum ex *lib. 1. dist.8. part.2. dub.1.* quod aliquid potest dici magis notum vel naturaliter, vel respectu nostri: primo modo sunt vniuersaliora, & remotiora sensibus, vt Deus, Angeli, & ens: naturaliter enim est priùs cognitum magis vniuersale, quàm minùs vniuersale, vt

aduertit Seraph. Doct. *lib.2. dist.3. cit.* & ratio est, quia magis vniuersalia sunt perfectiora, obidque & perfectiorem cognitionem ingerunt: obidque naturaliter primitate perfectionis sunt priora: secundo modo sunt notiora, quæ sunt proximiora sensibus, & singularibus conditionibus, vt docet Seraph. Doct. *lib. 1. dist.3. art.1. quæst.1. ad 2.* quia enim intellectus noster in cognoscendo dependet à sensibus, hinc magis sensibilia sunt notiora nobis: & hinc aliqua possunt esse notiora natura, & minùs notiora nobis: aliqua notiora vtroque modo, vt sunt vniuersaliora corporea: prout enim sunt vniuersaliora, sunt notiora natura: prout sunt corporea, sunt & nobis: & hinc dixit S. Bonau. *lib. 2. dist.18. art.1. quæst.3. cit.* quod priùs est genus, quàm species, & priùs generatur animal, quàm homo, & quod nobis innata est via cognitionis ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia, progressus enim cognitionis assimilatur progressui naturæ.

538. SECVNDÒ Notandum, quod & aliàs traditum est, nempè intellectum nostrum dici veluti tanquam tabulam rasam, in qua nihil est depictum: quod tamen sano modo debet intelligi, ait Seraph. Doct. *lib.2. dist.39. art. 1. quæst.2. in fine, & lib.4. dist.4. part.2. art.2. quæst.2.* scilicet non quod non sit in intellectu nulla notitia, sed quia nulla est pictura, vel similitudo abstracta: certum enim est adesse in ipso species impressæ, quæ à D. August. nomine lucis, vel luminis innati, & iudicatorij explicatur, quo mediante intellectus absque vlla receptione specierum nisi ipsorum terminorum explicantium quidditatem cognoscibilium, vt aduertit *lib.1. dist.8. part.1. art.1. quæst.2.* *in corp. & Serm.3. Hexaëm.* (*§. oportet ergo*) absque vlla persuasione cognoscuntur dignitates, & prima principia: Respectu autem rerum in particulari indigemus propriis speciebus, & simul aliqua persuasione, & inductione, vel ratiocinatione: vide infrà tradenda.

539. PRIMA CONCLVSIO: Inter vniuersalia magis vniuersalia, quæ important rationem primorum principiorum, & quorum cognitio est nobis innata, sunt primò cognita à nobis cognitione innata, & naturali, confusaque: Est S. Bonau. *lib. 2. dist. 39. cit.*

RATIO euidens est, quia ad horum cognitionem non requiritur abstractio specierum ab obiectis sensibilibus nisi respectu terminorum ipsa explicantium, sed est nobis innata ralis cognitio: ergo sunt prima cognita. Hinc infert Seraph. Doct. naturaliter hominem cognoscere dari aliquam primam causam, scilicet Deum, dari virtutes. Tum quia naturaliter habitâ notitia primorum principiorum tum cognoscibilium, tum operabilium, quæ sunt nota lumine naturæ, statim assentitur necessariò intellectus, ergo.

DICES Seraph. Doct. exigere in notitia harum veritatum perceptionem aliquorum sensibilium ex sensibus promanantium: ergo non immediatè assentitur intellectus ipsis.

RESPONDETVR ex eodem Seraph. Doct. requiri perceptionem specierum ipsorum terminorum, verbi gratiâ, quid significent isti termini, omne totum est maius sua parte: Parentes sunt honorandi, at id non officit nostræ Conclusioni.

540. SECVNDA CONCLVSIO: Inter

Inter vniuersalia, quæ mediis sensibus percipiuntur in cognitione actuali confusa primum cognitum est conceptus specificus, cum hoc tamen discrimine, quod in perfecta applicatione primum cognitum est conceptus speciei specialissimæ: in imperfecta, & potentiali est magis vniuersale sensibile.

PRIMA pars probatur argumento Scoti: Quia causa naturalis non impedita perfectiorem edit operationem, quam potest: ergo & intellectus, sed perfectior operatio est cognitio speciei specialissimæ: ergo. Tum quia ex Arist. 1. *Phys. t.3.* sunt nobis primò nota magis confusa, at specialissimum est magis confusum, cùm in eo plures naturæ vniuersales, quasi commixtæ,& confusæ reperiantur: ergo. Tum quia intellectus primò fertur in obiectum, quod primò proponitur per notitiam sensitiuam à sensibus, sed istud est species specialissima, verbi gratiâ, hic color exhibet primò notitiam coloris vt sic: ergo, idque patet sensibus; nam si ignis tangitur à puero, hic fugit ignem ob calorem cognitum, non quia sit ens.

THOMISTÆ varias adhibent responsiones, quas videre quisque potest apud Meldul. *disp. 6. num.* 238. quasque ipse solidè confutat: Hinc

PROBATVR secunda pars: Quia ex Seraph. Doct. in Comp. Theol. *cap.* 45. vbi non obscurè asserit has duas partes Conclusionis, sed clariùs hanc secundam dicens, quod in cognitione distincta, in qua abstrahitur vniuersale, fit abstractio à singularibus: ergo primum cognitũ est species specialissima, vt suprà probatum est: è contra in vniuersali confuso (scilicet in cognitione imperfecta) per vniuersalia sensibilia venimus in cognitionem minùs vniuersalium, & particularium, sicut patet, quando videmus hominem à longè, tunc cognoscitur substantia corporea, & patet per motum esse animal, & inde esse hominem, & tandem esse Petrum.

PROBATVR autem euidenter: Illud est primum cognitum in cognitione confusa imperfecta, cuius accidentia priùs mouent sensum, sed talia sunt accidentia magis vniuersalis sensibilis, scilicet corporis: ergo.

541. OBIICIES primò cum Thomistis: In cognitione actuali distincta priùs cognoscuntur partes, quàm totum, ergo in confusa, & imperfecta cognoscitur ex opposito priùs totum, quàm partes, sed hoc totum est ens vniuersalissimè sumptum, vt quid potentiale ad omnia inferiora: ergo ens vniuersalissimè sumptum est primum cognitum.

NOTAT *hic num.* 251. Meldul. Ferchium valdè laborare in responsione ad hoc argumentum, ipseque respondet Thomistas laborare æquiuocatione: nam non sumunt ens vt sic, sed hoc ens, hanc substantiam, & sic exeunt sphæram quæstionis, quæ non est de vniuersali indiuiduato, sed præscindente à singularitate: nam in vniuersali indiuiduato ens se habet potiùs vt pars totius potentialis: & hinc nihil concludit contra nostram Conclusionem, quæ est de toto potentiali mouente intellectum per sensus, & dicimus, quod in cognitione perfecta primum cognitum est species specialissima: in imperfecta est substantia corporea.

INSTANT: Ens est immediatum obiectum intellectus: ergo id est primò cognitum.

RESPON

Respondetur concedendo antecedens de intellectu vt sic, negando de intellectu dependente à sensibus: Tum etiam quia, vt notat Mastrius, verificatur instantia de obiecto cognito cognitione collectitia: nempè cui præcedit cognitio talium prædicatorum, cuius vi dicimus illud esse ens, substantiam, corpus, &c. sed non de cognitione originaria, & simplici absque discursu, est enim rei ostensæ per sensus, & per sensibilia accidentia, licèt si consideramus naturam potentiæ intellectiuæ præscindendo à statu isto, possit dici ens esse primum cognitum primitate adæquationis, non originis, secundùm quod dependenter à sensibus habetur cognitio: qua distinctione potest satisfieri omnibus obiectis.

QVÆSTIO VII.

An intellectus pro statu isto cognoscat substantiam per propriam speciem, an per alienam: Vbi de cognitione rerum insensatarum, & spiritualium.

542. Svpra *in quæst.* 3. recitauimus opinionem Thomistarum ponentium pro obiecto intellectus pro statu isto ens materiale, seu quidditatem rei materialis, huc que retulimus huius sententiæ considerationem: Hinc hac occasione (vt meliùs dignoscatur quidditas obiecti adæquati intellectus) Quæritur, an intellectus pro statu isto rectè cognoscat substantiam materialem, & dato, quod ipsam cognoscat; an per propriam speciem immissam ab ipsa substantia: an per alienam: qua occasione etiam elucidabitur modus, quo cognoscit insensata, & spiritualia.

Prima Opinio est Scoti, & Sequacium apud Mastrium *disput.* 6. *num.* 158. negantium posse intellectum pro statu isto attingere substantiam sub propria eius ratione per propriam speciem, quam & amplexantur Ruuius *tract. de Intellect. possib. quæst.* 4. Auersa, Aliique recentiores.

Secvnda Opinio est Thomæ, & Sequacium ex opposito id affirmantium; eo quia propria species substantiæ ab intellectu agente elicitur, vel ex proprio Phantasmate substantiæ, vel ipsorum accidentium substantiæ: Sic etiam Conimbric. 3. *de an. cap.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1. Alijque. Hanc esse opinionem Seraph. Doct. firmiter existimo, licèt ex diuersis principiis à Thomistis, vt mox patebit: Pro solutione quæstionis

543. Primò Notandum, quod, vt aliàs in superioribus traditum est ex Seraph. Doct. *Serm.* 11. *Hexaëm. aliisque locis cit. part.* 2. *tract.* 1. *quæst.* 3. & præcipuè *in quæst.* 4. species intentionales non educuntur ex potentia subiecti, in quo recipiuntur, sed aliud habent pro causa originali, aliud pro subiectò: vnde cùm quælibet res habeat propriam vim productiuam suæ similitudinis. Idem dicendum est de substantia corporea, & hoc maximè virtute lucis substantialis in ipsa existentis; tribuentis ipsis miram virtutem, & fœcunditatem: cùm enim id habeant accidentia dependenter ab ipsa substantia, multò magis id habet substantia, & quia ab ipsa substantia simul cum tali specie exit virtus proportionata faciens ipsam diffundi, & multiplicari per medium, & inde transire ad potentias tum

Digitized by Google

tum externas, tum internas: hinc & dicendum est intellectum intelligere obiecta substantialia virtute specierum propriarum.

544. Secundò Notandum ex Toleto apud Ruuium *lib. 3. de an. tract. de Intellect. possib. quæst* 4.*n.*135. quod prima cognitio intellectus pro statu isto non est conceptus solius accidentis, vel solius substantiæ, sed totius coniuncti, aggregatique ex substantia, & accidente: Vnde Phantasma duplicem speciem, immò multiplicem speciem continet, licèt per modum vnius repræsentetur totum illud coniunctum, v. g. album, scilicet speciem albedinis, item & sensibilium communium, item & substantiæ: & licèt à Phantasia ob suam incapacitatem non percipiatur ratio substantiæ, percipitur tamen ab intellectu ob suam capacitatem, & maximè coadiuuantibus speciebus accidentium: Vnde conceptus intellectus ipsorum accidentium, & substantiæ non est absolutus, sed connotatiuus: ratio autem huius positionis potest adduci, quam refert Seraph. Doct. *lib.*1.*dist.*36. *art.*2. *q.*2. *ad vlt. & lib.*2. *distinct.*18. *artic.*1. *quæst.*3. *ad* 3. nempè quia eadem principia essendi sunt, & cognoscendi, diuerso tamen modo, nam ad esse concurrunt per seipsa, sed ad cognosci concurrunt per suas species, obidque & eo modo, quo sunt in rerum natura: cùm autem sint accidentia, & substantiæ simul coniuncta, hinc & coniunctim immittunt speciem, & vnitim concurrunt ad cognitionem. Vide, quæ suprà tradita sunt *à n.* 372.

545. Tertiò Notandum, quod, vt aduertit S. Bonauent. *lib.*2. *dist.*10. *art.*3. *quæst.*1. *in corp. & lib.*4. *dist.*50. *part.*2. *quæst.*1. anima, dum est in corpore, est etiam alligata aliquo modo quoad vsum potentiarum, & præcipuè intellectus: vnde licèt ex natura sua possit per se distinctè percipere, & cognoscere omne ens intelligibile, vt patet in anima separata, tamen ob impedimentum corporis, & dependentiam à sensibili cognitione, vt plurimùm acquirit cognitionem confusam, & imperfectam rerum insensatarum, & hoc vel per discursum, vel per actus reflexos: nam, vt subdit *Serm.*5. *Hexaëm.* anima se primò confert ad cognitionem rerum materialium per sensus perceptarum, & in harum cognitione cognoscit distinctè accidentia, inde conuertitur ad substantiam non per speciem accidentium nisi instrumentaliter, sed per speciem propriam: sed quia non potest per proprias species, nec accidentium cognoscere ea, quæ sunt immunia ab accidentibus corporeis: hinc (ait Seraph. Doct.) conuertitur ad sui, suorumque actuum cognitionem, deinde intelligentiarum separatarum, deinde Dei, & hoc per triplex medium, scilicet per ratiocinationem: secundò per cognitionem experimentalem: & tertiò per intellectualem adiutam præcipuè à reflexione actuum, vel à speciebus alienis, & appropriatis, vel propriis, vel à lumine innato: Ex qua doctrina elucescit modus, quo anima intelligit substantias materiales, & corporeas, & etiam immateriales: His positis

546. Prima Conclusio: Intellectus cognoscit substantiam corpoream non solùm per conceptum proprium, sed & per speciem propriam, coadiuuantibus tamen speciebus accidentium sensatorum: Est S. Bonauent. *suprà cit.* & in quæst. de causis productiuis specierum sen-

ſibilium *part.2. de an. tract. 2. quæſt.4.*

PROBATVR primò: Quia ſubſtantia corporea habet vim productiuam ſuæ ſpeciei, & intellectus vim receptiuam, ſed nihil aliud requiritur ad cognitionem: ergo. Probatur prima pars Maioris: quia ſi id habent accidentia, & hoc in virtute ſubſtantiæ, multò magis habet ſubſtantia: Secunda pars eiuſdem Minoris patet: eſt enim capax recipiendi quamcunque ſpeciem.

PROBATVR ſecundò: Anima ſeparata immediatè cognoſcit ſubſtantiam abſque auxilio, & concurſu Phantaſmatum; ſed non poteſt ipſam percipere, niſi ponatur in actu primo per ſpeciem: ergo ſubſtantia immittit ſpeciem.

CONFIRMATVR: Quia ſi aliquid de nouo crearetur, cuius ſpecies non haberet, ipſas perciperet de nouo: idque probat Seraph. Doct. de anima ſeparata *lib.4. diſtinct.50.cit.* & de Angelo *lib.2.diſt.3.part. 2. art.2.q.1. in corp.* vbi docet Angelum recepturum nouam ſpeciem ſubſtantiæ vltrà innatas, ſi Deus aliquam nouam ſubſtantiam crearet: igitur habet vim productiuam ſuæ ſpeciei: Tum quia perirent omnes ſcientiæ, quæ ſunt per proprias, & immediatas cauſas: Tum quia intellectus quidditatiuè diſcernit ſubſtantiam ab accidente: quæ omnia ſunt tacta in citata quæſtione.

547. OBIICIES primò cum Maſtrio *diſp.6. num. 158.* Omnis noſtra cognitio ortum habet ab accidentibus ſenſibilibus: ergo per ſpecies accidentium: Probatur Conſequentia: nam antecedens eſt certum, cùm nihil ſit in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu: nam intantùm intellectus agens abſtrahit ſpeciem intelligibilem, inquantùm concurrit, vel ei porrigitur à Phantaſmate: ſed hoc eſt ſolùm accidentium, & ab ipſo determinatur ad obiectum: ergo.

RESPONDETVR diſtinguendo antecedens: Omnis noſtra cognitio ortum habet ab accidentibus, ita quod ſolùm habeantur ipſorum ſpecies, nego: ita quod ipſorum cognitio tranſeat ſenſibiliter per ſenſus, & quod talis cognitio coadiuuet intellectum ad cognitionem ſubſtantiæ, concedo modo ſuprà allato, &c. Et ad id, quod intellectus determinatur à Phantaſmate.

RESPONDETVR illud Phantaſma continere duplicem ſpeciem per modum vnius, vt dictum eſt, & licèt determinetur ab accidente: tamen hinc non ſequitur intelligere ſubſtantiam per ſpeciem accidentis.

DICES: Pro ſtatu iſto non habentur definitiones propriæ ſubſtantiarum: ergo nec immediata cognitio per propriam ſpeciem: deſcribimus enim ipſas per varia accidentia.

RESPONDETVR nec Nos habere definitiones accidentium: vnde ſequeretur ex hoc nec etiam Nos percipere accidentium ſpecies: quare hæc illatio non valet: Addo, quod cùm talis cognitio ſit confuſa, & imperfecta: hinc nec poſſumus habere perfectas definitiones.

548. SECVNDA CONCLVSIO: Immaterialia, & ſpiritualia cognoſcuntur à nobis non per ſpeciem abſtractam ab ipſis, ſed vel per ſui eſſentiam, vel per ſpeciem, ſiue lumen innatum, vel per ſpeciem appropriatam, & effectus.

HIC tamen eſt aduertendum, quod hæc inſenſata ſunt diuerſa, obid etiam diuerſo modo eſt diſcurrendũ

de

de modo cognitionis ipsorum: hinc & Seraph. Doct. assignat diuersa media. Ista igitur insensata sunt, primò Deus, secundò Angeli, tertiò eadem anima, quartò proprii actus, & aliarum potentiarum habitus, & virtutes: Hîc & subiicimus tot conclusiones sequentes per aliqua quæsita, quibus satisfit, & tota hæc Conclusio explicatur.

Quæres primò: quomodò Deus cognoscatur ab intellectu pro statu isto, an per speciem propriam: an per alienam? In hac quæstione Aliqui negant speciem propriam, & simul etiam conceptum proprium non solùm Dei, sed & cuiuscumque rei spiritualis: Alij admittunt non solùm conceptum proprium, sed etiam speciem propriam: Sic Scotus, & Sequaces apud Meldul. *disp.6.num.*169. D. Thomas admittit conceptum proprium, & negat speciem propriam: Sic apud Ruuium *hîc quæst.*5. *num.*157.

S. Doct. negat speciem propriam abstractam, sed admittit innatam, quæ tamen cùm pro statu isto non sit de se sufficiens ob dependentiam, quam habet intellectus à Phantasmatibus (est enim semiplena cognitio tantùm, vt ait S. Bonauent. *Serm.* 3. *Hexaëm.* §. *oportet ergo*) exigitur adiumentum desumptum ab istis sensibilibus, vt fiat perfecta conceptio de Deo: Sic *lib.*1.*dist.*3.*part.*1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & ad vlt.* vbi docet, quod Deus est cognoscibilis à creatura, non tamen perfectè nisi per deiformitatem: quod verò imperfectè: patet, quia intellectus noster est informatus à sui conditione notitia quadam, quæ est veluti similitudo quædam non abstracta, sed impressa, inferior Deo, quia est in natura inferiori, superior tamen anima ipsa, quia facit ipsam meliorem: & *lib.*1. *dist.*8. *part.*1. *art.*1. *q.*2. probat acutissimè nullum intellectum posse cogitare Deum non esse, cùm in quacunque anima sit cognitio Dei impressa à Deo.

549. Ex quo sequitur, quod ab intellectu nostro potest haberi conceptus proprius Dei: sed quia iste conceptus est valdè imperfectus, obidque & indiget adiutorio: hinc datur aliud genus cognitionis de Deo, nempè cognitio Dei per creaturas, & hæc est duplex, ait S. Bonau. *lib.*1.*dist.*3.*cit.q.*2. *ad* 1. nempè per viam negationis, & per viã positionis, & affirmationis: primo modo remouendo à Deo imperfectiones creaturarũ, vt esse immensum, infinitum, incomprehẽsibilem: secundo attribuendo Deo, quicquid est perfectionis in creatura ablatâ imperfectione: vt sapientia, bonitas, iustitia, essentia, & hoc pacto cognoscitur Deus per creaturas, vel per modum vestigij, vel per modum imaginis: de quibus fusè agitur in Theologia: & S. Bonau. *lib.*1. *dist.*22. *quæst.* 3. hæc omnia explicat altissimè dicens: quædam sunt nomina, quæ significant rem, cuius veritas est in Deo, & oppositum in creatura, vt est æternum, immensum, &c. (hæcque cognitio est per uiam remotionis) quædam significant rem, cuius veritas est in Deo, & similitudo in creatura, vt potentia, sapientia, voluntas, &c. & quædam significant rem, cuius veritas est in creatura cõsimilis proprietas in Deo, vt lapis, Leo, scilicet stabilitas, fortitudo, quæ verè est in Deo, sed esse lapidem, Leonem est in creatura: Ex quibus infertur, quod Dei cognitio est nobis innata, idest per speciem innatam, siue per lumen innatum, quod additum cognitioni acquisitæ

by Google

per sensus in creaturis facit nos posse habere conceptum proprium de Deo, licèt non exprimentem totaliter quidditatem Dei per propriam speciem abstractam.

Prima pars patet: Quia talis conceptus de Deo non potest alteri rei adaptari: ergo est proprius Dei: patet enim istos conceptus, verbi gratiâ, sapientiæ infinitæ, immensitatis non posse alteri applicari.

Secunda pars etiam patet: Quia à Deo immittitur species abstracta: est enim substantia supra omnem imaginationem: obidque mouet intellectum independenter ab ipsa imaginatione: Hincque cognoscitur per suam essentiam *lib. 2. dist. 18 artic. 2. quæst 1. in corp. in fine*, quod tamen examinatur fusè in Theologia: Addimus, quod nec Angelorum habemus cognitionem nisi per conceptus desumptos ab his rebus corporeis, nempè vel per viam negationis, vel positionis: Idem enim dicendum est, & eodem modo discurrendum de ipsis, ac de Deo, proportionaliter tamen, &c.

550. Quæres secundò: An anima pro statu isto seipsam, & proprios actus, & voluntatis cognoscat?

Prima Opinio est Heruæi, & Valentiæ apud Ruu. *quæst. 6* affirmantis animam cognoscere se ipsam per suam substantiam, etiam in statu hoc mortalitatis: idemque asserit de suis actibus, & etiam voluntatis.

Secunda Opinio negat de cognitione propriæ quidditatis: affirmat de actibus propriis, & potentiarum: Seraph. Doct. est cum prima opinione, semper enim est totus in hoc, quod anima rationalis seipsam videt, & proprios actus: Sic *lib. 3. dist. 27. art. 1. quæst. 1. in corp. & dist. 14. art. 1. quæst. 1. ad 3. & lib. 3. dist. 33. art. 1. quæst. 2. ad 3. & lib. 2. distinct. 3. part. 2. art. 2. q. 2. ad 3. & dist. 8. p. 2. quæst. vlt. ad vlt. & dist. 25. part. 1. art. 1. quæst. 1. & quæst. 3. in corp. & lib. 1. dist. 17. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad vlt. & Serm. 3. Hexaëm.* (*§. oportet ergo*:) *& Serm. 5.* (*§. quarta ergo consideratio*,) *& alibi pluries*: Ratio autem potissima, quam adducit Seraph. Doct. *in loc. cit.* est, quia potentia cognoscitiua tunc cognoscit, quando habet obiectum præsens, & super illud potest ex eo, quod non est impedita, sed anima rationalis est sibi præsens, sic & eidem proprij actus sunt præsentes, & itidem proprij habitus, & super seipsam, & proprios actus, & habitus potest: ergo. Maior est certa in quacunque potentia: Minor probatur. Anima ex eo, quod caret materialitate, scilicet extensione, est super se reflexiua, & super proprios actus: non sic potentiæ organicæ, in quibus aliud est subiectum, in quo recipitur species, & aliud est principium operans: illud est extensum entitatiuè: istud est extensum quoad operationem, sed actus, & habitus, & potentiæ rationalis animæ sunt eidem coniunctæ vel per identitatem, vel per subiectionem cum anima: ergo est sui, & suorum actuum cognoscitiua.

Respondet Ruuius *hic quæst. 7. num. 297.* concedendo talia esse præsentia animæ in ratione causali, scilicet quatenùs concurrunt simul cum ipsa ad producendos actus, vel quatenùs sunt effectus ipsius: non verò præsentia obiectiuè, & sub ratione motiua, & immutatiua.

Contra ex Seraph. Doct. Illud est potentiæ alicui præsens obiectiuè, quod includitur in ratione obiecti adæquati ipsius, & super quod potentia

Digitized by Google

potentia potens est tendere, sed talis est anima rationalis respectu sui, & tales sunt actus, & habitus ipsius: ergo sunt præsentia obiectiuè.

Probatur Min. quia certum est verificari in anima separata, sed & idem dominium habet, licèt non cum tanta perfectione, dum est in corpore: ergo.

Respondent negando paritatem de anima separata, & dum est in corpore, à quo dependet in cognoscere per species sumptas à Phantasia.

Contra: Anima independenter à corpore amat seipsam, & proprios actus: ergo & cognoscit: sunt enim potētiæ identificatæ, & subordinatæ. Tum quia etiam in corpore anima est super se reflexiua, & super actus suos, cognoscit enim se cognoscere: Item cognoscit quidditatem actuum, verbi gratiâ, an sit simplex apprehensio: an iudicium: an discursus. Tum quia actuum præteritorum recordamur: ergo certa est remansisse speciem ipsorum in memoria, per quod corruit responsio Ruuij, qui dicit non esse propriè reflexionem super actus suos, sed sicut directè cognoscit per speciem obiecti materialis, sic & fit reflexio super idem obiectum: corruit enim hæc responsio ex hoc, quod in reflexione obiectum nihil aliud dicit præter terminationem actus directi, non verò reflexi: ergo in reflexione attingitur actus rectus tantùm, cùm in recordatione solùm ipse attingatur.

551. Obiicies cum Ruuio: Obiectum intellectus pro statu isto est tantùm ens materiale: ergo si cognoscit spiritualia, id erit auxilio Phantasmatum, & rerum corporearum: ergo falsa nostra Conclusio.

Probatur antecedens: Quia pro statu isto dependet in cognitione à sensibus externis, & internis: & nihil est in intellectu, quin priùs transierit in sensu.

Sed iam hæc obiectio aliàs est soluta, idcò de nouo negatur antecedens absolutè: & ad probationem respondetur dependere quidem à sensibus in cognitione materialium, à quibus extrahere debet species, sed non in cognitione spiritualium, quæ cognoscit secundùm essentiam, & per speciem innatam: Verum quidem est, quod cognitio horum spiritualium, dum anima est coniuncta corpori, est satis imperfecta, & ob connexionem, quam habet intellectus cum Phantasmatibus, est facile valdè miscere cognitionem horum spiritualium cum materiali cognitione, & quodammodò ipsa materializare, vt ita dicam: & hinc oritur aliquando deceptio nostra.

Obiicies secundò cum eodem: Anima est actus corporis seipsam secundùm essentiam communicans eidem: ergo & operationes suas, & modum.

Probatur consequentia: Quia in suo esse per informationem perficitur in corpore: ergo & in operari, quod consequitur ipsum esse.

Respondet S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 8. part. 1. artic. 3. quæst. 2. in corp.* quod communicat quidem anima suum esse corpori, & secundùm hanc inclinationem perficitur in corpore, quatenùs est forma, & quatenùs est etiam motor: exercet enim operationes in corpore, & cum corpore, & per corpus: sed alias etiam operationes habet, prout est substantia spiritualis per se existens, quas sine concursu corporis

exercet, & sunt operationes rationales: Vide Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *ad vltim.* vbi optimè explicat, qualem dependentiam habeat à corpore etiam in actibus rationalibus, nempè debitam dispositionem respicientem supremum in corpore, secundùm quod conformatur animæ secundùm supremum ipsius, quæ dispositio sumitur secundùm nobilissimos spiritus, qui locum habent in nobilissimis organis corporis: hinc læsis istis organis facilè tollitur vsus rationis: attamen hæc dependentia non impedit, quin anima habeat vim super se reflexiuam etiam in corpore absque dependentia à Phantasmatibus, ex hoc quod habet insitum lumen naturale, seu speciem innatam ipsam informantem, & ponentem in actu primo, vt dictum est.

Obiicies tertiò contra suprà positam Conclusionem vtriusque antecedentis quæsiti: Omnia ista cognoscuntur per speciem abstractam: ergo falsa vtraque Conclusio.

Probatur antecedens: nam si habent res corporeæ vim productiuam suæ similitudinis, multò magis res spirituales.

Respondetur ex principiis Seraphicis negando paritatem: nam dato, quod res spirituales habeant talem vim productiuam: tamen quia intellectus, dum est in corpore, dependet in recipiendo species à sensibus: obidque tantùm ex entibus materialibus habet recipere species abstractas, dum est in corpore, quarum adiutorio posteà potest cognoscere per lumen innatum etiam spiritualia, sed imperfecto modo, vt dictum est: Dum autem est separata, tunc potest percipere species, quæcunque illæ sint.

552. Quæres tertiò. An intellectus possit plura obiecta vnico actu cognoscere?

Respondetur distinguendum esse de intellectu beato, modoque supernaturali, & de coniuncto carni mortali, & de obiecto multiplici, scilicet quando sunt subordinata: vel quando sunt disparata Hinc loquendo de intellectu pro statu isto in ordine ad obiecta subordinata, siue sumantur per modum vnius, siue per modum plurium, possunt videri pluta, sic videns imaginem in speculo, videt speculum, & videns litteras, videt cartam, albedinem, nigredinem, &c. patetque experientia: Si verò sumantur obiecta per modum plurium disparatorum, tunc non possunt percipi ab intellectu naturaliter vnico actu: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4. *& dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *& dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & lib.* 3. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5. *& dist.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. *& distinct.* 14. *art.* 2. *per totum quæst.* 2. *ad* 1. Ratio est, quia intellectus est potentia finita, & simplex, quæ tota secundùm se vertitur ad obiectum, & ab obiecto capitur, nec potest dari species abstracta, quæ simul plura disparata possit repræsentare, item nec expressa: Loquendo verò de cognitione per virtutem supernaturalem

Respondet S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 3. quod potest intellectus simul cognoscere, idque tribus modis: primo ratione eius, in quo quis videt, verbi gratiâ, in speculo æterno, & Verbo: secundo ratione sublimitatis intellectus per deiformitatem, & gloriam, sic Angelus

gelus simul videt res in Deo, & in proprio genere: tertio ratione Diuinæ virtutis concurrentis, & hoc ad pœnam, vel ad gloriam, sic damnati vident multa disparata ad sui maiorem cruciatum.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit Intellectio, & in quonam consistat: vbi de verbo mentis, quid sit, & quomodò producatur.

553. PRo explicatione tituli aduertendum est ex S. Bonau. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *quæst.* 1. *in arg.* quod ad intellectionem integram quatuor requiruntur: Primum est proportio inter potentiam, & obiectum: Secundum vnio ipsorum: Tertium iudicium, seu expressio, seu apprehensio de obiecto cognito: Quartum est ipsum verbum receptum in potentia. Quæritur ergo, in quonam ex dictis intellectio formaliter consistit, & an verbum mentis sit aliquod ex ipsis: an aliquid productum ex intellectione.

THOMISTÆ sustinent intellectionem formaliter consistere in actione producta ab intellectu, & specie tanquam à duabus concausis, ipsamque terminari ad verbum per ipsam productum: hinc formaliter intelligere secundùm ipsos est producere verbum: Sic D.Thom. *part.* 1. *quæst.* 27. *art.* 1. *& quæst.* 34. *art.* 1. *& quæst.* 8. *de potentia artic.* 1. Caier. Conimbric. Molina, Salmatic. & communiter Alij Sequaces.

SECVNDA Opinio opposita est Aureol. Ægidij, Aliorumque apud Mastrium *disp.* 6. *num.* 27. qui volunt intellectionem formaliter consistere in receptione vel speciei abstractæ, vel expressæ iuxta varia principia ipsorum.

TERTIA Opinio est Hurtadi recognoscentis formalitatem intellectionis in his tribus ipsam integrantibus, scilicet in actione, passione, & qualitate illa producta, & recepta in potentia vitali: Sic Hurtad. *disp.* 6. *de an. sect.* 1. *&* 2.

QVARTA Opinio est Scoti, Nomin. Pluriumque Aliorum, Suarez *disput.* 48. *Met. sect.* 2. *& lib.* 3. *de an. cap.* 5. *& part.* 1. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *&* 13. Vasq. *part.* 1. *disp.* 38. *cap.* 2. *& disp.* 112. *cap.* 4. *& disp.* 141. *cap.* 4. Arriag. &c. docentium intellectionem formaliter non esse ipsam actionem productiuam, sed esse qualitatem vitalem productam per actionem, qua intellectus ipsam recipiens intentionaliter assimilatur obiecto. Et de verbo mentis non est minor controuersia: Nam

THOMISTÆ volunt esse similitudinem formalem, & expressam rei cognitæ productam per actum intelligendi. Alij esse speciem impressam priorem actuali intelligentia: Alij esse obiectum cognitum. Scotistæ volunt esse ipsamet intellectionem, vt naturaliter productam à memoria fœcunda per actum dicendi, & dicitur species expressa: Seraph. Doct. videtur quidem varius in suis dictis: attamen verè est cum hac vltima opinione: immò Scotus ipse videtur præcipua puncta spectantia ad hanc sententiam excerpsisse ex S. D. quod etiam notauit Burlefer in D. Bonau. *dist.* 27. Pro solutione Quæstionis

554. PRIMÒ Notandum, quod cùm duplex sit actio: alia secundùm rem: alia secundùm modum tantùm

ex

Digitized by Google

ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 40. *quæst.* 1. *ad* 2. Prima est realis, & Physica, & in potentia virali est actus vitalis exercens vitam Physicam, verbi gratiâ sensificando, vegetando, &c. alia est immanens, & intentionalis, quæ propriè non est de genere actionis Physicæ, sed tantùm dicitur actio metaphoricè absque influentia Physica ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim.* obidque est potiùs quædam qualitas formalis, quatenùs constituit potentiam operantem, eamque cum obiecto copulantem, & vnientem intentionaliter, eo modo quo lux dicitur formaliter lucere, & flores florere: & à Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 10. *art.* 3. *quæst.* 1. explicatur sic, quod talis actio sit quædam protensio, seu tendentia, seu vnio cum obiecto, secundùm quam intellectus intuetur, vel iudicat, vel exprimit ipsum, simulque ipsi assimilatur intentionaliter: Hinc Scotistæ distinguunt de actione productiua, & operatiua: primam appellat S. Bonauent. *citat.* actionem secundùm rem: secundam secundùm modum: primam Scotistæ appellant actum viralem productiuum actus vitalis, seu dictionem, seu visionem, estque de genere causæ efficientis: secundam appellant ipsumet actum vitalem, seu speciem expressam, seu verbum, quo ipsum operans perficitur vltimatè, fitque simile obiecto intentionaliter.

555. Secundò Notandum, quod cùm Verbum sit signum, seu medium dicens, & exprimens conceptum interiorem: id duobus modis potest fieri (ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 10. *art.* 3. *quæst.* 1. *& dist.* 13. *dub.* 3. *& lib.* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 1.) scilicet dicendo, & loquendo sibi, vel alteri: Vnde dicere, seu loqui ad se est aliquid mente concipere, seu sibi exprimere: loqui ad alterum est suum conceptum interiorem exprimere exteriùs voce sensibili: Ad primam loquutionem hæc necessariò concurrunt: primò species impressa, seu abstracta, per quam receptam in intellectu possibili fœcundatur intellectus, & ponitur in actu primo, vt possit intellectionem gignere, & dicitur memoria fœcunda, seu mens: secundò concurrit actio, seu dictio, seu intellectio actiua, seu productiua, qua intellectus denominatur productiuus intellectionis simul cum specie intelligibili, & mutatus realiter de non producente ad esse producēs, & hæc actio propriè dicitur Dictio, seu gignitio, seu loquutio: tertiò passio, seu receptio passiua eiusdem intellectionis, & actionis immanentis, per quam dicitur intellectus realiter mutatus de non habere ad habere intellectionem: quartò est terminus talis dictionis, seu loquutionis, seu productionis, estque species expressa, seu qualitas, seu verbum, per quam intellectus, qui priùs per dictionem denominabatur efficienter intelligens, nunc per istam qualitatem denominatur formaliter intelligens eo, quod habet in se intellectionem, seu intelligentiam tanquam formam, sicut habere in se qualitatem est esse quale: & hæc qualitas est similitudo obiecti intellecti ipsam repræsentans sub ratione cogniti, exprimensque, quod priùs latebat in memoria sub ratione intelligibilis: quintò, & quia ex pluribus notitiis actualibus resultat habitus quidam informans intellectum, vt faciliùs, & promptiùs possit iterum exire in cognitionem obiecti

iam

iam intellecti; hinc potest esse quæstio, an in hoc habitu possit consistere ratio verbi: an in aliquo ex suprà allatis.

556. Tertiò Notandum, quod aliter in Deo, aliter in nobis fit loquutio, seu expressio conceptus interioris, vt notat Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 27. part. 2. quæst 1. ad 3. & dist. 32. art 2. quæst. 1. ad 5.* In nobis dictio antecedit Verbum, & ob id intelligere est medium, seu id, quo producitur Verbum, quod est intelligentia, seu notitia actualis consequens vt effectus ad actionem intellectionis, ideò enim producimus Verbum, vt intelligamus actu. In Deo verò intelligere actualiter est actus essentialis communis tribus personis Diuinis non productus, nec productiuus, sed operatiuus, alioquin non esset essentialis, si esset productiuus, & quia Pater intelligendo se fœcundat suam memoriam, ideò sic exprimendo seipsum concipit, & producit verbum: & hinc Deus non producit Verbum, vt intelligat, cùm ante ipsum intelligat essentialiter; sed producit Verbum ex vi fœcunditatis suæ memoriæ, conueniunt tamen in hoc, quod vtrumque verbum producitur per actionem dictionis, seu per generationem, quæ in Diuinis identificatur cum Patre: est enim actus notionalis: in creatis differt realiter à dicente: His positis

557. Prima Conclusio: Intellectio nostra non consistit formaliter in actione productiua speciei expressæ: neque intelligere formaliter est Verbum mentis producere: Est S. Bonauent. Scoti, & Aliorum contra Thomistas.

Quod sit opinio germana S. Bonauent. patet ex iis, quæ tradit *in lib. 1. dist. 27. part. 2. q. 1. & seq.* quibus tamen non obstantibus iterum

Probatur ex eodem Seraph. Doct. præcipuè *lib. 3. dist. 14. artic. 1. quæst. 1.* Omnis actus cognoscendi perfectus formaliter sumptus est à sapientia, seu forma assimilante potentiam cum obiecto: sed actio non habet hanc vim assimilatiuam: ergo debet esse ab aliqua alia forma: Actio enim non facit simile, sed tantùm formaliter dicit vt à quo, & formaliter denominat agens in ratione agentis: Tum quia actio tantùm efficienter reddit intelligentem, non autem formaliter: sicut calefactio non facit formaliter calidum, sed est calor productus per ipsam: ergo vera prima pars Conclusionis, scilicet quod intellectio formaliter non consistit in intellectione actiua; seu in actione productiua.

Probatur secundò contra Thomistas ponentes per intellectionem produci Verbum: Verbum per intellectionem productum vt quid distinctum ab ea est prorsus superuacaneum, & ad nihil deseruit: ergo falsa positio Thomistarum.

Probatur antecedens: vel enim ponitur, vt intellectio habeat suum terminum, cùm sit actio: vel ponitur ad habendam similitudinem, speciemque expressam obiecti, vel ad habendam præsentiam obiecti, quando non est per seipsum intimè præsens: hæ enim sunt variæ rationes, quas diuersimodè afferunt Thomistæ, qui, vt notat Meldul. *disput 6. num 31* tam variè loquuntur, vt vnus author vix conueniat cum alio, immò cùm seipso, qui nec consequenter loquuntur: sed ad nullum ex dictis est necessaria productio Verbi per intellectionem: ergo.

Digitized by Google

PROBATVR Minor, scilicet quod Verbum non est necessarium, vt sit terminus intellectionis: Intellectio non est actio propriè dicta, sed est actio secundùm modum tantùm, vt loquitur Seraph. Doct. *cit. in primo Notab.* quæ ex Arist. 9. *Metaph. t.* 16. nullum prorsus terminum habet per ipsam productum, quod & iidem Thomistæ admittunt in visione beata, quia non potest dari species expressa Dei, eo quod deberet esse eiusdem identitatis cum Deo. Tum quia propriè vitalis operatio non est actio in toto rigore sumpta; Dicitur autem actio per quandam analogiam ad veram actionem: & hoc ob duas conditiones, in quibus veræ actioni assimilatur: altera est, quia semper est in fieri dependenter ab agente in quocunque instanti, in quo durat: secunda est, quia actio propriè dicta transit in terminum simpliciter accipientem nouum esse per ipsam: at operatio vitalis transit in terminum, idest in obiectum, non simpliciter accipiens esse, sed secundùm esse diminutum, & cognitum, seu intentionale: ergo ex hoc capite non est necessarium verbum distinctum ab intellectione.

NEC ex secundo capite, scilicet ad habendam similitudinem expressam obiecti (vt dicunt Conimbric. *lib.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 3.) ratio est, quia ipsa intellectio est sufficiens similitudo, & actualis repræsentatio obiecti, & ipsa intellectum informans reddit eum cognoscentem, & assimilat obiecto intentionaliter. Tum quia ex hoc capite actus voluntatis non haberet terminum productum, quia voluntas volendo non fit similis obiecto, sicut intellectus intelligendo: ergo nec ex hoc capite, &c.

NEC ex tertio capite, scilicet ad habendam præsentiam obiecti, quando non est per se intimè præsens, vt est Deus: quia vel desideratur præsentia obiecti habitualiter, & hæc habetur per speciem impressam, seu abstractam: vel vt sit actualiter, & in actu secundo: sed hæc sufficienter habetur per ipsam intellectionem repræsentantem formaliter, & intentionaliter obiectum potentiæ: ergo hoc verbum Thomistarum est superfluum.

CONFIRMATVR: Quia si Deus immitteret intellectionem in intellectu, tunc Deus non intelligeret ea intellectione, sed tantùm intellectus ille, in quo causaretur, & tamen sine productione verbi esset assimilatio, & præsentia obiecti sufficiens: ergo.

558. SECVNDA CONCLVSIO: Intellectio formaliter non consistit in receptione passiua speciei impressæ, vel expressæ, licèt non possit esse sine passione, sed consistit formaliter in illa qualitate vitali, quæ dicitur Verbum, seu species expressa, & qua intentionaliter potentia assimilatur obiecto, eique coniungitur: Est S. Bonauent. *loc. cit.* suprà, & infrà, item Scoti apud Meldul. *cit.* & Aliorum.

PRIMA pars patet ex traditis de potentiarum sensatione: Quia non fit sensatio formaliter vitalis per solam receptionem speciei. Tum quia intellectio per solam receptionem respicit subiectum in quo, non obiectum ad quod, sed de ratione intellectionis est, quod respiciat obiectum, & illi vitaliter vniat intellectum: ergo non consistit præcisè in hac receptione. Tum quia per operationem vitalem aliquo modo potentia actiuè exercetur (vt docet Seraph.

Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim.*) sed per solam receptionem omni alio præciso intellectus actiuè non exercetur. Tum quia Deus posset immittere intellectionem in distracto actualiter, vel dormiente, vel phrænetico, & tunc non verè intelligeret: ergo non in sola receptione.

PROBATVR secunda pars: Quia per intellectionem formaliter intellectus fit intelligens, & assimilatus obiecto intentionaliter, sed non potest fieri talis nisi per formam accidentalem receptam, qua simul tendat in obiectum: ergo est qualitas non de genere actionis, sed qualitatis: & patet totum ex reductione facta secundùm omnes alios modos refutatos.

ET hinc patet, qualiter minùs consequenter procedant Thomistæ appellantes intellectionem, & veram actionem productiuam, & simul de genere qualitatis, qualitas enim non est productiua termini, sed ipsa est potiùs terminus productionis.

559. ADDIMVS tamen ex Seraph. Doct. regulariter hæc tria concurrere in intellectione, scilicet actionem, passionem, & vitalem qualitatem: licèt enim formaliter consistat in hac vltima, tamen concurrunt alia duo vt integrantia, vel prærequisita ad ipsam intellectionem: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad* 4. vbi dicit, quod licèt intelligere possit dici actus simplex: attamen concurrit naturaliter in nobis & recipere, & iudicare, siue abstrahere, & suscipere, qui sunt actus adinuicem ordinati, ex quibus resultat vnus actus perfectus: & *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim.* dicit, quod etsi ad perfectionem cognitionis aliquo modo concurrat non solùm passio, sed etiam actio, non tamen concurrit actio, quæ fit per aliquam influentiam, vel impressionem ipsius cognoscentis in cognoscibile, sed solùm per quandam protensionem, & tendentiam: Et *ibidem art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. quia in cognitione requiritur assimilatio: hæc non tantùm est per speciem acceptam ab obiecto, vel appropriatam ipsi obiecto, sed etiam per assimilationem ad illud, quod est ratio cognoscendi cætera.

560. OBIICIES primò: Intellectio ex vi nominis dicit agere, ergo est actio, ergo per ipsam producitur Verbum.

CONFIRMATVR ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 27. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* dicente, quod mens intelligendo concipit, & intelligendo aliud concipit simile sibi, quia intelligentia assimilatur intellecto: ergo præsupponitur ad verbum intellectio.

RESPONDETVR intellectionem esse actionem intentionalem, obidque dicit actionem grammaticaliter tantùm: non enim vniuocè conuenit cum actione Physica, & productiua.

RESPONDETVR ad textum Seraph. Doctor. se exprimere *ibidem* quod id, quod prærequiritur, est dictio, non verò intellectio formaliter: verba autem suprà allata explicant rationem formalem verbi, quod est intelligentia, & intelligere actuale, seu formaliter, non efficienter, seu productiuè.

OBIICIES secundò: Intellectio necessariò terminat ad aliquid extra se: ergo est vera actio.

RESPONDET Seraph. Doct. *lib.* 3.

 dist. 14.

*dist.*14. *quæst.*3. *ad ult.* quod terminat ad cognoscibile per quandam tendentiam, non per veram influentiam Physicam, quæ protensio consistit in conceptione obiecti, simulque in assimilatione intellectus cum ipso: Sic & *lib.* 1. *distinct.*27. *part.* 2. *quæst.* 1. Idem & Scotus *lib.*1. *dist.*27. apud Mastrium *cit.*

Obiicies tertiò: Dictio est actio immanens, & simul Physica, & terminum à se realiter distinctum habet: ergo si intellectio est actio immanens, potest habere terminum à se realiter distinctum.

Respondetur immanentiam actus non tollere, quin producatur terminus, sed tantùm quando actus immanens non est actio secundùm rem, vt loquitur S. Bonauent. idest actio non realis, & Physica, & productiua, vt est intellectio formaliter: Dictio verò est vera actio, hincque negatur consequentia.

Obiicies quartò: Intelligere est viuere: viuere autem est operari aliquid immanenter. Tum quia intellectus vt intellectiuus est expressiuus obiecti, sed id non potest reduci ad actum secundum absque actione: ergo. Tum quia dictio non potest fieri nisi intelligendo.

Respondetur intelligere esse viuere intentionale, non autem Physicum. Ad illud, quod sine actione intellectus non potest exire in actum secundum?

Respondetur ex traditis, quod necessariò in nostra intellectione prærequiritur actio, & receptio, ad quas sequitur intellectio formaliter: Ad aliud de dictione

Respondetur esse verum causaliter, non formaliter, idest dictio est actio productiua verbi.

Obiicies quintò: Quod intellectio est passio, ait enim Aristot. quod intelligere est quoddam pati.

Respondet Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 14. *quæst.* 3. *ad vltim.* quod non est formaliter pati, sed tantùm præsuppositiuè: requiritur enim, vt dictum est, receptio.

Obiicies sextò: Si intellectio est qualitas: ergo est quid absolutum, sed intellectio dicit respectum ad obiectum: ergo non est qualitas.

Respondetur esse quid absolutum includens respectum transcendentalem ad obiectum: sic negatur consequentia: hæc relatio enim est repræsentatio ad repræsentatum, quod & dicitur de specie.

561. Tertia Conclusio: Verbum rectè definitur sic à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 3. Verbum *est similitudo expressa, & expressiua concepta vi spiritus intelligentis, secundum quod se, vel aliud intuetur.*

Explicatur, & simul probatur: Dicitur (*similitudo*) loco generis: Dicitur (*expressa*) per quod differt à specie impressa: Dicitur (*expressiua*) quia vltra esse actum, vel terminum productum ab intellectu habet exprimere rationem obiecti, ob quam expressionem dicitur notitia actualis dicens respectum expressionis ad obiectum: Dicitur (*concepta vi spiritus intelligentis*) quia habet esse per conceptionem actualem, quæ dicitur dictio, & loquutio, seu generatio, & ab intellectu formato à specie abstracta, seu impressa, ob quam dicitur mens, seu memoria fœcunda, per quod habet rationem verbi includentis respectum ad principium producens, quod est spiritus intelligens,

Digitized by Google

intelligens, id est intellectus formatus obiecto, seu ipsius specie, &c. & hinc duplex includitur relatio in verbo: altera, prout est intellectio, seu expressio obiecti ad ipsum obiectum: altera, prout est verbum, scilicet ad suum principium totale producens, quod est intellectus cum specie obiecti: Dicitur (*secundùm quod se, vel aliud intuetur*) per quod explicatur similitudo expressa, quam acquirit per ipsum intellectus: fit enim similis obiecto intentionaliter.

A Scoto verò sic definitur: Verbum *est actus intelligentiæ (id est intellectus actu intelligentis) productus à memoria perfecta non habens esse sine actuali intellectione repræsentans verbum Diuinum*: quæ definitio coincidit cum suprà tradita à Seraph. Doct. vt rectè obseruauit Brulefer in S. Bonau. *dist.* 27. *cit.* solúmque hîc addendum, quod notat Meldul. *hic num.* 50. nempè quia licèt verbum non sit quid distinctum ab intellectione formaliter sumpta: attamen in ratione verbi aliquid intellectioni superaddit actuali notitiæ: nam eadem qualitas cum respectu ad obiectum in ratione termini constituitur in esse notitiæ, & cognitionis declarantis, & exprimentis illud: at cum respectu non solùm ad obiectum, & intellectum in ratione principij totalis naturaliter producentis constituitur in ratione verbi, quod ideò dicitur proles mentis, hinc vt verbum includit respectum naturaliter producti ad producens, scilicet ad memoriam fœcundam in ratione notitiæ actualis ad obiectum expressum.

ADVERTIT etiam, quod verbum nostrum repræsentat Verbum Diuinum non tamen omnimodè, quia Nos constituimur intelligentes per Verbum: non sic Pater in Diuinis, qui est priùs intelligens per notitiam ingenitam, & essentialem identificatam: & ratio differentiæ est, quia Nos producimus intellectionem ex indigentia, vt scilicet per eam formaliter intelligamus: at Pater Diuinus non producit Verbum, vt intelligat, cùm intelligat per notitiam ingenitam productam à Diuino intellectu concurrente essentia per simplicem dimanationem: at producit Verbum ex plenitudine perfectionis: quia memoria fœcunda naturaliter, & necessariò producit prolem, quæ in Diuinis est substantia, in nobis accidens: substantia, inquam, in Deo, quia persona Diuina fœcundatur ab essentia sua sibi realiter identificata: in nobis accidens, quia memoria fœcundatur ab accidente, scilicet specie: vnde Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 27. *quæst. vlt. ad. vltim.* notat, quod in Deo Verbum habet cum dicente identitatem substantialem, & simultatem naturalem, non sic in Verbo nostro.

562. Ex quibus sequitur primò, quod verbum mentale verè, & propriè producitur à memoria fœcunda per actionem realiter ab ipso verbo distinctam, quæ dicitur Dictio: Sic S. Bonauent. *lib* 1. *dist.* 27. *cit.* & est expressa sententia S. August. *de Trinit. cap.* 7. 8. patet, ait Seraph. Doct. ex paritate verbi vocalis, per quod venimus in cognitionem mentalis: Verbum enim vocale verè producitur per loquutionem, & per dictionem corpoream: sic & mentale. Tum ex paritate Verbi Diuini, quod producitur à Patre per veram actionem generatiuam, quæ quidem identificatur cum Patre ob eiusdem infinitatem, & hinc terminus est persona per-

Digitized by Google

se subsistens: in nobis verò per actionem accidentalem, hinc & terminus est accidens.

Dices ex D. August. Verbum, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus latet; sed verbum exterius sonans non est signum intellectionis, sed rei intellectæ: alioquin hæc propositio, homo est animal, esset falsa: significaretur enim, quod intellectio hominis est intellectio animalis.

Hvic Obiectioni satisfecimus in Logica *in quæst.* 1. *de Vniuersalibus in* 2. *fun lam.* & in 2. *parte Log. in quæst. de v rit te enu ti tionis*: & iterum ex ibi traditis ex Seraph. Doct. dicimus verbum vtrumque significare, sed primò rem ipsam, & in ordine ad ipsam rem intellectionem, provt est medium ordinatum ad rem significandam: & hinc non sequitur falsam esse illam propositionem, homo est animal, quia veritas propositionum attenditur ad principale significatum: Verbum autem dicit duplicem respectum & ad obiectum, & ad intellectum, vt suprà dictum est: hinc ex dicta Authoritate D. August. nihil concluditur contra Nos: Verbum enim est signum intellectionis per ordinem ad rem.

Dices secundò ex eodem S. Aug. Phantasia Carthaginis in memoria est Verbum Carthaginis, sed Phantasia, si sumitur pro potentia, vel pro specie, non est actualis intellectio: ergo.

Respondetvr intelligendum esse S. Doct. in sensu causali, non formali.

Dices tertiò: Verbum datur, vt obiectum fiat præsens secundùm esse intelligibile, cùm sit similitudo formalis rei intellectæ, sed species intelligibilis hoc facit, ergo.

Respondetvr per vtramque speciem tum impressam, tum expressam fieri obiectū præsens, sed per primam fit præsens habitualiter in ratione obiecti intellig bilis: per secundam actualiter in ratione obiecti intellecti: vnde maior verificatur de specie impressa, non de Verbo.

563. Secvndò sequitur, cùm Verbum producatur per dictionem, & sit ipsa actualis intellectio, Nos non intelligere, antequam Verbum producatur: ideò enim producimus verbum, vt per ipsum actu intelligamus, non sic in Diuinis, vt dictum est; Vndè (ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 3.) quod tria requiruntur ad verbi formationem formalem, scilicet cogitatio de obiecto, seu dictio, deinde conceptio imaginis, & hinc verbum exprimens actualiter ipsum obiectum intellectui.

Tertiò sequitur, quod non quæcunque actualis intellectio est Verbū, sed tantùm, quæ est naturaliter concepta, seu genita à memoria fœcunda, idest ab intellectu simul cum obiecto, vel specie, quæ dicitur semen obiecti, vt docet S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. & in Itiner. Ment. *cap.* 3. quia ex his duobus constituitur mens, seu memoria fœcunda, vt ait S. August. non enim sufficit, quod intellectio sit producta, quæ conditio tamen necessariò requiritur in verbo, sed etiam alia conditio, scilicet quod sit naturaliter producta, & per modum naturæ, idest non per actionem liberam, sed naturalem: quod & innuit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst. vlt.* & fusiùs Scotus: Hinc (subdit Scotus) defectu primæ conditionis intellectio essentialis in Diuinis, cùm

non

Digitized by Google

non ſit verè producta, licèt ſit à memoria fœcunda, non eſt verbum, reſultat enim quadam emanatione rationis: Defectu ſecundæ viſio Dei in beatis non eſt verbum, eo quod licèt ſit naturalis ſimilitudo Diuinæ eſſentiæ, non tamen naturaliter producitur ab ea, ſed liberè, eſt enim obiectum voluntarium: oppoſitum tamen eſt etiam probabile, cùm non ſit neceſſarium vtramque cauſam generationis prolis eſſe naturalem, ſic & liberè Spiritus Sanctus concurrit cum B.Virgine ad generationem naturalem Chriſti: attamen oppoſitum eſt probabilius: nam, vt ait Seraph. Doct. *cit.* debet eſſe verbum naturale quoad originem, & à mente procedere per modum naturæ, nempè à memoria fœcunda, ita vt origo ſit naturalis; cùm autem tam potentia, quàm obiectum concurrant tanquam origo ad verbum: hinc, &c. alioquin etiam Spiritus Sanctus procederet per modum naturæ, quia licèt liberè procedat ex parte potentiæ, ſcilicet voluntatis, naturaliter tamen ex parte obiecti procedit, cùm producatur per omnia ſimilis Patri, & Filio. Et ad id de Conceptione Chriſti, Reſpondet Meldul. quod concurſus Spiritus Sancti fuit merè accidentalis, cùm exigeret ex ſui natura concurſum Matris, & Patris, cuius Spiritus Sanctus ſuppleuit vices, non ſic viſio beata, nec Spiritus Sancti proceſſio; hæ enim exigunt naturaliter produci: De viſione tamen beata, vt viſio eſt, dicendum eſt exigere naturalitatem in productione, vt beata verò eſt, exigere produci ab obiecto voluntario: vnde vtrumque poteſt probabiliter ſuſtineri.

564. QVÆRES: an Intellectio, ſeu Verbum ita pendeat ab intellectu vt à cauſa producente, vt non poſſit etiam per abſolutam Dei potentiam vitaliter operari abſque ipſius productione.

PRIMA Opinio negat id poſſe fieri: eſtque communis Thomiſt. apud Meldul. *diſp. 2. num. 41.*

SECVNDA eſt Scoti, Seq. & communior affirmantium Deum poſſe in qualibet potentia proprium actum imprimere, & tunc vitaliter operari.

S. DOCT. non agitat hanc quæſtionem vllibi: attamen infero ex eius doctrina ipſum ſtare cum hac ſecunda opinione: docet enim *lib. 3. diſt. 14. art. 1. quæſt. 3. ad vlt. & lib. 2. diſt. 23. quæſt. vlt. ad 6.* animam in cognoſcendo plus ſe habere in ratione paſſiui, quàm actiui: & hinc anima videt Deum, quia infunditur lumen gloriæ ponens in actu primo intellectum, & aſſimilans ipſum obiectiuè Deum: hinc infero Deum poſſe infundere in intellectu actum reddentem ipſum ſimilem obiecto.

PROBATVR autem hæc Concluſio communi, & vniuerſaliſſimo principio: Quod Deus poteſt cum cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo in genere cauſæ efficientis, ſed cum intellectu poteſt producere intellectionem in eodem intellectu, ergo & ſe ſolo: Tum quia nulla contradictio poteſt aſſignari.

RESPONDENT implicantiam oriri tum ex vitali operatione, quæ exigit habere eſſe à principio viuo, alioquin non eſſet vitalis: tum quia verbum eſſentialiter dicit reſpectum ad producens, nempè ad intellectum, in quo eſt.

SED reſpondetur in tali caſu tales actus fore vitales, eo quia per tales actus potentia attingeret obiectum; nec

nec est necessaria vita Physica in ipsis, sed sufficit intentionalis, quatenùs potentia viua per ipsos tendit in obiectum: Ad aliud respondetur, quod tales actus non essent verbum, verbum enim dicit pro materiali intellectionem, & pro formali respectum producti ad producens, vnde non quælibet intellectio est verbum, vt est simplex apprehensio.

QVÆSTIO IX.

Quotuplex sit intellectio: vbi varia dubia soluuntur circa multiplicem intellectionem

565. BREVITER Respondetur, quod ad tria capita, seu species reducuntur omnes operationes intellectus: Prima dicitur simplex apprehensio: Secunda iudicium: Tertia discursus: Sic etiam S. Bonauent. in Itiner. Ment. *cap.* 3. Ratio est, quia, quicquid apprehenditur ab intellectu, apprehenditur vel simpliciter absque affirmatione, vel negatione, & in hoc stat simplicium terminorum apprehensio: vel cum affirmatione, vel negatione, & in hoc stat apprehensio propositionis: vel procedendo de vno noto ad aliud ignotum, & in hoc stat discursus, & apprehensio Syllogismi.

ADDIMVS verum quidem esse, quod aliæ multæ operationes attribuuntur intellectui, quæ tamen ad aliquam suprà dictarum reducuntur, vt sunt abstractio, præcisio, reflexio, cogitatio, reduplicatio, attentio, dubitatio, imperium, consilium, de quibus dicemus infrà: Vt autem meliùs dignoscatur natura dictarum operationum, proponuntur sequentia dubia.

QVÆRITVR primò: Quodnam sit obiectum proprium simplicis apprehensionis, an sint soli termini siue simplices, siue complexi; an etiam propositiones: an etiam discursus?

RESPONDETVR, quod licèt videatur S. Doct. asserere in Itiner. *cit.* obiectum huius operationis esse tantùm terminos, attamen intelligendus est quoad obiectum principale (nam *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3.) docet posse apprehendi ab intellectu aliquid vel per modum complexionis, vel incomplexionis, est & Scoti, & communior DD. apud Mastr. *num.* 280. idque patet, quando apprehendimus simul vtramque partem problematis, & contradictionis, absque eo quod alteram ipsarum rejiciamus suspensi ad vtrumque significatum, quia sicut per simplicem apprehensionem concipere possumus extrema, ita etiam & connexionem ipsorum: vnio enim est quid vnum, & simplex, nec præcisè exigit determinationem ad alteram partem, nisi quando est iudicium; nam, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 16. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. potest dari collatio duorum absque successione, quando scilicet accipiuntur sub vna ratione.

566. QVÆRITVR secundò: an veritas, & falsitas sit in simplici apprehensione?

HIC autem non est sermo de veritate, quæ est proprietas entis, & dicitur veritas in essendo: nec de veritate in significando, quæ propriè conuenit vocibus, & signis, sed de veritate in repræsentando, & cognoscendo, quæ propriè conuenit conceptui intellectus, quando verè exprimit,

exprimit, & repræsentat rem, sicuti est, atque ideò formaliter dicit conformitatem conceptus repræsentantis ad obiectum in re.

RESPONDET Igitur Meldul. adesse veritatem, non verò falsitatem: Ratio primæ partis est, quia veritas est conformitas signi ad signatum, & intellectus ad obiectum, sed in simplici apprehensione adest hæc conformitas: ergo: Idque asserit S. Bonauent. *lib. 1. dist. 28. dub. 1.* dicens, quod intellectus, dum apprehendit rem aliquam, simul & apprehendit rationem intelligendi, per quam conformatur ipsi rei: Idem enim verum potest apprehendi sub modo complexionis, & incomplexionis, ait S. Doct. *lib. 3. dist. 24. art. 1. quæst. 3. ad 3.*

RATIO secundæ partis est, quia si intellectus apprehendit simpliciter rem esse, quæ non sic est, vel tali modo, sicuti non est, tunc apprehendit cum deceptione, & ignorantia, verbi gratiâ, apprehendit auricalchum pro auro, tunc interuenit etiam deceptio, & ignorantia, non propriè falsitas: hæc enim est cum iudicio, & compositione prædicatorum repugnantium: potest tamen dici aliquo modo interuenire etiam falsitatem simplici apprehensioni, prout dicit nescientiam, vel ignorantiam, & deceptionem.

ADVERTENDVM tamen hanc veritatem simplicis apprehensionis esse formalem incomplexam, non verò complexam, & obiectiuam: hæc enim consurgit in intellectu se reflectente super actum suum, & comparantem ipsam ad obiectum, vtrum sit ei similis, & conformis: an non; quæ non est sine compositione, & diuisione, obidque in sola operatione complexa, & hæc est potior, quia non solùm est subiectum veritatis, sed est etiam ipsius iudex, quod & notat S. Bonauent. *lib. 1. dist. 3. cit.*

567. QVÆRITVR tertiò: qualiter differat iudicium à simplici apprehensione?

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 3. quæst. 1. ad 3.* operationem secundam esse iudicium, quo actu intellectus more Iudicis post apprehensionem rei sententiam fert asserendo, vel negando, vtrum res sit, vel non sit.

QVÆRITVR quartò: an intellectus eodem actu iudicet, & assentiatur propositioni: an diuersis, verbi gratiâ, an sit formalissimè idem componere hominem cum animali, & ipsi assentiri, an sint diuersi actus?

VASQVEZ *part. 1. disp. 223. cap. 3.* Aliique tenent esse plures actus: Meldul. cum Scoto tenet esse vnum actum. Seraph. Doct. tenet esse plures actus: nam *lib. 4. dist. 16. cit.* docet talem collationem, quæ est in iudicio, fieri successiuè, obidque & per plures actus, & *lib. 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4. ad 4.* docet prærequiri receptionem, scilicet perceptionem terminorum ad iudicium: idem & asserit *lib. 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. & lib. 1. dist. 41. art. 2. quæst. 1. fund. 3.* dicens, quod ordo vnius rei ad alteram, cui coniungitur, in re facit compositionem: & cognitione igitur requiritur priùs collatio, & deinde iudicium, & posteà assensus, præsuppositâ enim cognitione rei, quod sit, vel non sit, sequitur assensus, vel dissensus. Idem & *lib. 1. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 4.*

DICES cum Meldul. formaliter iudicare de aliquo est illi assentiri: ergo.

Digitized by Google

RESPONDETVR negando antecedens : nam iudicare de aliquo est aliquid ei intentionaliter vniri, ex quo postea sequitur assensus : Addimus tamen, quod etiam simul, & semel potest intellectus plures actus subordinatos elicere, quòd & docet Seraph. Doct. de intellectu beato *lib.4. dist.49. part.2.art.3.q.2 ad 3.* & hinc non implicat, quod simul sit simplex apprehensio, & iudicium.

568. QVÆRITVR quintò : quomodò, & quænam veritas, & falsitas insit in hac secunda operatione?

QVOAD veritatem Respondetur, quod cùm duplex veritas formalis, siue, vt loquitur S. Bonauent. expressiua adsit, scilicet complexa, & incomplexa *ex lib.1. distinct.8. part. 1. quæst.1. fund.1. & lib.1. dist.41. art.2. quæst.1.* in hac secunda operatione potest solùm esse complexa : Hæc autem siue sumatur formaliter, siue obiectiuè, est propriissimè in secunda operatione intellectus: quia per hanc secundam operationem verè fit reflexio, & perfecta perceptio, an actus talis sit conformis obiecto, in qua veritate verè iudicans habet potestatem super iudicatum, vt docet Seraph. Doct. *lib.1.dist.3. part.1. art.1. quæst.1.ad 4.*

ET hinc sequitur, quod etiam falsitas in hac secunda operatione repetitur, quando scilicet non adest conformitas inter conceptum intellectus, & rem, de qua S. Bonauent. *lib.2.distinct.37. art.2. quæst.3. & lib.1. dist.41.art.2.quæst.2.* & Nos aliàs tradidimus in Log. in quæst. de veritate Enuntiationis.

569. QVÆRITVR sextò de tertia operatione intellectus : quid sit, & an differat ab aliis, & quodnam sit eius obiectum?

RESPONDETVR primò tertiam operationem intellectus esse illationem vnius ab alia, vel ab aliis propositionibus iam iudicatis, scilicet vel affirmatis, vel negatis : Vnde hæc est realiter differens ab aliis, vt de se patet ; nam ista importat necessariò rationem illationis, quæ non inuenitur in secunda operatione : Tum quia habent obiecta diuersæ rationis : nam hæc tertia operatio respicit veritatem mediatam, idest deductam ex alia propositione : secunda verò operatio respicit immediatam : ergo etiam diuersos assensus exigunt: Verum quidem est à Seraph. Doct. aliquando discursum appellari nomine iudicij : sed tamen intelligendus est de iudicio non purè enuntiatiuo, quale est illud spectans ad secundam operationem, sed de illatiuo.

DICES : Ergo erit non vna simplex qualitas, sed aggregatum ex pluribus actibus : cùm iudicium illatiuum includat actus antecedentes, & consequentes.

RESPONDETVR negando consequentiam : nam licèt in omni discursu tria iudicia concurrant, scilicet antecedentis iudicium, item & consequentis, & tertiò consequentiæ bonæ : attamen formaliter consistit in iudicio consequentis, prout dicit relationem dependentiæ ad antecedens, & in quo virtualiter includitur iudicium bonæ consequentiæ.

DICES posse dari assensum consequentis absque tali ordine incluso.

RESPONDETVR tunc non esse assensum discursus, sed spectantem ad secundam operationem.

ET si quæras : Quare intellectus positis antecedentibus necessitetur ad assensum

assensum Conclusionis, non verò voluntas ad bonum propositum.

RESPONDET Seraph. Doct. *lib.* 2. *cap.* 50. in Comp. Theol. quia citra summum, & primum bonum nihil est ita bonum, quod non aliquid imperfectionis habeat: sed aliquid ita est verum, quod nihil falsitatis habet; hinc patet discrimen inter vtramque potentiam.

570. QVÆRITVR septimò: an cognitio intuitiua, & abstractiua differant specie, vt dictæ tres operationes differunt.

RESPONDENT Scotistæ affirmatiuè: At ex principiis Seraphicis negantem partem Nos amplectimur: Ratio est, quia istæ cognitiones distinguuntur penes terminos tantùm, non penes potentiam, nec modum tendendi in obiectum: distinctio autem actuum specifica desumitur quidem penes obiectum, sed per diuersos modos tendendi in ipsum: at omnis cognitio pro quocunque statu animæ demptâ visione beata est abstractiua, scilicet per speciem abstractam ab obiecto, ideò abstractiuo modo tendit quicunque actus in obiectum, quod & suprà de sensibus externis *part.* 2. *tract.* 2. *quæst.* 6. explicauimus, & satis etiam probauimus: vnde cùm præsentia, & absentia obiecti sit accidentalis ipsi potentiæ, quia semper exigit speciem abstractam ab ipso: Hinc, &c.

QVOD verò hæc sit sententia Seraph. Doct. infero *ex lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & quæst.* 2. *ad* 3. *&* 4. *& lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in quibus, & aliis loc. cit. in cit. tract. de sensibus externis quæst.* 6. semper supponit Seraph. Doct. aliquam abstractionem speciei contra Scotistas apud Meldul. *disputat.* 6. *num.* 324. negantes in intuitiua cognitione requiri concursum speciei abstractæ, quod tamen est falsum, cùm species sit concausa cum potentia ad efficiendum actum, obiectum autem distans non potest tribuere talem concausationem: ergo: quæ omnia procedunt de cognitione in ordine ad creaturas, non de clara Dei: hæc enim solùm propriè intuitiua potest vocari, quæ fit absque specie abstracta, vt fusè traditur in Theologia in tract. de visione.

RESPONDENT Scotistæ, quod dato etiam, quod sint conditiones tantùm obiecti, negatur ipsas non facere differre specie, quia ex variatione ipsarum variatur essentialiter effectus, tum negando, quod non differant penes principia, & modos tendendi: Differunt autem penes principia, quia abstractiua cognitio nata est produci tantùm à potentia simul cum specie: intuitiua verò solùm à potentia, & obiecto præsente: Item & penes modum tendendi, qui causatur in intuitiua ab existentia obiecti: non verò abstractiua. Sed istæ responsiones satis remanent solutæ, & confutatæ ex dictis, maximè in citata quæst. de sensibus externis: nam probatum est necessariò in potentia requiri semper speciem abstractam, & modum tendendi, obid non variari, cùm sit abstractiuo modo. Tum quia conditio præsentiæ, & absentiæ non mutant rationem repræsentatiuam obiecti, quæ in omni cognitione concurrit, & exigitur: ergo sunt merè accidentales conditiones: tam enim intuitiua cognitio repræsentat certitudinaliter obiectum, quàm abstractiua: hinc, &c. & dato, quod maior claritas haberetur in

Digitized by Google

in intuitiua, attamen magis, & minus in Physicis non variat speciem.

571. Quæritur octauò: quid sit, & quotuplex cognitio comprehensiua?

Quæstiò hæc habet locum in tract. de visione beata, vnde hîc tantùm raptim soluetur: Hinc

Respondetur duplicem dari cognitionem comprehensiuam: alia est propria beatorum, quatenùs contradistinguitur à cognitione viatorum, per quam dicuntur comprehensores: est enim cognitio clara, & sine enigmate: Alia est propria viatorum, estque illa, quæ attingitur ab intellectu secundùm omnes formalitates tam absolutas, quàm relatiuas obiecti, diciturque cognitio secundùm inclusionem totalitatis. Ad hanc autem ex parte potentiæ (ait S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1.) requiritur proportio æqualitatis, & æquiparantiæ inter potentiam, & obiectum, & consequenter quando obiectum est infinitum, requiritur in potentia infinitas: & hinc dicunt Theologi cum Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 1. *q.* 2. quod anima Christi videt finito modo Deum, non ipsum comprehendendo: respectu verò obiecti requiritur primò, quod attingatur obiectum secundùm omnes formalitates, & prædicata singula: secundò, quod attingatur totaliter, idest secundùm omnes gradus attingibilitatis, & tota eius intelligibilitas exhauriatur, & hinc Deus non potest à creatura comprehendi.

An verò creatura ab intellectu finito possit comprehendi. Smisinch de Deo vno cum Aliis negat, eo quia exigitur, vt attingatur secundùm omnes rationes formales, & eminentiales in ipsa existentes, quæ sunt infinitæ: Alij affirmant negantes virtutem eminentialem debere cognosci, vt, verbi gratiâ, infinitos actus, quos potest producere, sed tantùm rationes, & prædicata formalia, quæ sunt finita, & hinc anima Christi hoc modo comprehendit creaturas, & hæc est probabilior: nam cognoscere effectus causæ ab ipsa producibiles non spectat ad entitatem causæ: de hoc agit S. Bonauent. *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 2. *per totum*, & fusiùs ad rem Meld. *disp.* 6. *num.* 338. *& seq.* Innuit tamen S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. non solùm debere cognosci essentiam, sed & eius virtuositatem, & hoc si est infinitum, non potest capi ab intellectu creato, licèt loquatur ibi de Deo, tamen doctrina potest applicari etiam enti creato.

QVÆSTIO X.

Explicantur alij actus Intellectus.

572. Svpra diximus omnes actus intellectus reduci ad tres suprà dictos: sed quia aliqui eorum indigent aliqua explicatione: hinc subduntur breuiter.

Primvs dicitur reflexio intellectus super proprios actus: ex eo enim, quod intellectus est potentia immaterialis, & spiritualis independens à quãtitate, potest reflectere se super se, & super proprios actus, & hæc reflexio est duplex, alia est simplex reflexio super proprium actum, & dicitur à S. Doct. cogitatio: alia est, qua fit

fit iudicium de eodem actu, & hæc est propria reflexio.

SECVNDVS dicitur reduplicatio, quæ est affinis reflexioni, & est quædam restrictio intellectus, quæ fit à voluntate imperante, qua colligit intellectum ad considerandum aliquid simpliciùs exclusis aliis, quæ ad rei conceptum, cui se restringit constituendum facere non videntur, verbi gratiâ, homo vt animal non discurrit: tunc enim manifestè intellectus se retrahit, & hoc non ex necessitate obiecti, cùm possit totum obiectum simpliciter assumi, sed ex imperio voluntatis, quæ vult cum tali restrictione considerari ab intellectu hoc obiectum.

TERTIVS dicitur Attentio, estque actus mentis à voluntate imperatus, quo aliqua obiecta videntur aliis exclusis mentem ab ea applicatione diuellentibus.

QVARTVS dicitur Intentio, estque tendentia intellectus à voluntate imperata in aliquod obiectum tanquam ad suum finem: de qua S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 38. fusè agit *art.* 2. *per totum.*

573. QVINTVS dicitur Præcisio, seu abstractio, estque veluti separatio facta ab intellectu considerando vnum alio non considerato, estque duplex, altera, quæ etiam est à parte rei, verbi gratiâ, albedinis à pariete: altera, quæ est tantùm à parte intellectus: de his agit sæpè S. Bonau. præcipuè *lib.* 1. *dist.* 27. *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. *& lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2.

HÆC autem est duplex, scilicet alia præcisiua, alia diuisiua: prima est, quando inter duo realiter identificata vnum præscinditur, seu cogitatur alio non considerato: vt rationalitas non consideratâ risibilitate, & hæc est sine mendacio, vt ait Aristot. Secunda est, quando fit abstractio rei ipsam negando, vel affirmando oppositum de subiecto, vt dicendo rationale non est risibile: & hæc contingere potest cum mendacio inter realiter identificata, non verò inter distincta realiter. Item diuiditur in abstractionem Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam: de quibus S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 2. *dub.* 1. *& Psalm.* 67. & Nos egimus in quæst. de obiecto Physicæ.

SEXTVS dicitur Consilium, & est cognitio rei cum dispositione firma, quo demonstratur voluntati aliquid esse, vel non esse faciendi: de quo S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 6. *dub.* 5. & in Comp. Theol. *lib.* 5. *cap.* 45.

SEPTIMVS dicitur Ratio, habetque quinque actus, quorum duo sunt circa verum, scilicet ratiocinationem, & aspectum, seu apprehensionem, & tres circa bonum, scilicet discretionem, electionem, & dilectionem: S. Bonauent. verò vult esse quid participans de intellectu, & voluntate: de quo aliàs agetur.

OCTAVVS dicitur Ratiocinatio, & est rationis inquisitio, quæ fit vi ingenij, quod est quædam vis animæ, qua se extendit per cognitum ad incogniti notitiam, vel etiam est aspectus veri.

NONVS ex ratiocinatione oritur Scientia, & opinio: Scientia est notitia certa, & euidens rei per suam causam: opinio est assensus vnius partis ex probabilibus rationibus cum formidine alterius partis: Sic

Digitized by Google

S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 24. art. 2. quæst. 2.*

Decimvs est fides, estque assensus intellectus alicuius rei cognitæ ex aliena persuasione, vel experimento: aliaque est humana, alia Diuina, de quibus S. Bonauent. *lib. 3. distinct. 23. art. 1. quæst. 2. & artic. 2. quæst. 2.*

Vndecimvs Experientia est notitia, quæ ab intellectu acquiritur per sensus.

Dvodecimvs de Intellectu practico, & speculatiuo aliàs egimus, præcipuè in Log. in quæst. an Logica sit practica, vel speculatiua scientia: Sed videatur Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 47. & lib. 1. quæst. 3. proœm. & lib. 3. distinct. 14. art. 3. quæst. 3. ad 5. & dist. 23. art. 1. quæst. 2. & lib. 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 3.*

QVÆSTIO XI.

De Memoria Intellectiua.

574. Dvrandvs, & Alij negantes species in Intellectu, negant & consequenter dari memoriam distinctam à sensitiua.

D. Thomas cum Sequacibus pluribus negat memoriam in anima separata, immò nec in coniuncta, eo quod obiectum intellectus est vniuersale præscindens à quacunque differentia temporis: hinc tantùm propriè eam admittit in sensitiua.

Commvnis Opinio Seraph. Doct. Scoti, & Sequac. & Plurimorum Aliorum admittit in intellectiua potentia memoriam conseruatiuam specierum præteritorum, quatenùs præterita sunt, & dicitur recordatiua: Hinc

Primò Notandum ex S. Bonau. *lib. 1. distinct. 3. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 3.* quod memoria sumi potest tripliciter: primò pro sensitiua retentiua specierum sensibilium præteritorum, & hæc spectat ad memoriam sensitiuam, de qua suprà egimus suo loco: secundò pro intellectiua, & hæc est duplex, vel enim est retentiua specierum intelligibilium sub ratione præteriti: vel prout abstrahunt à quacunque differentia temporis, & hæc antecedit actualem intelligentiam, & dicitur memoria fœcunda, qua producitur Verbum, spectatque ad rationem imaginis: hîc autem est Sermo tantùm de secunda, quæ sequitur actualem intelligentiam, supponitque obliuionem, & est tantùm præteritorum, quam diuisionem etiam tradunt Petrus de Tarantasia, Alb. M. Dion. Aliique: Quibus positis

575. Prima Conclvsio: In anima corpori coniuncta est memoria intellectiua conseruatiua specierum præteritorum, quatenùs præterita sunt: Est S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 25. part. 2. art. 1. quæst. 6. in improbat. opin. 2. & aliis locis cit.* & in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 40.* & hæc differt à sensibili, quia sensibilis retinet species abstractas, hæc retinet intentiones specierum, idest species expressas, & hæc est, à qua oritur reminiscentia: (Sic Seraph. Doct.

Probatvr primò: Quia illius facultatis est conseruare species, cuius proprium est eisdem vti: sed intellectus vtitur eisdem in recordatione præteritorum: ergo.

Confirmatvr: Quia post separationem

rationem à corpore anima recordatur rerum præteritarum, & aliquando cognitarum: vt Diues ille in Luca recordabatur suorum fratrum, & Abraham actionum Lazari. Tum quia si ab intellectu potest cognosci id, quod est futurum, quod nullam habet determinatam veritatem, multò magis præteritorum, quæ habent quandam veritatem necessariam. Tum quia memoria est de obiecto aliàs cognito, & præterito, obid provt dicit relationem præteriti ad præsens tempus: sed hæc relatio non potest attingi à sensu, sed solùm ab intellectu: ergo hæc memoria est in intellectu. Tum quia actus memoriæ est reflexiuus: ergo est intellectus.

DICES cum D. Thoma: Obiectum intellectus est vniuersale: ergo præscindit à ratione præteriti, siue præsentis, siue futuri: ergo non datur memoria intellectiua.

RESPONDETVR concedendo antecedens de notitia scientifica: negando de omni absolutè.

DICES secundò: Species in intellectu non remanent: ergo nulla responsio.

PROBATVR antecedens: species dependent à sua causa productiua, quæ est obiectum, vt patet in speciebus visus, quæ transacto obiecto statim euanescunt: sed currit eadem ratio de aliis ob dictam dependentiam: ergo.

RESPONDETVR negãdo antecedens: ad probationem respondetur dependere quidem in fieri ab obiecto, sed non in conseruari loquendo de intelligibilibus, vt aliàs dictum est: Istæ enim meliùs remanent in intellectu, quàm sensibiles in memoria sensitiua, cùm istæ possint corrumpi per læsionem organi. Et licèt pro statu isto coniunctionis, vt plurimùm vsus memoriæ sit simul cum conuersione ad Phantasmata, vt ait S.Bonauenr. in Comp.Theolog. *lib.2.cit.* id tamen non impedit, quin possit exerceri absque ipsis speciebus sensibilibus, vt patet in reminiscentia.

576. SECVNDA CONCLVSIO: Memoria intellectiua non differt ab intellectu, nisi penes connotata, & officia: Est S.Bonauent. *lib.1.dist.3.cit.* & *lib.2. dist.24. part. 1. art.2. quæst.1. in corp.* & *aliis locis cit.* & communis Scoti, Aliorumque, & patet, quia si intellectus est receptiuus, & retentiuus specierum, id est ob aliquem vsum, sed alius non potest assignari nisi recordatio præteritorum: dicitur autem intellectus, si sumitur pro ipsa potentia nuda: dicitur intelligentia, provt sumitur in actu intelligendi: dicitur memoria fœcunda, provt sumitur vt informatus specie, quæ est concausa simul cum intellectu ad intellectionem: si verò sumitur species, vt inseruiant ad cognoscenda obiecta aliàs cognita, dicitur memoria recordatiua, & reminiscitiua.

ADDIMVS in memoria intellectiua exerceri reminiscentiam, de qua suprà loquuti sumus, cùm de memoria sensitiua: hæc enim vis reminiscitiua residet in memoria intellectiua, & imperatur à voluntate: oritur autem (ait Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib.2. cap.40.*) eo quia species productæ, & relictæ in memoria, sicut sunt repræsentatiuæ obiectorum, sic seruant eandem habitudinem inter se, quam seruare possunt obiecta: & cùm plura obiecta talem connexionem habeant, vt vnum inferre possit notitiam alterius, sic species aliquæ excitatæ in memoria ita-

hunc

hunt excitationem aliarum, & ad propositionem vnius obiecti non solùm species immediatè repræsentatiua illius excitatur, sed omnes illæ ebulliunt in mente, quæ aut connexionem habent cum illa principali, aut habitudinem, & hinc oritur reminiscentia, recordatioque successiua vnius rei post aliam.

Ex his omnibus traditis suprà de intellectu, patet Intellectum secundùm diuersa munera, diuersa etiam sortiri nomina: dicitur enim intellectus consideratus absolutè secundùm se, provt est potentia cognoscitiua animæ per ordinem ad cognitionem: secundò dicitur agens, & patiens ob actionem depuratiuam, & receptiuam specierum: tertiò memoria, provt retinet species obiectorum, & cognitionem præteritorum: dicitur ratio superior, provt cognoscit superiora, & spectantia ad Deum: dicitur inferior portio, provt intelligit inferiora, quæ cadunt sub sensu: dicitur mens etiam ratione suæ excellentiæ super alias potentias, vel quatenùs est fœcundatus speciebus: Vide *lib.2. dist.24. part.1. art.2. quæst.2.& 3.*

Et hæc de Intellectu.



TRACTA

TRACTATVS III.

DE ANIMA.

De Voluntate.

577. HOMO distinguitur à Brutis ratione intellectus, & voluntatis, seu animæ intellectiuæ, & liberæ: per has enim duas potentias constituitur intelligens, & liber cum dominio suorum actuum: Hinc, cùm hucusque de Intellectu tum agente tum possibili à nobis actum fuerit, superest, vt de Voluntate sit nostra reflexio, & consideratio: licèt enim à pluribus Philosophis tractatio huius materiæ omittatur in his libris, remittaturque ad moralem Philosophiam, tamen hic est eius proprius locus, quatenùs Voluntas habet esse Physicum, & naturale, & ob id etiam continetur sub obiecto adæquato Philosophiæ naturalis, & eò maximè, quia cognitio naturæ Voluntatis maximè parat viam ad intelligendum multa difficilia, quæ in Theologia habentur, præcipuè quæ ad actus humanos, ad materiam de gratia, de peccato, & similibus spectant: Hinc de more nostro instituimus pro complemento horum librorum de anima hunc tractatum de voluntate, in quo breuiter per plures quæstiones ad mentem Seraphici Doctoris hanc materiam examinabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, qualis, & quotuplex sit Voluntas rationalis.

578. PRIMÒ Supponendum Voluntatem esse potentiam formaliter distinctam ab intellectu, quod iam in principio demõstrauimus ex S. D. & sicut suprà dictum est cognitiuæ potentiæ cuicunque correspondere suam potentiam appetitiuam: hinc sicut datur appetitus sensitiuus consequens ad potentias cognitiuas sensitiuas, ita consequenter assignanda est potentia appetitiua rationalis, & spiritualis consequens ad intellectiuam, rationalemque, & spiritualem: idque est dogma de fide, quod pluribus locis S. Scripturæ habetur, vt *in Gen.* 4. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem:* & *in Eccl.* 18. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, & mille aliis locis habetur appetitum rationalem & esse distinctum, & contrarium sensitiuo: Hinc

579. PRIMA CONCLVSIO: Voluntas rationalis sic definitur à Seraph. Doct. Voluntas *est potentia, vel instrumentum seipsum mouens:* Sic Seraph. Doct. in Centil. *part.* 3. *sect.* 22.

EXPLICATVR, & probatur: Dicitur (*potentia*) loco generis, sicut etiam dicitur instrumentum animæ: Dicitur (*seipsum mouens*) vt denotetur ipsius libertas.

ITEM & ab eodem, sicut & à Scoto sic clariùs definitur: Voluntas *est appetitus cum ratione liber:* per quas particulas discernitur à cæteris potentiis, & indicatur ipsius natura, quæ est esse liberam ex ratione præcedente, quam sequitur.

580. SECVNDA CONCLVSIO: Voluntas multipliciter diuiditur: primò in communi, & sumpta impropriè, prout quid commune cuicunque appetitui: secundò propriè per diuersa munera. Explicatur, & & simul probatur.

PRIMÒ Voluntas impropriè sumpta, & metaphoricè conuenit non solùm rationalibus, sed & irrationalibus, prout important appetitum vel naturalem, vel sensitiuum: Sic Seraph. Doct. in Comp. Theolog. *lib.* 2. *cap.* 5. sed quia ad rem nostram tantùm spectat rationalis: hinc subdimus diuisionem spectantem ad liberam.

SECVNDÒ Voluntas rationalis primò diuiditur in naturalem, & deliberatiuam: naturalis dicitur voluntas rationalis, quatenùs importat inclinationem naturalem ad proprium commodum: in quo sensu Deus, & beatitudo dicitur finis naturalis hominis: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad arg.* & dicitur à Theologis thelesin: ab Aliis appetitus, scilicet naturalis: Deliberatiua verò dicitur bulesin ex S. Bonauent. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 50. estque illa, quæ dirigitur per rationem: hæcque est, de qua hîc loquimur principaliter: Sic etiam *lib.* 2. *distinct.* 28. *dub.* 4. *& lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2.

581. TERTIÒ diuiditur in concupiscibilem, irascibilem, & rationalem: Sic *lib.* 2. *distinct.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. *& lib.* 3. *distinct.* 26. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad* 1. *& lib.* 3. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. Hæc autem, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 30. *citat.*

Digitized by Google

citat. in nobis est duplex: prima est irascibilis, & concupiscibilis appetitus scilicet sensitiuus (estque communis cum brutis) licèt minùs propriè in his reperiatur: Secunda est rationalis: concupiscibilis autem appetitus, qui est in anima rationali, & spectat ad rationalem, est eadem voluntas, quatenùs tendit in delectabilia, & refugit tristabilia: Irascibilis autem idem agit, sed addit in obiecto bono, vel malo arduitatem: Vnde versantur circa idem obiectum, & differunt tantùm quoad officia, vel modos: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 25. *citat. quæst.* 2. Voluntas verò propriè rationalis, & absolutè est, secundùm quam nati sumus ferri in Deum, & in qua communicamus cum Angelis, & in qua secundùm diuersas comparationes reponi habent Theologicæ, & Cardinales virtutes: Sic S. Bonau. *lib.* 3. *dist.* 33. *cit. ad* 1. *& lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3.

QVARTÒ Voluntas rationalis diuiditur in imperatiuam, consiliatricem, & affectiuam: Imperatiua est, secundùm quam habet imperium super alias potentias, & diuiditur in synderesim, & liberum arbitrium: prima naturaliter mouet in bonum, & remurmurans, stimulansque contra malum, & hoc ex directione, quam tribuit intellectus virtute luminis innati: de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *per totum*, & hæc nunquam potest extingui quoad suum originale esse: licèt quoad actum extinguatur aliquando, vt in Dæmonibus: De libero arbitrio infrà agemus.

CONSILIATRIX est eadem Voluntas, quatenùs deliberat de mediis ad finem conducentibus, quæ, si sunt secundùm ius naturale, dicitur actus prudentiæ: si sunt secundùm ius Diuinum, & de arduis, est actus doni Spiritus Sancti *lib.* 3. *distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 4. & hinc diuiditur in partem inferiorem, & superiorem: Affectiua verò est idem ac naturalis, & deliberatiua.

582. TERTIA CONCLVSIO: Voluntas est potentia & passiua, & actiua simul.

PROBATVR: Quia cùm sit productiua actus immanentis, est etiam eiusdem receptiua: eius actiuitas autem tamen operatiua existimatur communiter à DD. de fide determinata in Concil. Trident. *sess.* 6. *can.* 4. licèt ab Aliquibus oppositum etiam existimetur: Vnde Arriaga conatur probare posse saluari libertatem etiam in passiuitate voluntaris, dummodò cum ipsa habeat influxum materialem ad actum, quod assertum tamen communiter ab Omnibus reiicitur: de quo vide Meldul. *disp.* 7. *quæst.* 1.

QVÆSTIO II.

An Voluntas sola sit potentia essentialiter libera.

583. QVÆSTIO hæc inuoluit multa difficilia ob varietatem opinantium circa radicem libertatis: nam licèt omnes Philosophi, & Theologi Catholici admittant libertatem in voluntate, excepto Auerr. Alex. Aphrodisæo, & nouissimè Mirandulano Pico *lib.* 25. *euers. sect.* 8. tamen dissentiunt in assignanda radice libertatis: Nam D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 83. & Discipuli dicunt

dicunt libertatem prouenire voluntati ab intellectu, & in hoc sitam esse radicem libertatis: Suarez *t.* 1. *de Gratia prol.* 1. *cap.* 4. *&* 5. Sotus de natura, & gratia *cap.* 16. Medina, Valentia, & Aliqui Alij negant voluntatem esse essentialiter liberam, sed posse Deum ipsam cogere. Caiet. *in part.* 2. *quæst.* 74. *art.* 4. tribuit non solùm intellectui, sed & appetitui sensitiuo tantùm libertatis formalis, quæ sufficiens sit ad peccatum veniale, quæ opinio tamen vel erronea, vel proxima errori existimatur ab Omnibus ob multa, & maxima inconuenientia, quæ hinc sequerentur, & maximè quia motus primo primi præuenientes voluntatem essent peccatum, quod repugnat determinationi S. Concil. Trid. *sess.* 5. de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. & in Theologia agetur fusè in tractatu de actibus humanis.

Commvnis Opinio est Seraph. Doct. & Scoti cum Sequac. & Plurimis Aliis, quod voluntas sola sit intrinsecè, & essentialiter libera, ita quod nec à Deo possit cogi, nec radix libertatis potest esse in intellectu, nec ab eo, nec ab alia potentia: Pro solutione quæstionis, & maiori elucidatione

584. Primò Notandum, quod cùm radix diuersitatis opinionum inter DD sit, an libertatis origo, radixque sit intellectus ipse: an verò tantùm insit in voluntate: In hoc tamen omnes conueniunt, Primò, quod radix libertatis sumpta in actu primo formaliter sit in sola voluntate, quæ vel realiter secundùm Thomistas, vel formaliter secundùm Nos distinguitur ab intellectu: Secundò conueniunt in hoc, quod actus voluntatis non procedunt ab intellectu, sed à voluntate: sed quæstio est, cùm voluntas necessariò præsupponat cognitionem intellectus, an hæc cognitio sit tantùm conditio sine qua non: an verò intellectus etiam concurrat effectiuè, & hoc dupliciter: primò, vel proponendo obiectum vt necessariò volendum, in quo casu voluntas determinaretur ab intellectu ad illud amplectendum, & ad oppositum reiiciendum: secundò, vel cum indifferentia iudicij proponendo tantùm rationes hinc inde, in quo casu intellectus tantùm se habet effectiuè quidem, sed tamen vt solùm conditio sine qua non, quia voluntas vult liberè: licèt enim sequatur talem indifferentiam iudicij, tamen semper id facit seipsam liberè determinando: primum asserunt Thomistæ recognoscentes concursum effectiuum tanquam radicalem, & intrinsecam determinationem voluntatis prouenire ab intellectu tali pacto, hoc obiectum consideratis omnibus est eligendum, & illud respuendum: Addunt & aliam radicem extrinsecam tamen libertatis, scilicet Omnipotentiam Diuinam valentem determinare effectiuè voluntatem.

Scotvs è contra sustinet radicem extrinsecam libertatis esse non Omnipotentiam Diuinam, sed voluntatem, seu Dei libertatem, ex qua omnis contingentia creata, & libertas in creatis oritur: Intrinsecam verò docet prouenire non à iudicio practico intellectus, sed ab ipsa voluntate, quæ de se est in actu primo indifferens, posito etiam quocunque iudicio practico intellectus: Sic Scotus apud Meldul. *disputation.* 7. *quæst.* 3.

Sed

Digitized by Google

SED Scoto præiuit Seraph. Doct. qui *lib. 2. distinct. 25. part. 2. quæst. 1. in corp.* docet, quod libertas à coactione importat quandam excellentiæ dignitatem, quæ in creaturis liberis est æqualis, tamen excellentiùs est in Deo, in quo est hæc dignitas summa, & prima, propter quam & infra illam est dignitas hæc in creaturis: hinc & extrinseca radix libertatis creatæ est à voluntate Diuina: Intrinseca verò est in ipsa voluntate, quia intrinsecè est talis: Vtque id clariùs elucescat.

585. SECVNDÒ Notandum Voluntatem posse considerari in triplici statu: primò remotè, & radicaliter secundùm se solam: secundò proximè, idest cum omnibus prærequisitis ad agendum, & in actu primo proximo: tertiò dum actu operatur: primo modo à S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 25. part. 1. art. 1. quæst. 4. in corp.* appellatur instrumentum, seu ipsa potentia secundùm se: secundo modo appellatur habitus: tertio modo actus: & quæstio est, an in secundo statu positis omnibus prærequisitis sit libera ad exeundum in actum, vel ad non exeundum: & deindè an in tertio statu sit adhuc libera: Vbi Aluarez *de diu. aux. disp.* 115. cum Aliis dicit in secundo statu esse liberam in sensu diuiso, non verò in sensu composito: & in tertio statu negant esse liberam, præcipuè Ocham cum Nomin. Nos verò dicimus semper in quocunque statu esse liberam.

586. TERTIÒ Notandum, quod cùm omne agens diuidatur per naturale, & liberum ex S. Bonauent. *lib. 1. dist. 10. art 1. quæst. 1 ad 3. & lib. 2. distinct. 25. quæst. 1. & aliis locis infrà citat.* Attamen multoties Seraph. Doct. explicat agens naturale, vel secundùm naturam sub nomine agentis necessarij, vel secundùm necessitatem per naturam, vt *lib. 3. distinct. 16. articul. 1. quæst. 3. in corpore*, vultque differre hæc agentia ex eo, quod liberum habet plenum dominium tam respectu obiecti, quàm actus: Respectu obiecti: quia non est arctatum ad aliquod genus appetibile, sed natum est omnia appetibilia velle, & omnia fugibilia respuere: Respectu actus, quia est liberum habens dominium plenum determinandi se ad suos actus, & oppositos: Agens verò naturale est determinatum ad vnum obiectum, extra quod non potest, & respectu cuius non habet dominium sui actus intrinseci: talis enim actus, licèt sit à potentia intrinseca, mouetur tamen necessariò ab extrinseco, ita quod non possit in illud non tendere: vnde potiùs, vel saltem principaliùs agitur, quàm agat: Sic Seraph. Bonauent. *lib. 2. distinct. 25. quæst. 1.*

SED vlteriùs est adnotandum, ne fiat aliqua æquiuocatio in hoc termino necessitatis: quòd necessitas alia est coactionis: alia est non absoluta, sed tantùm secundaria, & accidentalis: prima dicitur à S. Bonau. etiam absoluta, & consequentis, præuenitque illam potentiam, quæ potest coarctari ab extrinseco: & hæc tollit libertatem essentialem, determinatque potentiam ad vnum: Secunda dicitur consequentiæ, estque quid consequens ad actum potentiæ, & hæc potiùs est effectus exercitij potentiæ, & non opponitur libertati essentiali, & secundùm hanc dicitur, quod res, dum est, necesse est, quod sit, & appellatur

Digitized by Google

etiam necessitas immutabilitatis, quæ inest in beatis ad bonum, & in dæmonibus ad malum: Sic S. Bonau. *lib. 1. dist. 38. art. 2. quæst. 1. ad 1. & lib. 2. distinct. 25. part. 2. quæst. 2. & 4. & dub. 2. & lib. 2. dist. 7. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad 3. & quæst. 3. in corp. & alibi pluries:* hanc duplicem necessitatem explicat egregiè S. Bonauent. *lib. 1. dist. 6. quæst. 1. in corp. & ad 3. & lib. 3. distinct. 12. art. 2. quæst. 1. ad 5. & distinct. 16. artic. 1. quæst. 3. ad vltim.* quem sequutus est Scotus *quodl. 16. art. 2.* qui dicunt, quod prima necessitas est præuia ad actum, vt egredientem à potentia, ipsamque potentiam sibi subiiciens, & ad agendum determinans, esto, quod vt agens naturale æquiuocum esset indeterminatum ad plures effectus producendos siue contrarios, siue disparatos, vt est Sol: Secunda necessitas verò est consequens, vel concomitans, & ab ipsa potentia prouenicns, vel vt quodammodò effectus eius, quatenùs sibi ipsi hanc necessitatem imponit in operando: prima necessitas quidem libertatem tollit, non secunda, quia per hanc non potentia cadit sub necessitate, sed necessitas cadit sub potentia ex hoc, quod non aufert dominium actus: & hac necessitate dicitur Deum liberè seipsum diligere, & Spiritum Sanctum liberè spirari: quod vt meliùs intelligatur.

587. QVARTÒ Notandum, quod à Thomistis solùm duplex libertas agnoscitur, nempè contradictionis, & contrarietatis: prima oritur ex indeterminatione ad vtramlibet contradictionis partem, scilicet ad agendum, & non agendum, estque inter velle, non velle, nolle, & non nolle: est enim inter duo contradictoria, & dicitur etiam exercitij libertas, quia ordinatur ad exercendum, vel non exercendum actum: altera est inter duos actus positiuos contrarios inter velle, & nolle, & dicitur etiam specificationis, quia actus, verbi gratiâ, amoris, & odij differunt specie, oriturque ab indeterminatione, & indifferentia, quam habet voluntas exeundi in actum, vel suum oppositum: hinc cùm nullam aliam libertatem cognoscant, negant posse consistere cum necessitate. Seraph. Doct. quem adamussim Scotus sequutus est, vltra has duas aliud membrum agnoscit libertatis, quod est radix vtriusque suprà dictæ libertatis, consistitque in dominio absoluto, quod habet voluntas intrinsecè, & dicitur indeterminatio dominij: voluntas enim sola sibi ipsi, & propriis actibus dominatur, vt se sola mouere possit, & ideò ipsa vult, quia vult se velle, & mouere: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 2. quæst. 1. & 2.* nec potest ab alio moueri, quæ indeterminatio, & libertas stat simul cum contingentia, & necessitate non quidem antecedente, & prædeterminante voluntatem, sed consequente, vt suprà dictum est *in 3. Not.* Ratio est, quia talis necessitas non opponitur libero, sed contingenti: vnde idem potest esse liberum, & simul necessarium, vel contingens: quam doctrinam tradit Seraph. Doct. *in loc. citat. suprà in 3. Notab.* & præcipuè *lib. 2. distinct. 25. part. 2. art. 1. quæst. 2. & seq. per totam, & lib. 3. distinct. 20. artic. 1. quæst. 1. & lib. 3. distinct. 12. art. 1. quæst. 1. ad 5. & lib. 2. dist. 7. part. 1. art. 2. quæst. 3. & lib. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1.* quam necessitatem appellat immutabilitatis: Quod verò in

in doctrina Seraphica detur actus neuter, scilicet medium inter duo contradictoria velle, & non velle, scilicet nolle, & inter nolle, & non nolle, scilicet non velle, patet *ex lib. 2. dist. 23. dub. 2. & lib. 2. dist. 7. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 4. & lib. 1. dist. 46. art. 1. quæst. 2.* Vnde patet hanc doctrinam Scotum excerpsisse à Seraph. Doct. quam ipse Scotus tradit *lib. 1. dist. 49. & in quol. 16. & in Metaph. lib. 9. cap. 10.*

588. Qvintò Notandum, quod ex traditis, & tradendis differunt isti gradus libertatis: quod primus consistens in dominio est essentialis voluntati, & æqualis in omnibus agentibus liberis: nam vt ait Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 2. quæst. 1. & 5.* æqualiter excludit coactionem, & ista potest non solùm versari circa obiectum necessarium, sed & exerceri per actum necessarium, vt aduertit Seraph. Doct. *ibid. quæst. 2.* quo pacto Deus necessariò seipsum amat: Sic *lib. 3. dist. 20 quæst. 1. & aliis locis cit.* Cæteræ autem libertates, scilicet contradictionis, & contrarietatis inæqualiter insunt in creaturis, quia hoc pacto libertas sumitur per ordinem ad aliud, nempè ad iustitiam, & rectitudinem seruandam, quæ duæ libertates, licèt oriantur à prima, tamen differunt in hoc, quod libertas specificationis desumitur penes obiectum, ita vt si voluntas velit pro libito exercere actum, necessariò debet esse vel amoris circa bonum, vel fugæ circa malum: & *lib. 1. dist 1. art. 1. q. 1. ad 2.* libertas contradictionis verò, quia immediatè oritur à primo gradu, nempè à proprio dominio potentiæ, est etiam intrinseca ipsi, & ipsi subiacet necessitas immutabilitatis, quæ est necessitas consequens, & per consequens etiam recipit magis, & minus, vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 2. quæst. 1. & lib. 2. dist. 7. citat.* quod in sequenti quæstione magis patebit. Aduertendum etiam, quod hæc duplex libertas conuenit creaturæ dupliciter, scilicet vel respectu boni, & commodi naturalis, & hæc dicitur Physica, quæ competit etiam pueris, & stultis, vel respectu boni, & mali moralis, & hæc tantùm competit vsum rationis habentibus, & dicitur moralis. Ex quibus patet, quod licèt in ratione liberi arbitrij completa concurrat etiam operatio rationis: id tamen præsuppositiuè tantùm, & vt conditio sine qua non: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 1. quæst. vlt.* Quibus positis

589. Prima Conclvsio: Intellectus non est vel formaliter, vel radicaliter liber.

Prima pars est communis contra Auer. & Mirandulanum.

Secvnda pars est Seraph. Doct. Scoti, & communior contra Thomistas.

Probatvr prima pars, scilicet quod intellectus non est formaliter liber; Positis omnibus prærequisitis ad operandum intellectus non potest non operari: ergo non est formaliter liber. Consequentia est clara ex definitione libertatis: libera enim est illa potentia formaliter, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari, & non operari.

Probatvr antecedens: Quia proposito obiecto intellectui sicut non potest non intelligere, sic nec potest suspendere assensum suum circa ipsum: alioquin posset homo peccare

care ante consensum voluntatis, nec ignorantia inuoluntaria excusaret: Item homo bis peccaret in eodem genere peccati, nempè cùm iudicat, & cùm eligit.

PROBATVR secunda pars contra Thomistas, quod intellectus non sit radicaliter liber: Voluntas est causa totalis suorum actuum: ergo intellectus non est causa radicalis huiusmodi libertatis.

PROBATVR antecedens: Quia indifferentia totalis est ratio libertatis, sed hæc non est ab intellectu: ergo.

PROBATVR: Quia proposito obiecto ab intellectu ipsi voluntati sine vlla indifferentia, idest cum determinatione proposita ab intellectu, & cum vna sola circunstantia, adhuc potest voluntas illud velle, & non velle, & nolle: ergo hæc indifferentia libertatis non est ab intellectu: ergo nec libertas radicalis.

PROBATVR secundò: Quia si hæc indifferentia intellectus proposita ab ipso esset radix libertatis voluntatis, tunc esset etiam libertas in appetitu sensitiuo, cui proponuntur obiecta ab imaginatiua cum eadem indifferentia, verbi gratiâ, actus venereus cum motiuo delectabilitatis, & vt offensiuus sanitati: consequens est falsum: sic enim & Bruta essent libera: ergo & antecedens.

RESPONDENT negando paritatem: nam Bruta sequuntur cognitionem determinatam, non indifferentem: non sic voluntas, quæ sequitur iudicium dictans hoc, quod poterat dictare oppositum.

CONTRA: Intellectus in practicis nequit ad vtramque partem arguere, vt voluntatem suadeat, nisi ad vnam sophisticè syllogizet: necessariò enim altera est vera, altera falsa: sicque in tali casu intellectus cum indifferentia proponeret sub ratione falsitatis, quod est impossibile: nam sic voluntas haberet libertatem ob aliquem defectum existentem in intellectu. Tum etiam quia & si stantè iudicio indifferenti posset dici libera, tamen quandiu staret vltimum iudicium determinatum, non posset dici libera, sed omninò similis brutorum appetitui in operando, vt arguit Scotus *lib. 2. dist. 25. sub litera R.* Tum quia hæc indifferentia in iudicio intellectus non est intrinseca, sed extrinseca prouenienѕ ex variis mediis, & motiuis, quæ occurrunt ad mutandum iudicium in probabilibus, sicut in Bruto, quod verbi gratiâ, quando intendit comedere pabulum, se vertit ad aliud conueniens, quod occurrit, vt aduertit Seraph. Doct. *lib. 2. dist inct. 39. citat.* ergo talis indifferentia ad hoc, vel illud iudicandum vt conuenientius, cùm proueniat ab extrinseco, nihil facit ad libertatem: ergo nec potest esse radix libertatis voluntatis.

590. OBIICIES primò contra primam partem: Liberum arbitrium definitur facultas rationis: ergo est opus rationis.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 1. quæst. 3. & 5.* quod liberum arbitrium duo dicit, scilicet arbitrium, & liberum, idest arbitrium, nempè iudicium, quod ad libertatem præsupponitur: vnde se habet vt materiale præsuppositum tantùm, & dominium vt formale: vnde dicitur facultas, & dominium cum ratione, scilicet præsuppositiuè, non formaliter.

OBIICIES

Obiicies secundò cum Arriaga: Deus posset facere intellectum liberum, ergo essentialiter, & formaliter non inest libertas in voluntate.

Respondetur concedendo antecedens: & negando consequentiam: tunc enim intellectus esset potentia differens ab intellectu nostro, sed idem cum voluntate.

Obiicies contra secundam partem primò: Indifferentia, & indeterminatio est ab intellectu: est enim in ordine ad plures, & oppositos actus: ergo & libertas.

Respondetur triplicem indeterminationem dari: Alia est dominij super ipsam potentiam, & suos actus: alia est ad vtramlibet partem contradictionis: alia est ad plures effectus: primæ duæ sunt in intellectu: tertia est in voluntate: Explicat hoc S.Bonauent. *lib.2. dist.25. quæst.3. in corp.* dicens, quod liberum arbitrium nominat & rationem, & voluntatem: requiritur enim, vt potentia libera habeat dominium plenum respectu obiecti, & respectu actus, scilicet quod possit in hoc obiectum, & in aliud, & quod possit esse in actu, & cessare ab actu secundùm suum imperium, & proprium motum: & ad hoc requiritur, & quod possit mouere seipsam, & quod possit reflectere seipsam super proprium actum: reflexio autem est à potentia cognitiua proponendo hoc, vel illud motiuum, hoc vel illud obiectum, hunc vel illum actum, sed adhuc non habetur libertas nisi à voluntate rationem consequente, quæ liberè se mouet ad id, quod sibi libuerit: vnde indifferentia proponitur ab intellectu: vel obiectum, & actus proponuntur ab intellectu, & voluntas posteà liberè mouet se, &c.

Instas: Si proponatur ab intellectu obiectum absque hac indifferentia, tunc voluntas necessariò mouebitur ad vnum: ergo radicaliter est ab intellectu.

Respondetur negando consequentiam, primò, quia tunc voluntas potest liberè illud non velle per libertatem exercitij: tum quia indifferentia iudicij est solùm necessaria ad libertatem specificationis, sed tanquam conditionem sine qua non, & hac responsione satisfit omnibus obiectionibus Thomistarum, quæ ad summum probant tantùm hanc indifferentiam prærequiri ad libertatem specificationis. Ad aliam verò non est necessaria hæc indifferentiæ propositio: & in hoc sensu voluntas dicitur rationalis, quia sequitur rationem proponentem, quæ dicitur arbitra.

Obiicies secundò: Beati non habent libertatem tum contradictionis, tum specificationis: & hoc ob indifferentiam iudicij, qua carent: proponitur enim obiectum absque tali indifferentia: ergo hæc est radix libertatis, sed in omni actione de quacunque re particulari eligenda requiritur hoc iudicium vltimatum in intellectu præcedens actus voluntatis: ergo.

Confirmatur: Quia ideò appetitus brutorum est determinatus ad vnum, quia cognitio sensuum est determinata ad vnum: ergo idem dicendum est de voluntate nostra.

591. Respondetur ex S. Doct. *lib.2. distinct. 7. part.1. art.2. quæst.1. 2. & 3. & lib. 2. distinct. 25. part. 2. art. 1. quæst. 2. & lib. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1. ad 3. & in corp. & lib. 3. dist. 22.*

dist. 12. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. *& dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim. & distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. negando antecedens absolutè: nam licet Beati non habeant libertatem quoad exercitium, dum sunt in patria, sicut habent in via homines, & hoc ob determinationem, quam habent ex decreto Dei non volente concurrere ad actum oppositum causantem in ipsis immutabilitatis necessitatem: habent tamen libertatem essentialem, quæ consistit, vt dictum est ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 25. *citat.* non in hoc, quod possint velle oppositum, sed in hoc, quod id, quod volunt, subiacet ipsorum imperio, & dominio, scilicet quia volunt se velle illud obiectum, & ad id se mouent non moti nisi excitatiuè, licèt immutabiliter, vt dictum est, quod & infrà magis explicabitur, & fusiùs posteà in Theol. in tract. de visione beata: vnde ad subsumptum

RESPONDETVR, quod non ea ratione voluntas in via particulari vult aliquid, quia ab intellectu practico determinata sit, sed ideò est, & dicitur determinata ad tale obiectum quoad specificationem, quia tale obiectum habet rationem volibilis, & appetibilis, & potest habere rationem odibilis, & nolibilis, vel saltem id habet obiectum illi oppositum, & in hoc stat libertas specificationis, & voluntatis indifferentia, idque patet manifestè, quia semper intellectus proponit vltimum finem determinatè vt volendum, & malum vt fugiendum, & tamen voluntas sæpè vult oppositum.

AD Confirmationem negatur appetitum brutorum ea ratione non esse liberum, quia proponitur determinatè à sensu cognitiuo, sed est determinatus ad vnum, & naturalis, quia, cùm sit organicus, determinatur ad certum genus appetibilium, vnde necessitas inest in ipso appetitu antecedenter ad suos actus.

OBIICIES tertiò: Voluntas ipsa Diuina in volendo ad extra vult necessariò, & tamen dicitur libera: ergo erit ex indifferentia iudicij, quo proponuntur obiecta indifferentia, & non vt necessariò volibilia, & diligibilia.

591. RESPONDETVR hanc obiectionem excitare vnam ex difficilioribus quæstionibus, quæ tractantur in Theologia, vbi remitto ipsam soluendam: Pronunc

RESPONDETVR ex doctrina tradita à Seraph. Doct. *loc. cit.* quod voluntatem posse ad oppositos actus inuoluit imperfectionem, vt mox dicetur: quod verò velit varios effectus positiuos, id est perfectionis: idque conuenit Diuinæ voluntati secundùm se, non ex indifferentia iudicij, sed ex eo, quod habet Deus plenum dominium super proprios actus modo suprà dicto.

DICES: Ergo erit liberior voluntas in via, quàm in patria, cùm possit in actus oppositos, verbi gratiâ amare, & odisse idem obiectum.

RESPONDET S. Bonauent. negando Consequentiam, quia, vt dictum est, posse in actus oppositos dicit imperfectionem, obidque dicit mutabilitatem: vnde solùm est status defectibilis, & consequenter non potest esse in Deo.

OBIICIES quartò: Si libertas non oritur ex indifferentia iudicij, sequitur, quod in motibus primo primis carentibus propositione talis indifferentiæ factæ ab intellectu erit

peccatum

Digitized by Google

peccatum, sed consequens est falsum: ergo.

Confirmatur: Quia ex maiori, vel minori aduertentia etiam consurgit maior, vel minor grauitas in actu peccaminoso: Ergo.

Respondetur ex Seraph. Doct. negando sequelam: Ad probationem respondetur, quod motus primo primi sunt in carne, & naturales,& isti non sunt de se peccatum, nisi subiaceant voluntati: sola enim voluntas est principium moralium: vnde motus in sensualitate solùm secundo primi sunt peccata, quatenùs vel non impediuntur, vel non repelluntur statim, vel non vitatur causa, & ob alias similes causas: Sic Seraph.Doct. in Comp. Theol. *lib. 3. cap. 10. & 12. & lib. 2. distinct. 41. art. 2. quaest. 1. ad arg. & lib. 4. dist. 31. art. 2. quaest. 1. ad arg. & distinct. 31. art. 1. quaest. 3. ad 2. & dist. 21. dub. 4. & lib. 3. d. 33. art. 1. quaest. 3. ad 2. & pluribus aliis locis*, vt trademus in Theologia agentes de actibus humanis: Vnde non ideò actus tales sunt peccata, quia fiunt, vel non fiunt ex indifferentia iudicij, licèt haec praerequiritur tanquam conditio, sed ratione indifferentiae voluntatis.

Ad Confirmationem Respondet Meldul. *disp. 7. num.* 48. quod aliud est loqui de libertate Physica, aliud de morali, ad primam sufficit aliqua cognitio commodi, pendetque ex indifferentia potentiae volitiuae, & haec est in pueris ante vsum rationis, & in stultis: ad aliam autem requiritur recta cognitio moralis vt honesti boni, & mali oppositi, & haec potest dici accidentalis respectu alterius, quae est essentialis,& Physica: & de hac accidentali conceditur grauitatem oriri ex maiori aduertentia, vel minori, sed de hac non loquimur hìc: nec hinc inferri potest radicem libertatis absolutae oriri ab indifferentia iudicij.

593. Secunda Conclusio: Radix extrinseca libertatis nostrae est voluntas Diuina: Intrinseca est indifferentia voluntatis, seu potiùs ipsa entitas voluntatis. Prima pars est Scoti apud Meldul. *disp. 7. num.* 32. cui preiuit Seraph.Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 2. quaest. 1 in corp.* vbi docet, quod dignitas liberi arbitrij in Deo superexcellit omnem libertatem creatam, quia est infra illam, & propter illam, idest oritur à Diuina: idem & infertur ex iis, quae tradit *lib. 1. distinct. 45. art. 2. quaest. 1.* vbi docet Dei voluntatem, & libertatem esse causam rerum, obidque & voluntas creata est libera per participationẽ, vnde in Deo Omnipotentia dicit vim agendi, sed voluntas dat sic, & sic agere.

Probatur autem ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 45. cit.* Deus est causa rerum, ergo & libertatis humanae: sed est causa vel quia potens, vel quia sciens, vel quia volens: non ob primum, vel secundum, quia multa potest, & scit, quae non facit: ergo vt volens: ergo voluntas Diuina est prima radix libertatis humanae.

Probatur secunda pars ex suprà traditis: Nam si non oritur intrinsecè libertas ab indifferentia iudicij, vt satis probatum est: ergo oritur ex sua intrinseca indifferentia. Tum quia haec indifferentia est id, quo distinguitur voluntas à potentia naturali: ergo. Vide S.Bonauent. *lib. 2. distinct. 25. part. 2. per totam*, vbi probat essentiam voluntatis consistere in libertate.

Obiicies primò contra primam

partem: Causa rerum est Diuina Omnipotentia: ergo & libertatis humanæ: Antecedens patet, quia causat res ratione virtutis agendi; sed hæc est Omnipotentia: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 45. *cit.* concedendo antecedens identicè: non verò præcisè: Ad probationem respondetur Deum esse causam rerum non præcisè ob virtutem agendi, sed ob modum agendi, licèt vtroque modo sit talis causa: sic enim consideratur Diuina potentia vt modificata à libertate.

OBIECTIONES contra secundam partem suprà sunt solutæ in prima Conclusione.

594. Ex quibus sequitur primò solam voluntatem esse Reginam inter omnes alias potentias: nam, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *&* 3. sola voluntas vtitur suo actu, ipsumque refert, vbi sibi placet, vel quiescendo ibi, vel aliud intendendo. Tum quia sola voluntas potest imperare cæteris potentiis: Sic & *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. *ibid.* *&* *lib.* 3. *distinct.* 17. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

SEQVITVR secundò, quod in voluntate nostra dantur tres gradus libertatis: Primus est essentialis, immò essentia eiusdem voluntatis, & fundamentum, consistitque in dominio, quod habet voluntas super se, & super actus suos, quo vult se velle: Secundus consistit in libertate contradictionis, seu exercitij: Tertius est contrarietatis, seu specificationis: de quibus suprà in fundamentis satis dictum est.

ADDIMVS tamen libertatem contradictionis magis adæquatè exprimere naturam libertatis nostræ; nam per libertatem dominij magis quidem explicatur libertas Dei, & Beatorum, & est componibilis cum necessitate, & contingentia, obidque libertas contrarietatis respectu boni infiniti non potest exerceri per actum odij: at sola libertas contradictionis competit soli voluntati creatæ respectu omnium obiectorum; hæc enim est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari, & non operari, nec stare potest cum necessitate: tertiò sequitur voluntatem esse potentiam super seipsam, & super proprios actus reflexiuam, potest seipsam mouere, & velle se velle: Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim.* *&* *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.*

QVÆRES; an libertas sit æqualiter in omnibus agentibus liberis.

RESPONDET Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *quæst.* 1. quod loquendo de libertate à coactione est æqualis in omnibus tam Deo, quàm creaturis, licèt principaliùs in Deo, obidque analogicè respicit Deum, & creaturas liberas: est enim essentialis voluntati: loquendo verò de libertate à miseria, & à culpa, nequaquam: nam in nobis est cum defectu cum potentia ad velle bonum, & malum, non verò in Beatis, licèt in ipsis etiam adsit libertas contradictionis, & contrarietatis respectu aliquorum actuum.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Explicatur libertas voluntatis in vsu, & exercitio.

595. QVÆSTIO hæc est valdè difficilis, habetque duplicem partem: altera est, quomodò voluntas sit libera ad exeundum in actum secundum ex actu primo, & positis omnibus prærequisitis spectantibus ad eandem voluntatem: Altera est, an dum actu operatur, sit libera quoad actum, ideſt an talis actus sit liber.

ET quoad primam partem quæritur, an sicut causa naturalis posita in actu primo cum sua virtute totali, & completa cum omnibus prærequisitis non solùm ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, vt sunt cuiuscunque impedimenti remotio, passi approximatio, & aliarum concausarum concursus, necessariò exit in actum secundum, qui dicitur vsus talis potentiæ: sic in proposito vsus facultatis liberæ nedum supponit indifferentiam actiuam eiusdem potentiæ, sed eandem indifferentiam sub necessariò prærequisitis ad agendum constitutam, proximéque dispositam tali modo, verbi gratiâ ad actum amoris: an constituta sub ipsis prærequisitis possit seipsa actionem suspendere in sensu composito, scilicet componendo suspensionem actionis cum illis prærequisitis: an solùm sit libera in sensu diuiso, ideſt præscindendo ab eisdem prærequisitis.

HIC autem proponitur quæstio in solis terminis Philosophicis, & respectu actuum naturalium nihil agendo de operibus supernaturalibus, quæ dependenter à gratia fiunt ab homine, ac proinde neque de illis actibus, qui sunt effectus prædestinationis, hoc enim spectat ad Theologos, licèt quæstio hæc in sensu purè naturali valdè conducat etiam ad intelligentiam eorum, quæ in hac materia tradentur in eadem Sacra Theologia: In hac quæstione igitur sic explicata.

PRIMA Opinio est Thomistarum prædeterminantium apud Aluarez *lib. 12. de diu. aux. disp.* 115. docentium voluntatem esse liberam tantùm in sensu diuiso, non verò in sensu composito, eo quod inter prærequisita ad operandum supponatur prædeterminatio Physica Dei, cum qua necessariò voluntas debet operari.

SECVNDA Opinio est communissima Seraph. Doct. Scoti, & Aliorum ferè omnium extra Prædeterminantes, seu rigidiores Thomistas, asserentium voluntatem esse in quocunque statu liberam, ita vt possit pro libito etiam præsuppositis quibuscunque requisitis non agere, vel agere oppositum, loquendo de voluntate nostra viatorum.

QVOAD alteram partem: Prima Opinio est Nominalium Ocham, Gabriel, Aliorumque *lib.1. disp.38.* negantium voluntatem in actu secundo esse liberam quoad vsum.

SECVNDA Opinio communior docet etiam in tali statu esse liberam. Pro solutione huius duplicis quæstionis, cui etiam adnectemus alteram, an Deus possit violentare voluntatem nostram ad oppositum eius, quod liberè vult.

596. PRIMÒ Notandum, quod

tota difficultas in prima parte quæstionis est in cognoscendo, quænam sint ea, quæ spectant ad intrinsecam libertatem voluntatis, & quænam sint ipsi extrinseca prærequisita tamen ad ipsius exercitium: Vnde aduertendum, quod libertas est modus, seu determinatio, seu qualitas intrinseca substantialis voluntatis, quæ ei non obuenit ab aliquo extrinseco, sed inest ipsi ex natura propria potentiæ liberæ, quare se habet vt differentia essentialis ipsam in esse constituens, & distinguens à quacunque alia potentia naturali, siue necessaria, & consequenter cætera ipsi extrinseca non debent habere hanc rationem formalem in se, sed tantùm ipsis conuenire dicuntur extrinsecè, quatenùs vel terminant habitudinem voluntatis, & libertatis, vti est obiectum: vel quatenùs sunt effectus ipsius, vel quatenùs prærequiruntur vt conditiones antecedentes, vt est indifferentia iudicij: quæ tamen vt conditiones extrinsecæ requiruntur, adhoc vt voluntas possit actu exire in actum secundum, vt est apprehensio, vel iudicium intellectus ostendentis obiectum: item & idem obiectum sub communi ratione boni: item & concursus generalis Dei, vt primæ causæ: Et hæc sunt per se clara, licèt posteà adsit discrimen inter DD. vt in præcedenti quæstione patet circa indifferentiam intellectus, an sit quid intrinsecum, an extrinsecum: de quo etiam infrà.

597. SECVNDÒ Notandum, quod duplex libertas datur: alia in actu primo: alia in actu secundo: prima est, per quam potentia constituitur potens operari, & non operari eo modo, quo causalitas causæ in actu primo est, per quam causa actu causat, sic & libertas in actu secundo illa est, per quam potentia libera actu liberè operatur, & quia causalitas in actu primo & secundo vna, & eadem est realiter, nec aliquid reale addit causalitas in actu secundò ipsi causæ in actu primo, sic & libertas in actu secundo dicit exercitium libertatis in actu primo, ita quod eadem potentia, quæ dicitur in actu primo libera, cùm sumitur secundùm habilitatem operandi, & non operandi, dicitur potentia in actu secundo libera, cùm actu exercet libertatem, & habilitatem illam: & hinc patet, quomodò voluntas est libera etiam, dum actu operatur, quia eadem est, ac priùs erat.

EXPLICANT hoc Scotistæ apud Meldul. num. 44. distinctione illa de voluntate vt productiua, & vt operatiua: primo modo consideratur in actu primo ante productionem: secundo modo consideratur post actum iam productum, & receptum: & dicunt aliqui ipsorum, quod libertas eius consistit in hoc secundo modo magis, quàm in primo, nempè quatenùs per hunc actum iam productum, & receptum potest tendere, & non tendere in obiectum: Attamen ex dictis patet magis propriè consistere in primo modo, prout est productiua actuum: nam in actu secundo nihil superadditur nisi exercitium suæ libertatis in actu secundo, quam habebat in actu primo: Vnde vtroque modo dicitur libera, sed magis tamen in actu primo, prout est productiua: quod tamen in nobis inest ob imperfectionem nostram, nempè quia voluntas nostra non est operatiua, idest receptiua sui actus, & quia tendit in obiectum, quatenùs priùs est productiua, scilicet potest producere,

Digitized by Google

ducere, vel suspendere actum, nam in Deo non adest hæc distinctio: solùm enim est operatiua, non verò productiua sui actus, cùm ob sui illimitationem possit per eundem actum suum non distinctum ab ipsa voluntate exercere libertatem tendendo, vel non tendendo in obiectum: At in nobis, ad hoc vt voluntas verè sit libera, requiritur primò vis libera productiua, & suspensiua actus pro libito, ita quod magis principaliter dicitur libera, vt voluntas est, non vt volens, nisi secundariò.

598. Tertiò Notandum, quod per hoc differt causa libera à necessaria, quod necessaria extrinseca ratione positis omnibus requisitis ad agendum nequit actum suspendere: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 1. art. 1. quæst. 1. & dist. 38. art. 2. quæst. 1.* estque determinata ad vnum: & si aliquando non fit, id euenit ab extrinseco aut impediente, aut applicante causam ad aliud, aut quia in subiecto est aliquod incompossibile cum effectu, & in hoc sensu dixit Seraph. Doct. *in Op. de 7. Itiner. aetern. itin. 4. dist. 2.* quod amor naturalis antecedit cognitionem: est enim actus naturæ necessarius, & naturalis, & prouenit à voluntate, vt natura est, non sic tamen est deliberatiuus: est enim à voluntate vt à causa libera, quia causa libera creata habet hoc, quod positis omnibus requisitis potest producere actum, ipsumque suspendere ex intrinseca sui virtute. Ex quo sequitur, quod in causa libera connotantur duæ negationes: altera est negatio dependentiæ, seu connexionis necessariæ ab aliqua causa, vel ab aliqua circunstantia, à qua necessariò effectus proueniat: altera est negatio impedimenti ad actum secundum proprium, quando tale impedimentum non sit in potestate eiusdem causæ liberæ: ratio est, quia vnus, & idem effectus non potest naturaliter simul terminare duplicem dependentiam, alteram liberam, alteram necessariam, & naturalem: sunt enim opposita inter se: alioquin simul esset necessariò, & contingenter: possetque simul esse & nō esse, & simul non posset non esse: & si causa necessaria est superior, & determinatiua ad talem effectum vnum, & eundem, determinatiua, inquam, voluntatis liberæ, tunc traheret voluntatem ad operandum ad modum causæ necessariæ, quod implicat. Ex qua doctrina verissima patet, quomodò distinctio data à Thomistis de sensu composito, & diuiso non facit ad rem, & positio prædeterminationis Physicæ destruit libertatem voluntatis ipsam trahendo ad operandum ad modum causæ necessariæ, & naturalis. Dicunt enim, quod illa prædeterminatio non potest vinci à voluntate, & est determinatiua necessariò ipsius voluntatis ad talem effectum, & non ad alium.

599. Quartò Notandum, quod, vt meliùs intelligatur, qualis necessitas stet cum libertate: duplex datur necessitas, alia dicitur ineuitabilitatis: alia immutabilitatis: sic Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 20. art. 1. quæst. 1. in corp.* Prima dicitur necessitas absoluta per se, & simpliciter, vt aduertit *lib. 3. dist. 12. art. 2. quæst. 1. ad 5.* secunda dicitur conditionata: sic & *lib. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1.* Prima repugnat voluntati: Secunda subest voluntati: Prima est à natura, vel à coactione: Secunda est à libertate, vel ab aliqua causa extrinseca, prout voluntas ei liberè subjicitur: vnde cum hac

secunda

secunda remanet intactum dominium voluntatis, quod habet ipsa super se, & super actus suos: Sic *lib.2. dist.7. part. 1. art. 2. quæst. 3.* qua doctrina soluitur illa celebris quæstio: an obiectum possit proponi tale ipsi voluntati, vt necessitet voluntatem ad illud amplexandum, ita quod auferat ipsi libertatem vel omnimodam, vel contradictionis, vel contrarietatis: cui breuiter

Respondetur cum communi primò, quod in via non potest dari obiectum, quod necessiter voluntatem quoad exercitium, benè autem quoad specificationem: ratio primæ assertionis est, quia cùm voluntas habeat plenum dominium super se, & super actus suos, potest velle, & non velle, & nolle, idest suspendere actus suos: ratio secundæ assertionis est, quia si voluntas vult exire in actum, necessariò debet exire in actum vel prosequutionis, vel respuitionis, vt docet Seraph. Doct. primus respectu boni, secundus respectu mali, vt dictum est, & infrà dicetur de voluntatis obiecto, vt notat S. Bonauent. *lib. 1. distinct. 1. art. 1. quæst. 2. ad 2.* Sed quia tota difficultas est de obiecto beatifico, an etiam quoad exercitium necessitat voluntatem beati ad amorem.

Respondent D. Thomas, & Seq. affirmatiuè: Faber docet *lib. 1. disp. 14. quæst. 4. cap. 3.* eodem modo, sed addit remanere libertatem essentialem in ipsorum beatorum voluntate, non verò quoad exercitium: Attamen distinguendum est ex doctrina Seraphici Doct. nam cùm intrinsecè, voluntas habeat suam indifferentiam ad agendum, & non agendum circa quodcunque obiectum, solùm potest moueri ab aliqua extrinseca dispositione, quæ dicitur intrinseca, quatenùs existit in potentia, non verò ab obiecto, quæ cum necessitate immutabilitatis faciat operari, quæ necessitas est consequentiæ, & subest voluntati, non autem antecedenter, nec præcedit: Sic Seraph. Doct. *lib.2. distinct. 7. part. 1. artic. 2. quæst. 3.*

Hæc autem dispositio (aiunt Scotus, & Scotistæ *lib. 4. distinct. 49. quæst. 6.*) est concursus Diuinus efficax ad fruitionem, & negatio eiusdem ad oppositum. S. Bonau. *lib. 2. dist. 14. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad 5.* docet esse deiformitatem, quæ habetur per lumen gloriæ, & per gratiam: In dæmonibus, & damnatis verò hæc dispositio est conglutinatio perpetua ad malum: vnde in Beatis complet libertatem, in malis relinquitur voluntas subiecta vertibilitati: Vide S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 7. part. 1. art. 2. per totum.* Hinc concluditur, quod licèt libertas specificationis pendeat ab obiecto, ita vt si obiectum sit conueniens, nequeat determinare nisi actum amoris, si disconueniens, actum odij: atque ideò potest voluntas quoad hanc libertatem necessitari, quæ necessitas subest voluntati: tamen libertas exercitij totaliter se tenet ex parte potentiæ præscindendo ab eo, quod obiectum sit bonum, vel malum: vnde si secundùm hanc libertatem necessitentur Beati quoad obiectum beatificum, id tamen non eis aduenit ex obiecto, sed ex dispositione potentiæ circa tale obiectum ipsam potentiam perficiente, idque patet ex eo, quod Beati habent hanc libertatem respectu aliorum obiectorum:

rum : habent enim vertibilitatem, qua possunt velle, & nolle, & non velle, vt docet S. Bonauent. *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 2. *quaest.* 2. Sed quia hæc materia est purè Theologica, sat sint dicta: Hinc

600. Prima Conclusio: Voluntas nostra est libera quoad vsum ita, quod positis quibuscunque prærequisitis potest agere, & non agere pro libito: Est S. Bonau. *lib.* 2. *distinct.* 25. *cit. in anteced. quaest.* & *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quaest.* 6. vbi docet loquendo de voluntatis effectibus ad opera supernaturalia, quod supposita gratia in voluntate adhuc non mouetur à gratia, sed est ipsa voluntas, quæ mouet seipsam liberè: Sic & *lib.* 1. *dist.* 40. *art.* 4. *quaest.* 2. *ad* 6. & *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *quaest.* 3. vbi docet, quod liberum arbitrium potest considerari vt liberum, & vt deficiens: prout est liberum, habet exire solùm in bonum per actum deliberatiuum: prout est deficiens, etiam in malum, & *lib.* 2. *distinct.* 43. *art.* 1. *quaest.* 2. *in fine corp.* docet, quod voluntas nostra exit in actum nulla superadditâ dispositione præambula, sed ipsa voluntas, quia est domina sui actus, & libera potest seipsam conuertere ad id, quod vult, & sicut vult, & si indebitè se conuertit, tunc peccat nulla superadditâ dispositione præambula.

Addit *ibidem quaest.* 2. quod in Beatis actus est necessarius, & immutabilis, & tamen operatur voluntas liberè non ex eo, quod ita vult hoc, quod possit velle oppositum in actu secundo, id enim competit voluntati, prout est indifferens, & deliberans, sed quia omne, quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, vt velit se velle illud: vnde patet, quod voluntas de se est libera intrinsecè: pro statu autem isto est deliberans, & potens in actus oppositos.

Probatur primò: Quia si non esset voluntas libera quoad vsum, nullum esset discrimen inter potentiam naturalem, & liberam.

Probatur sequela: Quia potentia naturalis positis prærequisitis non potest non agere, & ablatis non potest actu agere.

Probatur secundò: Quia si prærequisita voluntatem determinant, sequitur, quod sit causa necessaria, & naturalis, non libera.

Probatur sequela ex traditis *in vltim. Notabili*: Quod dependet à principio determinato etiam extrinseco ipsi voluntati, non debet posse non esse intrinsecè (id autem est proprium actus naturalis) sed voluntas in suo actu dependet à principio extrinseco determinato ex Aduersariorum Sententia: ergo & ipsius effectus non potest non esse. Tum quia principium extrinsecum alteri comprincipio determinatum tamen ad eundem effectum causa est determinationis determinatæ dependentiæ eiusdem effectus, & ob id necessariæ: ergo si voluntas est determinata à principio extrinseco determinato, erit etiam determinata ad eundem effectum, obidque nec poterit non esse: sed hoc est contra definitionem voluntatis, quæ est, quod omnibus positis prærequisitis potest agere, & non agere.

Dices hanc determinationem prouenire ex concursu superiori, & vniuersali, obidque secundùm regulam logicalem allatam à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 40. *art.* 2. *quaest.* 1. quando effectus dependet à duabus causis,

Digitized by Google

causis, quarum vna est inuariabilis, & est vniuersalis, & particularis est variabilis, tunc effectus denominatur contingens ex causa particulari: sic negantur sequelæ adductæ.

CONTRA: Quia illa regula verificatur, quando relinquitur in suo esse, & posse proprio, & intrinseco causa particularis, nec variatur eius modus operandi per concursum causæ vniuersalis: vnde concursus generalis Dei ad omnes effectus non variat naturam, & modum operandi causatum particularium: sed quando causa superior variat modum operandi ipsius causæ particularis, & hæc sequitur determinationem vniuersalis, tunc effectus denominatur ab illa vniuersali, non à particulari, vt est in proposito.

601. PROBATVR tertiò: Quia nullum discrimen esset inter voluntatem Beatorum, & nostram, cùm in ipsis sit determinata proximè, & indeterminata remotè tantùm, obidque non possunt in actum oppositum, & in suspensionem actus, absque eo quòd lædatur eorum libertas essentialis: ergo si nostra voluntas determinata ab aliquo extrinseco non est libera quoad vsum, erit similis voluntati Beatorum: sed hoc est impossibile, & improprium voluntati subiectæ variationi, & mutabilitati: ergo: de quo *lib. 2. distinct. 7. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 5.*

NEC Thomistæ possunt saluare libertatem in voluntate per hanc indeterminationem remotam, cùm negent libertatis dominium in voluntate, recognoscentes tantùm libertatem contradictionis, & contrarietatis: nec item cum distinctione sensus diuisi, & compositi, cùm id verificetur etiam de potentia necessaria, & naturali, vt suprà probatum est: nec item respondendo illum concursum determinantem esse consentaneum creatæ libertati ipsam insensibiliter conducentem ad actum determinatum cum potentia tamen remota ad actum oppositum, vel suspensionem actus: & hæc est responsio communior Thomistarum, quæ coincidit cum alia de sensu diuiso, & composito: contra quas responsiones

INSVRGO primò: quia si remanet potentia ad oppositum: ergo non est ille concursus efficaciter determinans: si enim remanet potentia illæsa ad talem actum, erit etiam ad suum oppositum: alioquin, vt dictum est, nulla esset differentia inter causam naturalem, & liberam: nam in causa necessaria non applicata remanet potentia remota ad actum hunc, vel illum, non autem si est determinata.

NEC valet dicere causam naturalem esse ab intrinseco determinatam, & necessitate antecedente: liberam verò consequente, & extrinseca necessitate iuxta eiusdem causæ liberæ exigentiam: Non valet, inquam, quia parùm interest determinari ab intrinseco, vel ab extrinseco, si ex qualibet determinatione ita sequi debeat effectus, vt remaneat solùm potentia remota ad actus oppositos. Tum quia causa naturalis solùm est determinata intrinsecè in specie ad suos effectus: vt autem actu operetur, indiget determinatione ab extrinseco, verbi gratiâ, approximatione, applicatione, &c. ergo ad actum peculiarem vtraque haberet eandem indifferentiam: Præterea

CONTRA allatam responsionem rursus directè insurgo: Modus consentaneus

ſentaneus creatæ libertati eſt, vt poſſit ſeipſam determinare, & non ab alio habere determinationem antecedenter: ergo nulla reſponſio.

PROBATVR antecedens, & ſimul conſequentia: ſi antecedenter ad proprios actus determinatur: ergo non remanet ampliùs, vt ſeipſam determinet: ſublata enim remanet indifferentia inter actum, & ſuſpenſionem actus; & pro eo inſtanti temporis, quo actus eſſe debet, ſuſpenſio non eſt poſſibilis: quia datâ prædeterminatione ad actum, non eſt prædeterminatio ad ſuſpenſionem eius: ergo nec hanc poteſt velle: ergo non eſt poſſibilis: ſunt enim pro eodem tempore incompoſſibilia, & oppoſita.

ET hæc ſat ſint, nam in Theologia agitatur hæc quæſtio, & ibi ſoluentur omnes obiectiones in contrarium: Vide Vaſquez, Suarez, Alioſque.

602. OBIICIES hanc determinationem à nobis recognoſci in Beatis, & tamen eſt abſque læſione libertatis: ergo & hic.

RESPONDETVR negando Nos admittere determinationem antecedentem, ſed tantùm conſequentem, ex eo quod remanet ſemper in quocunque ſtatu in actu primo, & antecedenter domina ſui actus, qua ſe mouet, & liberè vult ſe velle, vt docet Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 25. citat.*

NEC hîc mouetur hæc difficultas circa hanc libertatem dominij, quæ intrinſecè ſemper ineſt ipſi: ſed de libertate pro hoc ſtatu, in quo homo ſubiectus eſt variationi, defectioni, & mutabilitati: obidque & per libertatem contradictionis, & contrarietatis poteſt ſe mouere, & non mouere, agere benè, vel malè: Sic Seraph. Doct. *cit.*

DICES ſecundò: Etiam in Beatis eſt vſus liberi arbitrij, & tamen antecedenter ad talem vſum eſt determinatum: ergo nulla reſponſio.

RESPONDET S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 7. part. 1. art. 3. quæſt. 2.* Vſus alicuius potentiæ dicitur duplex, vel eſt elicitus à potentia, vel elicitus à potentia ad eum finem, ad quem eſt: primo modo vſus liberi arbitrij eſt liberè velle ex dominio, quem habet voluntas ſuper ſeipſam, & ſuper actus ſuos: & in hoc negatur dari determinationem vllam, immò nec poſſe dari, eſtque æqualis in omnibus agentibus liberis, ſiue Deo, ſiue Angelis, ſiue Dæmonibus, ſiue hominibus, vt fusè docet S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 25. part. 2. quæſt. 1.* Secundo modo determinatur in Beatis per lumen gloriæ, & per gratiam efficaciſſimam, qua determinatione deficiente in Dæmonibus non poteſt vſus bonus ſecundò modo ſumptus ob obſtinationem ipſorum confirmatam: Vide *ibid.* Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 7. art. 3. per totum, & diſtinct. 25. p. 2. per totam.*

603. SECVNDA CONCLVSIO: Voluntas non ſolùm eſt libera quoad vſum in actu primo, ſed & quoad ſecundum actum, ita quod cùm eſt determinata ad unam partem actu agendo, in eodem inſtanti etiam dicitur libera: Eſt contra Nominales, eſt tamen Seraph. Doct. Scoti, & Communior.

PROBATVR hæc Concluſio à Meldula: Quia in eo inſtanti temporis, quo voluntas operatur, importantur duo inſtantia naturæ: ſed in primo eorum intelligitur indifferens, in ſecundo non ampliùs indif-

ferens, sed determinata, idque sufficit ad prædicandam libertatis indifferentiam: ergo. Quæ ratio tamen non sufficienter probat, cùm ex ipsa sequatur voluntatem non posse in illo instanti naturæ dici esse liberam, quia existentia indifferentiæ mensuratur temporis instanti, non naturæ: ergo.

PROBATVR igitur ex doctrina tradita in secundo fundamento: Nam eadem potentia est, quæ in actu primo est potens operari, quæ in actu secundo operatur: ergo si est eadem omninò in vtroque statu nullo addito ipsi potentiæ præter exercitium, si est libera, & indifferens in actu primo, ergo est & in actu secundo.

CONFIRMATVR: Quia si est eadem omninò potentia cum omnibus prærequisitis tam in actu primo, quàm in secundo: ergo est etiam in hoc statu libera, & indifferens.

DICES in actu secundo superaddi exercitium.

CONTRA: Exercitium, in quo consistit actus secundus, non est aliquid superadditum ipsi potentiæ, quæ per seipsam, & ex dominio suo rendit in obiectum: ergo cùm non addat aliquid, nec contineat aliquid, quod prius non fuerit in eadem potentia per modum actus primi, sequitur, quod non auferat libertatem, vel indifferentiam. Ratio à priori potest esse, quam adducit Meldula *num.* 25. Indeterminatio de possibili stat cum determinatione de inesse: at voluntas ex indifferenti potestate operatur in actu secundo: ergo cum hac indifferentia stat productio actus.

OBIICIES primò: Impossibile est eundem actum esse productum, & simul suspensum; ergo dum actu producitur, non habet potestatem ad eius suspensionem: ergo nec indifferentiam.

RESPONDETVR concedendo antecedens in nobis, & distinguendo Consequens, dum actu operatur, non habet potentiam ad suspendendum coniunctim, & in actu secundo, concedo: disiunctim, provt importat potentiam, nego: nam libertas non dicit potentiam simultatis, sed simultatem potentiæ: quare libertas tota stat ex parte potentiæ, quæ eadem est tam in actu primo, quàm in secundo, non ex parte actus: libertas enim in actu est denominatio tantùm extrinseca ei proueniens ex tali indifferentia voluntatis, obidque & accidentaliter, cùm possit ei inesse indifferenter etiam necessitas, vt suprà probatum est, & docet Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 16. art. 1. quæst. 3. ad vlt. & lib. 2. dist. 25. part. 2. quæst. 2. in corp.*

INSTAS: Res, dum est, necesse est, vt sit: ergo dum actus producitur, necesse est, vt sit.

RESPONDETVR totum esse verum de necessitate consequente, & ex suppositione, sed hinc non infertur talem actum non esse contingentem, & auferre indifferentiam intrinsecam potentiæ: per hoc enim distinguitur actus liber à necessario: quod actus liber est ad obiectum propositum cum indifferentia: necessarius verò absque tali indifferentia.

QVÆRES: an voluntas à Deo possit cogi?

604. RESPONDETVR hanc quæstionem proponi, & solui à Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 2. artic. 1. & 2. quæst. 4.* dicenre quoad actus

actus exteriores, siue imperatos posse impediri, quia contra eius imperium possunt potentiæ inferiores per violentiam agentis extrinseci exercere actus suos: potest enim quis compelli, vt genua coram Idolo flectat. Quoad actus interiores, & proprios, qui sunt velle eligere, aut consentire, potest quidem voluntas aliquo modo induci, sed non compelli: Induci, inquam per oblationem rei amatæ, vel per minas, vt sæpè euenit. Sed compelli non potest: & ratio est, quia libertas est essentialis differentia voluntatis: ergo absque destructione ipsius non potest illi inferri violentia: tum quia intantùm aliquid vult, inquantùm illud liberè vult, & seipsa mouente vult, sed si cogitur, seruiliter vult, & inuitè: sed ista sunt contradictoria: ergo.

Probat eandem Conclusionem Scotus tali pacto: Si voluntas posset à Deo cogi simpliciter, hoc fieret, vel immittendo illi aliquem actum passiuè se habenti, vel immittendo illi actum resistenti, & nolenti illum habere: sed neutro modo: ergo.

Probatur Minor: non primo modo, quia in tali casu Deus immitteret actum voluntati se passiuè merè habenti: & tunc actus ille quidem fieret ab extrinseco, adhuc tamen non fieret resistente passo, quia supponimus voluntatem se habere passiuè tantùm: sed nec secundo modo, quia tunc volens nollet, & nollens vellet, quod implicat.

Dices in primo casu voluntatem se passiuè habere, & tunc reciperet actum, & diceretur vitaliter operari.

Contra: Quia supponitur in quæstione id esse contra eius inclinationem, adhoc vt sit coactio, idque & in ipsa actus oppositus supponitur.

QVÆSTIO IV.

Quid sit liberum arbitrium: Vbi iterum de dependentia voluntatis ab intellectu.

605. Quæritur in hac quæstione, an liberum arbitrium sit portio intellectus, an voluntatis, an vtriusque simul: & an cognitio intellectus requiratur solùm antecedenter, an verò totum liberum arbitrium contineat actus intellectus, & voluntatis simul, an voluntatis solùm.

Prima Opinio est Thomistarum docentium prærequiri cognitionem tanquam partem essentialem libertatis, seu liberi arbitrij, & per consequens implicare contradictionem aliquid posse velle voluntatem non concurrente antecedenter intellectu.

Secvnda Opinio est Seraph. Doct. sustinentis intellectum esse partem liberi arbitrij, non verò libertatis, posseque fieri, vt voluntas feratur in incognitum, non naturaliter, vt dicunt Aliqui, inter quos falsò citatur S. Doct. à Serbel. & Aliis *disp.* 3. *art.* 2. sed supernaturaliter: Præterea cùm requiratur antecedenter naturaliter cognitio, adhoc vt voluntas possit operari: Quæritur, an sufficiat simplex apprehensio: an verò requiratur iudicium.

Prima Opinio est D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 59. *art.* 1. *& part.* 2. *quæst.* 14. *art.* 2. & Sequac. docentium requiri semper iudicium.

Secunda Opinio docet sufficere etiam simplicem apprehensionem: Sic Scotus, & Sequaces apud Meldulam *disputat.* 7. *num.* 124. & est Seraphici Doctoris. Pro solutione cuius

606. Primò Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 25. *part.* 1. *dub.* 1. *& quæst.* 1. *& 6. ad* 3. quod liberum arbitrium duplici vocabulo explicatur ita, quod id, quod spectat ad intellectum, significatur nomine substantiuo, & nomine adiectiuo, quod spectat ad voluntatem: est enim facultas duarum potentiarum, in qua ratio se habet vt materiale, & libertas vt formale: non dicitur autem iudicium liberum, sed arbitrium, quia iudicium importat actum rationis regulatum secundùm regulas veritatis, siue supernæ legis: arbitrium verò importat actum rationis regulatum secundùm imperium voluntatis: vnde ille dicitur iudex, cuius est secundùm iura causam iudicare: Arbiter verò, qui ad proprium voluntatis nutum causam terminare habet, & quia liberum arbitrium, quantum est de se, decernere habet de agendis iuxta voluntatis nutum magis, quàm iuxta iuris præceptum: hinc est, quod magis nominatur nomine arbitrij liberi, quàm iudicij.

Sic & D. August. *citat.* à Seraph. Doct. *quæst.* 3. *&* 4. vbi addit liberum arbitrium non importare vnam potentiam, sed duas, quæ tamen in vnicum habitum coalescunt: dicitur enim facultas rationis, & voluntatis, quæ magis propriè appellatur dominium, quod inest vtrique potentiæ super actus suos: quod dominium considerari potest & per ordinem ad obiectum, & per ordinem ad actum: primò secundùm rationem obiecti ita debet esse respectu huius, & vt etiam sit respectu aliorum; secundùm rationem verò actus debet posse esse in actu, & cessare ab actu secundùm proprium imperium, & motum: & ad hoc dominium exigitur, quod potentia possit mouere seipsam, & super actum suum reflectere: Si enim non potest reflectere super actum suum; nunquam posset illum refrænare, & nisi posset seipsam mouere, nec posset exire in illum, quando vellet: reflexio autem est ratione intellectus, mouere autem se est virtutis appetitiuæ rationem consequentis: vnde voluntas habet mouere se ex sua libertate, & potest se refrænare in motu, & actibus, exire, & non exire, & producere actum oppositum ex reflexione, quæ inest in libero arbitrio ratione cognitionis intellectiuæ.

Hinc patet, quomodò ad liberum arbitrium constituendum, tanquam ad vnam facultatem requiritur concursus rationis reflectentis se super actus suos, & super obiecta, & ostendentis voluntati ea, & concursus voluntatis valentis producere actum, vel ipsum suspendere pro libito: hinc liberum arbitrium de se nominat duas potentias, & vnam facultatem ex vtraque consurgentem eo modo, quo vna facultas resultat ex concursu virtutis duorum hominum, & ex concursu Patris, & Matris familias, vna potestas ad constituendum vnum regimen domus: sic liberum arbitrium non comprehendit solam rationem, nec solam voluntatem, sed potentiam cognitiuam, prout iuncta est affectiuæ, & affectiuam, prout iuncta est cognitiuæ:

tiuæ : vnde dicit affectum deliberatiuum, vel deliberationem voluntariam, idest cognitiuam ordinatam ad affectiuam, & affectiuam vt rationatam à cognitiua : Ex quibus patet falsam esse sententiam dicentium, quod sufficit cognitio imaginatiuæ ad hoc, vt constituatur liberum arbitrium.

607. Secundò Notandum, quod ex tradita doctrina videtur S. D. docere intellectum esse potentiam effectiuè concurrentem ad voluntatem, attamen talis non est eius sensus : nam, vt notat *ibid. q. 6.* aliud est dicere liberum arbitrium, aliud libertatem: Liberum enim arbitrium importat facultatem dominatiuam, ad cuius vsum concurrit quidem arbitrium, scilicet ratio tanquam inchoans, & voluntas tanquam complens, & consummans, & quia penes illud principaliter residet, penes quod consummatur, ideò principaliter libertas arbitrij, & dominium residet in voluntate : illud enim, in quo inchoatur, se habet per modum materialis : ratio enim, & cognitio præit veluti disponendo, & ostendendo tale, vel tale obiectum esse bonum, vel malum perficiendum, vel refrænandum: & illud, in quo consummatur, se habet per modum formalis, quia ex tali actu præambulo intellectus ostensiuo incipit voluntas exire in actum, in actuque suo complacere, vel refrænare : Vnde propriè libertas est solùm in voluntate, cùm data quacunque ostensione, seu deliberatione intellectus voluntas pro libito suo operatur, immò trahat ad seipsam ipsum intellectum ad cogitandum hoc, vel illud; vel ad suspendendum actum.

608. Tertiò Notandum ex Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 1. quæst. 6. ad 3.* cùm dicitur, quod ratio iudicat, & deliberat, & voluntas sequitur, & mouetur secundùm illud, quod à ratione deliberatur, sano modo intelligendum est hoc dictum: nam duplex est iudicium rationis, seu cognitio, alia est in solo dictamine, idest per solam simplicem apprehensionem, alia est iudicium perfectum definitiuum, vt illud fiat, vel non fiat, & hoc est impetratum à voluntate, quæ actum intellectus ad seipsam trahit : In prima operatione intellectus, scilicet in apprehensione puta intellectus non semper voluntas sequitur ipsam, in secunda semper sequitur, nempè dum imperat, vt deliberetur de hoc, vel illo obiecto, tunc ipsam intellectionem trahit ad se, & pro libito mouet se ad amplexandum id, quod sibi libuerit.

609. Quartò Notandum, quod maximè controuertitur inter DD. quænam sit dependentia, quam habet voluntas ab intellectu : quæ dependentia potest dupliciter intelligi: primò in ratione obiecti : ita vt voluntas operari non possit nisi circa obiectum propositum ab intellectu: secundò in ratione actus, an scilicet voluntas, vt eliciat actum, dependeat ab actu intellectus, ita vt non sufficiat obiectum esse in intellectu, vt in illud feratur, sed vlteriùs requiritur actualis cognitio in intellectu de obiecto eodem : & hoc secundo modo potest intelligi, vel vt cognitio obiecti se habeat solùm vt conditio vel præambula, vel concomitans adhoc, vt voluntas operetur, vel vt causa efficiens, & mouens voluntatem ad operandum, ita vt actus voluntatis pendeat effectiuè tum ab ipsa voluntate, tum ab in-

intellectu

tellectu mouente voluntatem: In qua quæstione

PRIMA Opinio est Gotfredi à Scoto *cit. lib. 2. dist. 25. quæst. 1.* asserentis voluntatem à Phantasmate dependere: putat enim vtramque potentiam esse solùm patientem.

SECVNDA est hæresis Calnini, Lutherique asserentium voluntatem nihil operari, sed solùm moueri à Deo ad bonum, & malum, & hoc necessariò.

TERTIA Opinio vult in actibus naturalibus intellectum esse causam principalem mouentem, in deliberatiuis voluntatem: Sic Marsil. apud Vasquez.

QVARTA est Nominalium docentium vtramque potentiam concurrere vt duas concausas, sed intellectum vt imperantem, voluntatem vt obtemperantem.

QVINTA est communis voluntatem non moueri à Phantasmate, nec ab obiecto, nec à Deo, nec ab intellectu vt concausa, sed à seipsa, præsupposità tamen ostensione intellectus tanquam conditione sine qua non, cùm voluntas sit potentia cæca: His positis

610. PRIMA CONCLVSIO: Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, ita quod respicit principaliter libertatem voluntatis, minùs principaliter actû intellectus: vnde comprehendit vtramque potentiam secundùm mutuam vnionem, & ordinationem: Est S. Bonauent. *lib. 2. dist. 25. part. 1. suprà cit. in 2. & 3. Notab.* estque communis Scotistarum, & Thomistarum, licèt Isti discrepent à Nobis in hoc, quod existimant intellectum esse causam principalem.

PROBATVR primò ex D. Aug. *citat.* à S. Bonauent. *quæst. 3.* Liberum arbitrium complectitur totam animam, sicque vtramque potentiam: Idem & D. Damasc. *ibidem.* Tum quia liberum arbitrium sic à D. August. definitur: *Facultas rationis, & voluntatis.* Et à D. Bernardo *Consensus voluntatis ob inamissibilem libertatem voluntatis, & indeclinabile iudicium rationis.* Tum quia peccatum, & culpa est in solo arbitrio libero, sed aliquod peccatum est in ratione, vt infidelitatis, aliquod in voluntate: ergo. Idem & de gratia, & virtutibus dicendum est: aliquæ enim sunt in voluntate, aliæ in ratione, vt fides.

QVOD verò principaliter resideat penes voluntatem: iam suprà probatum est tum in fundamentis: tum in secunda quæst. huius tractatus.

611. OBIICIES primò: Liberum arbitrium non potest cogi à Deo, sed ratio potest cogi: ergo non includit rationem.

RESPONDET Seraph. Doct. concedendo maiorem de libero arbitrio vt sic, prout dicit libertatem concedendo Minorem de ratione vt sic: negando de ratione, prout subiacet voluntati, vel prout vnita est voluntati: qua distinctione Seraph. Doct. respondet aliis consimilibus obiectionibus.

OBIICIES secundò: Si liberum arbitrium importat vtramque potentiam, vel eas continet, vt totum potestatiuum continet partes subiectiuas, vel vt totum integrale, seu partes componentes: sed neutrum potest dici: ergo.

PROBATVR minor: Non primum, quia sequeretur totum liberum arbitrium posse saluari in sola voluntate.

voluntate, & totum in solo intellectu: sic tota ratio animalis saluatur in homine, & tota in Leone, &c. sicque in quolibet homine essent duo libera arbitria: Nec secundum: quia ex duabus potentiis nunquam fit vna tertia, & maximè cùm potentiæ sunt inter se diuersæ, & distinctæ, & earum actus sunt ordinati ita, quod vnus antecedit, alter consequitur: ergo.

Confirmatur: Quia liberum arbitrium dicit vnicam facultatem, vel ergo subiectantur in solo intellectu, vel in sola voluntate, cùm sint potentiæ distinctæ, & diuersæ, &c. & cùm accidens numeretur ad numerationem subiecti.

Respondet S. Bonauent. *ibid. ad vltim.* quod liberum arbitrium propriè non dicitur totum potestatiuum, seu vniuersale, nec totum integrale, sed participat de vtraque ratione aliquali modo, participat enim naturam totius integralis, quatenùs in vna illarum non potest saluari absque altera: & naturam totius vniuersalis, quatenùs ex illarum concursu adinuicem quamlibet illarum denominat eo modo, quo duo homines continent virtutem ferendi vnum lapidem, quando totam neuter per se habet, & similitudo dicitur esse in duobus similibus, ita quod non est in vno sine altero, & tamen quodlibet totum denominatur simile, nec dicuntur duæ similitudines, sed vna.

Ad Confirmationem Respondetur ex iis, quæ tradit Seraph Doct. *lib. 2. dist. 26. quæst. 5. ad 3.* quod accidens numeratur ad numerationem subiecti, quando ea, quæ subiiciuntur, sunt diuersa, & vt diuersa subiiciuntur: non verò quando subiiciuntur per eandem naturam, sic liberum arbitrium dicitur esse animæ, & ratione animæ, cum qua continuantur, & identificantur potentiæ, inquantum communicant in libertate arbitrij: sicut vna sanitas dicitur esse in omnibus membris, quia est ipsis secundùm vnam originem, quæ est complexio vna existens in ipsis.

Ex quibus sequitur, quod liberum arbitrium est nomen dicens habitum, seu facultatem, & habilitatem animæ, principaliter tamen se tenens ex parte voluntatis: Sic Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 25. part. 1. quæst. 4. & 5.* & ratio est, quia dicit arbitrariam potestatem, seu habilitatem vtendi suo dominio, ad quod ambæ potentiæ concurrunt: principaliter tamen residens penes voluntatem, in qua consummatur dominium principale, & libertas.

Addit Seraph. Doct. hunc habitum non esse qualitatem accidentalem superadditam ipsis potentiis, sed dicere coniunctionem tantùm duarum potentiarum simul concurrentium ad exercitium libertatis eo modo, quo dictum est suprà *in 2. Notab.*

612. Secunda Conclusio: Voluntas in actibus naturalibus, seu secundùm cursum naturalem exigit necessariò intellectualem cognitionem obiecti præcedentem, quæ sit vel simplex apprehensio, vel iudicium: Conclusio hæc habet duas partes: Prima, quod secundùm cursum naturalem præexigitur cognitio: & hæc est communis contra Gotifredum existimantem sufficere cognitionem Phantasiæ: Secunda, quod sufficit simplex apprehensio, vel iudicium: & hæc est contra Thomistas exigentes semper iudicium:

quæ omnes sunt Seraph. Doct. Prima quidem patet ex traditis: Secundam asserit *lib.2. dist.25. part.1. art.1. quæst.6. ad 3.*

PROBATVR prima pars: Quia voluntas est potentia cæca: sed proprium est voluntatis tendere in obiectum vel per modum prosequutionis, vel per modum fugæ: ergo debet manifestari ipsi obiectum sub illa ratione, sub qua voluntas moueri possit ad vnionem, & altera ratio, ratione cuius ab alio recedit, sed talis manifestatio fit per intellectus cognitionem: ergo.

PROBATVR secunda pars primò, quod non sufficiat cognitio sensitiua: Quia inter mouens, & motum debet esse proportio: ergo & inter potentiam cognitiuam, & appetitiuam, sed appetitiua rationalis est spiritualis, & procedit modo spirituali: ergo & cognitiua debet esse talis. Tum quia in obiecto debent proportionari: sed obiectum voluntatis est quodcunque bonum tam delectabile, quàm honestum: ergo & cognitiua debet correspondere in vniuersalitate eadem. Tum quia sequeretur posse esse peccatum sine vsu rationis: nàm ex diuersis bonis à sensu perceptis posset quædam amplecti, & quædam respuere, quæ omnia docet S. Bonau. clarissimè *lib. 2. distinct.25. quæst.1.*

613. PROBATVR secundò, quod sufficiat simplex apprehensio: Hæc enim repræsentat rationem boni existentis in obiecto: ergo hæc sufficit: nihil enim aliud exigit voluntas ab intellectu.

PROBATVR antecedens: Idem obiectum, quod cognoscitur per iudicium, potest attingi per simplicem apprehensionem absque affirmatione, vel negatione, vt probauimus in tract. præced. ergo & bonum sub ratione boni, & conuenientis: ergo & ipsum potest ostendi voluntati per talem actum simplicem. Tum quia simplex notitia ostendit, quid sit obiectum. Tum quia datur in voluntate simplex complacentia: ergo & ei debet correspondere simplex notitia. Tum quia aliquando aliqua dignitas, vel gradus honorabilis simpliciter apprehenditur, vt dum quis se Papam fingit, & in hoc solo obiecto voluntas simpliciter delectatur: sic Lucifer appetiit similitudinem Dei, vt docet D.Thomas.

ET hæc est expressa Sententia Seraph. Doct. qui *in Opusc. de 7. Itiner. ætern. Itiner.* 4. *dist.* 3. docet, quod amor intellectualis simplex est, qui præsupponit cognitionem non quidem deliberatam, sed tantùm simplicem: & *lib. 2. distinct. 22. artic. 2. quæst. 1. in corp. & ad 1. & 2.* docet dari culpam ex ignorantia, scilicet cum aliqua nescientia existente circa peccantem, nempè dum non considerat grauitatem culpæ, vel penæ, idque est simplex apprehensio: & *lib. 2. distinct. 39. art. 2. quæst. 1.* admittit lumen iudicatorium, & simplex dictans hoc, vel hoc esse faciendum absque electione, vel deliberatione, cui responder Synderesis, quæ est quædam inclinatio simplex absque collatione ad bonum honestum: & *lib.2. dist.38. art. 2. quæst. 2.* aduertit, quod intentio potest importare habitudinem ad obiectum tantùm, vel etiam ad ipsum vt terminum, & vltimum: primum fit per simplicem conuersionem, & apprehensionem, cùm fiat sine collatione: primo actui respondet simplex complacentia: secundo verò actus efficax,

cax, vt dictum est: Et in Itiner. Ment. *cap.*2. simplicem apprehensionem appellat iudicium de dictamine naturæ: sic & *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *quæst. vltim. ad* 3. vnde patet mens Seraph. Doct. licèt ab Aliquibus citetur malè pro Sententia Thomistarum.

Dices: Ad hoc, vt voluntas appetat bonum, requiritur cognitio conuenientiæ, & vt respuat, cognitio disconuenientiæ obiecti: sed vtraque non potest esse absque iudicio deliberatiuo: alioquin voluntas posset decipi ab intellectu proponendo obiectum malum pro bono, & viceuersa: ergo.

Respondetur distinguendo Maiorem: Ad hoc, vt voluntas appetat obiectum, requiritur cognitio, &c. ad actum vel efficacem, vel simplicis complacentiæ, concedo: Ad Minorem respondetur concedendo ipsam minorem in ordine ad actum efficacem, negando in ordine ad simplicem complacentiam: Ad id verò, quod voluntas posset decipi.

Respondetur, quod in simplici apprehensione non attingitur bonum cum collatione conuenientiæ, sed significatum illius propositionis, hoc est bonum absque cognitione complexionis terminorum: nam, vt ait S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. in simplici apprehensione non adest falsitas, sed in iudicio: sed quia, vt dictum est, Aliqui citant S. Bonauenturam, quasi asserat nec esse necessariam præcognitionem obiecti, ad hoc vt voluntas possit illud velle: Vt habeatur Sententia germana Seraph. Doct. sit.

614. Tertia Conclusio: Voluntas in exercitio suæ libertatis non dependet ab intellectu effectiuè, sed præsuppositiuè tantùm, ita quod supernaturaliter potest etiam voluntas ferri in obiectum incognitum.

Prima pars clarè asseritur à Seraph. Doct. *lib.*2. *dist.* 25. per totam, maximè *quæst.*5. & est communis Scotistarum apud Fabrium *citat. cap.* 12. est & Vasquez 1. 2. *disput.* 36. *cap.* 2. Hurtad. *disp.* 14. *de an. sect.* 5. Pluriumque Aliorum: Secunda pars item asseritur à Seraph. Doct. *in Op.* de mystica Theologia infrà *in fine quæst. citat.*

Prima pars satis suprà probata est *in quæst.* 2. & ex traditis in Physica *tract. de cau. finali quæst.* 3. nam ibi probauimus finem mouere voluntatem non secundùm esse cognitum, quod habet, id enim ei est conditio tantùm extrinseca prærequisita, sed secundùm esse reale, vel verum, vel possibile, & entitatiuum, sicque habet mouere, & excitare voluntatem ratione suæ bonitatis: Quod verò obiectum non maneat, prout est cognitum sub hac reduplicatione, patet, quia multoties cognitio est iam transacta, quando voluntas illud amplexatur. Tum quia si quis credit esse peccatum Deum negare, & si ille negaret, tunc fides concurreret ad peccatum, quod est maximum absurdum.

Probatur secunda pars, nempè supernaturaliter posse voluntatem amare aliquid absque vlla cognitione; quia potest Deus infundere actum amoris in ea, & tunc verè posset tendere, vel non tendere liberè in obiectum, & si tenderet, tunc amaret obiectum: diceretur enim amans verè, & realiter, quia forma existens in aliquo formaliter illud denomi-

denominat, sed amor est necessariò, & intrinsecè alicuius obiecti amor: ergo tunc simul attingeret obiectum, in quo casu esset voluntas tunc operatiua tantùm, & non productiua, vt rectè notat Bargius *lib.1. disputat. 39.* licèt, vt suprà dictum est, pro statu isto ordinariè loquendo sit priùs productiua actuum, quàm operatiua, scilicet recipiendo actum, & simul tendendo in obiectum, vt notat Basol. *lib. 2. disput. 9. quæst. 2.*

CONFIRMATVR: Quia Sancti aliquando feruntur in obiectum non præcognitum, quando scilicet relicta cognitione omnium vniuntur per amorem cum Deo, quod & docet D. Dionys. de Diuinis nominibus *lib. 7. & cap. 1.* de mystica Theologia.

615. OBIICIES primò cum Meldul. *disp. 7. num. 120.* adhoc, vt voluntas operetur, debet ipsi fieri præsens obiectum vitaliter: sed talis præsentialitas solùm est ab intellectu ostendendo ipsi voluntati obiectum: est enim de se potentia cæca, obidque talis præcognitio est necessaria ex indigentia intrinseca voluntatis: ergo si voluntas ferreretur in incognitum, ferretetur in obiectum simul præsens, & non præsens, quod implicat:

SED certè talis implicantia est valdè exilis ad denegandum hanc indigentiam non posse à Deo suppleri, cùm cognitio sit quid extrinsecum voluntati, & solùm vt conditio sine qua non, & maximè, quia falsum est præsentialitatem obiecti voluntatis oriri ex intellectu: immò ex hoc sequeretur intellectum concurrere effectiuè cum voluntate, quod falsum est, vt suprà dictum est: Hinc

RESPONDETVR negando absque concursu intellectus obiectum non esse præsens vitaliter: dum enim amor infunderetur à Deo in voluntate, vt supponitur posse id fieri, tunc erit amor alicuius obiecti, & est vitalis de sui natura, licèt non productus à voluntate, sed est vitalis, quatenùs in potentia viua subiectatur, & ipsam vnit cum obiecto: Tum quia voluntas non vnitur media intellectione (hæc enim est quid antecedens, & multoties etiam tempore, & iam transacta) sed seipsa vnitur intentionaliter cum obiecto: Quænam igitur implicantia est, vt voluntas absque præcedenti cognitione intellectus fruatur bono sibi vnito à Deo exhibito immediato: Vnde falsum est, quod dicunt Aduersarij, scilicet Meldul. Guarin. *disp. 2. exp. 13.* & Alij, voluntatem vniri obiecto media cognitione, sicut nec aliæ potentiæ vniuntur obiecto mediis operationibus aliarum potentiarum.

OBIICIES secundò, posse voluntatem in obiectum incognitum ferri etiam naturaliter, quando scilicet relictis omnibus imaginibus, & cognitione tum corporalium, tum spiritualium ferruntur in Deum in altissima contemplatione.

PRO qua Sententia citatur S. D. sed falsò: Verum quidem est, quod *in Op.* de mystica Theol. *quæst. vnic. in fine.* docet animam ferri in Deum aliquando per amorem vnitiuum absque omni cogitatione, deliberationeque relinquendo partem intellectiuam quasi pedissequam inferius, & sine ipsius obsequio consurgendo ad dilecti vnionem: Et hinc inferunt, quod naturaliter id potest fieri, sed mala illatio: Tum quia Seraph. Doct. loquitur de potentia Dei

Digitized by Google

Dei supernaturali, & extraordinaria, secundùm quam subleuat amicos suos: nam loquendo de actibus ordinariis etiam eminentibus voluntatis in Deum *in Op. de 7. Itiner. aeternit. Itiner. 4. dist. 2.* docet necessariò requiri aliquam cognitionem, vel saltem illam innatam, quam habet anima in ordine ad Deum, de qua suprà pluries egimus.

QVÆSTIO V.

De obiecto voluntatis quodnam sit.

616. SICVT Intellectus est potentia vniuersalis nullos habens limites tendens vniuersaliter in quodcunque ens ratione veritatis in ipso inclusæ: sic & voluntas debet ei proportionari in tendentia ad quodcunque ens sub ratione boni: bonum enim, & verum æqualiter se habent in ente: Difficultas ergo in hac quæstione est; an obiectum adæquatum voluntatis sit ens in tota sua latitudine: an verò sit ens vt bonum: Et si dicatur hoc secundum: Quæritur, quænam sit ista ratio bonitatis, an sit omne bonum tam sensibile, quàm intelligibile: an sit intelligibile tantùm: Et cùm bonum aliud sit absolutum sine vllo ordine ad subiectum, cui est bonum, scilicet vel honestum, vel conferens, scilicet vtile, & delectabile: aliud per respectum ad subiectum: an voluntatis obiectum sit bonum absolutum: an verò cum illo respectu, quatenùs est sibi bonum.

PRIMA Opinio est communis Scotistarum Fabri *disp. 9. de pœnit. cap.7.* Licheti *lib. 2. disput.6. quæst.1.* Bargij *lib.1. disp. 39.* Cauelli, Vulp. Aliorumque assetentium ens in tota sua latitudine esse obiectum adæquatum voluntatis, sicut est intellectus, illud quidem vt amabile, istud vt intelligibile.

SECVNDA Opinio communior Aliorum est obiectum hoc esse ens vniuersaliter sumptum, sed sub ratione boni: & hæc est Opinio Seraph. Doct. D. Thomæ, &c. Pro solutione,

617. PRIMÒ Notandum, quod potior difficultas in hac Quæstione, & Sententia communiori est explicare, in quonam sit constituta ratio bonitatis entis, ob quam est obiectum motiuum voluntatis: Nam D.Thom. *quæst. 1. & quæst. 21. de verit. artic. 1.* Suarez *disp. 10. Metaph. sect. 1. num. 13. & seq.* Durand. Aliique volunt consistere in ratione conuenientiæ, prout est tale alteri: obidque & connotare relationem inclinationis aliorum, seu coniunctionis aliorum cum tali bono: hinc bonum honestum est, quod est côueniens naturæ rationali, delectabile, quod est conueniens naturæ sensibili, sic etiam id dicitur conueniens alteri, quod est ei perfectio, sic frigus est bonum aquæ, quia est ei consentaneum: Alij volunt bonitatem consistere in entitate absoluta entis, quatenùs in se aliquid perfectionis habet: sic Heruæus, Aliique apud Meldul. *in Met. disp. 5. num. 246.* Alij volunt consistere in relatione reali conuenientiæ superaddita enti, secundùm quam est appetibile ab appetitu. De sensu Seraph. Doct. valdè est incertum ob varia dicta ipsius loquentis de bono: quæ tamen, licèt videantur varia, coincidunt in explicatione rationis obiectiuæ voluntatis, vt mox patebit.

618. Secundò Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *dub.* 2. *& lib.* 1. *distinct.* 22. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. quod bonum aliud est per essentiam, aliud per participationem: primum est omninò independens, habetque bonitatem per exuberantiam, omnemque plenitudinem à se: secundum est, quod accipit bonitatis partem ab eo, quod est per essentiam, estque omne bonum creatum: & hoc creatum est etiam duplex, aliud est naturæ, aliud moris: bonum moris est differentia actionum liberarum, sumiturque ex ordinatione ad regulam rectitudinis, & legis Diuinæ: estque vel ex genere, vel ex circunstantia, vel ex peculiari ratione, de quo non est in præsenti Sermo: sed de ipso agitur in tractatu de actibus humanis in Sacra Theologia, & de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 38. *quæst.* 1. *& distinct.* 28. *art.* 2. *quæst.* 3. *& distinct.* 35. *dub.* 5. alibique sæpè: & in hoc sensu loquendo de bono naturæ, & de bono moris dixit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 45. *quæst.* 1. *ad* 2. quod bonum non circumplectitur totum actum voluntatis, cùm possit velle oppositum, scilicet malum in genere moris, sed tamen semper sub ratione boni: sic se explicat *lib.* 2. *distinct.* 41. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim. & dist.* 34. *artic.* 1. *quæst.* 3. alibique sæpè: & de hoc, vt dictum est, hîc non est Sermo: Bonum autem naturæ inest enti ex sua propria forma dante esse, quæ in ipso ente non addit nouum esse, sed tantùm relationem, quæ competit causæ finali: Sic *lib.* 2. *dist.* 1. *suprà cit.* Et hoc pacto omne ens est volibile, & subiacet voluntati nostræ, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. Ex quibus sequitur, quod bonum primò dicit entitatem absolutam, nempè rationem, secundùm quam habet ens omne id, quod competit tali naturæ, vt cibus, quia habet saporem, est bonus: Secundò importat relationem conuenientiæ vnius rei ad aliam, verbi gratiâ, saporis ad cibum, quæ relatio est realis, quando bonitas est accidentalis superaddita ipsi entitati, vt verbi gratiâ, sapientia, vel gratia in anima, quæ dant benè esse: est autem relatio rationis, si dicit bonitatem essentialem, quia est modus intrinsecus entis: Sic ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *dub.* 2. Tertiò importat relationem aptitudinalem ad appetitum, quem habet mouere, & terminare: Voluntas autem habet tendere in bonum non solùm secundùm qualitatem absolutam boni ipsius, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. sed vt est tale bonum, & sibi conueniens, quatenùs scilicet est tale per ordinem ad subiectum.

Adverte vlteriùs ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 38. *dub.* 4. quod bonum potest considerari in ratione obiecti, & in ratione finis: primo modo competit ratio appetibilis non solùm causæ finali, sed & mediis secundùm se: secundo modo tantùm causæ finali: vnde falsum est, quod dicunt Thomistæ *p.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. omnem bonitatem mediorum esse extrinsecam, quatenùs scilicet dicunt ordinem ad finem, id enim falsum est, quia, vt ait Seraph. Doct. alia voluntate volo media, alia finem, & voluntas pro suo libito (ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.) potest velle absolutè media, ibi quiescendo, & ea ordinare

Digitized by Google

nare ad finem : idque patet, quia si conferunt ad finem : ergo habent aliquam bonitatem, licèt ordinabilem : His positis

619. PRIMA CONCLVSIO: Adæquatum obiectum voluntatis est bonum naturæ absolutum absque ordine ad subiectum, seu quatenùs est sibi bonum, vel alteri : Inadæquatum verò, prout importat ordinem ad subiectum, vel aliquam qualitatem accidentalem superadditam: Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 14. *citat. & distinct.* 1. *cit.* & communior Aliorum : *& lib.* 1. *dist.* 1 *art.* 3. *quæst.* 2. *& ibid. art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

PROBATVR prima pars : Bonum essentialiter dicit qualitatem absolutam superadditam rei à propria forma : sed hæc ratio est vniuersalis adæquans vniuersalitati potentiæ volitiuæ : potentia enim appetitiua rationalis subordinatur cognoscitiuæ, sed hæc tendit in quodcunque verum : ergo & voluntas in quodcunque bonum.

PROBATVR secundò : Voluntas in ratione potentiæ distinguitur à parte rei ab intellectu ex aliàs traditis in prima parte horum librorum de Anima ex S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *quæst.* 3. *& aliis locis* : ergo differt non solùm quoad suam entitatem, sed & quoad modum tendendi in obiectum, & quoad diuersitatem obiecti : potentiæ enim distinguuntur penes actus, & obiecta ex aliàs traditis : sed intellectus tendit in quodcunque verum : ergo voluntas in quodcunque bonum.

PROBATVR Consequentia, & Confirmatur : Quia intellectus vnitur obiecto per attractionem obiecti in se, & voluntas per attractionem voluntatis ad obiectum : amans enim extra se exit amando, ait S. August. ergo.

620. PROBATVR tertiò : Frui est proprius, & proportionatus, adæquatusque actus voluntatis, ergo ad obiectum fruibile tendit, sed hoc est quodcunque bonum : ergo. Tum quia est potentia libera : ergo potest delectari de quocunque bono, alioquin non posset exire nisi in amorem concupiscentiæ, non verò amicitiæ.

ET hinc dicunt Theologi, quod voluntas potest dupliciter amare Deum, vel vt summum bonum, & summè amabile, & vt sibi bonum : & hinc etiam remanet probata secunda pars Conclusionis : patet enim ex traditis voluntatem posse velle bonum vt sibi conueniens.

OBIICIES primò cum Scotistis: Obiectum voluntatis esse ens vt ens, non vt bonum : ens enim, & bonum non distinguuntur, sed sunt idem non solùm identicè, sed etiam secundùm communiorem formaliter : ergo non possunt constituere diuersa obiecta.

RESPONDET S. Bonau. *lib.* 2. *distinct.* 24 *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. Ens, & bonum non distinguuntur vllo modo, nego, aliquo modo, concedo : immò formaliter distinguuntur ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *in fine corp.* de quo aliàs *in Metaph.* & dato, quod distinguerentur solùm ratione, non per hoc sequitur, quin possint constituere diuersa obiecta. Tum quia etiam ens vt sic se habet æqualiter vt materiale ad intellectum, & voluntatem : formalizatur autem per additionem bonitatis, & veritatis.

OBIICIES secundò : Nihil potest

Digitized by Google

test velle voluntas, nisi sit præcognitum ab intellectu: ergo si intellectus tantùm cognoscit verum, id etiam erit obiectum voluntatis.

RESPONDET S. Bonau. *lib. 1. dist. 1. art. 3. quæst. 2.* quod istæ duæ potentiæ habent quidem idem obiectum materiale cum æquali latitudine vniuersali: vnde bonum proponitur ab intellectu ipsi voluntati non sub ratione veri, sed sub ratione veri conuenientis, & amabilis, seu, vt loquitur S. Bonauent. *lib. 2. dist. 39. dub. 1.* cognoscitur obiectum bonum, sed sub ratione veri, & hoc pacto sub ratione materialitatis obiecti voluntas subordinatur intellectui.

OBIICIES tertiò contra secundam partem Conclusionis: Voluntas appetit bonum ipsum amando: ergo in ipso delectatur: ergo solùm appetit, quod est sibi bonum, alioquin tenderet in obiectum, & in actum, quæ non essent sui perfectiua, quod est contra rationem potentiæ: actus enim, & obiectum sunt perfectiua potentiæ.

RESPONDETVR voluntatem delectari in suo actu amoris, sed vt in medio, per quod amat bonum absolutum in se, & in hoc sensu dicitur delectari seipsam non absolutè, sed per ordinem ad bonum absolutum.

621. Ex hac Conclusione infertur euidenter voluntatem pro libito posse ferri in finem, vel in media, & in obiecta etiam sensuum: est S. Bonauent. Si enim potest in bonum absolutum, & vniuersale, ergo potest & in quodcumque peculiare: Tum quia id habet ex sua libertate innata, quod & docet S. Bonauent. *lib. 2. dist. 34. art. 1. quæst. 3. in fine corp.* vbi probat voluntatem non semper desiderare, quod melius est; *& lib. 1. dist. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2. & 3.* & ratio, quam ibi adducit, est, quia voluntas sola vti potest actu suo pro libito; vnde ipsa non solùm referri potest per inclinationem in finem suum, sed habet referre eundem actum pro libito, & ibi quiescere, vt probatum etiam est suprà *quæst. 2. & 3.* Sed quia maior difficultas est, an possit voluntas ferri in malum sub ratione mali, & in obiectum de se indifferens, quod nec est bonum, nec malum, & quia actus ipsius sunt prosequutio, & fuga, an possit ferri in bonum actu fugæ, & in malum actu prosequutionis: Hinc.

622. TERTIA CONCLVSIO: Voluntas non potest ferri in malum vt malum actu prosequutionis, nec in bonum vt bonum actu fugæ, sed semper fertur necessariò in bonum: Est communis S. Bonauent. Scoti, D. Thom. exceptis Aliquibus paucis cum Nomin. & Fabr. *lib. 1. disput. 13. cap. 7. & de pœnit. disp. 9. cap. 8.* S. Bonauent. *lib. 2. dist. 34. art. 1. quæst. 3.* probat voluntatem semper ferri etiam in malum, sed sub ratione boni, saltem ipsi volenti, *& lib. 2. dist. 25. part. 2. quæst. 3. ad 2. & lib. 2. dist. 38. artic. 1. quæst. 1. ad 2.* docet, quod nemo aspiciens ad malum, malum saltem deliberatiuè operatur, sed semper ad bonum aspicitur saltem quoad æstimationem.

PROBATVR primò à S. Bonau. *lib. 2. dist. 34. quæst. 3. cit.* Voluntas operatur semper ob aliquem finem: sed bonum, & finis sunt idem secundùm illud axioma D. Dionysij: Nemo intendens ad malum malum operatur: ergo semper tendit in bonum. Tum quia malitia non trahit, sed retrahit, alioquin voluntas sibi vellet malum. Tum quia si vellet malum

vt

vt malum, id esset vel amore amicitiæ, vel concupiscentiæ: non primò, quia hic tendit tantùm in bonum honestum: nec secundò, quia malum nullam vtilitatem, vel delectationem habet, & si habet aliquam vtilitatem apparentem, sequitur, quod voluntas vult malum sub ratione boni.

623. Obiicies primò: Eadem est potentia contrariorum: sic idem visus in album, & nigrum potest: ergo & voluntas, sed bonum, & malum sunt contraria: ergo.

Respondetvr distinguendo Maiorem: Eadem potentia tendit in obiecta opposita materialiter, concedo: formaliter, nego: sic oculus tendit in album, & nigrum sub ratione coloris: eodem modo voluntas tendit in malum vel amando illud bonum, vel ipsum respuendo vt malum.

Instas: Actus adæquatè complectentes voluntatem sunt duo, scilicet prosequutionis, & respuitionis, sed ille tendit in bonum, iste in malum: ergo vt in obiectum: non enim respuitur bonum, sed malum vt malum: ergo saltem sub hac ratione malum est obiectum.

Confirmatvr: Quia etiam intellectus per assensum amplectitur verum, per dissensum falsum, ergo à simili, &c.

Respondetvr distinguendo Maiorem: Actus voluntatis sunt duo, sicut actus subordinati, concedo: absoluti: nego: nam intantùm respuitur malum, inquantùm voluntas vult bonum per se primò: vnde malum non est obiectum voluntatis nisi materialiter, & secundariò: Idem est dicendnm de intellectu respectu veri, vel falsi.

Obiicies secundò: Potest quis peccare ex malitia cognita, vt quis in contemptum Dei, vel in odium Dei: ergo potest velle malum, vt malum est.

Confirmatvr: Quia potest voluntas sibi præfigere finem præfixum, & merè voluntarium, sicque præfigere sibi malum, vt malum est: ergo.

Respondet S.D. *lib.2.d.43.art.1. quæst.3. in corp.* quod quidem aliquis potest ex certa malitia, & scientia peccare, & odisse Deum, sed tamen solùm sub ratione aliqua boni vel sibi, vel alteri, verbi gratiâ, odisse Deum, quia iustus est, quia non satisfacit suæ concupiscentiæ, quia punit, &c. Et ad id de fine præfixo.

Respondetvr ex doctrina, quam tradit S.Bonauent. *lib.2.dist.5. artic.1. quæst.2. in corp. & ad 3. & 4.* negando posse voluntatem præfigere sibi malum, vt malum est: vnde si quis præfigit sibi obiectum impossibile, verbi gratiâ, esse Deum, vel æqualem Deo: tunc non appetit diuinitatem, vel illud impossibile, sed amat illam suam fictionem, & in ea sibi complacet, sicque sibi satisfacit, &c. Vide S.Bonauent.*lib.1.dist.1. art.1. quæst.1. ad 3. & quæst.3. ad 3.& lib.2.dist.35.quæst.1.ad 3.*

Vt autem id intelligatur, aduerte, quod in tali actu malo, quo voluntas circa malitiam versatur, sunt duo, scilicet id, quod voluntas vult, & ratio ipsa volendi, & appetendi: id, quod vult, certè est malum: ratio appetendi est aliquod bonum saltem apparens à nobis apprehensum: & est id, quod dicit Seraph.Doct. *lib.1. dist.1.art.1.quæst.1. ad 1.* quod in bonis volitis ratio ordinationis stat ex parte ordinantis, & obiecti ordinati: in malis stat tantùm ex parte ordinantis

nantis: qua doctrina satisfit pluribus difficultatibus, quæ in hac materia possunt occurrere.

Etsi quæras, quænam sit ratio fundamentalis, quare voluntas solùm potest in bonum?

Respondetur ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 14. quod quia bonitas est ratio dispositiua causæ finalis, & quia est communicatiua, ideò trahit voluntatem ad se: hinc & voluntas transformatur in amatum: Et hinc deficiente bonitate in obiecto non potest trahi voluntas.

QVÆSTIO VI.

Explicantur aliqua dubia spectantia ad perfectam cognitionem voluntatis,

624. Qværes primò: An voluntas possit ferri in indifferens obiectum, idest nec sub ratione boni, nec mali?

Respondetvr, quod indifferentia propriè est quid medians inter bonum, & malum moris, non autem in bono naturæ: non enim potest dari ens, quod non habeat suam bonitatem naturæ: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 41. *quæst.* 1. vnde respondetur quæsito negatiuè.

Qværes secundò: An voluntas possit velle impossibile?

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vlt. & in corp.* quod duplex est appetitus, alter est deliberatiuus, & efficax, siue cum eligentia: alter est velleitatis, & inefficax: primo modo non vult, nec potest velle impossibile, cùm sit tantùm rei vnibilis secundùm veritatem, & ob id est etiam mediorum: ergo cognitum vt impossibile non potest sic appeti: secundo modo verò potest velle impossibile: id enim non est velle absolutè, sed conditionatè, vt patet in infirmo desperato, qui vult sanitatem, sed inefficaciter, cùm sciat id esse impossibile: & si quis desiderat volare sicut hirundinem, quæ conditio non stat ex parte volentis, sed ex parte obiecti, per quam conditionem ponitur tale bonum in statu conditionato, tuncque in tali actu adest complacentia. Et ad hunc modum volendi reducuntur quædam delectationes peccaminosæ, quæ appellantur morosæ, licèt conditionatæ sint, in quibus peccatum inest ratione complacentiæ peccaminosæ de tali actu, vel obiecto.

Dices: Impossibile vt tale cognitum nec est ens reale in se, neque putatum tale: ergo nec bonum reale, nec apparens: ergo nec volibile: Sic arguunt Vasq. *part.* 2. *disp.* 42. *cap.* 4. *& disp.* 43. *cap.* 3. Valentia, Aluarez *in part.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. cum D. Thoma.

Respondetvr, quod impossibile est duplex, aliud ex suppositione, vt si haberem alas, vellem volare, estque velleitas conditionata ex parte obiecti, de qua dictum est suprà, aliud est impossibile absolutum, & vt tale cognitum, vt quod creatura sit Deus infinitus: De primo non currit obiectio, vt dictum est, nam certum est posse contritum velle tale impossibile, verbi gratiâ, peccatum nunquam extitisse, quæ voluntas est inefficax: de quo S. Bonauent. *lib.* 4. *dist.* 17. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *in corp. & art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. *&* 5.

&

Digitized by Google

& in hac velleitas, seu, *ly vellem*, significat voluntatem, & complacentiam, quæ de præsenti inest in voluntate, & simul rem habentem esse conditionatum: Sed difficultas est de secundo impossibili, quod negant Thomistæ citati: at Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 5. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp. & ad* 3. *&* 4. dicit, quod tale impossibile potest appeti voluntate inefficaci, ita quod tamen voluntas non feratur in obiectum secundùm esse reale, vel apparens, sed fertur potiùs in fictionem factam ab intellectu, in qua delectatur voluntas: & hæc est illa bonitas, quam appellant Scotistæ præfixam, & præstitutam, &c. & per hoc Respondetur obiectioni factæ.

625. Qværes tertiò: An voluntas possit præscindere à ratione finis, & medij, producereque actum neutrum, qui nec sit volitionis, nec respuitionis?

Negant Thomistæ: Affirmant Scotus, & Scotistæ apud Meldul. *disput.* 7. *num.* 111. idemque asserit Seraph. Doct. qui *lib.* 1. *dist.* 46. *art.* 1. *quæst.* 2. docet dari triplicem actum, scilicet velle, nolle, & non velle: idem & *lib.* 1. *dist.* 6. *dub.* 3. vbi docet, quod nolle negat absolutè actum: est enim negatio, seu suspensio actus: & non velle est actus positiuus simul negatiuus; Idem & *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *dub.* 2. Ratio est, quia sicut intellectus potest proponere bonum aliquod præscindendo à ratione medij, & finis, sicque non vt amabile propter se, vel propter aliud: sic & voluntas potest illud velle suspendendo actum tendentiæ ad rationem, quo est, & quod est, scilicet vel medij, vel vt finis: Id enim habet voluntas ratione dominij (vt ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *& distinct.* 34. *art.* 1. *quæst.* 2.) quod habet super actum suum, & super obiectum: vnde in tali casu obiectum habet rationem quidem obiecti amabilis, sed non medij, nec finis: & per hanc distinctionem soluitur illa obiectio sumpta ex Arist. dicente omnem volitionem esse vel propter se, vel propter aliud: nam id est verum ordinariè loquendo, & de volitione boni, vt medij, vel vt finis.

626. Qværes quartò: An ab obiecto resultet aliquid ipsi voluntati, ita quod fiat vel bona, vel mala?

Respondet Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. *& dist.* 39. *dub.* 1. affirmatiuè: Ratio sumitur ex parte potentiæ, & ex parte obiecti: ex parte potentiæ, quia voluntas non solùm conformatur obiecto, sicut & intellectus, sed & in ipsum transformatur ob vim vnitiuam: ex parte obiecti verò, quia obiectum denominat potentiam: vnde licèt intellectus dicatur verus per conformitatem ad obiectum, non tamen dicitur bonus, licèt cognoscat bonum ob carentiam transformationis: vnde voluntas dicitur iusta, iniusta, &c. Ad hoc autem, vt resultet talis denominatio bonitatis in voluntate, exigitur duplex bonitas in fine, scilicet ex parte obiecti, seu finis, & ex parte ordinationis: Ratione obiecti, seu finis requiritur, vt finis sub tali ratione, quo appetitur, sit bonus, & ex parte ordinationis, vt scilicet sit idoneitas in illo obiecto ad rectam ordinationem actualem, nempè vt actus transeat super materiam debitam, & ordinabilem

& regulabilem secundùm rectam rationem: sic fornicationis actus nunquam potest esse bonus ob defectum talis ordinabilitatis: Vide S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 2. *distinct.* 38. *&* 39. *citat.* sed de hac materia agitur fusè in tract. de actibus humanis in Theologia.

627. QVÆRES quintò: Quomodò concurrat obiectum ad actus voluntatis?

ALIQVI apud Scotum *lib.* 4. *dist.* 25. dicunt obiectum cognitum, seu eius cognitionem esse causam totalem actuum voluntatis, hancque merè passiuè se habere, quæ tamen est parùm tuta in fide, cùm per Concilia, & Authoritates S. Scripturæ, & SS. PP. habeamus voluntatem verè agere, & suos actus producere, nec merè passiuè se habere.

ALIA Opinio est Nomin. Dur. Caiet. *part.* 1. *quæst.* 80. *art.* 2. dicentium cognitionem concurrere ad actus voluntatis, non vt quod, sed vt quo, quatenùs scilicet, (vt ait Bannez *part.* 1. *ibid. art.* 1. *dub.* 2.) cognitio vt ratio formalis ponit voluntatem in actu primo, vt possit producere volitionem eo modo, quo species intelligibilis ponit intellectum in actu primo.

COMMVNIS, & vera Opinio est voluntatem esse causam totalem suorum actuum, intellectumque nihil efficienter facere ad productionem actuum voluntatis, nisi ostendendo obiectum tanquam conditionem sine qua non. Et hinc

RESPONDETVR obiectum non concurrere cum voluntate nisi excitatiuè: Ratio autem est, quia intellectus se habet tantùm vt conditio sine qua non: ergo nec obiectum ostensum voluntati concurrit Physicè cum ea. Tum quia finis, seu obiectum cognitum mouet voluntatem tantùm excitando ipsam intentionaliter, non verò Physicè, & realiter. Tum quia datâ quacunque motione facta ab intellectu, adhuc voluntas est libera, & potest exire, vel non exire in actum, ergo.

DICES: Intellectus actiuè determinatur ad cognitionem per speciem obiecti impressam: ergo & voluntas per obiectum ab intellectu repræsentatum: requiritur enim propositio obiecti facta ab intellectu, ad hoc vt in ipsum tendat voluntas.

RESPONDETVR negando paritatem: ratio est, quia cognitio est formalis similitudo obiecti, quam habet præsertim ex Physico concursu obiecti, non sic in amore, & volitione: non enim est imago, & similitudo obiecti, sed potiùs pondus in illud totaliter à voluntate procedens.

DICES: Per speciem impressam intellectus actiuè determinatur ad cognitionem, & per cognitionem voluntas determinatur ad amorem huius obiecti: ergo currit paritas.

RESPONDETVR iterum negando paritatem: nam species impressa necessaria est, adhoc vt intellectus intelligat eo, quia ipsa species non est formalis expressio obiecti, sed tantùm virtualis, ideóque actiuè concurrit cum intellectu ad expressionem formalem obiecti: at cognitio obiecti necessaria ad volitionem est formalis manifestatio obiecti, quæ sufficit, adhoc vt voluntas seipsam determinet ad tale, vel tale obiectum formaliter manifestatum.

628. QVÆRES Sextò: De actibus voluntatis, quot, & quinam sint?

BREVITER

Breviter respondetur primo, tres esse primarios actus voluntatis correspondentes tribus actibus intellectus: Primus est simplex cōplacentia, vel displicentia obiecti, & hæc correspondet simplici apprehensioni: Secundus est efficax complacentia efficaciter intendens in obiectum illud volendo, vel respuendo, correspondetque iudicio: Tertius est electio mediorum, quando vult media propter finem, & hic correspondet discursui: & ad hos tres reducuntur cæteri actus voluntatis, scilicet, amor, desiderium, spes, gaudium, timor, voluptas, ira, &c. sed præcipui sunt volitio, fruitio, intentio, electio, & impetium.

Volitio est actus voluntatis circa finem absolutè spectatum.

Frvitio est actus, quo quietatur in fine volito.

Intentio est tendentia in finem, provt in ipsum per media perueniri potest.

Electio est actus, quo se voluntas applicat ad media propter finem.

Imperivm est actus reflexiuus voluntatis, quo dominatur sibi ipsi, & aliis: sibi ipsi enim imperat producendo actus suos, quos quando, & quomodò vult: cæteris autem potentiis imperat, & hoc vel directè, vel indirectè: directè appetitui sensitiuo consulendo, attrahendo, excitando: Item & intellectui ipsum inducendo ad operandum circa hoc, vel illud obiectum: Item & potentiæ loco motiuæ, quæ subest voluntati: aliqui enim motus non ipsi subduntur, vt motus arteriarum, & similium, sicut nec potentia vegetatiua, nisi indirectè, & per accidens: de quibus vide Meldulam *disputatione* 7. *quæst.* 7. *artic.* 2. vbi fusè agit de hac materia.

QVÆSTIO VII.

An in Voluntate dentur habitus: vbi aliqua tradentur spectantia ad hanc materiam de habitibus in communi, & in particulari.

619. Tractatio de habitibus ab Aliis traditur vel in fine Logicæ: vel in Metaphysica: à Nobis in hac quæstione discutienda est in hoc tractatu de voluntate eo, quia à Multis negatur in voluntate, & cæteris potentiis rationalibus dari habitus: Vnde hæc quæstio proponitur ad explicandam perfectiùs naturam, & capacitatem voluntatis, tum etiam intellectus: Aduerte tamen hîc, quod nomine habitus non sumitur prima species qualitatis præcisè, de qua in Logica egimus, sed nomine habitus hîc intelligitur quædam qualitas disponens potentiam, & subiectum ad agendum meliùs, & perfectiùs, non quod dans potentiæ simpliciter agere, qua ratione species obiecti multoties nomine habitus venit: sed quæ dat meliùs agere, &c. de qua S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 2. *quæst.* 3. & *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. alibique sæpè: Hinc

Prima Opinio negat dari habitus in omnibus potentiis, istique sunt diuisi inter se: nam Aliqui eos negant solùm in voluntate: Alij in intellectu, sed volunt seipsis posse cum tota facilitate exire in actum: Alij denegant eos potentiis tam co-

gnitiuis, quàm appetitiuis: Alij negant eos circa prima principia, & euidentes Conclusiones: Alij circa res probabiles, & obscuras.

SECVNDA Opinio denegat habitus tantùm potentiis sensitiuis externis, & vegetatiuis: in reliquis autem admittit habitus: & hæc est Opinio Seraph. Doct. *infrà cit.* Scoti, & Plurium Aliorum. Pro solutione quæstionis

630. PRIMÒ Notandum, quod hoc nomen habitus est æquiuocum, dicitur enim ab habere: vnde sumptus habitus communissimè stat pro quacunque re alicui superaddita, siue sit substantia, siue quantitas, siue qualitas, siue relatio, siue quodcunque aliud: secundò minùs communiter sumitur pro qualitate afficiente subiectum, siue det simpliciter agere, siue det facilitatem: & hoc pacto intellectus, voluntas, & quæcunque alia potentia animæ dicitur habitus: Item & species, & lumen gloriæ in intellectu dicuntur habitus, quia dant agere cognitiuo, & repræsentatiuo modo: tertiò pro perfectione intrinseca rei, in quo sensu dicitur à priuatione ad habitum non dari regressum: quartò sumitur habitus propriè pro qualitate supperaddita dante benè, & faciliter agere: vnde illa potentia dicitur capax talium habituum, quæ licèt habeat potentiam simpliciter ad agendum, tamen est capax maioris intensionis, vel facilitatis, promptitudinisque ad agendum, & hoc vltimo modo habitus sumitur propriè: Vt autem intelligatur, in quonam consistat talis ratio habitus superadditi

631. SECVNDÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 25. part. 1. art. 1. quæst. 5. in corp.* quod potentia tribus modis potest intelligi se habere in ordine ad actum: Primò, quatenùs est seipsa facilis ad suas operationes, quo pacto mens dicitur nata ad meminendum sui, vel intelligendum se: Secundò, quatenùs seipsa potentia est facilis ad exeundum in actum, sed non se sola, sed cum alia potentia, vt est in duobus trahentibus nauim, tunc potentia vnius reddit facilem potentiam alterius absque eo, quod superaddatur noua habilitas, seu virtus potentiæ: sic & liberum arbitrium dicit voluntatem associatam rationi, seu arbitrium associatum voluntati: Tertiò potentia dicitur facilis ad actum per aliquid de nouo receptum in se: Primo modo habitus non superaddit aliquid diuersum reale potentiæ, sed ipsa potentia seipsa dicitur esse habituata, & habilitata: Secundo modo nihil absoluti addit, sed solùm coniunctionem cum alia potentia: Tertio modo supperaddit aliquam qualitatem accidentalem realiter distinctam, quæ non tribuit posse agere, sed posse faciliter agere: Ad hoc autem, vt potentia sit receptiua talium habituum, requiritur (ait doctissimus Morandus tract. de habitibus *quæst. 2.*) primò, quod vt potentia, & habitus realiter distinguantur: secundò, vt potentia possit determinari ad plura, quod enim est incapax habitus, semper eodem modo se habet in agendo: tertiò, quod habitus determinat potentiam indeterminatam ad benè, vel malè aliquid faciendum.

TERTIÒ Notandum, quod est maxima quæstio, an habitus talis concurrat effectiuè, an tantùm dispositiuè cum potentia ad actus; Durandus negat hanc actiuitatem habituum;

bituum sic *lib.* 3. *disput.* 23. *quæst.* 2. 3. *&* 4. Communis D. Bonau. D. Thom. Scoti est opposita, sed tamen sunt diuisi inter se: nam Aliqui admittunt habitus concurrere tantùm ad aliquem modum actus. Alij ad substantiam actus, sed tamen minùs intensi: Communior est concurrere ad substantiam totalem actus cuiuscunque. His positis

632. PRIMA CONCLVSIO: Habitus est qualitas permanens de se stabilis in subiecto per se primo ordinata ad operationem non tribuens primam facultatem operandi, sed ordinans illam, & facilitans: Est communior, & infertur ex Arist. 2. *Ethic. cap.* 5. *&* 6. est & S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. vbi docet potentiam esse principium operandi: habitum dispositionem faciliter operandi: Sic & clariùs *lib.* 4. *dist.* 6. *part.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 28. *dub.* 1.

DICITVR (*qualitas*) loco generis, quia per habitum potentia redditur qualis, siue qualificata per nouam formam: Dicitur (*de se stabilis*) vt distinguatur ab actibus potentiarum, qui non permanent vt habitus: Dicitur (*per se primo ordinata ad operationem*) vt excludantur habitus, qui non sunt per se primo ordinati ad operandum, sed tantùm ad perficiendum subiectum, vt sanitas, pulchritudo: vnde potiùs merentur nomen qualitatis passibilis: Dicitur (*non tribuens primam facultatem operandi, sed illam ordinans, & disponens*) eo quia habitus qualitas supponit in potentia potentiam operandi radicalem, sed tantùm disponunt, & facilitant, vel determinant potentiam ad operandum.

633. SECVNDA CONCLVSIO: Potentiæ omnes rationales, & sensitiuæ internæ siue in hominibus, siue in brutis sunt habituabiles in ordine ad quodcunque obiectum: Est Scoti *lib.* 3. *distinct.* 33. & Seraph. Doct. qui *lib.* 3. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 1. supponit habitus diuidi per affectiuam, & cognitiuam: vnde alij sunt spectantes ad appetitum: alij ad potentias cognitiuas, & *lib.* 3. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. clarè docet acquiri habitum tum in parte rationali, tum in sensibili, & *lib.* 3. *dist.* 6. *dub.* 3. docet, quod habitus dicitur ab habere, & hoc est vel interiùs, vel exteriùs, vel partim interiùs, partim exteriùs: si interiùs omninò, sic sunt habitus animæ, vt scientia, & disciplina: si exteriùs omninò, sic sunt omninò exteriora applicata corpori, si vtroque modo, sic dicitur alius alio validior, & fortior, hoc tertio modo spectat ad qualitatem secundæ speciei *ex lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* habitus secundo modo spectat ad habitum vltimum prædicamentum: habitus verò primo modo est omninò interiùs, & dicit ordinem substantiæ ad operationem: & hoc tertio modo est habitus, de quo hîc loquimur: vnde patet Seraph. Doct. admittere habitus in animæ potentiis tum cognitiuis, tum appetitiuis: & *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. ait, habitus est, quo potentia facilis est in actum: & hoc tribus modis, vel ab innata dispositione, vel à potentiæ origine, vel ab acquisitione, hosque competere & potentiæ appetitiuæ, & cognitiuæ certum est: Idem & *lib.* 4. *distinct.* 4. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *per totam: & lib.* 2. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* docet, quod Adam in statu innocentiæ poterat proficere in cognitione

Digitized by Google

gnitione quantum ad maiorem habilitationem, quam acquirere poterat ex frequenti consideratione eorum, quæ priùs nouerat per habitum innatum: licèt enim non haberet tarditatem hebetudinis per aggrauationem corporis mortalis, habebat tamen spiritus eius quandam minorem velocitatem per vegetationem corporis animalis.

PROBATVR autem à posteriori: Quia, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.*27. *art.*1. *quæst.* 2. *arg.* 2. habitus naturales acquiruntur per actus multiplicatos, siue per assuefactionem: Sic & *in Psal.* 118. *cap.*7. *vers.* 6. & *lib.*2. *dist.* 28. *dub.*1. & *lib.*3. *dist.*33. *art.*1. *quæst.* 5. *ad* 4. habitus dat faciliter operari: ergo in illa potentia, quæ est capax acquisitionis talis facilitatis, datur habitus: sed omnes potentiæ internæ sunt huiusmodi: ergo.

PROBATVR Minor ex continua experientia: videmus enim in his potentiis acquiri facilitatem operandi ex assuefactione, & frequentatione actuum: Patet id in voluntate, & in intellectu: dum enim assuefiunt per multiplicatos actus, etiam faciliùs, & intensiùs operamur: deinde in parte sensitiua experimur, dum in rebus sensibilibus sæpiùs vacamus magna difficultate ab ipsis retrahi, & magna facilitate illa prosequi: Idque etiam patet in Brutis, quæ vsu continuo disciplinantur, & operationes perfectiores producunt.

634. TERTIA CONCLVSIO: Potentiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ externæ non sunt capaces habitus: Est communis: Ratio est, quia istæ sunt summè ad vnum determinatæ: Tum quia ex vsu potiùs debilitantur, quàm perficiantur; ergo.

DE potentia verò Motiua, an sit capax habitus, vtraque pars est probabilis, affirmatiua quidem, quia ex vsu faciliùs quis, & velociùs mouetur: Item & negatiua probabilior tamen, quia, vt dicit Scotus apud Meldul. *disp.*3. *num.*15. nulla qualitas datur, quæ inclinet ad omnem differentiam positionis in motu, & ad omnem locum: disponit enim, & determinat potentiam ad vnum: ergo nec in potentia motiua, quæ est ad omnem locum: Vnde ad id, quod obiicitur de assuefactione ad motum, & ad consimiles operationes, vt in scribendo, & in cytharedo.

RESPONDETVR duplex impedimentum ex parte corporis: vnum est in iuncturis, & organis membrorum, & neruis, qui magis flexibiles fiunt: alterum est ex parte corporis: ex motu enim dissipantur humores crassi segnem hominem facientes: Addimus hos habitus ad quinque capita reduci, suntque ars, scientia, intellectus, sapientia, & prudentia.

OBIICIES primò cum Setbellon. non dari habitus in voluntate: si enim datur, aut producitur per primum actum, vel per plures: sed neutrum: ergo.

PROBATVR Minor: non per primum, quia fit ex frequentatis actibus: nec per secundum, quia vel producitur totaliter per plures actus solùm: vel partialiter per omnes, ita vt admittat intensionem graduum, & secundùm primum producatur à priori actu: in secundo gradu producatur à secundo gradu, & sic deinceps: sed primum non potest dici in habitibus virtutum supernaturalium moralium, siue etiam virtutum acquisitarum moralium, cùm ad perfectam ipsarum acquisitionem

requira

requiratur auxilium supernaturale secundùm communem Theologorum, cùm debeanr se extendere ad ardua quæque superanda: nec secundum potest dici, scilicet per plures actus posse produci, scilicet nec totaliter, quia actus priores non existentes non possunt cum sequentibus producere talem habitum, causa enim non existens non potest producere aliquid: item nec partialiter, quia actus præcedens quemcunque habitum est difficilior eodem habitu, seu gradu, quia facilitas illa, quæ producitur per actum, non potest esse ad eundem actum, sed ad subsequentem: ergo non potest esse causa productiua illius facilitatis, cùm sit perfectior.

635. RESPONDET Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 33. art. 1. quæst. 5. ad 4.* quod habitus totalis producitur à pluribus actibus, & licèt prima operatio transeat quantum ad actum, manet tamen quantum ad effectum, qui effectus, licèt non mereatur nomen habitus, vel dispositionis, adiuuatur tamen à sequentibus crescens gradualiter, ita quod resultet in habitum: sicut videmus vnam guttam non cauare lapidem, sed frequentem stillationem id facere.

SERBELLON. *disputat. 3. de an. quæst. 3. artic. 4.* facit multas instantias, quæ tamen facilè soluuntur per dicta ex Seraph. Doct. nam per actum producitur aliqua dispositio, quæ simul concurrens cum nouo actu adiuuatur ad augendum habitum, & ipsum complendum: actus enim sunt causa æquiuoca habitus, & obid actus étiam remissior: non enim est necesse, vt actus sint similes in gradibus, sed sufficit in natura.

OBIICIES secundò neque dari in intellectu: Intellectus est sibi indistans, & præsens: ergo semper est paratus ad exeundum in proprios actus, tum ad cognitionem sui, suorum actuum, & primorum principiorum, ad quæ est summè determinatus.

RESPONDETVR ex Seraphico Doct. *lib. 4. distinct. 4. citat. & lib. 2. distinct. 39. art. 2. quæst. 1.* dari in intellectu ad ista cognoscenda habitum innatum superadditum, qui tamen est imperfectus, & obid per actus frequentatos perficitur semper.

OBIICIES tertiò: Bruta non habent dominium libertatis: ergo nec habitus.

PROBATVR Consequentia: Quia habitus subiacent imperio voluntatis, ipsis enim vtimur, cùm volumus: ergo.

RESPONDETVR concedendo totum de habitibus humanis: negando de omnibus.

636. QVARTA CONCLVSIO: Habitus effectiuè concurrunt tanquam causa partialis ad actus substantiam totam: Est S. Bonauent. *loc. suprà citat.* qui semper in hoc est firmus, quod habitus virtutum concurrant cum potentia ad actus suos, & per istos diuersificantur per prius, & inde per obiecta, quod aliàs à nobis expenditur: de quo vide, quæ tradita sunt à nobis ex Seraph. Doct. in Logica *part. 3. num. 628.* Item & Scoti *lib. 1. distinct. 17. alijsque locis* apud Meldulam *disputatione 3. num. 39.*

PROBATVR ex traditis: Quia proprium habitus est tribuere potentiæ expeditè faciliter, & perfectiùs agere: sed id importat actiuitatem,

uitatem, nec potest fieri sine actiuitate: ergo.

RESPONDENT effectum habitus esse tantùm disponere subiectum per informationem.

CONTRA: Habitus informando potentiam vel auget eius virtutem, vel non: si secundum: ergo eodem modo se habet potentia, siue sit habituata, siue non, quod est patenter falsum, cùm actum diuersum producat, dum est habituata: si primum: ergo non se habet solùm in genere causæ formalis, verum etiam causæ efficientis coagendo simul cum potentia: Et hinc Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 26. art. 1. quæst. 6.* docet habitum gratiæ non solùm informare animam, sed efficienter cum ipsa concurrere ad actus perfectiores.

OBIICIES: Vnius actionis vna est potentia: vnitas enim per se effectus exigit vnitatem formalem per se causæ, sed ex habitu, & potentia fit vnum per accidens: ergo non possunt simul coagere ad vnum effectum.

RESPONDETVR ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 24. part. 2. quæst. 4. ad 4.* quod licèt actus sit simplex, tamen ad ipsum possunt concurrere plures causæ subordinatæ, vt euenit in casu nostro: idque patet in concursu causæ primæ, & secundæ ita, quod ad tantam intensionem, vel facilitatem ambæ causæ concurrunt, nec vna sine alia, &c. licèt potentia sit principalior.

ET hæc sufficiant de habitibus: plura enim tradentur agendo de actibus humanis in Sacra Theologia.



TRACTA



TRACTATVS IV.

De Anima Separata.

LICET plura in ſuperioribus tradita à nobis fuerint, quæ explicant ex parte ſtatum animæ ſeparatæ: tamen quia cognitio ipſius eſt apprimè neceſſaria, & vtilis: Hinc aliqua ad integritatem huius materiæ hîc ſubiiciemus, primò reſpicientia ipſius ſtatus: ſecundò ipſius operationes.

QVÆSTIO PRIMA.

De Statu animæ ſeparatæ, an ſit violenter à corpore ſeparata.

637. DVPLICEM ſenſum poteſt habere hæc quæſtio, nempè an violenter ſeparetur in fieri à corpore: ſecundò an poſt ſeparationem remaneat in ſtatu violento: Ratio dubitandi eſt, quia cùm eius vnibilitas ad corpus ſit ratio formalis diſtinctiua animæ, videtur, quod cùm retineat inclinationem perpetuam ad talem vnionem, & hinc violenter ſtet ſeparata.

ET quoad primam partem certum eſt actu ſeparari animam violenter à corpore: Ratio eſt, quia, vt notat Seraph. Doct. anima, cùm ſit forma corporis (idque eſt de fide) etiam naturalem inclinationem habet ad corpus: & *lib. 3. diſt. 5. art. 2. quaſt. 3.* ergo ſeparatur violenter: violentum enim eſt contra inclinationem naturalem.

CONFIRMATVR ex iis, quæ tradit idem Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 43. artic. 1. quaſt. 1. ad 1. & lib. 2. diſtinct. 19. art. 3. quaſt. 1.* quia anima conſeruatur in corpore ex principiis naturalibus, & mors introducitur per qualitates contrarias deſtruentes ipſum compoſitum: ergo violenter operantur.

OBIICIES materiam non ſeparari à forma cum violentia: ergo nec anima.

RESPONDETVR primò negando antecedens: ſecundò tranſeat antecedens, & negando Conſequentiam, & paritatem: Ratio diſparitatis eſt, quia materia indifferenter reſpicit omnem formam, non ſic anima, quia retinet inclinationem perpetuam ad tale corpus: ſic S. Bonau. *lib. 4. diſt. 44. art. 2. quaſt. 1.*

DIFFICVLTAS ſola reducitur

Sſſ 2 ad

Digitized by Google

ad statum animæ iam separatæ, nempè an acquirat nouum existendi modum, quem non habebat vnita corpori: & deinde an sit in statu violento.

Aliqvi cum Caiet. 3. *part. q.* 6. *art.* 3. dicunt acquirere nouum modum consimilem ferè Angelorum statui: vnde potest dici semipersona, & subsistens per se.

Et quoad secundam partem: Aliqui docent animam separatam esse in statu violento: Alij statum animæ in corpore esse illi violentum in statu separationis: post verò esse illi naturalem: Sic Auicen. Plato, &c. Alij docent vtrumque statum esse illi connaturalem: Sic Suarez, sed magis connaturalem, dum est in corpore.

S. Doct. sustinet animam secundùm se ratione separationis non acquirere nouum modum, sed tantùm quoddam benè esse, si glorificatur, nec statum separationis esse illi violentum, sed naturalem, licèt magis naturalem statum vnionis cum corpore. Pro solutione

Primò Notandum, quod anima rationalis per hoc differt à cæteris animabus, & formis, quod cæteræ habent aliquam dependentiam à corpore siue in esse, & fieri, siue in operari: sic *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. at anima rationalis est independens omninò à corpore eo, quod est per se existens, & indiuidua, non verò est persona: quia, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 3. ei deficit incommunicabilitas: hinc sequitur in statu separationis non indigere novo modo, cùm de se sit existens, & subsistens, sicut erat priùs in corpore.

Secvndò Notandum, quod naturalitas non consistit in indiuisibili: nam subiectum magis, vel minùs potest in aliquid inclinare.

Tertiò Notandum, quod anima potest comparari cum corpore vel mortali, vel immortali: His positis

638. Prima Conclvsio: Anima in statu separationis non recipit secundùm se nouum modum existendi: Est S.Bonau. *lib.* 3. *dist.* 21. *artic.* 2. *quæst.* 1. vbi probat animam Christi statim post separationem redditam fuisse impassibilem non per aliquid ipsi datum de nouo, sed per ablationem passibilitatis: ergo si ad impassibilitatem nihil de nouo est necessarium, multò minùs ad existendum per se, cùm id habeat ex sui natura.

Dices: Anima in statu separationis est eiusdem rationis cum Angelis: ergo acquirit nouum modum: Antecedens patet ex rationalitate communi vtrique.

Respondetvr negando antecedens, vt suprà in primò tractatu huius tertiæ partis probatum fuit.

639. Secvnda Conclvsio: Anima rationalis in statu separationis non est in statu violento: Est communis cum Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad vlt.* & *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *q.* 3.

Probatvr: Quia separata nihil entitatis, vel perfectionis amittit. Tum quia est independens à corpore: & licèt includat vnibilitatem ad corpus, talis aptitudo tamen nihil violenti ipsi importat, cùm in statu mortali dicat ordinem ad corpus mortale, in statu futuro ad corpus immortale.

Addit tamen Seraph. Doct. *lib.* 3. *citat.* in anima separata adesse aliqualem

qualem imperfectionem ob inclinationem, quam habet ad suum corpus, quæ tamen non ponit eam in statu violento: sic etiam materia habet naturalem inclinationem ad formam: attamen si illa priuatur, non ob id dicitur esse in statu violento, cùm habeat id, quod ad suam entitatem requiritur.

DICES: Separatur anima violenter à corpore: ergo est in statu violento: quod enim consequitur à principio violento, est violentum.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & negando Consequentiam, idque ratione mutationis status, in quo statu habet, quicquid spectat ad suam integram naturam: vnde in tali statu debetur ei separatio à corpore, obidque est ei connaturalis: habet enim suas proprias operationes integras in statu separationis.

QVÆRES: an anima inclinet ad corpus mortale: an ad immortale?

RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *in fine* inclinare ad corpus immortale ex eo, quod ordinatur ad beatitudinem.

QVÆSTIO II.

Quid amittat anima separata, & quid retineat spectans ad cognitionem, & modum cognoscendi.

640. SERAPH. DOCT. pertractat hanc quæstionem *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. hinc ex ipsius doctrina sit.

PRIMA CONCLVSIO: In anima separata remanent omnes potentiæ ipsius siue rationales, siue sensitiuæ.

PROBATVR: Quia sunt cum ipsa realiter identificatæ: ergo: Antecedens aliàs probatum fuit.

641. SECVNDA CONCLVSIO: Anima separata non retinet potentias sensitiuas quoad vsum, sed omninò sunt otiosæ: Est S. Bonauent. *citat.* & patet, quia illæ potentiæ operantur dependenter ab organo ex aliàs traditis: ergo cùm in anima separata non sint organa, &c. nec ipsæ habent aliquem vsum.

642. TERTIA CONCLVSIO: Anima separata per potentiam intellectiuam exercet omnes actus vitales, quos mediis potentiis sensitiuis exercebat in corpore: vnde recipit species singularium, imaginatur, &c. sed perfectiori modo, idest intellectiuo. Ratio Seraphici Doctoris est, quia est in ipsa, quo est fieri, & quo est facere, scilicet materia, & forma, ideò habet potentiam receptiuam, & actiuam.

DICES cum Thomistis, non adesse proportionem inter potentiam intellectiuam, & phantasma: ergo non potest recipere illud.

RESPONDETVR negando antecedens: est enim superior cuicunque obiecto, & habet vim receptiuam, intellectumque agentem depurantem, sicut prius, &c. Tum quia, vt ait Seraph. Doct. species habent aliquale esse spirituale, obidque quæcunque sunt proportionatæ intellectui: Vide S. Bonauent. *lib.* 4. *distinct.* 50. *citat.* & *quæst.* 2. *ad* 3. & *lib.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *dist.* 10. *artic.* 2. *quæst.* 2. & *art.* 3. *quæst.* 1. & *lib.* 1. *distinct.* 36. *art.* 2. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2.

Digitized by Google

& quæ à nobis suprà tradita sunt *à num.* 505. *& à num.* 523. & deinceps.

643. QVARTA CONCLVSIO: Anima separata est loco motiua ex se: Est etiam communis cum Seraph. Doct. *lib.*2. *distinct.* 1. *part.* 2. *artic.*3. *quæst.*1. *in corp. & lib.*1. *dist.*37. *part.*2. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 4. *& lib.*2. *distinct.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 8. *part.*2. *art.* 3. in quibus admittit motum localem substantiis spiritualibus Angelicis, sed non est maior ratio de anima separata, cùm sit substantia spiritualis per se existens, & in suo esse completo. Tum quia est de fide animas post separationem ferri in Cœlum, vel in Infernum. Tum quia hæc virtus inest entibus imperfectioribus. Tum quia anima est motor corporis sufficiens: ergo & id poterit cum seipsa.

DICES: Potentia loco motiua in corpore est organica: ergo post separationem, cùm non habeat organum, non poterit hanc habere.

RESPONDETVR ex doctrina Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *quæst.*1. habere ipsam organicam vim, dum est in corpore respectu corporis: at separata potest eandem exercere, cùm habeat in se, quo est fieri, & facere.

HIC autem Aliqui discutiunt quæstiones de modo conuersandi, & colloquendi animæ separatæ, sed cùm eius locus sit in secundo Libro Sententiarum, vbi agitur de loquutione Angelorum, ibi hanc materiam remittimus, solúmque superaddemus pro integro examine naturæ animæ rationalis, & hominis tractatum vltimum de hominis natura, proprietatibus, &c.



TRACTA

Digitized by Google



TRACTATVS V.

De Homine in communi, eiusque corpore in particulari, & de hominis Physiognomia.

644. IN superioribus fusè, & sufficienter tradidimus ea, quæ respiciunt animam in communi, & in speciali quamlibet, præcipuè rationalem: item & quæ respiciunt corpus organicum, pro vt est, quid commune omnibus animantibus, valdè autem pauca, & ferè obiter ea, quæ spectant ad corpus humanum, & ad ipsum hominem resultantem ex vnione corporis, & animæ rationalis: Cum autem homo sit veluti finis, & complementum eorum, quæ sunt, vt ait Aristoteles, eiusque exacta notitia sit valdè vtilis, & necessaria ad constituendum perfectum Philosophum, maximéque contendentem ad Theologicum Paradisum: cúmque à paucis, & forsan à nemine distinctè, & exactè tradatur huiusmodi materia in Philosophia, hinc ad perfectum profitentium Seraphicam doctrinam hunc tractatum vltimo loco proponimus, in quo ad gloriam Dei, qui tam excellens opus dignatus est condere, & ad maiorem splendorem doctrinæ Seraphici Doctoris agemus: Primò de proprietatibus tum absolutis, tum respectiuis corporis humani: Secundò de nobilitate, & excellentia ipsius hominis, & tandem in ordine ad mores, & inclinationes hominis naturales dignoscendas varias expensiones de Physiognomia hominis tum ex Seraphico Doctore desumptas, tum etiam ex aliis Philosophis ab eodem Sancto Doctore citatis exhibebimus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An Corpus hominis specie differat à cæteris corporibus organicis.

645. PRimò supponimus ex traditis in superioribus, quod valdè differt dicere corpus vt sic, corpus elementare, corpus mixtū, corpus organicum, corpus humanum, nam licèt communiter dicatur hominem constitui ex corpore, & anima rationali, id tamen est impropriè dictum: corpus enim ad aures Seraphici Doctoris Physicè loquendo) nihil aliud importat præter materiam informatam forma corporeitatis, quæ est essentialiter differens ab illa, quam recognouit Scotus in animalibus, sed est forma substantialis valdè imperfecta, & veluti vniuersalis vniuersaliter disponens eandem materiam ad suscipiendas formas vlteriores substantiales, scilicet elementares: istæque habent disponere elementare corpus ad formam substantialem mixti: forma verò mixtionis est dispositiua ad accipiendam formam organizationis, seu complexionis: hæc enim secundùm Seraphicum Doctorem est vnica, nam prout vnit, & colligit in vnum partes organicas, dicitur forma complexionis, prout verò respicit informando tot partes organicas, easque distinguendo, dicitur organizationis: sic *lib.4. distinct.24. part. 1. articul. 2. quæst.1. ad* 1. & hæc est ratio, quare hanc formam appellat Seraph. Doct. modò nomine complexionis, modò organizationis, vt videre est *lib. 2. distinct.* 17. *artic. 2. quæst. 2. & art. 1. quæst. 2. ad* 2. De forma suprà dicta corporis vide *lib.2. dist.12. art.1. quæst. 2.*

646. Secvndò Notandum, quod hæc forma complexionis, seu organizationis, quam Scotus appellat corporeitatis, sed quidem impropriè, vt probauimus in Physica, est multiplex iuxta multiplicitatem formarum organicarum, vel enim vltimatè disponit ad formam vegetantem, estque propria plantarum: vel vltimatè ad formam sensitiuam, estque propria irrationalium animalium, vel simul disponit ad actus vegetantis, sentientis, & ad formam rationalem, & hæc est propriè hominis, vt notat Seraph. Doct. *loc. cit. & lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2.* Cum autem istæ formæ specie differant, consequenter etiam differre necessariò debent corpora informata à diuersis formis organizantibus, quæ omnia fusè tradita sunt à nobis tum in Physica, tum in tractatu de generatione, & de Anima: Hinc

647. Vnica Conclvsio: Corpus humanum specie differt à quocunque alio corpore organico: Est S. Bonauent. *loc. citat. & lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 1. quæst. 2. & art. 3. quæst. 1. & 2.* contra Thomistas, qui negant quamcunque formam corpoream in corpore humano præter rationem; est & contra Scotum recognoscentem vnicam formam corporeitatis in animalibus omnibus, non autem in cæteris inanimantibus, vt aliàs notatum fuit à nobis in Physica agendo de forma corporeitatis communi omnibus corporibus.

Probatvr secundò: Anima rationalis specie differt à cæteris animantibus, & formis, ergo & corpus humanum: Antecedens est omnium,

nium: Probatur consequentia: Forma, vt informet, præsupponit corpus proportionaliter dispositum, ergo supponit organizationem differentem ab organizatione aliorum animalium, sed organizatio est per formam diuersam ab anima, & substantialem, dantemque speciem propriam, ergo: Maior est in Physica fusè probata, alioquin posset collocari anima rationalis in corpore plantæ, & bouis, exercereque omnes operationes rationis, quod à nemine admittitur.

PROBATVR secundò: Anima rationalis specie differt ab Angelo, & cæteris animabus, ergo per differentiam specificam, sed hæc nobis innotescit per vnibilitatem ad corpus, vt humanum ex traditis in superioribus, & ex Seraph. Doct. *lib.2. dist.1. part.2. art.3. quæst.2.* ergo per ordinem non ad quodcunque corpus, sed vt humanum, ergo corpus humanum supponi debet specie (licèt incompleta) à cæteris diuersum substantialiter, & specificè, quatenùs scilicet est antecedenter dispositum per propriam formam facientem illud differre à cæteris non viuificabilibus per animam rationalem: Sed vide S. Bonauent. *lib.2. distinct.30. art.3. quæst.1. ad vlt. & lib.4. dist.44. art.2. per totum.*

ET si quæras: quænam est hæc forma organizationis diuersa à cæteris.

648. RESPONDET Seraph. Doct. *loc. cit lib.2. dist.1.* nobis innotescere à posteriori, & cùm importet nobilissimā organizationem super quamcunque aliam creatam, & hanc substantialem, dicendum est, quod licèt ob defectum vocabulorum appelletur nomine communi formæ organizationis, seu corporis organici, tamen differt specie, & essentialiter à cæteris.

DICES: Magis, & minus non variat speciem, ergo organizatio magis, vel minùs perfecta non infert diuersitatem specificam.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib.2. dist.9. art.1. quæst.1. ad* 4. verum esse antecedens de magis, & minus accidentali, non verò de essentiali, vt est in casu nostro: & si aliquæ accidentales proprietates competunt iisdem corporibus variis, tamen quia concomitantur diuersitatem formarum essentialem, hinc etiam talia corpora diuersificant specie.

DICES: Maior, vel minor perfectio in organizatione est quid accidentale, quia vtraque sistit intra terminos organizationis: ergo nulla responsio.

RESPONDETVR conuenire quidem corpora in organizatione sumpta in genere, sed disconuenire specificè in tali, & tali organizatione, obidque maior, & minor perfectio, seu intensio, si est intra latitudinem talis organizationis, est accidentalis differentia: si verò importat diuersum modum essentialem, ita quod maioritas sumatur per ordinem ad aliam organizationem diuersam, sic negatur, quod non inferat secum diuersitatem specificam: Sic in simili S. Bonauent. *lib.3. distinct. 9. artic. 2. quæst. 4. ad* 4. Nec id est mirum, cùm has diuersas organizationes præcedant diuersa mixta substantialia ordinata ad talem diuersitatem animantium.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

De Constitutione partium essentialium hominis, scilicet corporis, & animæ.

649. DE anima rationali nihil superest addendum ad tradita in superioribus, vbi probauimus constitui ex materia, & forma spirituali: vnde superest enodare partes constituentes corpus humanum; & ad hanc considerationem excitamur à dubio proposito à Seraph. Doct. nempè cùm homo sit excellentissimus omnium mixtorum, videtur, quod corpus magis exigeret materiam cœlestem, & non elementarem: Pro solutione quæstionis sit

PRIMA CONCLVSIO: Conuenientissimmm fuit constituere hominem ex forma omnium nobilissima, scilicet rationali, & ex corpore composito ex quatuor elementis potiùs, quàm ex materia cœlesti: Est S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 17. art. 2. quæst. 1.*

PRIMA pars de anima rationali, iam aliàs est probata, quia cùm homo sit animal rationale, exigebat formam rationalem tribuentem rationalitatem, quæ est omnium nobilissima, ergo conuenientior fuit anima rationalis.

SECVNDA pars de corpore, probatur à Seraph. Doctore tali pacto: Sapientia Diuina in suis operibus semper seruat ordinis maioris conuenientiam, sed talis ordo, scilicet, compositio ex quatuor elementis est magis conueniens ad constitutionem hominis, quàm ex materia cœlesti, vel alia quacunque: ergo: Maior est certa, & de fide: *Omnia enim disposuit Deus in numero, pondere, & mensura ex Sap. cap.* 11. Minor probatur ex ordine excogitabili in homine consideraro siue secundùm se, siue in ordine ad creaturam inferiorem, siue ad parem, siue ad Deum tali pacto.

PROBATVR primò, si consideretur homo secundùm se, & absolutè: fuit enim conditus, vt multa cognosceret non solùm cognitione intellectiua, sed & sensitiua, ergo debuit ei dari corpus multiforme, vt diuersa organa deseruirent ad diuersa obiecta percipienda: anima enim, licèt sit tabula rasa, tamen est in potentia omnia, idest capax recipere in se species omnium rerum, sed diuersitas organorum præexigit diuersitatem componentium respondentium quatuor elementis, quod non posset esse, si esset ex materia homogenea, & cœlesti, ergo. Et quia conditus fuit in vertibilitate liberi arbitrij, vt posset viuere in iustitia, & non mori, & cadere, vt posset mori per culpam, ergo debuit ei dari corpus habile ad vtrumque, quod non esset, si haberet corpus cœleste, ergo conuenientius fuit ex hac parte corpus elementare.

650. PROBATVR secundò in ordine ad creaturam inferiorem: Homo enim, cùm sit complementum, & finis omnium creaturarum corporalium, ipsisque dominans, exigebat, vt taliter esset compositus, quod & essent ipsius obsequio vtiles, & veluti perficerentur in ipso in ordine ad vltimum finem earundem creaturarum, nempè vt in homine aliquo modo glorificarentur, sed ad hunc duplicem effectum conuenientius fuit

fuit corpus elementare, quàm cœleste, ergo. Maior fusè probatur à S. Bonauent. *lib. 2. distinct. 15. art. 2. quæst. 1.* nempè omnes alias creaturas corporeas creatas fuisse propter hominis vtilitatem, siue pro statu innocentiæ, nempè ad manifestandum ipsius imperium super ipsas, ad decorandum hominis habitaculum tot creaturis variegatum, ad excitandum hominem ad cognitionem multiformis Sapientiæ Conditoris, & ad amorem bonitatis ipsius Dei: siue pro statu naturæ lapsæ, nempè Mundum repletum à Deo fuisse tot creaturis, & mixtis, tum ad releuandam hominis indigentiam multiplicem, tum ad exercendam eius patientiam: Primus effectus, scilicet releuatio habetur vel per animalia, quæ pro alimento inseruiunt homini: vel per alia releuantia laborem, & fatigationem hominis: Secundus effectus habetur per animalia noxia: Alius finis creationis tot creaturarum fuit, vt veluti beatificarentur in corpore hominis per quatuor dotes respondentes quatuor elementis, vt fusè probat Seraph. Doct. in Breuiloq. *part. 7. cap. 7. & p. 2. cap. 4. & lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 2. quæst. 1.* nam per impassibilitatem perficitur elementum aquæ, per claritatem perficitur elementum terræ, per agilitatem, seu spiritualitatem ignis perficitur, per subtilitatem aër: tum etiam quia corporis humani appetitus, & per consequens cæterorum corporum terminatur, & completur per vnionem cum anima rationali, quæ est ens, viuens, sentiens, & intelligens, ergo ex hac parte conuenientius fuit corpus elementare: ex qua verè Seraphica Doctrina potest rectè inferri, quod peccator Deum offendens, seque exponens liberè in statu damnationis offendit Deum, & simul damnificat omnes Mundi creaturas, ipsas priuando tanto bono, & vltimata perfectione, vnde verè Peccatum confundit totum Mundum.

651. Probatur tertiò per ordinem ad creaturam parem, scilicet Angelicam: Si enim datur vna creatura rationalis prope Deum, & in loco supremo collocata: sic & congruum fuit dari aliam creaturam rationalem positam in loco infimo, cui competebat corpus elementare, sic enim omnes aliæ creaturæ veluti ambiuntur à duplici creatura rationali, eiusque imperio subduntur.

Probatur quartò per ordinem ad Deum, vt vltimum finem: Congruum enim fuit, vt homo Deo subiiceretur, vt per humilitatem ascenderet, vnde Angelus per elationem ceciderat, ideò debuit ei dari corpus tale, vt seipsum puluerem reputaret, & cognosceret, & hæc est ratio, ait S. Bonauent. *lib. 2. dist. 17. art. 2. quæst. 1. in fine, & Serm. 4. in Dom. Sexages.* quare homo magis denominatur ab humo, seu luto, quàm ex alia parte componente, vt cognosceret debere esse subiectum Deo, qui de terra, quæ pedibus omnium conculcatur, est sumptus.

Probatur quintò: Quia anima rationalis habet potentiam vegetantem, & sentientem, ergo exigit corpus elementare, vt præditum diuersis organis ad istos effectus, quod non potest esse nisi per constitutionem partium elementarium.

Probatur sextò ex multiplici motu, quo est capax homo, ad quem corpus cœleste non habet capacitatem præter circularem: quæ duæ vltimæ rationes magis patebunt,

bunt, & explicabuntur *infrà in quæst.* 7. vbi de complexione corporis.

Obiicies primò: In corpore humano non intrat corpus cœleste, ergo falsum est, quod appetitus omnium corporum perficiatur per vnionem ad animam rationalem, beatificeturque in ipso corpore humano.

Respondetvr, quod propriè loquendo dictum nostrum verificatur de corpore elementari, non de cœlesti, nam in cœlesti appetitus est terminatus per formam nobilissimam, non sic appetitus elementorum: de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 2. *quæst.* 1. obidque ratio suprà adducta verificatur tantùm de corporibus inferioribus, non de cœlesti.

Respondetvr secundò sufficere corpori cœlesti, vt sit locus gloriæ, per id enim sufficienter potest dici perfectum per locationem corporis glorificati.

Respondetvr tertiò: quod cùm ex concursu corporum cœlestium ad constitutionem corporis humani resultent spiritus naturales, animales, & vitales, qui habent maximam conformitatem cum proprietatibus Cœlorum, hinc dicuntur etiam ipsi perfici quodammodò in corpore humano: de quo vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 1.

652. Obiicies secundò: Nobilissimæ formæ debetur nobilissima materia, ergo animæ rationali debetur nobilissima materia, quæ est cœlestis.

Respondet S. Doct. *lib.* 3. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Nobilissimæ formæ debetur nobilissima materia, distinguo: nobilissima materia secundùm se, nego; hæc enim de se est æqualis nobilitatis in omnibus materiatis: nobilissima materia respectiuè, concedo, scilicet proportionaliter ad talem formam; & hinc negatur animæ rationali deberi materiam cœlestem ob improportionem, & rationes adductas.

Obiicies tertiò: Motoris ad mobile debet esse proportio, sed anima rationalis est motor incorruptibilis, ergo & corpus mobile debet esse tale.

Respondetvr primò Incorruptibilitatem nulli corpori deberi ab intrinseco, sed tantùm ab extrinseco, obidque tali pacto, sicut corpus cœleste est incorruptibile, sic & Corpus humanum est capax incorruptibilitatis, vt erit in gloria: vnde ex hac parte nihil probat argumentum.

Respondetvr secundò: Quod proportio inter mouens, & mobile non est secundùm entitatem absolutam mobilis, sed secundùm receptiuam capacitatem influentiæ prouenientis à motore, & cùm anima sit non solùm motor, sed & ptiùs forma, exigit corpus organicum, vt dictum est, &c. hinc negatur consequentia: tum etiam quia anima est capax mortis culpæ, hinc exigebat corpus aptum ad coadiuuandum eam ad merendum, obidque & subiectum vertibilitati, si se verteret ad malum.

Obiicies quartò: Finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, sed anima est creata ad perceptionem beatitudinis, ergo & corpus: ergo eis competebat locus proportionatus ad beatitudinem, sic animæ locus est Deus, corporis verò est Cœlum, ergo maiorem proportionem habet corpus humanum ad cœlestem materiam, tanquam ad proprium locum, in quo quiescere debet,

Digitized by Google

bet, quàm ad elementa, à quibus remoueri debet in æternum.

Respondet Seraph. Doct. admisso discursu de beatitudine, vt fine hominis, & de Empyreo, vt loco talis beatitudinis, negando tamen consequentiam, quod fuisset magis proportionata materia cœlestis ex rationibus adductis: cùm enim illuc anima peruenire debeat per merita, hinc exigit corpus organicum, & vertibile.

653. Quæres: quænam proportio potest excogitari inter duas substantias tam distantes: anima enim est simplex, & spiritualis, corpus verò est compositum, quantum, corruptibile.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. & 3. Quod est maxima proportio inter animam rationalem, & corpus humanum: primò si considerentur absolutè: secundò in relatione ad finem: primò absolutè, quia supremum corporis, & infimum spiritus sunt proportionata: infimum enim animæ rationalis est vis vegetandi, & sensificandi, vegetabilitas verò, & sensificabilitas est supremum corporis, ad quod habet proportionatam complexionem, & organizationem, ob id rectè vniuntur simul, quod & alibi in superioribus explicanimus: secundò per relationem ad finem: cùm enim ordinata sit anima, vt per actus liberos varios peruenire possit ad beatitudinem, indiget corpore apto ad diuersas operationes, & contrarias: tertiò ex parte corporis, nam corpus humanum terminat omnem appetitum aliarum formarum, & est dispositum ad perfici per nobilissimam formam, vt suprà dictum est.

QVÆSTIO III.

De excellentia hominis secundùm se, scilicet an sit omnium creaturarum nobilissimus.

654. Ratio dubitandi est, quia cùm ex Aristotele homo sit finis, & complementum omnium rerum, quæ sunt, videtur excellere super Angelos etiam, ex alia parte verò Angeli sunt puri spiritus: hinc oritur dubitatio ex vtraque parte. Pro solutione quæstionis

Primò Notandum, quod cùm tota difficultas reducatur ad comparationem hominis cum Angelica natura, Seraph. Doct. proponit, & soluit hanc quæstionem in terminis *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. & ad solutionem præmittit hanc doctrinam, dicens: Quod comparatio hominis, & Angeli possunt intelligi secundùm duplicem ordinem: primò quantum ad finem: secundò quantum ad naturæ dignitatem: primo modo sunt pares, æquè enim immediatè ordinantur ad beatitudinem; hinc oritur mutuum adiutorium inter Angelos, & homines ordinatos ad eundem finem, nam secundùm legem charitatis Angelus stans immutabiliter adiuuat hominem subiectum tot periculis, & casibus: & viceuersa homo ex adiutorio gratiæ stans reparat ruinam Angelicam, sicque potest dici, quod Angelus est quodammodò propter hominem, & homo propter Angelum, se habendo tanquam excedentia, & excessa: secundò si considerentur absolutè secundùm naturæ dignitatem absque dubio

bio Angelus est nobilior homine, licèt secundùm aliquas proprietates relatiuas homo possit dici excellentior Angelo, vt mox patebit: Hinc

655. Prima Conclusio: Homo absolutè est excellentior quacunque creatura corporea: est communis, & certa.

Probatur primò: Quia constat nobilissima omnium forma, & corpore inter omnia nobiliori, ergo.

Probatur secundò: Quia est finis, & complementum omnium entium corporalium, cùm, vt dictum est, ad ipsum terminet appetitus totius naturæ corporeæ, quia corpus ordinatur ad mixtum, mixtum ad organicum, hoc ad perfectissimè organizatum, & tandem ad animam rationalem, à qua perficitur perfectissimo modo: de quo vide Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 1. part. 2. art. 2. quæst. 2. & distinct. 15. art. 2. quæst. 1. & 2. & lib. 3. dist. 5. art. 2. quæst. 1. & Opusc. Centil. part. 3. sect. 26.* & Comp. Theol. *lib. 2. cap. 2. & 62.* tum quia est microcosmus, idest paruus mundus, in quem intrat totus Mundus, scilicet species omnium rerum mediis sensibus, ergo.

Dices: Aliqua animantia habent sensus vegetiores, & acutiores homine, sed talis dispositio indicat excellentiam maiorem in composito, ergo.

Respondetur primò, transeat quoad aliquas sensationes, sed id est per accidens, vnde negatur minor.

Respondetur secundò, distinguendo maiorem: Aliqua animalia habent sensus acutiores secundùm se, & materialiter sumptos, transeat: prout verò ordinantur ad operationem internam animæ, negatur, in homine enim ordinantur ad intellectum: hinc in homine omnes partes, organa, sensus, potentiæ, & actus ordinantur tanquam famulæ ad obsequium intellectus, & voluntatis, quæ sunt veluti Rex, & Regina in regno animæ, vel veluti Sol, & Luna in Cœlo mystico hominis: sic negatur minor, & consequentia.

656 Secunda Conclusio: Si homo, & Angelus comparentur ad inuicem absolutè secundùm naturam, Angelus est excellentior homine: Est communis, & certa: quia Angelus est substantia purè spiritualis, immortalis, incorruptibilis, similior Deo, ergo.

Dices: Christus Dominus, & Beata Virgo sunt Angelis perfectiores.

Respondet Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 1. citat.* concedendo antecedens quoad gratuita, non quoad naturalia.

657. Tertia Conclusio: Si consideretur homo relatiuè secundùm aliquas proprietates respectiuas, potest aliquo modo dici nobilior Angelo: Est S. Bonau. *lib. 2. dist. 1. part. 2. art. 2. q. 2. ad 3. & lib. 2. dist. 16. artic. 2. quæst. 2. & lib. 3. distinct. 2. art. 1. quæst. 2. &* in Comp. Theol. *lib. 2. cap. 62.*

Probatur primò: Quia illud est perfectius, quod includit formaliter maiora bona, sed homo in comparatione Angeli est talis: ergo.

Probatur minor, quia habet esse cum lapidibus, viuere, & generare cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis, sed Angelus caret formaliter omnibus his perfectionibus, excepto esse, & intelligere, ergo.

Et

Et hinc S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 16. *cit.* dicit, quod ex vna parte homo, & Angelus æqualiter sunt ad imaginem Dei, scilicet quoad intrinsecas rationes, & essentiales, quæ sunt intelligentia, & voluntas: ex alia parte scilicet quoad benè esse, Angelus meliùs præponitur cæteris creaturis, sed tamen quatenùs imago est magis expressiua perfectionum Dei, qui est principium omnium, & vnus, vt in omnibus, & inuoluit eminenter perfectionem omnium: sic homo est imago magis expressiua Diuinarum perfectionum, homo enim est principium alterius hominis: item inuoluit formaliter perfectiones aliarum creaturarum, etiam Angelorum: item & eius anima habitat tota in corpore toto, & tota in qualibet parte, & ex his rationibus homo excedit Angelum.

Et hæc est ratio (ait Seraph. Doct. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 62.) quare nullibi inuenitur, quod Angelus sit factus ad imaginem Dei, licèt enim Angelus sit ad imaginem Dei, non tamen expressè ponitur in Sacra Scriptura, sicut dicitur de homine: homo enim est liber scriptus intus, & foris exprimens perfectiones creaturarum meliùs, quàm Angelus ob rationes adductas.

Probatvr secundò: Quia Angelus deputatur ad ministerium hominis, quod importat maximam excellentiam, & dignitatem in homine, vt aduertit S. Doct. *lib.* 2. *dist.* 11. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 5.

Probatvr tandem ex maiori conuenientia existente in homine, quàm in Angelo assumptionis humanitatis factæ à Verbo: vt probat Seraph. Doct. *lib.* 3. *distinct.* 5. *cit.* Et hinc facilè soluuntur obiectiones, quæ ad vtramque partem possunt fieri.

QVÆSTIO IV.

Quodnam discrimen est inter hominem in statu innocentiæ, & naturæ lapsæ.

658. Qvæstio hæc potiùs est Theologica, vel saltem à Theologis tractatur in secundo Sententiarum, attamen quia ferè non potest resolui, nisi ex principiis Philosophicis: quare hoc loco summariè soluendam proponimus, omissis concertationibus ad Theologos: Hinc

Prima Conclvsio: Deus communicauit primo homini omnem perfectionem competentem statui medio inter statum gloriæ, & huius mortalitatis: Est communis inter Theologos, & fusè traditur à S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 17. & deinceps, & in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 63. & in Breuil. & in Centil.

Probatvr primò quoad corpus: Quia primo homini debebatur corpus proportionatum animæ nobilissimæ, & carenti omni imperfectione culpæ, & naturæ, ergo debuit esse nobilissimè complexionatum, ergo æqualitate non quidē molis, vel virtutis, quia sic fuisset improportionatum, immò id erat impossibile saltem naturaliter, sed æqualitate à iustitia, ergo immune ab actuali discordia, & pugna miscibilium, idque per adiutorium interius animæ gubernantis, & per extrinsecum alimenti ex ligno vitæ, & assistentiæ Diuinæ: & per hoc positus fuit in statu

Digitized by Google

ſtatu medio inter gloriam, & naturam lapſam: nam in gloria Beati actu, & potentia ſunt immunes à diſcordia, & à caſu: in ſtatu naturæ lapſæ homines actu ſunt ſubiecti vtrique defectui: & in ſtatu innocentiæ actu erant immunes, non verò potentia, vt de facto per culpam euenit.

Dices: In ſtatu innocentiæ calor naturalis agebat in humidum radicale, ergo illud conſummebat, ergo ſubiectus erat homo mortalitati.

Respondet S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 17. *dub.* 4. *& diſtinct.* 19. *dub.* 4. *& artic.* 2. *quæſt.* 2. *& diſtinct.* 29. *dub.* 4. concedendo antecedens: ſed tamen Deus prouidit remedium vel reſarciendi, vel præſeruandi hominem à tali defectibilitate per eſum fructus ligni vitæ: An verò ſi actu non adhibuiſſet remedium fructus vitæ reſarcientis ſubſtantiam conſumptam à calore naturali, verè mortuus eſſet, eſt in quæſtione, ſed probabilior eſt affirmatiua, poterat enim non mori, & mori.

Probatvr ſecundò quoad animam: Anima creata fuit cum iuſtitia originali, ergo cum omnibus perfectionibus poſſibilibus, & competentibus tali ſtatui medio: Antecedens eſt certum, & de fide: Conſequentia item admittitur ab Omnibus, & à S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 24. *quæſt. vlt. ad* 3. *& aliis locis cit.*

659. Solvm ſupereſt explicare, quid ſit hæc iuſtitia originalis: ad quod Reſpondet Seraph. Doct. quod non conſiſtit in pura priuatione culpæ, & miſeriæ, ſed cum tali priuatione in poſitione, non quidem gratiæ habitualis, in qua non fuit creatus homo, nam poſt primos actus animæ diſpoſitiuos fuit ei infuſa, ſed in poſitione aliorum donorum excellentium tum naturalium, tum gratuitorum, per quæ pars inferior, & corpus totaliter erat ſubiectum directioni rationis ſine rebellione, & difficultate: obidque habuit notitiam, & dilectionem Dei tum naturalem, tum ſupernaturalem perfectiſſimam: item & notitiam perfectiſſimam omnium ſcientiarum, & rerum à Deo creatarum; quæ perfectio transfuſa eſſet in poſteros, ſi Adam ſtetiſſet: ſed ipſo peccante, licèt non perdiderit dona naturalia pro ſe, pro poſteris tamen plura ex ipſis amiſit: vide in Breuil. *part.* 2. *cap.* 10.

660. Secvnda Conclvsio: Homo in ſtatu naturæ lapſæ per peccatum incidit in actualem pugnam miſcibilium, elementorumque in corpore, tum & ſenſualitatis cum ratione in neceſſitatem infectionis, & in omnes pœnalitates, quæ ſunt infinitæ huius vitæ, quod non indiget probatione, cùm continua experientia quotidiè id nobis innoteſcat.

Qværes: an ſicut in hac vita mortali adeſt propagatio hominum per generationem, & deciſionem, corruptionemue ſubſtantiæ generantis, ita fuiſſet in ſtatu innocentiæ, videtur enim non potuiſſe eſſe abſque corruptione annexa.

Respondetvr ex S. Doctore *cit. lib.* 2. *diſt.* 20. *dub.* 2. *art.* 1. *per totum*, & Breuil. quod cùm generatiua vis ſit maxima perfectio, hæc non defuiſſet in ſtatu innocentiæ: & hoc per deciſionem ſeminalem adminiculo ſexus muliebris creati à Deo in adiutorium viri: ſed deciſio fuiſſet ſanguinis ſuperflui abſque annexa corruptione, & cum propagatione immaculata, obidque ſine vlla deordinatione

Digitized by Google

dinatione partis inferioris, vel superioris animæ.

661. Et hinc in Paradiso terrestri fuissent celebratæ nuptiæ, habuissentque annexam honorabilitatem, de qua loquitur Apostolus *ad Hebr. c. 13.* scilicet quoad signatum vnionis animæ cum Deo, & quoad prolem, & quoad actum, vnde nulla fuisset erubescentia, vt accidit modò in tactu manus, quæ erubescentia modò concurrit, ex hoc quod in viliori parte corpus dominetur rationi: & hinc in quolibet actu suscepissent prolem: Multique docent cum Seraph. Doct. quod nati essent in quolibet conceptu saltem vnus masculus, & vna fœmina, obidque in æquali numero nati essent viri, & mulieres: & ratio est, quia distinctio sexuum fuit ordinata à Deo ad multiplicationem generis humani, & completionem numeri electorum.

Addit Seraph. Doct. duo ad hanc rem: Primum, quod solùm generati essent electi, non verò reprobi, qui nunc sunt ex abundanti, & extra numerum electorum: Secundum est, quod paruuli paulatim profecissent in cognitione, licèt nòn cum tot difficultatibus, & incommodis, & nunc cùm Ipsorum mens fuisset prædita speciebus rerum, vt fuit in Adam: obidque profectus cognitionis sequutus esset absque labore addiscendi per receptionem specierum mediantibus sensibus: modò autem nascitur homo cum intellectu, vt tabula rasa, indigetque cum labore, industria, & experientia acquirere species rerum: quæ incommoda cum tot aliis innumeris sunt fructus peccati inobedientiæ.

De Physiognomia Hominis.

Qvæstio V.

De natura corporis humani, eiusque proprietatibus.

662. In hac quæstione explicanda sunt, quæ naturaliter insunt in homine, præcipuè in ordine ad corpus; quorum aliqua sunt communia vtrique statui, scilicet innocentiæ, & huius mortalitatis, alia propria huius naturæ lapsæ: qua occasione viam aperiemus ad pertractanda ea, quæ spectant ad Physiognomiam hominis in communi: Hinc

Svpponendvm hoc nomen Physiognomiæ esse Græcum, & sumi à Physio, quod est natura, & gnomon, quod est regula, quasi regula dirigens intellectum ad cognoscendam naturam visibilem, & exteriorem, obidque tractum est ad significandam artem, siue disciplinam, quæ indagat mores, & inclinationes internas ex signis exterioribus, estque subordinata Philosophiæ: quibus suppositis.

Primò Dicimus cum Seraphico Doctore in Comp. Theol. *lib. 2. c. 57.* quod meritò homo Græcè dicitur Antropos, scilicet arbor inuersa: habet enim caput cum capillis ad modum radicis, brachia verò cum cruribus sunt quasi rami: Ratio autem huius dispositionis potest assignari moraliter, nempè solùm hominem non debere figere suas radices, & intentiones, vel sumere fundamentum augmenti secundùm partem rationalem, & in virtutibus à terra, sed

Digitized by Google

à Cœlo, & à Deo, à quo omne bonum deriuat.

663. Secvndò Dicimus meritò hominem solùm esse longi, & lati corporis, & erecti ad Cœlum inter omnia animantia.

Ratio autem huius dispositionis est duplex: altera naturalis, altera moralis: Ratio naturalis latitudinis, & longitudinis corporis, & pectoris est, quia homo omnia animantia excedit in magnitudine cordis, ob id & exigebat maius spatium, vt collocaretur in medio corporis: Cor enim (ait S. Bonau. *Serm. 1. Hexaëm. & lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad arg.*) est medium huius microcosmi, potestque dici Sol in homine, sicut Sol materialis potest dici cor totius Mundi corporei, cùm ab ipso deriuent omnes spiritus vitales ad cætera membra.

Ratio naturalis capitis, & corporis erecti ad cœlum est, quia homo super omnia alia animantia compositus est cum perfectiori temperamento: nam in ipso frigus prædominatur moderatè siccitati, & calor humiditati: ob id ex prædominio caloris sursum naturaliter tendentis caput ad cœlum facilè est conuersum, & quia calor est contemperatus cum debita mensura cum frigido, & humido, hinc in capite potissimùm viget virtus exercendi actus vitales cognoscitiuos, & affectiuos, quæ perfectio longè est à cæteris animalibus, quæ abundant maximè materia crassa, terrea, & humida deprimente, hinc caput, & faciem habent conuersam ad terram.

Ratio moralis latitudinis corporis, & pectoris potest esse, quia cor habet maiorem latitudinem ad dilatandam suam virtutem, vt homo possit intelligere non solùm sensibilia, sed & omnes veritates spirituales, quod non habent cætera animantia.

Ratio moralis erectionis capitis est, vt homo excitaretur per rectitudinem mentis ad cœlestia.

Et hinc oculos habet sursum, vt videns Cœlum, cœlestiaque contemplans excitetur ad amorem cœlestis patriæ, ad desideriumque cœlestia acquirendi: hinc peccator dicitur *Ps. 16. oculos declinare in terram:* sic Seraph. Doct. *in Opusc. cap. 8.* & Breuil. *part. 2. cap. 10.* & Centil. *p. 3. sect. 25.*

Tertiò Dicimus hominem inter animantia omnia habere membra corporis perfectissima, quorum alia sunt radicalia, vt hepar, cor, cerebrum, genitalia: alia sunt deseruientia, vt venæ, arteriæ, & nerui: alia sunt officialia, vt manus, pedes, & huiusmodi, quæ ita à Deo sunt ordinata, vt sibi inuicem deseruiant, & cùm vnum deficit, alia suppleant, omniaque sunt promptissimè subiecta imperio liberi arbitrij: de quibus satis in superioribus dictum est.

664. Qvartò Dicimus hominis proprietates esse: primò discernere inter honestum, & turpe, cætera enim animantia id non habent, sed totaliter se applicant ad delectabilia: secundò Solus homo ordinare potest passiones ad rationis limites, eleuareque se supra omnia creata in Deum: hinc fit, quod quando per adhæsionem in terrenis homo se inferiorem Mundo facit, iam quasi honore humanitatis exutus similitudinem bestiæ multiplicis induit secundùm multiplicitatem passionum: de quo vide S. Bonauent. *in Opusc.*

Digitized by Google

Opusc. citat. & *Sermone 6. Dom. infr. octau. Epiphan.* & *Sermone 2. Dom. 7. Pentec.* & *Serm. 6. Dom. 1. Adu.* & in Sap. *cap.* 11. *verſ.* 18. & *Serm. 9. in Natiu.* in quibus locis explicat, quomodò per peccatum homo moraliter transformatur in multiplicem beſtiam : tertiò Amicitiam habere ſecundùm omne genus amicitiæ ; vera enim amicitia eſt virtus ſubordinata iuſtitiæ , vt docet S. Bonauent. in Centil. *part.* 3. *ſect.* 44. eſtque voluntas erga aliquem cauſa illius , qui diligitur cum eius pari intentione , à quo diligitur , idque eſt tantùm in bono , vt fusè tradit S. Bonauent. *Serm. 1. de S. Barthol.* quartò eſt intellectualibus veritatibus delectari, ipſaſque ſpeculari ; quintò verecundari in turpi perpetrato : ſextò eſſe animal ſociale, ciuile, diſciplinæ capax , riſibile , & glorificabile : ſeptimò ex duplici ſubſtantia, ſcilicet corporea , & purè ſpirituali conſtare, quæ omnia ſunt tantùm propria homini , quorum aliqua ſunt merè naturalia, alia moralia.

Proprietates autem defectiuæ hominis ipſi ob peccatum obuenientes præcipuè ſunt poſſibilitas , & aſſiduitas deficiendi tum naturaliter, tum moraliter, impoſſibilitas ſtandi, facilitas cadendi , difficultas reſurgendi , vilitas naſcendi , incertitudo temporis mortis , innumeræque aliæ miſeriæ , de quibus vide S. Bonau. *lib. 3. diſtinct.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 2. & in Comp. *lib. 3. cap. 7.* & *lib. 2. prolog.* & *lib. 4. in prol.* & *Op. c. 3. cit.* & *Serm. 4. Dom. 12. Pent.* & in Luc. *c. 10. verſ.* 30. & *lib. 2. diſt.* 28. *quæſt.* 1. *ad argum.* & *diſt.* 35. *art. 1. per totum* , & *art.* 2. *quæſt.* 1. & Centil. *part.* 2. *ſect.* 1. & Breuil. *part.* 5. *cap.* 3.

QVÆSTIO VI.

De Phyſiognomiæ vtilitate : regulaque generales de ipſa traduntur.

665. HOMO inter omnia animantia abundat diuerſitate maxima proprietatum , & inclinationum tum bonarum , tum malarum , obidque (ait S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad argum.*) in ſolis hominibus tanta diuerſitas eſt inclinationum , quanta eſt inter facies hominum , vultus enim omninò vnquam inuenietur , quod habeat omnimodam vniformitatem faciei cum altero , quod valdè magnificat Omnipotentiam, & multiformem Sapientiam Diuinam : ex qua diuerſitate infertur etiam diuerſitas in vnoquoque indiuiduo inclinationum, & morum : vnde cùm ſub obſcuriſſimo velamine lateant intima cordis humani , homo enim eſt animal maximè varium, vt dicebat Cicero : Deus diſpoſuit ita membra corporis humani externa , & in eis impreſſit varia ſigna , vt faciliùs per ipſa duceretur homo in cognitionem inclinationum internarum , & eò maximè quia vt plurimùm omnes ſectantur proprias inclinationes , vt aduertit S. Bonauent. in ſimili de prædictionum Aſtrologorum fundamentis *lib.* 2. *diſtinct.* 14. *quæſt. vltim. ad* 2. Idque Deus optimo ordine diſpoſuit tum ad vtilitatem propriam , ſcilicet vt homo cognoſcens ſuas malas affectiones poſſet faciliùs fræno rationis eis dominari : tum vt vnuſquiſque poſſet euitare ſocietatem malorum, &

& bonorum consortium affectare: sic legitur de S. Gregorio Nazianz. qui edoctus hac disciplina semper abhorruit, & cauit societatem, & consortium Iuliani Augusti, dum simul incumbebat iisdem studiis Athenis, ex Physiognomia enim pessima ipsius præuidit, quale monstrum futurum esset, & quot damna illaturus esset toti Mundo, & Ecclesiæ.

Nec talis notitia superstitiosa credi debet, nam, vt docet S. Doct. tum *in Op. Diat. sal. tit.* 7. *cap.* 2. tum in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 58. tum *in Serm.* 1. *de S. Gregorio M. Ex visu cognoscitur homo*, ait Spiritus Sanctus in Prouerb. *cap.* 19. & Eccl. *c.* 19. *amictus corporis, & risus dentium* (scilicet dispositio exterior) diudicat de illo: vnde concludendum est, ait Seraph. Doctor, quod figura externa corporis signum est exprimens naturam interiorem, ipsiusque inclinationes bonas, & malas: quibus vt certis apud omnes DD. suppositis, subdendæ sunt regulæ generales huius facultatis ex Seraph. Doct. *citat. cap.* 59.

666. Prima Conclusio est, quod licèt per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen supponunt necessitatem, sed tantùm ostendunt inclinationem, nec semper, vel infallibiliter denuntiant affectus, vel mores hominum, sed frequenter, & probabiliter tantùm.

Ratio est primò, quia fortè mala inclinatio deuicta est per contrariam consuetudinem exercitio virtutum, & fræno rationis: secundò, quia fortè signum exterius est per accidens, non per naturam: Vnde narrat Aristoteles, quod discipuli Hipocratis ostenderunt Philemoni excellenti Physiognomo pictam Magistri imaginem, qui pronuntiauit de ipso, quod esset vir luxuriosus; quod dictum ægrè ferentes discipuli de suo Magistro, malè sentiebant de Philemone tanquam de viro ignaro, vel maligno: hancque querelam tandem detulerunt ad Hipocratem, qui confessus est Philemonem rectè iudicasse, sed ex amore Philosophiæ, & honestatis fassus est se concupiscentias cordis sui vicisse, & per studium virtutis emendasse, & acquisiisse, quod naturæ fuerat denegatum: quæ ratio à fortiori militat in Christiano, qui per fidem, aliasque virtutes faciliùs id potest obtinere, & maximè per imitationem Christi, & Sanctorum: idem & refertur à Cicerone de Zophiro Physiognomista, qui eadem asseruit de Socrate: tertiò etiam potest dari, quod aliquod signum malè indicans superetur excedenter per alia opposita, & meliora.

667. Secunda Conclusio: Signa exteriora non referuntur nisi ad eas passiones, quæ naturaliter insunt homini: sicut est concupiscentia, & huiusmodi, non autem ad eas, quæ insunt animæ ex imperio voluntatis, vt est musica, geometria, & similia, quæ studio, & arte possunt per applicationem voluntatis obtineri: idque est certum, quia voluntas nostra libera est, & liberè se applicat pro libito, vbi vult, imperatque cæteris potentiis cum totali dominio, ergo potest etiam, si non adsit interna inclinatio, vel si adsit opposita, ipsam vincere, & ad quodcunque studium se applicare, & maximè adiuta auxilio superno Dei, quod nunquam deest: Vide aliam limitationem ex Theologia sumptam apud

Seraph.

Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 32. *dub.* 6. quam pro huius tractatus coronide dabimus in fine.

668. Tertia Conclusio: In oculis principaliter, & in facie consistit perfectio Physiognomiæ: Est communis etiam hæc conclusio: Nam, vt suprà dictum est ex Prouerb. *ex visu cognoscitur vir:* & ex Eccles. *ex amictu corporis, scilicet ex facie exteriori cognoscitur homo.* Tum quia oculus est vetus cordis nuntius, vnde ait August. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius: hincque sequitur, quod oculorum indicium, sicut & faciei confirmat cæterorum membrorum indicium: & è contra, si cætera signa contrariantur, tunc præualent indicia oculorum, & faciei: Ratio autem naturalis oculorum potest inferri ex iis, quæ tradit Seraph. Doctor *in op. itiner. ment. cap.* 2. & infrà specialiùs afferentur in quæst. de oculorum Physiognomia: quia cùm per sensus intrent in animam omnes res sensibiles, quia visus est primus, & cæteris præstantior, & nobis ad addiscendum vtilior, aptior, & amabilior ex Seraph. Doct. *Serm.* 4. *de vna S. Virg.* hinc ad motum, & operationes ipsius etiam primò mouetur interior sensus. Tum quia, vt ait idem Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 20. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. visus, cùm sit nobilior cæteris, magis accedit ad naturam spiritualem, & ad inclinationes animæ: Ratio naturalis faciei infrà adducetur suo loco.

Quarta Conclusio: Membra, quæ in proportione sunt naturali quoad figuram, colorem, quantitatem, situm, & motum, indicant bonam mentis habitudinem naturalem: è contra, quæ carent debita proportione, peruersam mentem indicant: Sic S. Bonauent. in Comp. Theolog. *lib.* 2. *cap.* 59. & ratio in promptu est, quia cùm anima sit actus corporis organici, vtaturque ipso corpore, eiusque organis ad suos motus, sequitur, quod si organa sint indisposita, improportionata, & malè ordinata, quod etiam in suis motibus ipsa sit naturaliter inordinata, obidque & peruersas imprimat inclinationes. Ex quibus sequitur

Primò, quod debita proportio membrorum exigat proportionem cum positione partium huius Mundi, homo enim est paruus Mundus: vnde tanta est distantia inter extremitates duorum longorum digitorum vtriusque manus, quanta est à vertice capitis vsque ad plantam pedis: sicut tanta est distantia à centro capitis ad oppositum tropicum in Cœlo, quanta est ab Oriente in Occidentem.

669. Secundò, quod pulchritudo consurgit ex tali proportione membrorum: pulchritudo enim est æqualitas numerosa: Sic S. Bonauent. *Serm.* 6. *&* 20. *Hexaëm.* seu, vt dicit *lib.* 4. *distinct.* 49. *artic.* 5. *quæst.* 1. est partium conuenientia cum quadam coloris suauitate, vnde exigit & multitudinem, & æqualitatem, & situationem ordinatam partium secundùm varietatem hominum, figurarum, & colorum in corporibus: Sic *lib.* 2. *dist.* 9. *in expos. textus*, & ibidem *quæst.* 8. *&* *in Op. itiner. ment. cap.* 2. Hinc infert in *Opusc. de ternario peccat. cap.* 7. quod pulchritudo licitè potest solùm appeti, inquantum est repræsentatio, vel resultantia Diuini decoris, & *lib.* 1. *dist.* 31. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. quod Filius in Diuinis habet summam pulchritudinem, nam in com-

Digitized by Google

paratione ad Patrem habet pulchritudinem æqualitatis, quia ipsum perfectè exprimit, sicut pulchra imago: in comparatione verò ad res, quia est ars plena omnium rerum, habet exprimere eas, provt est omnium exemplar, ideò est pulcherrimus.

Tertiò, quod cùm principaliùs in visa imagine oculis obiectum est color, hinc etiam ex coloris qualitate iudicatur interior hominum dispositio: Sic *Serm.* 1. *de S. Gregorio & lib.* 4. *dist.* 49. *cit.* de quo aliàs redibit Sermo.

Qvartò, quod quæcunque similitudo animalium aliquorum in hominibus est, tales homines imitantur talium mores, & inclinationes: Sic Plato, & S. Bonau. in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 59.

QVÆSTIO VII.

Exponuntur aliæ regulæ generales Physiognomiæ ex diuersa complexione humorum.

670. PRimò Supponendum, quod Corpus humanum (ait Seraph. Doct. cum communi in Comp. Theol. *lib.* 2. *c.* 57. *& seq. & Serm.* 1. *de S. Gregor. & lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 1.) componitur ex quatuor elementis, scilicet terra, aqua, aëre, & igne, & ideò resident in Sanguine, qui est materia proxima omnium partium corporis, quatuor principales humores ad vitam, & conseruationem conferentes, quorum primus est bilis correspondens igni, & dicitur flaua bilis, seu bilis absolutè: secundus est sanguis, seu rubea bilis respondens aëri: tertius est phlegma respondens aquæ: quartus est melancholia respondens terræ, & dicitur atra bilis: ideò etiam isti humores præditi sunt qualitatibus propriis suarum causarum, nam bilis est sicca, actiua, & velox: sanguis humidus, & calidus: phlegma humidum, & frigidum: & melancholia sicca, & frigida: ex quibus in corpore fit mirabilis complexio, sed quia adest etiam pugna inter istos humores ob oppositas qualitates, & ferè semper adest prædominium vnius super alios, quod præcipuè cognoscunt Medici per aspectum faciei: *ex visu enim*, ait Spiritus Sanctus, *cognoscitur vir*, vt aduertit Seraph. Doctor *Serm.* 1. *de S. Gregor.* hinc sequitur, quod ex inordinatione, & prædominio horum humorum alteratorum omnes Febres, & infirmitates oriuntur, vt aduertit idem S. Doctor *Serm.* 1. *Dom.* 4. *Quadrag.* immò non solùm corporales, sed & spirituales infirmitates promanant animæ, vt mox dicemus.

Vt autem hæc doctrina, & suprà dicta, & infrà tradenda clariùs percipiantur.

671. Secvndò Supponendum ex Seraphico Doctore *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. quod cùm anima in corpore sit forma dans ei vitam, sensum, & motum, ideò fuit necessarium, vt ad compositionem corporis concurrerent quatuor elementa, & inter se haberent prædominantiam mutuam secundùm quantitatem molis, & virtutis.

Primò quoad vitam percipiendam: Si elementa passiua, quæ sunt terra, & aqua, prædominarentur secundùm vtranque quantitatem, non esset habile ob sui grossitiem, & soliditatem,

liditatem, ſicut ſunt corpora mineralia: nec etiam ſi prædominarentur ſecundùm vtranque quantitatem elementa actiua, quæ ſunt aër, & ignis, quia ab iſtis conſummerentur ſtatim paſſiua, nec eſſet aliquid, quod poſſet vegetari ab anima, ergo neceſſe fuit, vt ex quadam mutua prædominantia conſurgeret mutua proportio, & concordia ad vitam, & animam ſuſcipiendam.

Secundò quoad ſenſum: Corpus non eſſet aptum ad ſenſum tactus, niſi in eo prædominaretur terra quantum ad molem: ſenſus enim tactus, qui eſt inter alios materialior, & diſperſus per totum corpus, eſt in corpore ratione elementi terræ, nec item ad ſenſum olfactus, & guſtus, niſi eſſet quoad molem prædominium aquæ: ab hac enim principaliter proueniunt iſti duo actus quoad ſuam materialitatem, nec iſti tres ſenſus poſſent haberi, niſi concurrerent elementa actiua quoad virtutem: calor enim, & Spiritus ſunt inſtrumenta virtutis ſenſitiuæ, ſunt enim penetratiua duorum elementorum paſſiuorum, & ob id tribuentia vigorem ſentiendi: tum etiam quia ab iſtis actiuis principaliter ſunt alij duo ſenſus, ſcilicet auditus, & viſus, qui tamen exigunt concurſum duorum paſſiuorum, tum ratione organi, tum ratione obiecti: ergo fuit neceſſaria prædominantia mutua elementorum.

Tertiò quoad motum: Corpus non eſſet aptum ad motum, niſi elementa paſſiua prædominarentur quoad quantitatem molis, & elementa actiua quoad quantitatem virtutis: nam per prædominium quantitatis molis elementorum paſſiuorum conſtituuntur membra ſolida, & idonea ad motum: at per prædominium actiuorum quoad virtutem animæ vis motiua pertingit ad membra ipſa mouens: hinc patet mirabilis nexus quatuor elementorum in corpore, & quid operentur in corpore humano iſta quatuor elementa: & cùm ex ipſorum permixtione reſultent omnes quatuor humores ipſis correſpondentes, hinc in variis corporibus dicitur aliquod elementum prædominari cæteris, vel ſecundùm quantitatem molis, vel virtutis: & hinc oritur varia, & diuerſa complexio, tum in membris, tum in toto homine, quæ vt plurimùm dignoſcitur ex ſignis externis, ſuper quæ fundatur principaliter ars Phyſiognomiæ: His poſitis.

672. Prima Conclusio: Ignis, ſeu flauæ bilis prædominium in homine principaliter cognoſcitur ex macie, & ſiccitate in corpore, & præcipuè in facie apparente ex colore flauo tendente ad obſcurum ex abundantia pilorum per totum corpus, ſed ſubtilium, & tendentium ad flauum: Ex quo oritur inclinatio ad iram, incontinentiam, præſumptionem, inconſtantiam, præcipitationem, inconſiderationem, ſuperbiam, fraudes, crapulam, arrogantiam, prodigalitatem, animi magnitudinem, viuacitatem, & perſpicacitatem intellectus.

Ratio euidens eſt, quia hic humor reſpondet naturæ ignis, qui ſuper alia elementa eſt actiuus, velox, præceps, aliis præeminens, inconſtans, ergo & eaſdem qualitates fert ſecum prædominantes: Ex quibus duo mala conſequuntur: Alterum naturale, ſcilicet febris acuta, continua, & præceps: Alterum morale, ſcilicet febris multiplex ſpiritualis animæ,

animæ, superbiæ, aliorumque malorum suprà enartatorum. Vide S. Bonauent. *Serm.* 1. *Dom.* 4. *Quadr.*

673. Secunda Conclusio: Sanguinis, seu bilis sanguineæ, & rubeæ prædominium in homine principaliter cognoscitur, si homo sit moderatè pinguis, crassitie tamen vera, & carnosa, non seuosa: hæc enim oritur ex nimia frigiditate, & veluti congelatione sanguinis, vt ait cum Hipocrate Seraphicus Doctor: ista verò ex caliditate sanguinea: item si homo habeat cutem corporis, & præcipuè faciei viuidam, carneam, scilicet mixtam ex colore albo, & purpureo: vultum viuidum, iucundum, simplicem, & benignum.

Hic tamen aduertendum cum Hipocrate, & Aristotele, quod hoc prædominium sanguinis est varium secundùm magis, & minus: nam in aliquibus est purior, vegetior, subtilior, & calidior: in aliis liquidior, & aqueus, frigidiorque: in aliis crassitior, vt videtur etiam in animalibus: In primis confert ad vigorem corporis, & ad ingeniositatem animi, facilliméque mouetur ad variationem affectuum animæ, vt iræ, & verecundiæ: In secundis confert ad timorem, & pauorem: In tertiis ad vigorem corporis, ad iracundiam, & ferocitatem, vt in tauris, quorum sanguis statim indurescit, & eius potus occidit: sed in homine est subtilior, quàm in aliis animantibus. Ex sanguinis prædominio oritur in homine inclinatio affecta ad delitias, ad lætitiam excedentem, & vanam, ad nimium amorem, & inordinatum sui, & aliorum, ad suspectas amicitias, ad vitia carnis, ad benignitatem, docilitatem, ingeniositatemque: Ratio euidens est, quia talis humor respondet aëri, qui est (ait S. Bonau. *lib.* 2. *cap.* 8. in Comp. Theol.) subtilis, leuis, mobilis, facilè alterabilis, ignique vnibilis, ergo & fert secum has proprietates in corpore.

Ex quo prædominio oritur febris tertiana, sed interpolata, cùm non sit tam actiuus, sicut flaua bilis: oritur & febris spiritualis animæ multiplex, ut dictum est de suis inclinationibus.

674. Tertia Conclusio: Aquæ, seu Phlegmatis prædominium in homine præcipuè cognoscitur ex eo, quod reddit cutem corporis præcipuè faciei albam, seu pallidam, mollem, corpus obesum, sed humilis, & demissæ staturæ, talis enim crassities, & demissio prouenit ex mixtione excrementi vnctuosi sanguinis cum frigore, per quod congelatur, & pinguem reddit: hoc prædominium est proprium fæminarum.

Ex hoc prædominio oritur inclinatio ad somnolētiam, pigritiam, insensibilitatem, tepiditatem, diffidentiam, accidiam hebetudinem, inhabilitatem ad scientias, taléfque sunt difficiles ad iram: & ratio est, quia aqua, cùm sit frigida, & humida, & grauis, fert secum tales proprietates.

Ex hoc prædominio oritur febris letargica: nam calor accendit phlegma, ipsum subtiliat, & immittit sursum ad cerebrum vapores, & reducit ad phrænesim: oritur & multiplex febris spiritualis animæ, vt dictum est suprà.

675. Quarta Conclusio: Terræ, seu melancholiæ, seu atræ bilis prædominium dignoscitur ex macie corporis, præcipuè faciei, ex nigredine, seu obscuritate cutis, ex latitudine, & crassitie venarum, ex pilorum

pilorum crassorum, & asperorum abundantia, ex crassitie linguæ, ex balbutie, ex tarditate, ex pigritia.

Sed hîc aduertendum, quod hæc bilis atra, seu nigra est duplicis generis, alia enim est naturalis prouenìens ex prædominio terreo, scilicet ex patte crassiori, frigida & sicca: alia est præternaturalis, & accidentaria prouenìens ex adustione bilis, & sanguinis, vel pituitæ salsæ; vtraque tamen, sed plus hæc secunda, cùm non habeat tantam vim restitiuam, subiacet non solùm frigori, sed etiam excedenti caliditati, vnde si aliqualiter à caliditate subtiliatur, confert ad acumen ingenij, ad fixam applicationem ad scientias, & ad negotia, ad moderationem, & prudentiam: si verò excedenter accenditur à superueniente calore, subiicit hominem ad multiplicem mutationem animi prouenientem tum ex frigiditate, tum ex caliditate superueniente, & superante: vnde Fauorinus Philosophus dicebat hanc volubilitatem esse infirmitatem propriam magnorum virorum maximè Poëtarum: & hæc est ratio, quare in aliquibus habentibus faciem carnosam coloratam, & sanguineam vigeat atra melancholia, quæ prima facie videtur contra naturam, & complexionem, eisque indebita: hæc melancholia enim tam intensa prouenit ex dicta adustione. Ex prædominio bilis atræ frigidæ, & siccæ oritur inclinatio ad amaritudines oblongas, ad difficulrates in negotiis, & stoliditatem, torpedinem, anxietatem, timiditatem, ad tristitiam, ad scrupulos, iudicia temeraria, querimonias, auaritiam, inuidiam, fraudes, obstinationem, & his similia.

Ex dominio bilis attæ siccæ, & caliditate accensæ oritur fraus, animi duplicitas, inclinatio ad vanam lætitiam, ad cantum, ad desipientiam, & deliramenta, ad immoderatam tristitiam absque causa apparente, hocque prædominium est in serpentibus.

Ex quo oritur duplex malum, scilicet naturale, quod est febris quartana, quæ dicitur opprobrium Medicorum ob difficultatem curationis, & morale, scilicet multiplex febris spiritualis animæ, vt dictum est: de qua multiplici febre vide S. Bonau. *Serm. 1. Dom. 4. Quadrag. & Serm. 1. in Pentec. & Serm. 3. Dom. 20. post Pentec. &* in Luc. *cap. 4. vers. 38.* & Ioan. *cap. 4. vers. 52. & opusc. Diat. Sal. tit. 1. cap. 7.*

676. Qvinta Conclvsio: Ex prædominio horum humorum, quando non est valdè excedens, oriuntur multæ, & vtiles inclinationes, vt de se patet ex enumerratis, vt in igneo prædominio sollicitudo, & promptitudo in rebus etiam arduis agendis, sagacitas, fuga timoris in periculis, & similia: sic & in prædominio aëris hilaritas cordis, fidelitas amicitiæ, & similia: ex prædominio aqueo phlegmatica conuersatio, elongatio à subita ira, & pluribus facinoribus, & similia: sic & ex prædominio terræ grauitas, consideratio fixa in rebus agendis, præmeditatio prudens, & similia: vnde tales dicuntur habere grauitatem, & prudentiam saturninam.

Sexta Conclvsio: Et quia isti humores habent plus, minusve roboris secundùm diuersitatem ætatum, & climatum, hinc in senectute vt plurimùm dominatur auaritia, & tenacitas: in iuuentute prodigalitas, & sic de singulis, de quibus Aristoteles 2. *Rethoric.* Idem & dicendum de diuersis climatibus, & regionibus,

regionibus, prout enim magis elongantur polo, magis etiam in eis dominatur natura ignea, & aërea: prout magis appropinquant, magis in eis dominatur natura aquea, & terrea, vt videmus in septentrionalibus: de quibus varietatibus tractant Philemon, Porta, Aliique.

677. Septima Conclusio: Physiognomia sexus est, quod masculus animus vehemens est ad impetus, & pericula, studiosus, & animosus: fœmineus verò misericors, & timidus: idque intelligendum est tam de viris, quàm de mulieribus, sed tamen magis in illis prædominatur ignis, & aër: in istis aqua, & terra: Sic S. Doct. in Comp. Theol. *cit.*

Quæres: qualis differentia sit inter complexionem viri, & mulieris.

Respondetur ex Seraphico Doctore *infrà citat.* & communi, in viro esse prædominantiam calidi, & sicci super qualitates passiuas, scilicet humidum, & frigidum, & hoc secundùm magis, & minus, hocque præcipuè dignoscitur in pueris, vt notat S. Doct. *Serm.* 1. *de S. Antonio.* In mulieribus prædominari passiuas supra actiuas: vnde Physici inferunt, quod vir quantumcunque frigidus, & humidus semper excedit in calore mulierem quantumcunque calidam. Ex qua diuersa complexione oriuntur diuersæ inclinationes, dispositionesque in ipsis. Hinc dicunt Physici, quod mulier cùm caleat maxima humiditate, hæcque cæteris qualitatibus prædominetur, sequitur, quod facilè se ad extrema vertit: humidum enim terminatur termino alieno, & hinc mulier se vergens ad malum, maximè si tendat ad palliditatem, gracilitatemque, est naturaliter effrænis, inuerecunda, ad libidinem propensissima, & quò plus conatur explere talem appetitum, eò plus ipse crescit: rationem reddunt Physici, quam ego libenter prætereo, cùm mei instituti non sit: è contra vergens ad bonum est plus ardens ad opera pietatis ipso viro: Vide S. Bonauent. *lib.* 2. *dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 6. & *dist.* 21. *artic.* 1. *quæst.* 3. & *lib.* 3. *distinct.* 12. *art.* 3. *quæst.* 1. in quibus locis, præcipuè *lib.* 2. *distinct.* 20. *citat.* adducit causas physicas, quare potiùs aliquando generatur mulier, quàm vir, & è conuerso, & quodnam discrimen inter virum, & mulierem quoad qualitates, & inclinationes.

Appendix ad suprà tradita directa ad mores.

678. Seraph. Doct. in suis operibus non solùm conatur illuminare intellectum scientiis speculabilibus tum Diuinis, tum humanis, sed semper totus est in inflammando, & excitando affectum, ipsumque pertrahendo ad mores, & profectum animæ: hinc *in cit. Serm.* 6. *Hexaëm.* tradit modum, quo malæ inclinationes ortæ ex qualitatibus prouenientibus ex quatuor elementis miscibilibus possint deuinci, & exterminari applicando singulas ad quatuor virtutes Cardinales, quæ sunt medium proprium moderatiuum passionum hominis: Dicit ergo, quod istæ quatuor virtutes configurantur quatuor elementorum proprietatibus. Nam cùm in terra sit ariditas cum ornatu variegato tot mixtis ipsam ornantibus: in aqua perspicuitas cum intensione, seu mixtione valdè intensa lucis: in aëre subtilitas cum mulcebritate, seu flexibilitate: in igne virtuositas cum actione: primæ, scilicet

Digitized by Google

ſcilicet terræ reſpondet temperantia: ſecundæ prudentia: tertiæ iuſtitia: quartæ fortitudo: Nam temperantia aridum quidem reddit hominem, ſed tamen ipſum ſimul ornat, & veſtit floribus: eius enim proprium eſt nihil vitioſum appetere, in nullo legem moderationis excedere: ſub iugo rationis cupiditatem domare, ad quæ inſeparabiliter ſequitur modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, ſobrietas, pudicitia.

In aqua cùm ſit perſpicuitas cum luce: ſic & prudentia, quæ quaſi incorporata luci ad rationis normam, quæ cogitat, & quæcunque agit, vniuerſa dirigit, ac nihil præter rectum vult, vel facit, humaniſque actibus, tanquam Diuinis arbitris prouidet: ad quæ inſeparabiliter ſequitur ratio, intellectus, circumſpectio, prouidentia, docilitas, & cautio.

Cumque in aëre ſit ſubtilitas cum flexibilitate, ſic & in iuſtitia, quæ ſubtiliter flectitur ad ſurſum, deorſum, ad dexteram, & ſiniſtram, ſeruando cuicunque, quod ſuum eſt, ſcilicet in ordine ad Deum, ad Proximum, & ad Seipſum: ad quam inſeparabiliter ſequitur innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, & humanitas.

Tandem cùm in igne ſit virtuoſitas cum actione, ſic & fortitudo adhibet robur virium, animum eleuat ſuprà periculi metum, nihilque niſi turpia timet, tolerat fortiter vel proſpera, vel aduerſa: ad quæ ſequitur inſeparabiliter magnanimitas, fiducia, ſecuritas, magnificentia, conſtantia, tolerantia, & firmitas: Ecce quomodò rationis fræno potes, ô homo, moderari malas inclinationes, perfectumque virum tum ad tui profectum, tum ad vtilitatem Reipublicæ, & familiæ gubernationem ſecurè ſe conſtituere.

QVÆSTIO VIII.

Explicatur Phyſiognomia capitis per varia quæſita, & ſoluta: ex Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 58.

679. Ex generalibus ad particularia doctrinæ ordo petit deſcenſum: obidque primò de Phyſiognomia capitis agendum eſt.

Hinc Supponendum, quod caput ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 1. habet tres præcipuas proprietates: Prima eſt conformitas cum membris: Secunda eſt eſſe principium membrorum: Tertia eſſe influxiùum ſpirituum animalium in membra: hincque in capite vigent omnes ſenſus perfectiori modo, quàm in aliis membris: Hinc Phyſiognomia capitis eſt præcipua, & præcipuè conſiderabilis inter omnia alia corporis membra: & quia caput in aliis eſt nimis magnum, in aliis globoſum, & breue, in aliis humile ſuperius, & quaſi planum, in aliis oblongum aliquantulùm, & malleo ſimile: Hinc

Primò quæritur: quid ſignificet caput magnum.

Respondetur, ſi eſt excedenter magnum, ſignificare hominem ſtolidum, nimiſque tenuem in intelligendo: aſſimilatur enim vel noctuæ, vel aſino, vel pueris, in quibus adeſt maior quantitas molis in capite, & ob id etiam ineptitudo ad opera rationis: ſi verò eſt proportionaliter magnum, ſignificat rectum intellectum, & prudens iudicium. Ratio

Digitized by Google

primæ partis est, quia magnitudo capitis venit ex concursu materiæ, quæ si est malè regulata à natura ob debilitatem vis generatiuæ, tunc resultat membrum excedenter frigidum, & humidum cum magna crassitie, vt patet in irrationabilibus, quod & notatum fuit suprà ex Seraph. Doct. *in quæst*. 5. & consequenter tale caput erit nimis ineptum ad opera rationis. Ratio secundæ partis est, quia tunc æqualiter concurrunt vis generatiua, & natiua, spiritusque vitales, qui habent facilem aggressum, regressum, & viam ad omnes partes: hinc & tales homines semper perspiciuntur magni intellectus, intelligentiæ, prudentiæque in agendis, taleque erat caput Platonis, & subtilissimi Scoti.

Secundò quæritur: quid significet caput globosum, seu valdè sphæricum, breue, paruumque.

Respondetur indicare hominem sine sapientia, & memoria: ratio est, quia cùm spiritus, qui sunt instrumenta intelligentiæ, discursus, & memoriæ in capite paruo, non habeant ob angustiam loci liberam viam ad cellulas cerebri, obidque adinuicem confunduntur, calefiuntque: hinc difficulter deseruire possunt actibus animæ: Adde etiam fumositates ascendentes ad cerebrum difficulter se posse resoluere ob talem angustiam, immò se confundunt cum iisdem spiritibus: ex quo sequitur magna mentis obfuscatio, quare tales homines vt plurimùm sunt inutiles in actionibus ciuilibus, difficulterque se ingerere rectè possunt in actibus contemplationis, & ad acquirendas scientias: assimilanturque ab Aristorele capiti Asinorum, quod habet modicum cerebrum, licèt ipsum sit de se magnum mole, sed aptiùs assimilatur capiti strutionis, quod est valdè paruum, & improportionatum magnitudini corporis.

Addunt Alij Authores tales homines esse naturaliter iracundos, memores iniuriarum, præcipites, & animi timidi: Ratio primæ partis est, quia ob dictam confusionem specierum, & spirituum accenditur facillimé sanguis, & cerebrum, & cum tali inflammatione ad cor immittantur spiritus animales, remittunturque & vitales alterati, & accensi, non solùm ex hoc non contemperatur calor cordis, vt ex immissione debita dictorum spirituum præcipuè animalium deberet euenire, immò potiùs magis accenditur cor, & ad iram concitatur: Ratio secundæ partis est, quia spiritus, & sanguis ascendentes ad cerebrum, & caput, cùm non habeant locum ad se dilatandos, hinc inflammantur, & exsiccantur, ideóque causant in memoria impressionem tenacem iniuriarum: Ratio tertiæ partis est, quia ob dictam angustiam loci, & confusionem spirituum, & specierum anima ægrè potest discernere veritatem rerum: hinc oritur metus, & timor, ubi non est timendum, simulque maxima irresolutio in agendis, & ex immissione spirituum animalium deficientium, & debilium ad membra oritur magna debilitas, & ineptitudo in ipsis membris ad proprios actus: si verò caput erit mediocre inter magnum, & paruum plus tendens ad paucitatem prouenienrem ex paucitate materiæ crassæ, & ossium, signum est magnæ virtutis in intelligendo, & speculando, & in aggrediendo res præclaras, & egregias, assimileturque leoni haben-

ti

ti caput moderatum, & corpori proportionatum.

Tertiò quæritur: quid significet caput humile, & quasi planum superius.

680. Respondetvr, quod si talis planities est in superiori parte occupans partem anteriorem, & posteriorem, significat hominem insolentiæ, & dissolutioni deditum: Addunt Alij, quod si est planities à parte posteriori tantùm, significat imprudentiam: si ab anteriori, significat paruum ingenium: Ratio est, quia cùm membra corporis exigant dispositionem accomodatam fini propriæ organizationis, & institutionis, & cùm caput sit organum deseruiens imaginationi, memoriæ, & consequenter intellectui: hinc sequitur, quod si in organo adsit aliquod impedimentum, vel confundens spiritus, & species, vel retardans, vt euenit ex defectu assignato, scilicet ob planitiem auferétem sphæreitatem necessariam capiti, tunc si tale impedimentum occupabit totum caput, tunc erit defectus tum in parte cognitiua, & imaginatiua, quæ habet locum in anteriori, tum & in memoratiua, quæ habet suam sedem in posteriori: Et hinc habetur fundamẽtum vtriusque defectus ex parte anteriori, seu sincipitis, & ex posteriori, seu occipitis: cùm enim imprudentia, & hebetudo procedant vel ex falsa imaginatione, vel ex cognitione mutila, & imperfecta agendorum, vel speculabilium, per consequens cùm in homine tali capite deficiente adsit naturale impedimentum ad rectè obeundum istos actus, etiam de facili naturaliter præcipitabit in dictos excessus.

681. Qvartò quæritur: quid significet caput aliquantulum oblongum, & ferè malleo simile.

Respondet S. Bonauent. quod si caput erit sphæricum non perfectè, sed cum aliqua longitudine pauca causata à planitie moderata temporum cum duabus paucis concauitatibus in dictis temporibus, & cum aliqua eleuatione capitis à parte anteriori, & posteriori, per quas faciliùs feruntur species à sensu communi ad memoriam, signum est optimæ complexionis, obidque indicans hominem ingeniosum, prouidum, & circumspectum: & hinc Physiognomistæ dicunt caput malleatum esse optimum signum: si verò caput fuerit oblongũ excedenter ad modum strobili, qui est fructus pini, & vulgariter dicitur pigna, signum est inuerecundiæ, & impatientissimi animi ob superabundantiam humoris ignei, sic caput acuentis, ex qua oritur inflammatio spirituum subita, & confusio specierum, obidque & accensio facilis ad iram, & inuerecundia, & inconsideratio in rebus agendis.

Qvintò quæritur: quid dicendum de cæteris figuris capitis.

Primò Respondetur, quod si caput à parte posteriori habet cauitatem, vel planitiem, significat hominem obliuiosum: ibi enim residet memoria, quod manifestum fit, si quis patiatur aliquam magnam percussionem in illa parte, statim immemor fit.

Secvndò: Si verò dicta pars posterior erit aliqualiter oblonga, tunc signum est maximæ fortitudinis, & maximè si collum erit crassum, signum etiam optimæ memoriæ.

Tertiò: Si caput à parte anteriori erit planum, vel depressum, talis

lis homo erit ineptus, & tenuissimæ imaginationis, & apprehensionis, & maximè timidus, ibi enim residet sensus communis, qui cùm fuerit malè organizatus, etiam causabit dictos effectus per indebitam receptionem specierum confusam, non solùm in eodem sensu communi, sed & in cæteris potentiis interioribus. Et hæc de Physiognomia Capitis.

QVÆSTIO IX.

De Physiognomia Capillorum.

A Capite in communi descendendum est ad partes in particulari, & primò occurrit consideratio capillorum, & eorum multiplex varietas colorum.

682. SVPPONENDVM est ex traditis in superioribus ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 44. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *aliisque locis*: Quod capilli capitis, licèt sint producti ex excrementis superfluis corporis humani quoad substantiam, non tamen ipsi sunt superflui absolutè: inseruiunt enim & ad ornamentum, & decorem corporis, tùm ad subleuandam, & auxiliandam necessitatem multiplicem eiusdem corporis, scilicet maximè capitis: & primò sunt ad ornatum hominis, quod & aduertit D. Ambrosius *in Hexaem.* afferunt enim maiorem reuerentiam in senibus, venerationem in Sacerdotibus, maiestatem Principibus, & bellatoribus, augent & pulchritudinem iuuenibus, & mulieribus: secundò ad necessitatem subleuandam: nam cùm cerebrum sit humidum mixtum cum calore, hinc indiget expurgari per emissionem vaporum noxiorum, & cùm per ipsos tegatur caput, hinc etiam faciliùs defenditur à frigore, & calore noxio: & hinc in resurrectione (ait S. Bonauent.) resurgent homines electi cum capillis, & barba tinctis colore aureo, & pellucido.

CAPILLI autem generantur ex fumositatibus humidis, & glucinosis ad cutem attractis à calore naturali, & ab aëre ambiente congelatis, & reductis veluti in subtilissimos funes ad proportionem pororum, & meatuum, è quibus exeunt: quare & ipsi consequuntur dispositionem temperamenti corporis, à quo exeunt, præcipuéque in climate temperato: nam sunt aliqua climata, quæ vt plurimùm eundem colorem tribuunt omnibus; & in talibus difficile est cognoscere ex capillis temperiem humoris, vel saltem sine periculo erroris. His suppositis

683. PRIMÒ quæritur: quid significent capilli molles.

RESPONDETVR talem mollitiem prouenire ex nimia humiditate, & frigiditate, vt euenit in pueris, & mulieribus, obidque talem hominem esse valdè timidum ob defectum caloris, vt patet in Ceruo, Lepore, & Oue, & Volucribus plummas molles habentibus.

SECVNDÒ quæritur: quid significent capilli valdè rari.

RESPONDETVR id prouenire vel ex nimia caliditate exsiccante illos vapores, & claudente meatus, vel ex defectu nimio caliditatis, & sanguinis non valentis se extendere ad concoquendam illam materiam; hinc cadunt capilli, quod præcipuè euenit in valdè libidini deditis: Raritas, & caluities indicat hominem

hominem libidinosum, & imprudentem, & confusum in actibus speculatiuis.

Tertiò quæritur: quid significent capilli spissi, densique, & crassi.

Respondetur significare prædominium humidi, & excedenter calidi, indicareque feritatem in homine, sic etiam feræ talibus pilis tectæ conspiciuntur, crassitiem verò maximè in iuuentute indicare imprudentiam.

Qvartò quæritur: quid significent capilli recti.

Respondetur talem rectitudinem, si est naturalis, causari à nimio frigore, & humiditate, indicareque hominem timidum ob defectum caloris, item & malignum, & bestialem.

Qvintò quæritur: quid significent capilli totaliter crispi.

Respondetur crispos capillos prouenire ex nimio calore, & siccitate, & maximè si pori sunt valdè subtiles, & vapores debiles, vt euenit, quando comburitur corium, indicareque timiditatem maximam, & animi duplicitatem, debilitatem virtutis, & ineptitudinem ad negotia ardua.

Si verò capilli sint tantùm in summitate crispi, significant bonam complexionem debiti caloris, frigoris, & aliorum humorum, indicareque hominem venusti aspectus, optimæ indolis, promptumque ad omnes actus honestos, talemque fuisse Cæsarem Augustum tradunt Historiæ.

Idem & asserunt Authores de capillis, qui medietatem seruant inter mollitiem, & asperitatem: indicant enim qualitates esse ita refractas inter se, vt vnaquæque seruat suum statum, scilicet calorem excedere frigus, & humidum siccitatem absque violentia.

Sextò quæritur: quid significent capilli valdè duri, & aspcri.

Respondetur duritiem, & asperitatem prouenire ab excedente calore, & siccitate terrestri, & à frigore externo ambiente, & hinc indicant hominem valdè fortem, & siluestrem, ferinumque, talesque sunt gentes septentrionales, sic Leo, & Aper: vera enim maxima ex experientia apud Omnes est, vt qui habitant loca frigida, sint interiùs valdè calidi, & è contra, qui habitant loca calida, interiùs sunt frigidi: Idemque dicendum de capillis nimium depressis, frontique imminentibus.

684. Septimò quæritur de Physiognomia colorum capillorum.

Hinc Supponendum, quod licèt in animalibus colorum varietas in pilis possit tribui colori cutis, vt docent plures Doctores, non tamen in homine, quippe qui inter omnia viventia solus habet semper cutem albam ob delicatam temperiem, qua est formatus, undè dicendum est prouenire ex diuersitate temperamenti, quare.

Respondetur primò, quod capillorum nigredo prouenit ex duabus causis, scilicet vel ex superabundantia humoris terrestris, sed ex nimio calore adusti, ut patet in habitantibus in regionibus calidissimis: vel ex humido superato, vel penè consumpto à nimio calore, in quibus casibus excrementum vertitur in obscuram veluti caliginem, ex quo etiam processu temporis ipse sanguis nigrescit: in quibus casibus oritur magna timiditas in homine cum excedenti astutia, & duplicitate, & fraudulen

fraudulentia, & maximè si capilli tendent ad aliquam mollitiem: si verò sunt etiam duri, & asperi, signum est, quod homo est auarus, & tenax, & tristis. Quando verò medietatem seruant inter nigredinem, & duritiem, tunc signum sunt bonæ temperiei, indicantque moderationem in actibus humanis, ingeniositatemque in scientiis: Idemque dicendum, si medietatem seruant inter flauum, & rubeum ad modum auri: in his enim casibus indicatur in temperamento humidum radicale, subtile, aëreum, concoctum, & proportionatum cum cæteris humoribus rectè refractis.

685. Respondetur secundò: Quod color flauus in capillis prouenit ex superabundantia humidi aërei, sed valdè ex calore naturali temperati, reducentisque ad quandam mediocritatem colorem ipsum inter nigrum, & album, indicatque hominem mansuetum, pium, ingeniosum, prudentem, & magnanimum, alacrem, & festiuum.

Si verò est talis color perpendens ad albedinem: tunc in homine excedit humidum aqueum, quod valdè resistit calori, immò & ipsum sæpè extinguit, hinc & indicat indocilitatem, vitæque breuitatem ob defectum caloris: indicat etiam animi feritatem, maximè quando talis flaueitas prouenit ex frigiditate mixta cum excedenti calore, vt euenit in habitatoribus Aquilonis: Si verò talis flaueitas propendit ad rubeum, tunc signum est temperamentum importare prædominium moderatum caloris exsiccantis humidum, quæ exsiccatio multò magis adest, quando totaliter capilli sunt rubei, quod indicat hominem valdè inclinare ad iram, & ad proditiones.

686. Respondetur tertiò: Quod si capilli sunt albi in iuuentute, indicant debilitatem maximam caloris naturalis non valentis concoquere fumositates ascendentes ad cutem ob superabundantiam humidi aquei, idque est signum, quod homo erit breuis vitæ, viribus deficiens, & valdè timidus.

Aduertit tamen Aristoteles, quod albedo capillorum potest aliundè prouenire, ut in prima lanugine, & visiligine, in senectute, & in illis partibus, in quibus cutis remansit valdè læsa, quia humidum ad illam partem se vertens concoquitur à nimio calore, & exsiccatur illa pars.

Respondetur quartò: Quod si capilli sunt excedenter flaui ad similitudinem croci, signum est complexionis prædominantis in igne, & siccitate, & bile sanguinea, obid ad modum ignis, & aëris, ut plurimùm tales sunt instabiles, ignei, iracundi, de malo alterius gaudentes, & omnia ad suam vtilitatem trahentes, sicut ignis omnia attrahit, & consummit, vt se conseruet: hinc & sunt auari, tenaces, & immisericordes: si verò flaueitas est moderata, & ad colorem carnis reducta, tunc signum est bonæ complexionis. Quæ omnia proportionaliter applicanda sunt coloribus barbæ.

687. Et circa barbam notant Physiognomi, quod barba in fæminis signum est pessimum, & maximè inclinantis ad libidinem, nam cùm barba generetur à vehementi calore cordis ascendentis ad cerebrum, & per reflexionem redeuntis ad mentum, secumque ducentis partem illarum fumositatum capitis, hinc in mento per meatus à calore eijciuntur, oriturque barba: Cùm autem Mulieres

Mulieres prædominatæ sint ab humiditate, & frigiditate, quæ & obturat meatus corporis, & impedit, ne fumositates ascendant ad caput in multa copia, ideò & sine barba communiter apparēt: Et hinc dicunt, quod quando in mulieribus nullum signum pilorum apparet in vultu, & labiis oris, talis mulier etiam est timida, modesta, verecunda, mitis, docilis, & bonis moribus instructa: Vnde si suprà dicta regula in aliqua muliere frustratur, signum est excedentis caloris, & ob id declinans à debito temperamento.

Ex qua doctrina patet, quare vt plurimùm imberbes, & eunuchi similes in moribus sunt mulieribus, ideóque sæpè se ostendunt iniquos, crudeles, deceptores, voluptuosos, ineptos ad scientias, & ad grauia negotia, & quia pili sunt capillis affines, generanturque ex eadem causa.

688. Octavò quæritur: quid indicet abundantia pilorum in homine?

Respondetur multitudinem pilorum prouenire ex abundantia superfluarum humiditatum, quæ cùm moderatè excedantur à calore naturali, etiam digeruntur, corriguntur, & separantur, transmittunturque ad cutem, & maximè in aliquibus partibus corporis, in quibus viget hæc duplex superabundantia superfluitatum, & caloris: quod signum est vehementis inclinationis ad libidinem.

Ex quibus principiis inferunt Authores, quod habentes per totum corpus copiam pilorum cum asperitate, & densitate, abundant maxima caliditate, & siccitate, vt patet in originariis regionum siluestrium, in quibus locis est maxima pugna frigoris, & caloris, hique sunt pigri, & lenti in suis operationibus ad modum Bouis, sunt impertinaces, & feri, crudelesque, & libidinosi.

Qui habent pectus valdè pilosum, sunt animi, & virium fortes, magnanimi, & prudentes, signum enim est abundare in pectore multùm caloris: si autem pilorum multitudo extenditur ad ventrem, signum est naturæ terribilis, modicæ apprehensionis, validæ inclinationis ad iniuriandum alios, & magnæ instabilitatis ex prædominanti calore super alios humores, sic & habentes dorsum valdè pilosum, similes sunt bestiis sine rubore, & valdè asperi, & intractabiles.

Qui verò habent coxas, & crura, & manus pilosas ex complexione nimis calida ejiciente foras humiditatem, inueniuntur valdè procliues ad libidinem, sunt & ut plurimùm asperi, rudes, & crudeles: Et hæc de Capillis satis sint.

QVÆSTIO X.

De Physiognomia frontis.

689. Frons est quoddā os, parsque capitis à dextera, & sinistra temporibus, & à superiori capillorum radice, ab inferiori verò à superciliis terminata, quæ in tristitia corrugatur, & in lætitia dilatatur: in extremitate temporum ambitur ab una fixura, adest & altera, quæ à medio frontis vergit ad pericranium capitis: sita autem est frons in medio faciei, vt fumositates ascendentes ad cerebrum non admisceantur cum spiritibus ascendentibus, & descenden-

tibus, sed cum tali latitudine facilè possint exhalare, & ad meatus proprios se reducere.

Hic tamen aduertendum, quod vir, & mulier sunt valdè differentes, nam vir habet plures fixuras per cranium dispersas, quæ sunt veluti viæ, & vehicula spitituum, & specierum ad Phantasiam: mulier verò vnicam tantùm habet, & valdè angustam, & hinc oritur, quod mulier est tatdi, obesique ingenij, & inepti ad scientias ob confusionem specierum ex tali angustia prouenientem. His præmissis

Primò quæritur: quid significet frons excedenter lata, & magna?

Respondet S. Bonauentura significare defectum discretionis, & prudentiæ, item & ingenij tarditatem, & ruditatem, timiditatemque: Ratio est, quia nimia quantitas materiæ crassæ, & phlegmaticæ existentis in anteriori parte impedit operationes interiores, restringitque, vel occupat fixuram sagittalem tendentem ad cranium, obidque impediuntur exhalationes fumositatum, nam ex nimio spatio multæ ibi remanent, confunduntur que cum spiritibus, & speciebus perturbando ordinem cognitionis perfectæ: tum etiam quia spiritus ob tantam latitudinem fiunt debiliores, semperque sunt mobiles, sicque causant inconstantiam, & timiditatem: & hinc appellatur talis frons Bouina, & si frons erit non solùm magna, & lata, sed & carnosa, fucosaque, Aristoteles docet signum esse iracundiæ ob facilem confusionem, & accensionem spirituum.

690. Secundò quæritur: quid significet frons nimis angusta.

Respondet S. Doctor significare animum indocilem, stolidum, & volubilem, voracemque: Ratio indocilitatis est, quia fit confusio specierum fumositatum, & spirituum non solùm ob nimiam latitudinem, sed & ob angustiam nimiam: nam in tali cerebro ventriculi cerebri sunt nimis angusti, & hinc oritur ineptitudo ad rectam cognitionem: Ratio voracitatis est, quia cùm impediatur in actibus potioribus intellectualibus, se vertit ad sensibilia, interquæ magis mouet obiectum gustus, & gulæ, hinc & inclinatio ad voracitatem, talisque frons appellatur porcina: oritur etiam maxima facilitas ad iracundiam ob rationem superadductam: idque magis verificatur (ait Seraph. Doct. in habente frontem rotundam ob volubilitatem fumositatum, & spirituum causantem stupiditatem ingenij, & iracundiam, talisque frons appellatur asinina.

Tertiò quæritur: quid significet frons humilis, & demissa, depressaque.

Respondet Seraph. Doct. frontem humilem, & demissam significare hominem humilem, verecundum, & abhorrentem turpia, si in reliquis sit proportionata. Ratio potest esse, quia cùm non adsit impedimentum in ascensu spirituum, & fumositatum, quando adest debita proportio inter imaginatiuam, & cor, hinc & oritur inclinatio, & aptitudo ad bonum virtutis, & talis frons appellatur canina, denotans sagacitatem, & maximè si frons aliqualiter deficit à planitie, vt verè euenit in canibus: si verò sit valdè depressa, tunc signum est hominis effæminati, talis enim depressio impeditur ab actibus perfectis intellectus, & inclinat ad obiectionem.

Qvartò

Digitized by Google

691. Qvartò quæritur: quid significet frons rugosa, & frons aspera cum cauitatibus, & monticulis.

Respondetvr frontem rugosam significare prædominium excedens humiditatis, & caliditatis, indicareque hominem cogitabundum, & iracundum: si verò frons est cum cauitatibus, & monticulis, signum est pessimum, significat enim hominem duplicem corde, inclinatum ad decipiendum, facileque ad stultitiam contrahendam, indicatque pessimam constitutionem, & temperiem.

Qvintò quæritur: quænam sit optima frontis Physiognomia.

Respondet Seraph. Doct. esse frontem quadratam moderatæ magnitudinis, scilicet cum æquali, & debita latitudine, & longitudine, & cum debita proportione rectæ figuræ capitis mediantem inter apparentem tranquillitatem, & asperitatem: indicareque & optimam complexionem humorum, & aptitudinem ad scientias capescendas, & ad rectitudinem operationum, talemque fuisse frontem Platonis, & Dantis ferunt Historici, ipsamque appellant frontem leoninam.

Hinc inferunt Physiognomi, quod si ad aliquod extremum frons propendit, tunc etiam deficit ab aliqua bonitate ex traditis, vt si est excedenter serena, & tranquilla cum cute gracili, inclinat ad adulationem: si propendit ad obscuritatem, & nebulositatem cum curuitate, indicat magnam audaciam, & crudelitatem: si est nimis alta, inclinat ad superbiam, & ad belligerandum, rixandumque cum aliis: si apparet mæsta, & mæstum animum indicat: si læta, lætum significat: si est nimis carnosa, & crassa, indicat nimiam abundantiam humiditatis in cerebro obturantis vias spirituum, impedientisque sensus internos à perfectione suorum actuum, indicatque hominem insensatum, & stupidum: si est multùm plana, & non crispata, significat hominem contentiosum, & abiecti animi ob prædominium calidi, & sicci indurantis pellem, & cutem: tale enim temperamentum accendit iram, perturbat iudicium, redditque temerarium hominem in periculis ignotis, & è contra nimis timidum, & vilem in cognitis ob consumptionem spirituum ex nimio calore.

692. Hvic considerationi Philosophicæ subintrat Metoscopia, quæ latinè est frontis inspectio Physiognomiæ subordinata, estque facultas exprimens varias inclinationes, & euentus naturales hominis ex qualitate lineamentorum in fronte existentium.

In qua aliqui nimis excedunt intendentes prædicere posse certè euentus fortuitos, immò, & vitam, & mortem ex talibus lineis: nam licèt ex qualitate ipsarum linearum possit satis probabiliter cognosci bonum, vel malum temperamentum capitis, & frontis, verbi gratiâ, si lineamenta sint recta, vel intorta, si integra, vel intersecata, si superficialia, vel profunda, si benè, vel malè colorata, si sint pauca, vel multa, si sint rara, vel densa: & ex consideratione prædominij humorum causantium tantam diuersitatem, possit inferri etiam multiplex inclinatio, vt dictum est de fronte: tamen non ob id possunt certè cognosci effectus, & euentus casuales futuri, & maximè dependentes à libero arbitrio: immò tales prædictiones sunt à Sancta Ec-

Digitized by Google

clesia condemnatæ: de quibus in simili potest videri Seraphicus Doctor *lib.2. dist.7. part. 2. art.2. quæst. 3. & dist. 14. part. 2. quæst. vlt.* & Nos suprà notauimus *in quæst. 6.*

Addimvs etiam valdè fallacem esse applicationem, quam & Metoscopi faciant talium lineamentorum cœlestibus Planetis, dicentes superiorem lineam respondere Saturno, secundam Ioui, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, illas verò, quæ mediant inter supercilia, respondere Mercurio, & quæ superciliis eminent, Soli, & Lunæ, scilicet, quæ in dextera parte, Soli, quæ in sinistra, Lunæ, quæ,& alia multa, quæ ad hanc rem congerunt, tanquam nugas, & vana dicteria firmiter reiicimus.

QVÆSTIO XI.

De Physiognomia superciliorum, & temporum.

693. Svpercilia sunt partes extremæ frontis super oculos prominentes, quæ breuibus vestiuntur pilis à natura aptata, non solùm ad ornamentum vultus, sed vt vallum quoddam ad oculorum protectionem aduersus ea, quæ supernè cadere possunt: & natura maximè in ipsis, tanquam in altiori parte manifestat conceptus internos, nam in ipsorum eleuatione ostenditur arrogantia, fastus, elatio, in declinatione animi demissio, vel fixa cogitatio animi: hinc de ipsorum Phisiognomia sequentia traduntur.

Primò quæritur: quænam sit debita superciliorum dispositio?

Respondetvr, quod cùm à natura sint concessa ad munera suprà tradita, sufficit, vt in longitudine non excedant latitudinem concauitatis oculorum, & quod inter se sint dissita, & quia si crescerent ad modum capillorum, valdè perturbarent oculorum operationes: hinc Deus prouidit, vt quando perueniunt ad moderatam debitam longitudinem, non ampliùs crescant: ad hancque consistentiam confert materia ossea, super quam fundantur, quæ non potest ipsis præstare multam copiam humoris, & in hoc assimilantur virgultis nascentibus inter saxa: Hinc sequitur, quod si excedenter crescant, vel restringantur, vel vniantur, etiam adsit defectus in temperamento illius partis, & consequenter etiam totius corporis.

694. Secvndò quæritur: quid significent supercilia nimis protendentia, scilicet vel ad tempora, vel ad nasum?

Respondet Seraph. Doctor, si ad tempora nimis dilatantur, significare hominem negligentem, & arrogantem: indicant enim nimiam copiam humoris, & caloris: si ad nasum, vel etiam vltra protendantur, significant hominem arrogantem, crudelem, & asperum, maximéque si supercilia à parte superiori supra tempora aliqualiter protendantur, indicant enim nimiam copiam caloris, obidque reddentis animum efferum, crudelem, ad vindictam inhiantem, appellanturque supercilia canina, siluestria, & tigrina, & talia ferunt fuisse in Ezzelino Patauij Tyranno tempore D. Antonij, & in Mahomete secundo Turcarum Rege.

Tertiò quæritur: quid significent supercilia arcuata?

Respondet

Respondet Seraph. Doctor, quod si sunt debitè arcuata à temporibus vsque ad nasi principium, significant hominem subtilem, & studiosum, & bonis moribus ornatum: id enim est signum optimæ temperaturæ, cùm non excedant limites à natura præfixos.

Si verò à parte superiori directa tendunt, & protenduntur vsque ad medietatem, vel post principium nasi, sunt supercilia porcina, indicantque hominem indocilem, & immundum.

Si autem simul in vnum coëunt absque distinctione cum multa densitate pilorum, pessimum est signum ob superabundantiam caloris, & humidi in parte illa, indicantque hominem proditorem, veneficum, impium, & omnibus malis deditum: si sunt quidem vnita, sed parum, & cum paucis pilis, tunc indicant hominem quidem astutum, sed tamen ingeniosum, & ad disciplinas inclinatum: si supercilia sint valdè diffita, significant hominem mæstum: si sunt valdè demissa, inuidum indicant, sed eloquentem: si subtus naturaliter pili vertantur, sunt signum malitiosi, auari, & mendacis hominis: si sursum frequenter eleuantur, significant hominem iracundum, animosum, audacem, & superbum: si supercilia valdè crescunt, & excedenter, significant hominem inuerecundum, cogitabundum, & arrogantem ob nimium calorem, & humorem superabundantem: si supercilia sunt nimis breuia, indicant hominem timidum, & pusillanimem ob defectum caloris, & excessum frigoris: si pili in superciliis perduntur, cadnntque, signum est paucitatis sanguinis, sicut & euenit in capite, sanguis enim est alimentum ipsorum, idque maximè euenit ob nimiam libidinem. Et quia superciliis affinia sunt tempora: Hinc

695. Quartò quæritur: quid dicendum de temporibus?

Respondetur, quod tempora sunt duæ concauitates ad extremitates frontis positæ, dicunturque à tempore, eo quod in ipsis anni cognoscuntur, incipiunt enim in homine primo canescere, & diuturnitate temporis magis concauari.

Si igitur hæc tempora sunt valdè tumida, maximéque venas crassas ostendentia, significant hominem iracundum, instabilem, debilis iudicij, & arrogantem; Ratio est, quia tumor oritur ex nimia copia sanguinis, & caloris concurrentis ad caput, & tumefacientis illas partes, hinc fit, quod spiritus ad cerebrum ascendentes non possunt debitè ab humiditate, & frigiditate contemperari, aptioresque reddi ad obeundum operationes mentis, sed quia remanent valdè calidi, & veloces, disponunt hominem ad volubilitatem, & ad consilium præceps.

Si verò sunt nimis concaua, significant hominem pertinacem, & ad vindictam, & crudelitatem valdè procliuem: Ratio est, quia talis concauitas ex nimia siccitate cerebri, & consequenter ex calore accenso fit facilè ad iram: resultat & tenacissima apprehensio, & obstinatio in actibus humanis: De C. Caligola impiissimo, & crudelissimo fertur talia habuisse tempora.

Digitized by Google

QVÆSTIO XII.

De Physiognomia Oculorum.

696. DE oculorum compositione, & operationibus in superioribus in tract. de Anima sentiente satis egimus : nunc de ipsorum Physiognomia est agendum: Oculi autem sunt corporis pars pretiosissima, & capitis potissima, in quibus (ait S. Doct. supra *in quæst. 6. cit.*) relucent veluti in imagine secreta, & intima cordis, cuius sunt veri nuntij, & ob id Physiognomia oculorum est super omnes partes corporis maximè considerabilis : dicuntur autem oculi ab occelando, vel cælando, quia tegumento superciliorum, & palpebrarum teguntur : vnde ait Hipocrates, quod si oculi sunt nec nimis magni, vel pauci, sed splendentes, floridi, viuidi, viuaces, & pleni, etiam indicant optimam complexionem, & è contra malam, si sunt squalidi, nebulosi, nimis concaui, vel grandes, vel pauci : Sic etiam fertur de D. Bernardo habuisse oculos pulcherrimos, & puritatem spirantes.

SVPPONIMVS autem hîc ex traditis in superioribus, quod ex tot partibus constituentibus organum oculi solùm ad Physiognomum spectare considerationem visibilium, & extra apparentium : suntque primò totus oculus secundùm substantiam, & magnitudinem, paucitatemque : secundò palpebræ, quæ tegunt oculum : tertiò pili existentes in sumitate palpebrarum : quartò tunica vuea, quæ communiter dicitur nigrum oculi : quintò humor albugineus, qui dicitur album oculi : sextò pupilla, quæ est humor christallinus positus in centro oculi, & in medio tunicæ vueæ, & albuginis, qui ambitur à quodam circulo, qui dicitur humor vitreus, in quo pupilla innatat : septimò anguli oculorum, de quibus omnibus aliqua dicemus ad rem nostram spectantia.

SVPPONIMVS item temperamentum oculi esse non igneum, vt voluit Galenus, sed cum Aristotele humidum, & frigidum, vt patet ex multiplici humiditate ex oculis decidente : licèt enim facillimè moueantur, id non euenit, quia sint ignei, sed quia sunt sphærici, licèt non perfectè, tum ob lubricitatem natiuam, tum ob copiam spirituum per neruos opticos ibi deriuantium : His præmissis

697. PRIMÒ quæritur : quid significent oculi magni?

RESPONDETVR, si oculi sint magni, sed non excedenter cum debita rotunditate, & pulchritudine proportionata capiti, & corpori cum virtute bona visiua, sunt signum optimæ complexionis, & naturæ, obidque indicant sublimitatem ingenij, prudentiam in rebus agendis, hominemque amabilem, benignum, & virtute præstantem : si verò sunt excedenter, & improportionatè magni, indicant superabundantiam nimiæ humiditatis, vti habent Boues, significantque hominem valdè pigrum, timidum, debilis virtutis visiuæ, & si tales oculi sunt liuidi, indicant inuerecundum, inconsideratum, & inobedientem.

SECVNDÒ quæritur : quid significent oculi parui?

RESPONDETVR paucitatem oculorum procedere ex defectu caloris

Digitized by Google

loris à corde deriuantis ad cerebrum, ex qua deficientia cor non potest sufficienter ipsum oculo communicare, & hinc remanet excedens in paruitate, taléſque oculi dicuntur vulpini, indicantque hominem aſtutum, duplicem corde, & timidum: ſi verò non ſint excedenter pauci, ſed proportionati capiti, & corpori, & aliqualiter concaui, vt fuerunt oculi Ariſtotelis, ſignum ſunt bonæ complexionis, & ſubtilitatis ingenij.

698. Tertiò quæritur: quid ſignificent oculi, qui in ſuperficie apparent veluti extra caput egredientes.

Respondetvr id prouenire ex magna humiditate anteriorum ventriculorum cerebri, addito humore melancholico, & craſſitie ſpirituum, vnde indicant hominem ſtolidum, inſenſatum, ignarum, & ineptum ad ſcientias, & tali modo ſunt oculi aſini: vnde vt plurimùm tales homines ſunt malis moribus infecti: & ſi oculi tales ſint ſurſum naturaliter conuerſi, vel ſi oculi ſic ad extra egredientes ſint naturaliter ſurſum eleuati, indicant ferocitatem, vanitatem, inclinationem ad ebrietatem, & furioſitatem, taléſque fuiſſe ferunt oculos Alexandri Magni, & ebrietate ſopitum obiiſſe: talis enim eleuatio oculorum prouenit (ait Albertus Magnus) ex ventoſitate nimia inuoluta in anteriori parte cerebri: Si naturaliter deorſum ſunt conuerſi, indicant ob eandem ventoſitatem mixtam cum ſiccitate crudelitatem, & implacabilitatem animi Si tales oculi erunt ſanguinei, indicant voracitatem, & ebrietatem, inſtabilitatéque ob prædominium cum tali ventoſitate ſanguinis: ſi ſunt albicantes, indicant cum ventoſitate frigiditatem, & hinc etiam ad iniquitatem omnem inclinationem habentes: Si tales oculi ſunt valdè ſicci, indicant nimiam ſiccitatem cerebri prouenientem ex melancholia aduſta, ob id inclinantem ad opera nefanda, & iniqua, & etiam ad ſtultitiam: ſi tales oculi ad extra exeuntes ſint valdè parci, & accenſi, indicant ſtoliditatem, imbecillitatem ſpirituum, & virium, & animi: ſi verò tales oculi ſint magis ſplendentes, & dimiſſæ viſionis, indicant hominem prudentem, ſtudioſum, & benignum.

699. Qvartò quæritur: quid ſignificent oculi concaui.

Respondetvr, quod ſi ſunt benè efformati, & aliquantulum, nec nimis concaui, ſignum ſunt bonæ complexionis, ſcilicet ſufficientis humiditatis, caliditatis, ſiccitatis, frigiditatis non excedentium, ſed cum aliquali prædominio ſicci, & calidi exſiccãtis humorem muſculorum: iſtique diuturniùs conſeruant aciem oculorum, & virtutem viſiuam: Quia in ipſis meliùs coadunantur ſpiritus viſorij, & recipitur lux in maiori copia: ſi tales oculi concaui ſunt valdè parui, & veluti ignem ſcintillantes ad ſimilitudinem viperæ, ſignum ſunt maximæ iracundiæ, inclinationis ad vindictã, fictionem, animi duplicitatem, homicidia, & ad omnia mala, taleſque fuiſſe oculos Cæſaris Ducis Valentini ferunt Hiſtorici: cauſatur enim talis modus ex aduſtione humorum, ex nimio calore mixto cum atri melancholia: ſi oculi concaui ſunt valdè magni, indicant hominem valdè manſuetum, & pium, taleſque ſunt oculi Bouis: Qui verò mouentur veluti aqua in vaſe, ſunt ſignum volubilitatis, ſi verò ſunt quieſcentes, &

Digitized by Google

& consistentes, sunt signum animi quieti.

Qvintò quæritur: Quid significent oculi plus extensi secundùm longitudinem faciei, quàm secundùm latitudinem, vbi & de angulis oculorum.

Respondetvr id prouenire ex nimia caliditate existente in cerebro contra ipsius cerebri naturam: hinc etiam contra situm debitum ipsis oculis ipsos constituit, idque inclinat ad astutiam, & fraudes.

Et si quæras: Quid significent anguli longi?

Respondetvr, quod anguli oculorum sunt extrema oculorum vnientia palpebram superiorem cum inferiore, quorum vnum propè nasum, aliud propè tempora situm est: Hinc si anguli sunt plus æquo longiores, signum sunt morum iniquorum ob superabundantiam calidi; & maximè si apparent velut carnosi, & tumidi: idem & dicendum de angulis nimis breuibus, quia signum est nimiæ abundantiæ frigoris, & sicci, quare anguli mediocriter longi, & breues signum sunt optimæ complexionis.

700. Sextò quæritur: Quid significent colores varij oculorum.

Svpponimvs colores oculorum maximè in homine esse varios tum ratione variæ complexionis, tum ætatis, quorum aliqui sunt simplices, alij mixti: Hinc

Respondetvr primò: Quod oculi deberent esse complexionis aqueæ, obidque continere superabundantiam frigidi, & humidi, & ideò exigunt luciditatem moderatam tendentem ad cæruleum: talesque sunt signum optimæ temperaturæ, & indicant hominem ingeniosum, amabilem, & optimis moribus præditum.

Respondetvr secundò: si oculi sunt glauci, seu cæsij (nempè subuiridis albo mixti, & ad albedinem propendentes) vt patet in oculis paruulorum, quando ad lucem exeunt, indicant maximam timiditatem, nam in his prædominatur valdè humidum, & frigidum: si verò oculi glauci sunt tendentes ad croceum, indicant prædominium bilis flauæ cum magna adustione, significareque ferocem, siluestrem, & crudelem, talia sunt ferè omnia animalia siluestria, & feræ: & si tales oculi sunt parui, superaddunt inclinationem ad auaritiam, & fraudes: si verò oculi glauci tendunt ad viridem similem herbis, indicant hominem fortem, & robustum, id enim prouenit ex superabundantia moderata caloris, & humidi: si verò oculi glauci tendunt ad cæruleum, tunc signum sunt hominis bonis moribus instructi, vt suprà dictum est.

701. Respondetvr tertiò: quod si oculi sunt rubentes, indicant prædominium caloris in cerebro, obidque & hominem iracundum, inconsideratum, imprudentem, & præcipitem in negotiis, ad vindictam inhiantem, & maximè si cum tali rubore adsit siccitas: si verò adsit humiditas, tunc inclinat ad ebrietatem.

Respondetvr quartò: quod si oculi sunt nigri, sunt signum prædominij humidi, & calidi, vnde indicant hominem probum, & bonis moribus præstantem.

Respondetvr quintò: quòd si oculi sunt relucentes tanquam guttulæ nitidi coloris cum moderatione, significant hominem probum, &

& virtutibus ornatum: talis enim debet esse complexio oculorum, nempè aquea, scilicet frigida, & humida: Idemque dicendum, si in oculis apparent guttulæ aliquantulum rubentes tendentes ad nigrum, vel etiam tendentes ad album, indicant enim viuacitatem spirituum, & bonam temperiem capitis, & cerebri, nempè prædominium qualitatum actiuarum super passiuas: talesque sunt oculi Leonis.

Si verò sunt tales guttulæ nimiùm rubentes, & quadratæ non rotundæ, tunc signum sunt hominis inuidi, verbosi, & fraudulenti: id enim prouenit à prædominio excedentis caloris.

Respondetur sextò: Quod si oculi sunt præditi multiplici colore, tunc signum est fraudulentiæ: id enim euenit ex multa materia incocta, & indigesta, & temperamento inordinato: Si verò in oculis erunt cum humiditate circuli ad modum Iridis, sunt signum multæ humiditatis, & caliditatis, & indicant hominem magnanimum, eloquentem, & prudentem: si verò Iris apparet cum magna siccitate, indicant iracundum.

Respondetur septimò: Quod si oculi sunt valdè pallidi, & veluti sine colore apparente, significant hominem valdè timidum, & crassi ingenij, & maximè si pallor tendit ad albedinem, & hoc ob deficientiam caloris necessarij, & spirituum.

Respondetur octauò: Quod si oculi sunt aspectus gratiosi, & læti, significant bonum temperamentum, ob id & diuturnitatem vitæ, amatorem iustitiæ, & virtutis: è contra si aspectus est effœminatus, tales etiam indicat mores.

702. Septimò quæritur De motus oculorum Physiognomia?

Respondetur primò: Quod si oculi sunt veluti immobiles, si immobilitas prouenit ex nimia crassitie, abundantiaque qualitatum terrestrium, ex qua Spiritus fiunt obesi, obtusi, crassi, debiles, signum est ignauiæ, hebetudinisque mentis, & stupiditatis: Si verò prouenit ex collectione spirituum ad potentias internas animæ, quasi deserentium externas, tunc maior dispositio inest ad speculationem, & apprehensionem scientiarum: si tales oculi immobiles sæpè ad Cœlum eleuantur, tunc signum sunt pessimarum cogitationum, crudelitatis, & iracundiæ, vt fetunt Historiæ Anglicanæ de Cramuele Tyranno, & Machinatore necis Caroli Stuardi Regis Angliæ: Si aspectus eorum est veluti furtiuus, & vt vulgò dicitur, subter oculos, signum est prædominij frigidæ qualitatis in oculis, & ob id etiam indicat hominem cogitabundum, & in corde varios effectus fouentem, idque est proprium amantium.

Respondetur secundò: Si oculi variè mouentur modò currentes, modò quiescentes, significare prædominium calidi, non multùm excedentis, indicareque varietatem cogitationum, & multoties malarum: Si verò sunt tremuli naturaliter, id prouenit ex nimio concursu spirituum veluti deserentium cor, obidque inclinant ad delectationes carnales, istique vt plurimùm se totaliter committunt voluptatibus, & potationi vini: si frequenter clauduntur, & reserantur, declarant hominem timidum, ac debilem, fraudulentum, imprudentem, melancholicum, & maximè si cum motu oculorum mouen-

tur, & palpebræ, obid hominem indicant pessimum: si in clausione palpebrarum oculi sursum ad summitatem se abscondunt, indicant hominem vanum, fatuum, libidinosum, & fraudulentum, id enim est proprium stultorum, & inebriantium se vino, vel luxuria: Si oculi in claudendo seruant moderatum situm cum fronte serena, suntque humidi, signum sunt debitæ complexionis, si cum fronte aspera, & cum prædominio siccitatis, signum sunt audaciæ, temeritatis, & asperitatis, quia in eis prædominatur excedens calor: si verò sint multæ, & excedentis apertionis, signum est prædominij humoris crassi, & terrestris, obidque inclinantis ad inuerecundiam, & stultitiam: Qui verò oculis apertis dormiunt, sicuti lepres, signum sunt defectus caloris, obidque indicant timiditatem maximam, & breuitatem vitæ: Qui verò habent oculos luscos, scilicet debilissimos in videndo, quia id prouenit à magna debilitate complexionis cerebri, vt plurimùm sunt deficientes in bonis moribus, & si sunt aliquando acuti in speculando, tamen vt plurimùm incidunt in iudicia temeraria malè sentientes de aliis, ipsis occultè insidiando, & iniuriando in inuidiam boni proximi, & in magnam existimationem sui: Qui verò naturaliter carent vno oculo, sunt audaces, fraudulenti, & pessimi, idemque & dicendum de oculis trementibus, & lacrymantibus: Qui habent oculos naturaliter versos ad nasum, sunt naturaliter libidinosi, & inclinati ad amorem effœminatum: Qui habent oculos veluti ridentes, & lætos, sunt homines acuti ingenij, sed fallaces, & astutissimi.

Et si quæras; vnde prouenit quod mulier menstruata respiciens speculum nouum, ipsum maculat, quod & notat S. Bonau. *lib. 2. dist. 33. art. 2. quæst. 1. in corp.*

Respondetur id prouenire, quia cùm spiritus immittantur à corde, & cerebro ad oculos puriores, obidque & facilioris impræssionis, etiam inficiuntur à menstruo, quod est veluti venenum, hinc & ex transfusione radiorum visualium sic infectorum etiam maculatur speculum, quod & euenit etiam in paruulis, qui sunt facillimæ impressionis, & maximè quando fit ope Dæmonis fascinatio.

703. Octavò quæritur: quid dicendum de Physiognomia pupillæ, & palpebrarum oculorum.

Respondetur primò pupillam, seu pupulam esse humorem chrystallinum in medio oculi situm circundatum exigua tunica, quæ dicitur aranea, seu speculares ob nitorem, propriéque est organum immediatum, quo fit visio, hæcque vt plurimùm est vnica in vnoquoque oculo, licèt in aliquibus regionibus fertur homines duas pupillas habere pro singulo oculo, habereque virtutem fascinandi paruulos ad modum veneficarum mulierum: dicitur autem pupilla, quia cùm retrò habeat opacitatem tunicæ vueæ, recipit vt in speculo species, quæ in ea veluti pupilli, seu paruuli relucent, apparentque. Hæc autem, cùm patiatur varietatem multiplicem, etiam tribuit Physiognomis fundamentum cognoscendi varietatem complexionis, & inclinationem hominis. Hinc

Respondetur secundò, Pupillam oculi nimis grandem indicare crassitiem, & nimietatem humiditatis,

tis, obidque & hominem stolidum, & hebetis ingenij, sicut apparet in Boue, & Ouibus: Pupillam verò è contra nimis paucam indicare nimietatem caloris, obidque & astutiam, malitiam, inclinationem internam ad libidinem: talesque sunt Mures Indici, item Perdices, Coturnices, Galli, quæ sunt animalia valdè luxuriosa: Pupillæ autem mediæ inter magnitudinem, & paruitatem indicant optimam complexionem, obidque & probitatem morum.

Et quoad Palpebras.

704. Respondetur tertiò: Palpebras esse folliculos, seu tunicas oculum operientes, (in quarum summitate sunt pili rari), datas à natura ad defensionem oculorum ab extrinsecis rebus noxiis: vnde ad hunc finem subiectæ sunt continuo motui, & maximè in homine, qui est perfectius animal. Hinc dicendum, quod quando vexicæ, vel aliqua tumiditas apparet in parte superiori oculi, scilicet in palpebris, signum est multæ humiditatis superfluæ, frigidæque à cerebro descendentis, & hinc indicat hominem pigrum, crassum, somnolentum, & modici studij: si verò istæ vexicæ subtus apparent, signum est maximæ inclinationis ad potum, & somnolentiam: si autem sint crassæ, & veluti rubentes sanguine, signum est superabundantiæ sanguinis indigesti, inclinantque ad somnolentiam.

Addimus, quod palpebræ rarò se mouentes, & veluti immobiles, signum sunt nimiæ abundantiæ humoris terrestris indigesti, & defectus caloris naturalis, suntque indicatiuæ suprà dictorum effectuum.

QVÆSTIO XIII.

De Physiognomia aurium.

705. Avres sunt secundum principale organum extrinsecum sensationum externarum, nempè auditus, quod constat parte externa cartilaginea prominente, habens intus quosdam anfractus, per quos sonus variè fractus ad potissimam auditus officinam transmittitur: pars superior auris ab Aristotele appellatur pinna, & inferior fibra, quibus positis.

Primò quæritur: quid significant aures prominentes, & excedenter magnæ?

Respondet Seraph. Doctor aures grandiores significare longitudinem vitæ ob prædominium calidi, & humidi, sed nimietatem significare hominem stolidum, timidum, & asininum tum in moribus, tum in verbis, & maximè si aures sunt crassæ cum materia terrestriori, & sursum directæ: si verò sint cedentes deorsum, signum sunt magnæ malitiæ.

Secundò quæritur: quid significent aures valdè paruæ?

Respondetur: Quod si aures vndequaque sint paruæ, indicant nimiam abundantiam caloris consummentis humidum radicale, & materiam, quæ exigitur ad debitam ipsorum compositionem, & hinc oritur inclinatio ad furta, libidinem, malitiam, fraudes, & ad hebetudinem, talesque sunt aures simiæ: Si Aures sint paruæ, & in breuitate excedentes, significant stultitiam, si sunt excedentes in longitudine, significant

Digitized by Google

cant inuidum, & pessimum furem, & maximè sui excedenter amatorem, id enim prouenit à siccitate prædominante ad se omnia attrahente.

706. Tertiò quæritur: quid significent aures nimiùm rotundæ, item & angustæ, & iacentes, & veluti in superiori parte conglutinatæ.

Respondetvr nimiam rotunditatem significare indocilitatem, & ingenij ruditatem, id enim prouenit ex excedente materia crassa, terrea, & humida ad rotunditatem naturaliter tendente: Aures verò angustæ, & veluti iacentes indicant prædominium partis frigidæ, & debilitatem caloris naturalis, quæ inclinant ad pigritiam, & indocilitatem.

Qvartò quæritur: quænam sint aures rectè compositæ.

Respondetvr debere esse mediocriter magnæ, & longæ, ita quod magnitudo, & longitudo aliquantulum excedat rotunditatem, & breuitatem, item & eleuatæ, velutique sculptæ in capite, item & aliquantulum pilosæ: tales enim indicant optimam complexionem, & virtutem qualitatum actiuarum super passiuas, & maximè si configuratæ sunt veluti ex linea conuexa formante plusquam medietatem circuli, & in medio aliquantulum eleuatæ versus centrum, significantque hominem diuturnioris vitæ, optimisque moribus instructum.

QVÆSTIO XIV.

De Physiognomia Nasi, & Narium.

707. Nasvs est organum valdè sensibile positum in medio faciei, & ferè super omnes alias partes ad pulchritudinem, vel deformitatem vultus inseruiens, constituiturque ex partibus internis, & externis: externæ sunt primò pars ossea, quæ est superior, & secundò cartilaginea inferior, quasi fornax cooperiens duo foramina inter se cartilagine quadam seiuncta, quæ Nares appellantur, quæ duo foramina in duas vias diuiduntur, vna est ad cerebrum deducens, per quam deferuntur odores, & expurgatur cerebrum; altera ducit ad finem palatus, & ad guttur, per quam transit aër in respiratione vsque ad cor: deinde in summitate nasi adsunt duo tubercula mamillarum similitudine, & dicuntur processus mamillares, seu papillares: sub his est os quoddam paruum habens plura foramina, & dicitur os spongiosum, seu cribrum: adsunt & aliæ partes, de quibus in superioribus diximus.

Et quia Nasus valdè respondet cæteris partibus corporis tum in longitudine, tum in magnitudine, quam correspondentiam libenter prætereo, cùm sit extra meum institutum, hinc ad Nasi Physiognomiam transeo.

Primò quæritur: quid significet Nasus excedenter grandis.

Respondetvr id prouenire ex nimia crassitie terrea, & humida,

Digitized by Google

& similem esse Rhynoceronti, significareque hominem timidi animi, aliosque, & aliorum res facilè irridentem: si verò est moderatæ magnitudinis, magisque tendens ad magnitudinem, quàm ad paruitatem, signum est boni, & consulti, prudentisque iudicij.

Secvndò quæritur: quid significet Nasus paruus, & simus.

Respondetvr paruitatem prouenire ex defectu caloris, & humidi: simitatem verò ex nimio calore, vt patet in pueris, & in habitantibus Ethyopiam, qui habent nasum veluti pressum ex abundantia sicci, & nimij caloris: hinc ex paucitate nimia oritur inclinatio ad furandum, nugacitatem, & verbositatem, infidelitatem, cùm enim habeat deficientiam in se eorum, quæ sunt sibi necessaria, facilè inhiat ad aliena, & se diffundit totum in externa, & vana.

Ex simitate verò oritur inclinatio ad luxuriam, ad iram, & ad fraudes, talisque est nasus simiæ.

708. Tertiò quæritur de aliis figuris Nasi?

Respondetvr primò: Quod si nasus erit valdè rectus, id prouenit ex nimia humiditate, vt patet in fœminis, indicatque hominem loquacem, libidinosum, & instabilem: Si verò erit longus in summitate, & in fundo depressus, significat hominem prudentem, probum, iustum, & fortem, talemque fuisse Cæsarem Augustum ferunt Historici: sic enim competit naso talis positio, quæ prouenit ex debita refractione humorum: vnde si est malè eleuatus à radice, & valdè à facie veluti abstractus, demonstrat hominē effœminatum, & rudem.

Respondetvr secundò Nasum crassum excedenter per totum indicare crassitiem nimiam humorum, & obid etiam intellectum valdè obtusum: Si verò mediocriter est longus, latus, & apertus foribus, qualem habuit S. Basilius, signum est optimum, &c. si verò est crassus in summitate, vt in Boue, & Sue, signum est stoliditatis, immundi, & impudentis: si verò est rotundus, & in summitate pressus, vt in leonibus, signum est magnanimitatis, & fortitudinis.

Respondetvr tertiò Nasum moderatè curuum à fronte descendentem benè dispositum dici Aquilinum, talemque esse ex debita temperantia humidi, calidi, frigidi, & sicci, sed cum prædominio sicci, & calidi, significareque hominem magnanimum, regij, & excellentis animi, liberalis, & benigni, ferturque talem nasum habuisse Gregorium scandetbeghium: si verò erit curuus propè frontem, existente reliqua parte ferè rotunda, vt est in gallo, indicabit hominem valdè libidini deditum, indicat enim excedentiam calidi, & humidi.

Respondetvr quartò: Si Nasus erit acutus in summitate, signum est maximi caloris, & siccitatis, assimiletque hominem Canibus, qui dum volunt lattare, vel mordere, corrugant rostrum, vnde tales sunt iracundi, subiti, & crudeles, quæ inclinationes magis intenduntur, quando nares sunt valdè strictæ, quæ impediunt aërem ad refrigerandum cor necessarium, ne intret in pectus: isti vt plurimùm habent collum longum, vocemque acutam, & sonoram.

Qvartò quæritur De Physiognomia Narium quid dicendum?

Nares sunt duo foramina nasi inferiora, vt dictum est. Hinc

Respondetvr primò: Quod si nares sint moderatè apertæ, signum est bonæ complexionis, sic enim aptè inseruiunt muneri, ad quod à natura sunt institutæ, scilicet, vt per ipsas attrahi possit aër ab extra ad refrigerandum cor, & hinc per respirationem ad exitum aëris à pectore: Si verò sint excedenter patulæ, & grandes, signum est maximæ iracundiæ, & ferocitatis ob excessum caloris existentis in temperamento corporis, & capitis, idque patet in Tauris, & Equis ferocibus.

Respondetvr secundò: Quod si Nares sint veluti clausæ, & strictæ, id prouenit ex defectu caloris necessarij, obidque & inclinationem indicant ad furtum, nempè ad sibi prouidendum ex rebus alienis, quod sibi deficit: indicant etiam stultitiam, & debilitatem ob defectum calidi necessarij: & si nares sint valdè tenues, longæ, & acutæ, significant debilitatem virium, superbiam, & leuitatem, id enim prouenit ex nimio calore cæteris humoribus præeminente: Si verò fuerint competenter in parte superiori distantes, signum est bonæ complexionis, obidque & inclinationis ad pietatem, & misericordiam.

QVÆSTIO XV.

De Physiognomia Labiorum, Oris, Dentium, & Linguæ.

709. Primò Supponendum, quod ex aspectu faciei facilè cognoscuntur inclinationes internæ animi, id attestante Spiritu Sancto Eccles. *cap.* 19. *Ex visu cognoscitur vir,* idest ex facie: Et ratio est, quia à reliquo corpore emittuntur ad vultum spiritus, & sanguis tanquam ad partem potiorem, & consequenter ex ipsius Physiognomia dignosci possunt tales intimæ inclinationes.

Hinc primò expendemus reliquas partes vultus, (nam frons, & nasus etiam ad ipsum spectant,), & deinde ipsum vultum.

Primò ergo quæritur: quid dicendum de Physiognomia Labiorum?

Respondetvr, quod labia sunt frusta carnis posita sub naso in extremitate superioris, & inferioris maxillæ, quæ mouentur, & firma stant secundùm imperium voluntatis, suntque composita ex carne molli, & delicata, suntque veluti portæ dentium, & oris.

Hinc dicimus primò: Quod si labia sunt valdè crassa, signum sunt prædominantiæ humidi, & frigidi, indicantque ruditatem, & stultitiam animi: Illa verò, quæ cum crassitie suprà exuperant ad extra partem inferiorem, similia sunt labiis asini, indicantque stultitiam, stoliditatem, & timiditatem: Si verò labium superius excedenter emineat gingiuas ad extra apparentes, signum est deficientiæ caloris, & humidi, obid inclinare ad detractionem, iniuriam, inuidiam, adulationemque, & maximè si dentes canini foras exeunt, eleuando labium superius, suntque tales similes Alci, quæ fera vulgò appellatur magna bestia similis mulæ, quæ ob eminentiam labij superioris non potest comedere, nisi ambulando retro: Si autem labium inferius exuperet, signum est deficientiæ caloris, qui non potest æqualiter se extendere ad omnes partes ob impedimentum materiæ

teriæ nimis crassæ, & humidæ, indicantque simplicitatem, ignorantiam, & vanitatem: & si tale labium apparet velut tumidum, vt fuit in Iuliano Apostata, signum est efferati, & venenati animi, sicuti habent serpentes, quando tamen labia sunt nimis tenuia, & mollia, vt est in mulieribus, signum sunt timiditatis, debilitatis, & fraudis: Si verò sunt moderatè tenuia, & crassa rectè tegentia dentes, signum sunt optimi temperamenti.

710. Secundò quæritur: quid dicendum de Physiognomia Oris?

Respondetvr primò: Quod si os est excedenter magnum, significat hominem voracem, immitem, & impium: Ratio est, quia cùm os sit porta stomaci, consequenter indicat superabundantiam caloris, obidque & indigentiam multi cibi, vndè si talis appetitus non moderetur, redditur homo valdè deditus luxuriæ, audaciæ, & rixis, & maximè si os apparet patens, & veluti discissum, ut in lupis, & canibus, vnde tales sunt vt plurimùm voraces, loquaces, & impudentes, & valdè ignari: sicut etiam qui habent os semper patens, ita vt difficilè possit rectè claudi, signum est, quod sunt valdè debilis complexionis, obidque & virtutis debilioris, & breuissimæ vitæ:nam ex tali debilitate oritur incoctio cibi, & dispositio proxima ad putredinem, & ad varias infirmitates.

Respondetvr secundò: Quod si os sit valdè crassum, signum est superabundantiæ humoris crassi, & humidi, obidque indicat ingenium crassum.

Respondetvr tertiò: Quod si os est excedenter paruum, signum est tam in viris, quàm in mulieribus complexionis effœminatæ, & pigræ ob pænuriam sanguinis, caloris, & spirituum: indicat etiam duplicitatem animi.

Respondetvr quartò: Quod si os valdè à dextra exuperat ad modum Suis,& maximè si est rotundum, & inuersum cum labiis crassis, pessimum erit signum, scilicet voracitatis, ingluuiei, fraudis, & stultitiæ ob superabundantiam humoris crassi, & frigidi: si verò tale os est paruum, vel arctum, simile est ori serpentium, & vulpis, indicans insidiatorem hominem, astutum, & malignum: Si verò os est humile, scilicet intus concauum, signum est inuidiæ, & mutabilitatis, & luxuriæ.

Ex quibus infertur, quod os seruans medietatem inter prominentem, & concauam, signum est optimæ complexionis, indicatque hominem optimis moribus instructum: Hîc autem Physiognomi afferunt etiam correspondentiam oris ad aliquas partes corporis, quam omitto.

711. Tertiò quæritur: Quid dicendum de Physiognomia Dentium.

Dentes sunt partes oris, qui generantur ex eadem materia seminaria, ex qua generatur homo, quæ si debitè concoquitur, transit etiam in humidum radicale:Vnde defficientia dentium indicat etiam deficientiam talis materiæ, & humidi radicalis,& consequenter vitam debilem, & breuem. Hinc

Respondetvr primò: Quod si dentes sunt rari, & debiles, habet homo etiam cerebrum debile, & tenuem virtutem, signumque est breuitatis vitæ, excipe tamen, si raritas est tantùm in pueritia: Pueri enim vt plurimùm habent dentes raros, qui

qui cum ætate crescendo fiunt spissi, quando adest debita virtus: Si verò sunt fortes, licèt rari, indicant fortitudinem, & etiam longitudinem vitæ, taléſque fuerunt dentes Cæſaris Augusti: Idem à fortiori dicendum de dentibus ſpiſsis, & fortibus.

RESPONDETVR ſecundò: Quod ſi dentes ſint continui abſque diſtinctione, vt fertur de Aliquibus ita fuiſſe, ſignificant feritatem, inurbanitatem, ſicut habent Capræ ſilueſtres.

RESPONDETVR tertiò: Quod dentes longi, acuti, canini, & fortes ſignificant hominem contentioſum, vivacem, audacem, guloſum, infidum, impium, aſſimilanturque canibus, & ſerpentibus: Dentes verò diſpares indicant hominem ingenioſum, inuidum, iracundum, & mutabilem.

712. QVARTÒ quæritur: quid dicendum de Phyſiognomia Linguæ?

LINGVA eſt membrum præcipuè ordinatum ad exercitium ſermonis, vnde ſi eſt nimis grandis replens os, reddit loquutionem difficilè intelligibilem: idem & ſi nimis ſtricta: ſi medietatem ſeruabit, tunc erit optima. Hinc

RESPONDETVR primò: Quod lingua balbutiens, & prolabens fit ſecundùm Aliquos ex nimia humiditate, & frigiditate cerebri, impediente neruos motores linguæ: At ſecundùm Medicos prouenit ex bila aduſta: attamen ſecundùm rectam Philoſophiam, & veritatem naturaliter euenit ex nimia humiditate dicta, vt patet in paruulis, indicatque complexionem debilem, & melancholicam: Aliquando verò per accidens venit ex nimia ebullitione ſanguinis, quæ impellit ad excedentem velocitatem verborum, & quia ob excedentiam caloris ſe confundunt, hinc oritur impedimentum pronuntiationis, & in his indicatur imperuoſitas, iracundia, & procliuitas ad blaſphemiam, ad iracundiam, iniuriam, & ad alios exceſſus conſimiles.

ADDIMVS, quod Aliqui ſunt, qui non valent pronuntiare aliquam litteram, ut R. vel ſyllabam, tunc id prouenit ex nimia abundantia materiæ craſſæ, humidæ, & frigidæ, vt dictum eſt: ſunt etiam Aliqui, qui in principio ſermonis naturaliter repetunt eandem ſyllabam, tuncque id prouenit ex eadem cauſa.

RESPONDETVR ſecundò, Linguam ſubtilem indicare hominem ſagacem, ingenioſum, & frauduloſum: velocem verò indicare hominem ſtultum, & iracundum, vt patet in pluribus fœminis.

RESPONDETVR tertiò, Linguam tardam ſignificare hominem pigrum.

QVINTÒ quæritur de Phyſiognomia Menti, quid dicendum?

MENTVM eſt locus barbæ ſub os poſitum: de quo

RESPONDETVR primò: Quod ſi Mentum eſt raſum in viro, vel habens paucos pilos, & raros, ſignum eſt temperamenti frigidi, & quia barba (vt dictum eſt ſuprà) naſcitur ex fumoſitatibus reductis ex cerebro à calore cordis retrò reflexi, hinc etiam ſignum eſt deficientiæ talis caloris, vnde in viro indicat naturam effœminatam, mollem, & ad libidinem inclinatam.

RESPONDETVR ſecundò, Magnam, & ſpiſſam barbam ſignum eſſe nimiæ abundantiæ fumoſitatum, & caloris cordis, obidque inordinationem

tionem temperamenti debiti, idque indicat leuitatem animi, & incuriam in rebus agendis: Si verò est moderatè grandis, spissa, & leuiter diuisa, signum est optimi temperamenti.

QVÆSTIO XVI.

De Physiognomia Faciei, & Vultus.

713. POST considerationem partium faciei, nunc de ipsa secundùm se agemus: Hinc

PRIMÒ Dicimus cum Seraphico Doctore *Serm. 1. de S. Gregor. & in Psalm. 118. cap. 9. vers. 7.* faciem, vultumque esse membrum principale cognoscere faciens internas animi inclinationes, & cogitationes: est enim principalis pars, ad quam cor, & cerebrum immittunt suos spiritus: & quia nullus inuenitur homo, qui habeat faciem omninò, & in omnibus similem alteri homini, hinc infertur multiformitas potentiæ, sapientiæque Dei: infert etiam Seraph. Doctor, quod in via Dei nullus inuenitur, qui omnimodè sit alteri viro spirituali similis: hinc Ecclesia verè de quolibet iusto canit illa verba *Ecclesi. 44. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Dei.*

SECVNDÒ Dicimus, quod licèt vultus, & facies pro eodem aliquando, & maximè à Poëtis sumitur, tamen propriè inter se differunt: nam vultus dicitur à volo, estque propriè habitus, seu status faciei, qui mutatur, aliusque, & alius ostenditur secundùm varietatem affectuum animi, sic metaphoricè dicitur cœlum mutare vultum: vultus autem sic sumptus appellatur etiam indoles animi exteriùs apparens: facies verò propriè est pars anterior capitis humani constans ex fronte, oculis, naso, malis, seu genis, ore, & mento: Communiter tamen sumitur pro genis, & consistunt in membrana illa, quæ ab oculis ad mentum extenditur, in qua pili gignuntur in viris, dicuntur genæ etiam malæ ad similitudinem pomi, quia in eis rubor, risus, & gaudium maximè apparet: hinc primò resoluemus de Physiognomia faciei, secundò genarum, & deinde vultus.

TERTIÒ Dicimus, quod loquendo de tota facie hominis, si facies hominis est valdè magna quoad latitudinem, & longitudinem, id prouenit ex superabundantia humidi, & crassi humoris, significatque hominē pigrum, indocilem, & stolidum ad similitudinem Asini, & Bouis: Idem asserendum est, si facies cum magnitudine, & cum genis erit valdè pinguis, crassa, & carnosa ob eandem rationem Physicam, idque maximè si genæ erunt valdè distantes ab oculis: Idem etiam dicendum de facie, in qua apparent ossa, & genæ multùm crassæ: in tali enim homine dominatur timiditas, & tristitia, tales homines tamen solent esse valdè idonei ad diuturnum laborem.

QVARTÒ Dicimus faciem valdè paruam, & maximè in genis indicare paruitatem cerebri, à quo cùm prouenire debeat sua frigiditate temperatura cordis, & potentiarum sensitiuarum, & cùm adsit deficientia suæ virtutis, hinc etiam sequitur deprauatio in imaginatiua, obid tales homines sunt faciles ad malè iudicandum de proximo, ad timiditatem, ad adulationem, & ad malitiosa opera, & maximè si in facie apparet color flauus: id enim signum est hominis vitiosi,

vitiosi, fraudulenti, & peruersi, assimilaturque talis facies faciei felis: & si genæ erunt valdè restrictæ cum mæstitia, indicant virum stultum: si cum risu, & gaudio, indicant virum effœminatum.

Qvintò Dicimus faciem mediocritatem seruantem inter magnam, & paruam indicare optimam complexionem, & maximè si aliquantulum tēdit ad paruam, & moderatam carnositatem: indicat enim hominem veridicum, sincerum, amatorium, ingeniosum, & subtilem ingenij: si verò tendat ad maciem excedenter, reddit hominem acutum, circunspectum, sollicitum, curiosum, solet etiam facies valdè macilenta indicare magnam anxietatem interiorem cudis: nam ex tali anxietate, & fixa imaginatione consummuntur spiritus, & corpus remanet frigidum cum alimenti necessarij consumptione; si verò habent pinguedinem excedentem, reddit hominem mendacem, ignarum, pigrum ad similitudinem Bouis.

Sextò Dicimus faciem excedenter longam maximè cum genis longis indicare prædominium caloris à corde proueniētis, reddereque hominem inclinatum ad supereminendum aliis ad modum ignis, ad arrogantiam, & superbiam, talisque facies dicitur canina: si verò facies, & genæ erunt rotundæ, scilicet cum mento ad extra exporrecta faciens velut circulum, signum est deficientiæ debitæ longitudinis in cerebro, & obid conturbationis, & confusionis specierum, & spirituum; & hinc facilitas oritur ad iracundiam, & fraudes, & defectus iudicij: qui habet faciem cauam, scilicet cum mento intus retracto, signum est vilitatis, & timiditatis animi: qui habet faciem plenam ad orbicularitatem tendentem, signum est hominis inurbani, contentiosi, inuidi, & immundi: qui faciem rugatam habet, indicat hominem melancholicum, prouenit enim ex nimia siccitate terrea: & si talis facies est macida, & sine pilis, signum est superabundæ siccitatis, & frigiditatis, indicat hominem humoris timidi, melancholici, & cogitabundi animi. Quoad aspectum vultus

714. Septimò Dicimus, quod si vultus est Aristis, & varius naturaliter, indicat hominem timidum, & suspiciosum ex superabundantia frigidi, sicci humoris, & maximè si habet frontem rugosam, supercilia extensa, palpebtas fixas, caput dimissum, & inclinatum, & aspiciens ad terram oculis in capite defixis ad intra, nasum longum, faciem macidam; nam in istis etiam spiritus afficiuntur eodem metu, & trepidatione, & hinc vultus induit colorem sibi obiectum: sic fertur de Polypo marino, qui ob timiditatem inducit colorem rei, cui affigitur, & maximè saxorum, talesque sunt stupidi, somnolentique, & ad stultitiam inclinantes: Si verò vultus est hilaris, & venerabilis, (tuncque est talis, quando apparet cum fronte expolita, & aperta, oculis serenis, facie rubicunda, & satis carnosa) signum est liberalitatis, tranquilli animi, docilis, beneuoli, & tractabilis, talemque fuisse S. Benardum fert Goffredus in eius vita: sic etiam dicitur de Cæsare Augusto: Si vultus erit grauis, signum est viri fortis, & magnanimi, qualem fuisse Alphonsum Ducem Ferrariæ fert Iouius: Si vultus erit anterius pendens, & dimissus, indicat animum amarum semper infortunia cogitantem, si erit pendens

dens à tergo cum barba extensa ad partem exteriorem, indicat temerariũ: Si autem vultus erit aspectus crudelis, & austeri, indicat etiam animum proportionatum, talemque fuisse Annibalem, & Attilam ferunt Historici.

Quoad Colores Faciei.

715. OCTAVÒ Dicimus de colore rubeo, quod si color faciei est rubeus excedenter, similisque flammæ, vel ebriis, signum est excedentis caloris ascendentis ad caput, & exsiccantis cerebrum, obidque ipsum remouentis à debita temperie, ex quo oritur perturbatio in imaginatione, & iudicio, redditque hominem præcipitem, indiscretum, furiosum, stultum, crudelem, hancque qualitatem Aristoteles appellat passionem tertiæ speciei. Et si nasus, & genæ sunt naturaliter rubeæ coloris iecoris, signum est hominis libidinosi, & crudelis: si verò est moderatè rubea, & alta, & appellatur color albus purpureus, signum est optimæ temperiei, indicatque hominem perspicacis ingenij, prudentem, & hinc inclinatum ob spiritus puros, & perfectos rectè sua munera exequentes, talisque fuit in Alexandro Magno: Et si rubedo accidit in facie ob aliquod nouiter occurrens, & citò transit, & dicitur ab Aristotele passibilis qualitas, tũc signum est hominis verecundi, & modesti, nam tunc sanguis ad faciem recurrit, vt ipsam tegat, & aliquando etiam ad aures rubor protenditur: si facies excedit in albedine, signum est prædominantiæ phlegmatis, humorisque frigidi, & crudi ad modum fœminarum, redditque hominem valdè timidum, & ad libidinem procliuem: Si facies est flaua, signum est prædominij flauæ bilis adurentis partes terreas, redditque hominem iracundum, contentiosum, aliisque exosum: Si facies est fusca medians inter nigrum, & album, signum est boni ingenij, & speculatiui intellectus, talis enim obfuscatio prouenit ex sanguine aliqualiter tendente ad melancholiam cum aliquali moderato prædominio partis terrestris: ex quo sequuntur duo effectus: primus est facilitas accensionis sanguinis acuentis ingenium: secundus est, quando remittitur talis calor, tunc constringitur illa pars terrea, & frigida, quæ facilè, & tenaciter conseruat res intellectu appræhensas: & hinc sequitur maxima prudentia, & maturitas in rebus agendis: Si facies est pallida naturaliter, id prouenit, (ait Aristoteles) ex mixtione excrementi aquei cum bile flaua: secundùm Medicos prouenit ex prædominio phlegmatis, & melancholiæ: verè autem oritur ex penuria sanguinis, & modicitate caloris refugentium ad internas partes, indicatque hominem saturninum, timidum, & cogitabundum: Si facies erit liuida, & veluti flaua, seu crocea medians inter viridem, & album, signum est deficientiæ caloris concoquentis ex prædominio frigidi, humidi, & melancholici humoris, indicatque hominem deditum omnibus vitiis, præcipuè crudelitati, & libidini, talisque fuit Ezelinus Patauij Tyrannus: Si facies est nigra, quia nigredo potest prouenire ex duabus causis, hinc etiam & diuersas inclinationes infert; primò potest prouenire ob excedentem calorem, qui ad modum ignis reducentis ligna in carbones redigit materiam temperamenti, maximéque siccam carnem, & pellem ad talem nigredinem, vt euenit in Ethyopibus; secundò potest euenire ob defectum

 caloris,

Digitized by Google

caloris, & humidi, remanentibus partibus terreis opacis, & veluti luce priuati: si primo modo euenit nigredo, signum est, quod homo est auarus, tenax, & excedenter sui amator, nullo habito respectu ad necessitatem aliorum, idque maximè est verum, quando comitatur pauciras vultus: Si secundo modo oritur timiditas, amaritudo animi, mæstitia, malignitas, & fraudulentia: Si facies propendit ad viridem colorem, quia bilis viridis est superfluitas sanguinis genita ex portionibus igneis, & terrestribus adustis, amara, & maligna, valdéque repugnans alimento membrorum, hinc est pessimè indicans, nam & corrumpit bonitatem sanguinis, & pituitæ, peruertitque hominem à suauitate, & clementia, & inducit malignitatem, crudelitatem, iram, & vindictam.

Et si quæras: quænam requirantur ad speciositatem, & pulchritudinem faciei?

Respondent communiter Physiognomi, quod natura totam suam vim collocat in efformatione perfecta corporis, sed magis in compositione faciei, cùm sit principalior pars corporis, vt suprà dictum est: vnde pulchritudo faciei indicat optimam cōpositionem, & temperamentum corporis, & animæ, sicut deformitas è contra inordinatum temperamentum: Ad hanc pulchritudinem faciei vltra debita lineamenta, & colorem medium inter rubeum, seu purpureum, & album, requiritur longitudo octauæ partis totius corporis: ter autem debet excedere longitudinem nasi ita, quod tanta sit distantia à naso ad finem menti, seu barbæ, quanta est altitudo frontis, & tanta esse debet altitudo frontis, quanta est longitudo nasi: Item ambo semicirculi aurium simul vniri debent formare circulum æqualem ori aperto, & patenti: Item circuli oculorum debent esse tam ampli, sicut circuli aurium: supercilia autem debent esse tam longa, quantum labia, & labia, quantum nasus.

QVÆSTIO XVII.

De Physiognomia Vocis, Anhelitus, Respirationis, & Risus.

716. VOx est percussio respirati aëris ab anima facta per arteriam vocalem, & per pulmonem attrahentem, & repellentem ipsum aërem, vnde propriè vox solùm est animalium, sub qua significatione comprehenditur & adspiratio, & respiratio, & locutio, sermoque, seu loquela, quæ est vox articulata, & distincta in partes, per quam significatur conceptus interior animæ, quæ omnia suprà fusè tradita sunt à nobis in tractatu de anima sentiente.

Et quia secundùm varietatem virtutis expulsiuæ, & quantitatem aëris attracti, dispositionemque gutturis vox recipit multam diuersitatem, secundùm quam est alta, debilis, grauis, acuta, mollis, rauca, tremula, & inæqualis: ex qua diuersitate etiam infertur diuersitas temperamenti in hominem: hinc Physiognomi cum Seraphico Doctore de hac tractant, vt infrà patebit.

Primò ergo quæritur: quid significet Vox alta, magna, valida, & robusta.

Respondetvr id prouenire ex multa capacitate, & amplitudine pulmonis, obidque in sui restrictione

nefacere magnam percussionem aëris in magna quantitate recepti, & indicat magnum calorem in corde, & per consequens hominem fortem, audacem, & imperiosum.

SECVNDÒ quæritur: quid significet Vox grauis.

RESPONDETVR grauitatem fieri ex voce inclinata, proueniréque ex nimio aëre attracto, & quia non potest ex tali nimietate expelli velociter, sed lentè, hinc redditur grauis, altitudinem verò ex voce eleuata, & emissa velociter ad extra.

VNDE, si vox est grauis, moderatéque sonora, id prouenit ex prædominio caloris cordis, vt dictum est supra, & signum est boni temperamenti: Idem & dicendum de voce graui, sonora, & flexibili, signum enim est optimi temperamenti, sed tamen animi imperiosi, & audacis: Si verò est grauis, & depressa, signum est adesse improportionem inter vas aeris, & virtutem expulsiuam, obidque prouenit ex nimio humore frigido, crasso, terrestrique valdè aggrauante membra cordi proxima, & reddente hominem pigrum, vilis animi, & aliis exosum, talesque sunt gentes septentrionales ob nimietatem dicti humoris: Si vox est grauis, & inglomerata, implicataque, id prouenit ex nimio calore cum humore terrestri, indicatque hominem confusum in suis actionibus inurbanum, similisque est voci canum: Si vox est grauis, & mollis, seu debilis, id prouenit ex prædominantia phlegmatici humoris cum multo calore, indicatque hominem placidum, mansuetum, & bonum, assimilaturque voci ouium: Si vox est grauis, & grandis, indicat hominem inurbanum, & asininum.

TERTIÒ quæritur: quid significet Vox acuta?

RESPONDETVR vocem acutam prouenire tum ex aspera arteria, quæ ob nimiam humiditatem non potest dilatari, tum ex debili virtute aërem expellente: & hinc cùm foramen sit angustum, consequenterque per ipsum modicus aër potest pertransiri, hinc & velociùs mouetur, ex qua modicitate, & velocitate oritur acumen in voce: quod etiam patet in instrumentis sonoris, in quibus tenues, & subtiles cordæ ob modicitatem, & velocitatem aëris moti acutum sonum reddunt, talisque vox, si est debilis, indicat hominem timidum, vt patet in pueris castratis, & mulieribus, item & hominem effœminatum debilem viribus: si verò talis vox est acuta, & simul vehemens, indicat hominem iracundum, indignabundumque, & duplicem corde, infidum, & res alienas appetentem: Si est stridens, signum est caloris aërei, indicatque hominem aëreum, vanum, luxuriosum, talisque vt plurimùm habet collum longum, estque vox similis stridori, & voci volucrum: Si vox est acuta, mollis, & fracta, signum est abundantiæ caloris, & humidi incocti, indicatque hominem effœminatum, mollem, estque propria fœminarum: Si vox est acuta, & clamosa, & veluti quærula ad modum caprarum, indicat hominem stupidum ob nimietatem humiditatis existentis in arteria, & impedientis liberum transitum aëri: Et si est similis balatui ouium, scilicet parua, & aspera, signum est debilitatis caloris, & nimiæ humiditatis, redditque hominem stupidum, stolidum, impudentem, & malitiosum: Quando verò

vox est medians inter grauem, & acutam, integra, & moderatè sonora, indicat optimum temperamentum, & hominem ingeniosum, modestum, grauem, prouidentem, veridicum, & iustum, optimisque moribus præditum.

Qvartò quæritur de cæteris differentiis vocis, quid significent?

Respondetvr primò, vocem asperam oriri ex nimia humiditate cadente intra arteriam, & reddente ipsam inæqualem, & asperam, obidque & vox per ipsam pertransiens redditur aspera: oritur etiam talis asperitas ex nimio calore igneo exsiccante talem humorem, asperamque reddente ipsam arteriam, indicatque hominem luxuriæ deditum, asperum, & malè inclinatum.

717. Et si quæras: vnde in pueris, & iuuenibus oritur mutatio vocis, præcipuè ab anno quarto decimo?

Respondet Aphrodisæus, quia præcipuè in illo tempore tota temperies corporis mutatur, & consequenter etiam augescit arteria, fitque inæqualis iugulo gulæ, & hinc etiam vox ibi petransiens redditur inæqualis.

Respondetvr secundò, quod si in viro vox est fœminea, signum pessimum est, nempè nimij caloris ignei exsiccantis humidum, reddentisque hominem pronum ad iram, vindictam, & obscœnitates: Et è contra in muliere vox virilis est pessimum indicium, id enim prouenit ex calore excedente cordis, & reddente mulierem superbam, imperiosam, lasciuam, & infidam.

Respondetvr tertiò, vocem suauem excedenter indicare hominem inuidum, & suspiciosum, vocem demissam valdè indicare hominem insidiatorem, vocem debilem, & flebilem indicare hominem suspiciosum, mæstumque, vocem tremulam indicare deficientiam caloris in corde, & timidum hominem, vocem verò mediantem inter suauitatem, claritatem, asperitatem, grauitatem, & subtilitatem indicare optimam complexionem, hominemque liberalem, lætum, modestum, veridicum, benignum, & pium.

Respondetvr quartò, vocem in nares consonantem, & terminantem indicare hominem mendacem, maleuolum, malis alienis gaudentem, id enim prouenit ex eo, quod virtus expellens aërem ob nimium calorem est excedens, expellitque furiosè aërem, & obid dispergitur per os, & nares.

Qvintò quæritur: quid dicendum circa varias differentias, & modos loquendi?

Respondetvr primò nimiam loquacitatem, & velocitatem in loquendo oriri vt plurimùm ex nimio calore nimis præcipitanter mouente spiritus, & hinc etiam præcipitanter, & imprudenter tales homines loquuntur, aliquando etiam ex nimia humiditate, & frigiditate oritur nimia loquacitas, licèt careat velocitate, vt in mulieribus, indicatque etiam debilitatem ingenij, & imprudentiam.

Respondetvr secundò, sermonem grauem, & stabilem indicare hominem magnanimum, & prudentem: sermonem grauem, & demissum indicare hominem benignum, & modestum: sermonem tardum indicare verecundum, sicut & sermo actus debilis, & squallidus.

718. Sextò quæritur: quid indicat

indicat anhelitus, & suspirium?

Anhelitvs est simplex emissio flatus per arteriam iam ad intra attracti, vnde oritur inspiratio, & expiratio, prima est attractio aëris per laryngam, & asperam arteriam: secunda est expulsio eiusdem aëris per restrictionem pulmonum: vterque modus explicatur nomine respirationis, quæ à natura introducta est ad refrigerandum cordis calorem: suspirium verò est emissio aëris ab imo cordis ob aliquem effectum animæ. Hinc

Respondetvr primò anhelitum fortem, velocem, & spissum indicare excessiuum calorem cordis expellentem aërem per arteriam latam, obidque & hominem fortem, & vino deditum: in homine verò macido indicare propensionem ad iram, & ad amaritudinem animi.

Respondetvr secundò: Quod si anhelitus erit tenuis, rarus, tardus cum pectore paruo, & sine pilis, indicabit frigidam complexionem cordis, obidque timiditatem, & debilitatem maximam, & iuuentutis statum similem senectuti: ex quo infertur Anhelitum moderatum, & mediantem inter duo extrema indicare optimam complexionem.

Septimò quæritur: quid dicendum de Risu?

Risvs, vt diximus in tractatu de anima sentiente, est actus proprietatis risibilitatis existentis in homine, prouenitque ex perceptione aliquali intellectus alicuius obiecti delectabilis mouentis appetitum sensitiuum ad delectationem, ex qua causatur in corde dilatatio, & ad quam dilatationem concurrunt spiritus vitales mouentes musculum diaphragmatis, & ad cuius agitationem extenduntur etiam musculi thoracis, faciei, & oris vsque ad buccas, ad quem motum consequitur quidam sonus vocis, qui dicitur risus actualis, & si est validus, dicitur cachinnus, talisque est risus proueniens naturaliter ex causa interna: Vnde risus propriè sumptus est tantùm intellectualis naturæ actu cognoscẽtis, obidque risus apparens in aliquibus irrationalibus non est propriè risus, sicut etiam in infantibus, qui à quadragesimo die natiuitatis suæ videntur ridere, sed tamen propriè non est risus, sed motus ab extrinseco tantùm causatus, vel quædam vultus extrinseca hilaritas: & hinc addimus, quod aliquando ex causa externa, & accidentaria potest prouenire, vt euenit in titillatione, quæ oritur ex tactu alieno facto sub axillis, aut plantis pedum, & quia ob tenuitatem cutis, & arteriarum copiam sunt partes valdè sensatiuæ, vnde statim ac tanguntur, fit spirituum accursus causantium quendam pruritum, simul & horrorem quendam, hinc talis risus propriè non est naturalis, sed violentus: sicut est risus causatus à veneno quorundam animalium, & herbarum, de quibus Physici, & Naturales tractant. Modò est Sermo de risu primo modo sumpto, ex quo, vt aduertit Spiritus Sanctus *in Ecclesiastico* à Sancto Bonauentura *cit.* potest haberi cognitio patens Physiognomiæ hominis, ait enim *cap. 21. vers. 23. fatuus in risu exhalat vocem suam; Vir autem sapiens vix tacitè ridebit:* & *cap. 19. Amictus corporis, & risus dentium enuntiat de illo.* Hinc

Respondetvr primò, Risum immoderatum, & validum indicare hominem stultum, vnde communiter dicitur, Risus in ore stulti abundat:

co

eo quia talis homo habet prædominantiam excedentem humoris aërei, & ideò faciliter se in vanitatem præcipitat: indicat & vanam lætitiam, instabilitatem, & crassitiem ingenij, facilitatemque ad pandendum secreta: Addimus etiam risum altum, & validum indicare hominem impudentem.

RESPONDETVR secundò hominem tarò, & difficulter ridentem indicare maximum prædominium melancholiæ atræ in corde, & etiam stolidum.

RESPONDETVR tertiò, Risum cum extorsione oris, & derisu indicare hominem impudentem auarum, mendacem, infidum, crudelem.

RESPONDETVR quartò, Risum moderatum pro loco, & tempore indicare optimum temperamentum.

RESPONDETVR quintò, Os semper apparens cum risu, vel ad modum ridentis, indicare hominem libidinosum, mendacem, simulatorem, & est proprium fœminarum.

QVÆ omnia aptanda sunt cum proportione ad fletum: vnde dicitur de Heraclito, quod semper fleret miserias hominum: & è contrà de Democrito, quod semper rideret, deridendo vanitates humanas.

QVÆSTIO XVIII.

De Physiognomia Colli, Ceruicis, & Humeri, Metaphreni, & Costarum.

719. COLLVM aptissimè à natura ponitur medians inter caput, & corpus, humerosque, vt in respiratione aër debens refrigerate calorem cordis, etiam haberet latiorem viam, & tempus se temperandi transeundo per fistulam Pulmonum, ne cum nimia frigiditate percutiens cor ipsi noxam afferret: differt autem à ceruice, quia hæc est posterior pars colli ab occipitio incipiens, & terminans ad spinam: Pars autem anterior dicitur collum, cuius pars superior appellatur iugulum, in quo aspera arteria cernitur eminere, per quam transit aër, seu sunt secundùm alios duæ concauitates sitæ in summa parte thoracis sub clauibus fixæ: pars inferior appellatur gula, quæ est fistula colli inferior constans ex carne, & neruo, per quam cibus, & potus in ventrem defluit.

PRIMÒ quæritur: quid significet collum crassum, & neruosum, & pingue.

RESPONDETVR: Quod si collum est cum debita longitudine cùm colore carneo, & crassum ob crassitiem nerui procedentis à cerebro, indicat optimam compositionem cerebri, & obid & magnanimitatem, & virium fortitudinem: Si verò collum erit crassum ob pinguedinem carnis, & maximè si est malè coloratum, scilicet vel liuidum, vel nigrum, vel viride, vel nimis album, signum est superabundantiæ materiæ humidæ indigestæ, sicut euenit vt plurimùm in fœminis: idque indicat hominem stupidum, & voracem, indisciplinabilem, iracundum: taleque collum est simile collo porci: Si autem tale collum est nimis breue, tunc spiritus transeuntes à corde ad cerebrum, & è conuerso non habent debitam distantiam, hinc & penetrant cerebrum cum nimia caliditate, ex quo sequitur natura velox, & præceps in suis actibus, argutia animi,

Digitized by Google

animi, inclinatio ad fraudes, ad inconstantiam, ad voracitatem: & quia etiam spiritus animales perueniunt ad cor, sicut & aër attractus per arteriam non satis digesti, & temperati, hinc sequitur etiam magna vicissitudo in accidentibus corporis, & in corde palpitatio, & mæstitia, & in capite conturbatio: collum lupi est breuissimum, ita quod non potest ipsum retrò vertere nisi cum retrouersione totius corporis.

SECVNDÒ quæritur: quid significet Collum subtile.

RESPONDETVR: Quod collum seruans medietatem inter crassitiem, & subtilitatem, nec est nimis longum, nec nimis breue, signum est optimi temperamenti, obidque indicat hominem fortem, docilem, ingeniosum, & prudentem: Si verò excedit in longitudine, & subtilitate ad modum struthionis, indicat vanitatem, instabilitatem, loquacitatem, timiditatem, & virium debilitatem ad modum fœminarum.

RATIO est, quia ob nimiam longitudinem spiritus à corde ad cerebrum transeuntes perueniunt valdè debiles, & frigidi, ex quo oritur tarditas, & timiditas.

ADDIMVS: quod si collum est veluti immobile, & stabile, indicat ruditatem, & ignorantiam: si est valdè mobile huc, illucque, significat stultitiam, & animi volubilitatem: si nimis rectum est, significat durum, & pertinacem: si naturaliter inclinatur ad partem anteriorem, indicat stultitiam, ignorantiam, auaritiam, animum cogitabundum: si ad partem dexteram protenditur, significat virum prudentem, & studiosum: si ad sinistram, indicat virum inclinatum ad voluptates: si collum est tinctum, & veluti cinctum pluribus venis sanguineis, signum est animi valdè iracundi.

TERTIÒ quæritur: quid dicendum de Physiognomia Gulæ.

RESPONDETVR gulam asperam indicare hominem audacem, & loquacem: si verò nodus gulæ est valdè ad extra exiens, indicat virum sapientem, & linguæ moderatum: & è contra si intus retractus est, signum est hominis vini potatoris, molesti, & asperi.

QVARTÒ quæritur de Physiognomia Ceruicis.

CERVIX est pars posterior colli, in quo vertitur vndequaque collum, & componitur ex septem vertebris rotundis. Hinc

RESPONDETVR: Quod si ceruix est suprà collum crassa, indicat magnam crassitiem cerebri, & obid ignorantiam: si est aspera cum vertebra colli eminente, vt habet aper, significat asperitatem morum, & crudelitatem: si est longa, & tenuis, significat cogitabundum: si est breuis, significat audaciam, & temeritatem: si est rotunda valdè, significat virtutem debilem corporis.

720. QVINTÒ quæritur: quid dicendum de Humeris.

RESPONDETVR: Quod ossa humerorum, si sunt longa, & moderatè distantia, significant hominem fortem, & ingeniosum, talisque fuit Plato, eo quod sufficiens calor in ipso adest rectè formans talia membra.

ET consequenter ex opposito si ossa talia sunt valdè eleuata, & tenuia, significant hominem impudentem, & superbum.

SEXTÒ quæritur: quid dicendum de Dorso.

Dorsvm est pars posterior corporis continens sub humeris omnia ossa vsque ad lumbos, estque veluti Carina nauis, & fundamentum sustentans, & connectens totam machinam corporis, ipsamque voluere faciens ad omnem partem, & constat viginti quatuor ossibus. Hinc

Respondetvr: Quod si Dorsum est magnum, altum, & robustum, significat hominem valdè robustum, sed arrogantem, maximéque si est valdè carnosum, nam talis crassities indicat quidem bonam complexionem, sed cum superabundantia caloris, & humidi, calor autem nimius reddit hominem elatum: & si dorsum non sit carnosum, robustum tamen, & magnum, indicat ingeniositatem, nam signum est, quod tunc calor digerit illam materiam frigidam, & humidam, acuitque temperamentum: Si autem dorsum est nimis restrictum, & debile, tenueque, signum est debilitatis virium, & timiditatis ob rationes appositas suprà traditas: inclinat etiam ad cordis duplicitatem, simulationem, ingratitudinem, gulositatem, taliaque sunt dorsa felis, & simiæ.

Septimò quæritur: quid dicendum de Metaphreno?

Metaphrenvm est verbum Græcum, quod interpretatur pars post præcordia sita: includit enim totam partem posteriorem dorsi vsque ad lumbos mediantem inter humeros: quæ pars est propriè opposita, & obiecta præcordiis, & ab Aliis etiam appellatur subscapula, seu subscapulæ, & scapulæ.

Respondetvr igitur Metaphrenum grande, & carnosum, benéque vinculatum significare fortitudinem corporis, & animi, iracundum, & arrogantem: Si autem est debile, gracile, & non perfectè iunctum, significat animum mollem, effœminatum, timidum, & pusillanimem, estque proprium mulierum: Si est valdè rectum, indicat hominem ignarum, gloriabundum, taleque est in Pauone, & Gallo: si autem Metaphrenum est curuum, & concauum, indicat hominem peruersum, inuidum, inhiantem ad lucra: Metaphrenum verò medians inter curuum, & conuexum indicat probitatem morum, quia temperamentum humorum est valdè perfectum.

Octavò quæritur; quid dicendum sit de Gibbositate?

Gibbositas aduenit in inferiori parte scoptularum opertarum, quæ à Græcis dicuntur Omoplatæ, & sunt duo ossa lata utrinque ad scapulas, humerosque tendentia: cùm autem humeri inflantur vel naturaliter, vel ob defectum nutricum, quæ aliquando violenter, & ineptè sustentant, & extollunt in altum pueros incipientes ambulare, tunc inferior pars Omoplantis, cùm sit valdè debilis cædens motui, & erectioni violentæ erigitur simul cum musculis, & hinc prouenit gibbositas.

Physiognomi autem omnes docent, quod gibbositas proueniens à natura, & in principio efformationis corporis, signum est deficientiæ virtutis formatricis cordis, quæ cùm ostendat suam deficientiam in partibus proximioribus, indicat etiam maximam defectnositatem morum, & inclinationum; quare dicunt, quod inter defectuosos in corpore gibbi sunt omnium peiores: hinc Homerus inter Græcos, qui conspirarunt ad excidium Troiæ, in medium

dium profert omnium pessimum quendam Thersitem gibbosum, excipe tamen, quando gibbositas prouenit à nimia mollitie, & teneritudine illarum partium, vel ab imprudentia nutricis, vel ab aliqua noxia distillatione superueniente, & similibus accidentibus, nam in his casibus non concurrit talis indicatio suprà posita.

Nonò quæritur; quid dicendum de Lateribus, & Costis hominis.

Latera hominis sunt pars inferior posita sub alis, seu axelis: Costæ verò sunt ossa lata, & longa, quæ sunt octo, & circundantes ad modum scuti pectus, & thoracem defendentis partes vitales interiores pectoris. Hinc

Respondetvr ex Seraphico Doctore, quod latera, & Costæ valdè tenuia, & angusta, graciliaque indicant hominem timidum, malignum, voracem, imbecillemque, talesque sunt vt plurimùm fœminæ; Ratio est, quia id prouenit ex deficientia caloris: Et si sunt veluti tumida, & nimis carnosa, duraque, significant indocilitatem, vt in Boue, & Ranis, indicant enim nimiam caliditatem attrahentem ad se, & coagulantem ibi sanguinem, obidque vt plurimùm sunt valdè propensi tales homines ad potum vini, & confusi in suis cogitationibus: Si verò costæ medietatem seruant inter gracilitatem, & carnositatem, signum sunt virilitatis, & fortitudinis, bonæque complexionis.

QVÆSTIO XIX.

De Physiognomia Pectoris, Ventris, Brachiorum, & Manuum

721. Pectvs est habitaculum cordis, ideóque magis ex ipso manifestatur virtus, vel debilitas eiusdem cordis. Hinc

Primò quæritur: quid significet pectus ventre longius, latum, & benè dispositum?

Respondet S. Bonauentura significare hominem prudentem, fortem, & magnanimum, dummodò pectus sit moderatè carnosum, & cum ossibus benè contextis; Ratio est, quia talis latitudo indicat abundantiam sanguinis, spirituum, & copiosæ materiæ rectè dispositæ à virtute caloris cordis, ex quibus prouenit vigor in membris, in cerebro, & obid & eleuatio animi super quodcunque aduersum, & aptitudo ad quodcunque serium negotium.

Addit Sanctus Doctor, quod si pectus est excedenter carnosum, indicat superabundantiam materiæ humidæ, & frigidæ, non debitè concoctæ, & hinc oritur ignorantia, ruditas, indocilitas, ignauia, & timiditas.

Si Pectus simul cum ventre est tectum multitudine pilorum ad modum ferarum, significat superabundantiam humiditatis, & caloris excedentis, quæ inclinat hominem ad instabilitatem, perfidiam, libidinem, crudelitatemque, caro enim (ait Sanctus Doctor *lib. 2. dist. 33. art. 2. quæst. 1. in corp.*) magis feruet in cho-

Digitized by Google

lericis, & sanguineis, quàm in melancholicis, talis dispositio tamen iuuat ad acuitatem ingenij, vt etiam aduertit *lib. 2. dist. 32. dub. 6.* Si pectus solùm est pilis tectum, non autem venter, tunc significatur animi virilitas, quia signum est prædominij caloris absque excessu: Pectus verò delicatum, & debile, & nimis laxum, significat timiditatem, & debilitatem animi, taleque est pectus fœmineum: Pectus valdè constrictum cum ventre proportionato significat subtilitatem ingenij ob superabundantiam calidi: Quando tamen pectus est macrum habens mamillas veluti tumidas, & carnosas, in viro pessimum est signum, nempè inclinationis maximæ ad libidinem, ad intemperantiam, ad ebrietatem: Si verò mamillæ sunt patuæ, & macidæ, indicant pigritiem, & timiditatem: At mediocriter magnæ, molles, & plenæ indicant perfectam complexionem.

Omitto hîc ea, quæ traduntur ab Authoribus de Physiognomia mulierum ex hac parte.

722. Secundò quæritur: quid dicendum de Ventre?

Respondetur Ventrem crassum, obesum, & excedenter carnosum indicare crassitiem intellectus, ebrietatem, hominem deditum libidini: Ratio est, quia venter maximè communicat cum cerebro: vnde venter macidus signum est bonæ complexionis, & acuminis ingenij.

Et quia pinguedo, & macies in homine est affinis pinguedini ventris: hinc addimus, quod discrimen & physicum, & morale inter homines pingues, & macilentos est primò, quia in hominibus pinguibus venæ sanguineæ sunt valdè angustæ, obidque in ipsis est parum sanguinis: in macidis verò sunt valdè amplæ: secundò pingues superabundant in humiditate & frigiditate: at macri in caliditate, & siccitate, obidque adeps leuis, & subtilis in macidis consummitur, & in pinguibus conseruatur, & augescere facit membra.

Hipocrates, & Galenus aduertunt, quod aliquando ex consuetudine, & processu temporis macidi fiunt pingues, & è contra, pingues fiunt macidi, & graciles, idque euenit in macilentis, quia ducendo vitam otiosam, & delicatam, temperamentum ipsorum permutatur in humidum, & in pinguibus humidum permutatur in siccum ob exercitium violentum, vel ob nimiam applicationem animi, vel penuriam cibi: & ideò habentes venas angustas, si fiunt macri, tales erunt non per naturam, sed per artem, & accidentaliter, & è contra habentes venas latas, si fiunt pingues, etiam id erit per artem, & per accidens.

Hinc Respondetur, quod homines naturaliter pingues ob nimiam frigiditatem, & humiditatem naturaliter etiam sunt pigri, somnolenti, malitiosi, parumque apti ad artes; qui verò moderatè sunt pingues, & carnosi, habent calorem prædominantem, & bonum ingenium.

Qui verò sunt moderatè graciles ob prædominium caloris, vel frigoris cum siccitate, sunt etiam homines apti ad labores, vigilantes, ingeniosi, iracundi, pertinaces: Vnde gracilitas est melius signum bonæ complexionis, quàm pinguedo.

Tertiò quæritur: quid dicendum de Physiognomia Brachiorum?

Brachia in parte superiori Corporis

poris reſpondent coxis, & cruribus inferioris partis : vnde naturaliter ſunt ſimul proportionata in longitudine, ſicut & manus, & pedes.

Respondetvr igitur primò brachia benè complexionata debere eſſe robuſta, benè connexa in ſuis iunćturis, & longa, ita vt homo ſtans erecto corpore poſſit attingere genua extremitate digiti medij, vel ſaltem ipſis appropinquari : id enim prouenit ex prædominio ſufficientis caloris, & humidi, indicantque virum fortem, magnanimum, audacem, liberalem, pium, & morigeratum, taleſque ferunt Hiſtoriæ fuiſſe Cæſarem Auguſtum, Georgium Scanderberghium, & Alexandrum Magnum: Ratio eſt, quia calor cordis valdè intenſus perficit materiam, ex qua componuntur brachia, & cùm ex tali calore deriuet ſubtilitas ſpirituum, hinc etiam & inclinationes dictæ : Brachia verò è contra nimis breuia, ita vt homo in comedendo conſtringatur inclinare caput, vel vix ad fæmur difluentia, indicant prædominium frigiditatis, & ſiccitatis, obidque & animum timidum, maleuolum, de malis alienis gaudentem, inuidumque.

Addimvs hominem naturaliter vti dextero brachio faciliùs in ſuis actionibus, ex hoc quod, vt ait cum communi Seraphicus Doctor *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. cor influit fuſiùs, & abundantiùs ſuam virtutem, & calorem in illam partem : & ſi Aliqui vtuntur ſiniſtra pro dextera, vel ambobus brachiis æqualiter, dicunturque ambidextri, ſignum eſt, quod cor æqualiter ad ambas partes diffundit ſuam virtutem; iſtique vt plurimùm ſunt fortes, calidi, iracundi, crudeles, fraudulenti. Notant autem Philoſophi nunquam mulieres poſſe vti ſiniſtra pro dextera, immò malè etiam poteſt vti dextera ob deficientiam caloris.

723. Qvartò quæritur de Manibus : quid dicendum?

Manvs, ſicuti lingua ſunt inſtrumentum executiuum imperij voluntatis, & animæ, conſtantque parte interiori, quæ dicitur vola, & exteriori carnoſa, & neruoſa, & digitis, & nodo conectente manum cum brachiis. Hinc

Respondetvr primò, quod manus grandes benè articulatæ, & neruoſæ ſignificant hominem fortem, ſtrenuum & corpore, & animo, magnanimum aptum ad quemcunque laborem : Ratio eſt, quia id prouenit ex prædominantia calidi, & humidi contemperati cum ſiccitate : Si verò manus ſunt excedenter carnoſæ, indicant hominem rudem, ignarum, quia adeſt prædominantia frigidi, & humidi : Si tales manus ſunt aſperæ, & duræ, indicant fortitudinem corporis, ſed ineptitudinem ad ſcientias, id enim prouenit ex frigiditate.

Manvs verò breues moderatè indicant cum fortitudine ſagacitatem animi : Si excedunt in paucitate, ſignificant hominem furem, inſidioſum, & fraudulentum : Si ſunt intortæ valdè flexibiles, & tenues, indicant loquacitatem, & voracitatem ob deficientiam caloris, & abundantiam frigidi, & humidi, vt in fœminis.

Hic autem eſt adnotandum, quod Chiromantes ex qualitate linearum exiſtentium in palma manus profitentur ſe poſſe diuinationes facere euentuum futurorum hominis : vnde docent tales lineas reſpondere planetis

netis cœlestibus, Saturno, Ioui, Marti, Soli, Veneri, Mercutio, & Lunæ; & secundùm proportionem influentiarum ipsorum nituntur vaticinari futuros euentus: quæ omnia sunt pura deliramenta, & potiùs figmenta à Diabolo inuenta ad decipiendum homines: Verum quidem est, quod ait Aristoteles in suis problematibus, nempè si manus habet perfecta lineamenta, vt verbi gratiâ, si in flexura radicis pollicis ad modum capillorum extendantut lineæ pet totam volam, vel saltem per maiorem partem, & in ipsa vola sint quatuor lineæ principales benè efformatæ profundæ non interseccatæ, vel saltem parum, & tinctæ colore carneo, & digiti habeant iuncturas suas facilè flexibiles, id signum patens est optimæ temperaturæ, eo quod cor rectè se diffudit per omnes partes corporis, & in manibus digessit omnem superfluitatem, & in his indicium patens est etiam probitatis morum, & inclinationis optimæ, longeuæque vitæ: Et si è contra sunt malè efformatæ, indispositæque, signum est oppositorum effectuum: quod verò talia lineamenta possint indicare peculiares euentus, & casus, id asserere omninò vanum est, & ridiculum: Et quia ad manus perfectionem spectant digiti, & vngues. Hinc

724. Qvinto quæritur: quid dicendum de Physiognomia digitorum?

Respondetvr Digitos nimis crassos, vel breues indicare maximam materiam crassam indigestam, obidque hominem ignarum, & stolidum, inuidumque: Digitos verò debitè longos, & molles, satisque inter se distantes aliqualiter tendentes ad subtilitatem, indicare optimum temperamentum, hominemque ingeniosum, & modestum, sed breuioris vitæ: Si verò sint nimis collecti, vel depressi, vel globosi, significant auarum, & malignum, prouenit enim à materia indigesta.

Digiti, qui facilè retrò valdè reuoluuntur in summitate, assimilantur animalibus carniuoris, & rapacibus, indicantque auaritiam, rapacitatemque: Qui verò excedunt numetum quinarium digitorum manus, vel qui carent aliquo digito, signum est, quod adest deficientia, vel excessus materiæ in eorum compositione, obidque suspecti valdè sunt inclinatioris fraudulentiæ maliriosæ.

Et qui in sermone mouent digitos, & manus, indicant superabundare maximo calote, & spiritibus, obidque & esse naturæ iracundæ, & valdè præcipitis in suis actionibus.

Sexto quæritur: quid dicendum de Physiognomia Vnguium?

Vngves sunt minimæ partes corporis, earumque figura est aliquantulum rotunda cum tegumento carnis in tribus extremitatibus: generantur autem ex excrementis neruorum, arteriarum, & ligamentorum, inseruiuntque tum ad ornamentum, tum ad maiorem firmitatem digitorum. Hinc

Respondetvr: Quod si vngues sint plani moderatè, molles, tenues, pellucidi, rubentes, tendentes ad album, signum sunt optimi temperamenti, prædominij moderati caloris, & humidi, indicantque hominem optimum.

Vngves verò inflexi, curui, indicant

cant excedentem calorem, inclinantque ad rapacitatem, & impudentiam, vt patet in Aquila.

VNGVES nimiùm breues, pallidi, vel nigri, asperique, indicant hominem fraudulentum, & malignum, vt patet in simia: id enim prouenit ex nimia humiditate, & modicitate caloris naturalis.

HIC autem Aliqui inserunt tractatum de næuis, seu maculis in vnguibus apparentibus, quarum aliquæ sunt albæ, aliæ croceæ, aliæ cerulææ, aliæ nigræ: & istæ vel sunt rotundæ, vel angulares, vel lineares.

ET quia ex ineptia Aliquorum Astrologorum eruunt, quod Veneri respondet pollex, & color rubeus: Ioui index, & color item purpureus.

SATVRNO digitus medius, & color niger: Soli annularis, & color croceus.

MERCVRIO minimus, & color medius inter nigrum, & album. Hinc etiam ex tali correspondentia inferunt ex dictis maculis varios euentus: quæ omnia tamen sunt pura deliramenta, & somnia vanissima.

HIS deliramentis valdè affines, immò inaniores sunt prædictiones, quas Nomanthici faciunt ex nomine homini imposito: sustinent enim litteras Alphabeti Latini secundùm ordinem numerorum respondentium iisdem litteris, & præcipuè primas tres nominis respondere signis, & Planetis cœlestibus, & secundùm horum connexionem aspectus oppositionem influere in personam nominatam, & ex hoc posse certè prædicere euentus ipsi futuros: Vanissimum somnium, & figmentum contra rationem, & rectam Philosophiam: Impossibile enim est ex signo fallibili, & à volubili voluntate imponentium dependente posse sciri certè, vel probabiliter id, quod pendet à causis necessariis, vel liberis: His omissis figmentis reddeamus ad næuos vnguium.

CIRCA quos Dicimus, quod cùm in naturæ officina nihil frustrà agatur, hinc non est denegandum tales maculas aliquid significare: sed quid?

RESPONDEO, quod cùm vngues producantur ex excrementis neruorum, iuncturarum, & arteriarum, per quas transeunt spiritus, sanguis, & dicta excrementa sanguinis: hinc secundùm prædominium dictorum excrementorum quatuor humorum elementarium proueniunt dictæ maculæ, vel nigræ, vel croceæ, &c. hinc dicendum est tales maculas nullo modo esse indicatiuas euentus futuri, sed potiùs alicuius præteriti (licèt etiam valdè remitte) vt verbi gratiâ, si aliquis euentus aduersus excitauerit atram bilem, &c. vnde nihil aliud dicendum de hac materia.

QVÆSTIO XX.

De Physiognomia Cossendricum, Coxarum, Crurium, & Pedum.

725. SERAPH. DOCTOR tradit Physiognomiam Coxarum, comprælendens in vnum, & cossendrices, & coxas, & crura, sic & Aliqui Alij: Nos autem ad clariorem

rem intelligentiam de vtrisque seiunctim differremus.

NOMINE coxarum propriè veniunt illæ partes, & ossa, quæ supra crura sunt posita, & cum cruribus in genu connectuntur, & subtus cossendrices cum ipsis vniuntur, ipsarumque finibus recipiuntur: Cossendrices autem sunt ossa, seu costæ minimæ connexæ ossi sacro, quæ ad pecten extenduntur, recipiuntque in suo sinu, & cauitate coxas, & appellantur etiam ossa laterum, quæ in viris sunt rectæ, in mulieribus curuæ ad faciliùs ferendam prolem. Hinc

PRIMÒ Dicimus Cossendrices, quæ aliquantulum ad latera exeunt, indicant hominem fortem, & virilem, quæ verò nihil exeunt, sed reddunt personam elegantem, & delicatam, indicant deditum ad libidinem: illæ autem, quas comitatur multa crassities in partibus posterioribus, indicant prædominium frigiditatis, & humiditatis, obidque & imbecillitatem virium, & timidum: Si verò apparet magna gracilitas, vt in simia, signum est malignitatis, & fraudulentiæ.

SECVNDÒ Dicimus Coxas in solo homine circundari à multa carne, neruis, & ossibus valdè duris, istis enim indigebat, vt recto capite posset incedere, in cæteris verò animalibus natura ista distribuit in ventre, & pectore.

QVI igitur habent coxas benè neruosas, carnosas, & ossibus crassis præditas, sunt valdè fortes, & magnanimi.

ET è contra, qui habent molles, & exiliter connexas, sunt debiles ad modum fœminarum ob debilitatem caloris naturalis.

TERTIÒ Dicimus Genua valdè carnosa, & crassa, vt in mulieribus significare debilitatem caloris naturalis, obidque & virium, & timiditatem, Idemque si genua strident in motu eo modo, quo digiti mannum, dum torquentur, strident: Si verò sunt moderatè pinguia potiùs tendentia ad gracilitatem, signum sunt fortitudinis virium.

726. QVARTÒ Dicimus Crura (quæ sunt veluti fundamentum totius fabricæ hominis) habentia suram, (quæ est pars infra genua posterior) carnosam valdè, & veluti grauidam, indicare hominem luxuriosum, impudicum, & intemperatum, & maximè si sit sura valdè mollis.

RATIO est, quia ibi prædominatur materia crassa, humida, & frigida, quæ est complexio fœminea.

QVI verò habent crura delicata, subtilia, & neruosa, sunt vt plurimùm effœminati, quia pars sanguinis tali parti debita recurrit ad lumbos: attamen tales vt plurimùm sunt viri fortes ob prædominium caloris, & siccitatis.

CRVRA verò, & coxæ valdè longa, & trunco breui improportionata indicant imperfectam complexionem, suntque breuioris vitæ.

QVI habent crura per totum valdè crassa, sunt indociles, vilis animi ob superabundantiam humidi, & frigidi.

QVI habent crura valdè breuia, & breuiora trunco corporis, sunt debilis complexionis, quia adest deficientia caloris: sic etiam belluæ ob superabundantiam partis terrestris

Digitized by Google

terrestris, & frigiditatis sunt tales, indicantque animum malignum, inuidum, & ferum.

Qui habent crura naturaliter claudicantia, vt plurimùm ad malum omne, maximè ad libidinem sunt propensi: de quo potest videri S. Hieronymus *in epistol. ad Iouinianum:* est enim regula firmissima apud Medicos, & Aristotelem, quod quando natura deficit in formatione alicuius membri, præcipuè principalis, & noti, signum est etiam patens defectuositatis complexionis, & inclinationum naturalium, quod applicari potest & gibbis, & strabonibus, & similibus.

Qui habent crura de se pinguia, sed propè talos valdè restricta, & subtilia, fortes & corpore, & animo sunt: signum enim est, quod prædominatur in eis calor humido: si verò tali sunt crassi, & malè iuncti, sunt molles, & debiles, sicut sunt fœminæ.

Quintò Dicimus Pedes moderatè grandes, benè efformatos, & connexos cum cruribus, & in suis partibus, indicare animum virilem, nobilem, & virtuosum.

Pedes verò valdè crassos, & breues infirmum hominem, ignarum, & iniuriosum, & ferum indicare: id enim prouenit ex prædominio frigidi, & humidi.

Pedes valdè, & excedenter longi indicant nimiam caliditatem, & obid dolositatem animi.

Pedes positi super planum, & efformantes concauitatem in medio, indicant maximam malignitatem ob rationem adductam.

Pedes omnimodè pleni in inferiori planta indicant animi duplicitatem, sic enim ambular vulpes.

Quare pes rectè efformatus exigit moderatam magnitudinem, crassitiem potiùs tendentem ad gracilitatem, planitiem cum mediocri concauitate in medio.

Sextò Dicimus, quod si digiti pedum sunt curui, indicant impudentiam ad modum vngularum volucrum: si sunt valdè prolixi, & veluti simul connexi ad modum anseris, indicant hominem timidum, & dolosum, prouenit enim ex superabundantia humidi, & frigidi.

Qui verò solùm sunt restricti, non connexi, sunt valdè astuti, & malis moribus præditi.

Et quia ambulatio est affinis considerationi pedum. Hinc

727. Septimò Dicimus, quod ambulantes longis, & moderatis pedibus, signum dant magnanimitatis animi, prudentiæ, & applicationis considerataæ: indicant enim complexionem iustam, & moderatam: talis enim motus præcipitur Sacerdotibus à Sacris Cannonibus.

Qui verò velociter incedunt longis passibus, & moderatis, indicant prædominium caliditatis, & etiam maturitatem, & sollicitudinem in negotiis.

Qui velocibus, & breuibus passibus incedunt, ratò complent negotia, ad multa se applicant, sed valdè parua ad finem perducunt: ambulantes verò nimiùm lentè, indicant etiam tarditatem in suis negotiis, & parum bonos mores: qui verò incedunt modò lentè, modò veloci

velociter, simulatores sunt, & viles animo.

Qui velociter ambulant oculis turbatis, corpore instabili, & veluti tremente, anhelitu sensibili, indicant pessimam complexionem superabundantiæ calidi, & sicci, talemque describit Sanctus Gregorius Nazianzenus fuisse Iulianum Apostatam.

Et qui ambulant torquendo totum corpus hac, illacque, vel veluti lentè, & lepidè trementes inclinando se modò ad dexteram, modò ad sinistram ad modum incessus fœminei: vel se inclinando ad terram, signum dant debilitatis virium, & animi, assimilanturque simiæ, inclinantque ad scurrilia, adulationem, fraudes, & vanitates.

Qui verò ambulant corpore, humeris, & capite erectis, sunt effœminati, confusæ cognitionis, superbi, iracundi, & suspiciosi, idque maximè procedit in iis, qui incedunt erecto capite ad modum animi admirabundi, vel aliquod nouum attentè, & fixè aspicientis: signum enim est prædominij excedentis caloris exsiccantis alios humores hos effectus causantis, sic etiam incedit equus.

Qui autem corpore nec valdè erecto, nec valdè inclinato incedunt euitantes extrema, indicant optimam incliuationem ad modestiam, pietatem, verecundiam, ingeniositatemque.

728. Ex quibus omnibus suprà traditis potest inferri, quænam sit optima Physiognomia hominis: exigit enim, vt in corpore, & membris non excedat in paucitate, nec in breuitate, nec in magnitudine, longitudineque, sed tamen quod magis propendat ad magnitudinem, & longitudinem, quàm è contra: item quod corpus sit benè quadratum, non excedenter carnosum, & quod corpori proportionentur membra: item quod color cutis, & maximè faciei sit viuidus, carnosus, medians (ait Seraph. Doctor) vel inter album, & brunum, sed clarum, & propendentem ad rubeum: vel sit medius inter album, & purpureum.

Tandem si pro complemento huius tractationis deberem exponere exemplar hominis perfectè complexionati, nullum aliud exhiberem, nisi Effigiem Serenissimi olim Francisci primi Estensis Mutinæ, Regiique, &c. Ducis VIII. Hic, vt notissimum est, super omnes Principes sui temporis, & forsan huius sæculi corpore perfectissimè composito præditus fuit: & hinc etiam toti mundo in bello, & otio admirabilis eluxit.

Princeps iste fuit verè vir societate politicus (verba sunt Seraphici Bonauenturæ *in Ioan. collat. 54.*) benignitate beneuolus, largitate munificus, & omni virtute magnificus.

Novit & miro nexu connectere Regiam Maiestatem cum singulari benignitate, & beneuolentia, Politicam cum pietate, potentiam, & iustitiam cum misericordia, aulicam vitam cum religione, & pudicitia (in qua ad miraculum exemplarissimus enituit) in bello strenuitatem, & vigilantiam cum animi insignis moderatione, & tandem sæcularem statum cum ornatu,

tu, & exercitio omnium virtutum: vnde mirum non est, si viuens tanta æstimatione apud omnes valuerit, & post mortem eius sola memoria animos maximè solatur eorum, qui tantæ virtutis testes oculatos esse meruerunt.

HVIC tanto Principi in Physiognomia corporis (cum aliquantulo tamen excessu complexionis sanguineæ, viuidæ, & venustæ) in Indole, prudentia, vigilantia, & præstantia virtutis, & morum haud absimilis est eiusdem Nepos, & in moderandis populis Successor FRANCISCVS Secundus Dux Modernus Mutinæ, Regiique, &c. sub cuius auspiciis hi libri in lucem prodeunt: faxit Deus Optimus Maximus, vt sicut in eius adolescentia insiluit in ipsum Spiritus Domini, & mutatus est in virum (quod & legitur de Rege Israël nouiter electo 1. *Reg. cap.* 10.) sic diutissimè sibi, & orbi incolumis, in præsenti viuat, & tandem suffragante Sancto Bonauentura ad bona ventura, & æterna perueniat.

SED pro recta intelligentia suprà traditorum vnum monitum ex Seraphico Doctore hìc apponendum necessarium existimamus.

SERAPHICVS igitur Doctor *lib.* 2. *distinct.* 32. *dub.* 6. disquirit, vnde præexcellentia naturalium veniat in homine, an scilicet ex corporis complexione, an verò ex anima perfectiori?

ET acutissimè respondet, quod aliter respondebit Theologus, aliter Philosophus: nam Theologus respondebit, quod hoc venit ex distributione donorum Dei, qui producit omnia secundùm ordinem debitum, & obid aliquam animam virtuosiorem altera producit (intellige tamen intra sphæram speciei animæ, vt in superioribus traditum est) Naturalis verò Philosophus respondebit id prouenire ex diuersa dispositione corporis, vel quantum ad complexionem, vel quantum ad organizationem, & vterque benè respondet, sed meliùs Theologus, qui assignat causam principaliorem: licèt enim sit verum, quod bona dispositio corporis multùm expedit ad exercitium illarum habilitatum, quæ animæ in sui creatione insunt, vnde Cholerici ob acuitatem caloris vt plurimùm sunt boni ingenij, tamen hæc regula aliquando fallit: videmus enim homines contrariæ complexionis esse ingeniosos: Sic enim Aliqui ad diuersa exercitia sunt apti, quidam ad Artes liberales, quidam ad Mechanicas, quidam ad Mathematicam, quidam ad Metaphysicam, quidam ad Naturalia, quidam ad Rationalia, ergo potiùs hæc diuersitas prouenit ex diuersa distributione donorum naturalium à Deo facta: sic etiam Philosophus in libro de animalibus, cùm assignat causas dispositionis membrorum, vbi non inuenit causam principalem ex parte naturæ, recurrit ad conditricis Sapientiæ dispositionem.

Ex quibus patet, quod velle persistere nimis tenaciter in tradita arte Physiognomiæ ad dignoscendum mores hominum, est se subiicere periculo erroris, & deceptionis, obidque suprà tradita obseruanda sunt cum grano salis, & maxima maturitate, & moderatione.


Digitized by Google

Et hæc dicta sufficiant pro complemento horum tractatuum de anima, & homine, quæ tibi, Humanissime, leuiter exhibeo, non vt præcisè tuam curiositatem pascam, sed ad eundem finem, quo ab hoc mystico S. Bonauentura exposita fuere, nempè vt ad inuisibilia per visibilia ascendas: & videns tot mirabilia à summo Opifice in hoc microcosmo aggregata exclamare valeas cum Regio Propheta *Psalm.* 8. *Domine quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulo minus ab Angelis* (vel vt ex Hæbreo) *paulo minus à Deo gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius: quàm admirabile est nomen tuum:* sicque hæc prænoscens, & per ista Dei Omnipotentiam, multiformem Sapientiam, & infinitam Bonitatem erigaris ad ipsum toto corde super omnia amandum: Quod Deus benedictus dignetur nobis meritis, & precibus Seraphici Bonauenturæ concedere. Amen.



EPITHOME

Digitized by Google



EPITHOME METAPHYSICÆ

PARS QVARTA CVRSVS PHILOSOPHICI

AD MENTEM

S. BONAVENTVRÆ SERAPH. DOCTORIS

De Ente.

729. HÆC est vltima pars huius Cursus Philosophici ad Mentem S. Bonauenturæ, quem proposuimus in principio sub titulo fluminis quadruplicis, nempè Physionis, Gehonis, Tigris, & Euphratis, quæ flumina pertranseunda proponuntur iis, qui ad Paradisum Theologicum peruenire prætendunt. Quapropter cùm prima tria Deo dante, & sub Duce Seraphici Doctoris enauigauerimus, superest pro complemento, vt hoc quartum etiam pertranseamus, nempè quia Eufrates interpretatur frugifer, ideò etiam Metaphysicam enodandam nobis proponit, quæ est veluti fructus, & finis omnium speculationum, quæ in tota Philosophia arripiuntur, obidque est & omnium Scientiarũ nobilissima: Considerat enim veritates sublimissimas, quibus & pascitur intellectus, & ad limina immortalitatis, quam exhibet Theo-

Digitized by Google

logia ſupernaturalis, collocat comedentes. Sed quia in traditis primis tribus partibus ferè omnia, quæ ab Aliis Philoſophis vbertim in Metaphyſica edocentur, ſparſim à nobis Sectatoribus Seraphicæ doctrinæ enodata fuere, præcipuéque in tractatu formalitatum, tum in tractatu de vniuerſali, tum in tractatu de Prædicamentis, tum & in tractatibus de Anima: hinc breui itinere, breuiori ſtylo, & ſummariè tantùm aliqua omiſſa hîc à Nobis in hac quarta parte proponentur de more noſtro ſequentes ſenſum, & placita Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ.

730. ANTEQVAM autem aliquam quæſtionem proponamus, ſupponimus Metaphyſicam eſſe propriè, & in rigore ſcientiam, immò omnium aliarum perfectiſſimam, eo quod alias certitudine, & euidentia ſuperat, & vincit, immò & ipſa præſcribit obiecta cæteris ſcientiis, & ſi opus eſt, illa probat quoad ſi eſt, & etiam quoad quid eſt, quia conſiderat entia omnia, eorumque eſſentiam, & exiſtentiam, & proprietates: Sic Sanctus Bonauentura *in op. Princ. Sacræ Scripturæ*, & hinc eius obiectum eſt etiam vniuerſaliſſimum, nempè ens ſub ratione entis: Sic docet cum communi Seraph. Doctor *Serm. 1. & 4. in Hexaëm. & in opuſc. Princ. Sacræ Scripturæ, & in opuſc. de reductione artium, & lib. 2. diſtinctione 18. articul. 1. quæſt. 3.* Ratio enim entis vt ſic eſt ſcibilis, quia habet prædicata eſſentialia, paſſiones, ſeu proprietates ab eſſentia conſequentes.

HIC autem diſquirunt DD. an ſit proprium Metaphyſicæ conſiderare non ſolùm ens in communi, ſed & entia inferiora in particulari, verbi gratiâ, ſubſtantiam, & accidens, immò & ipſum ens ſupremum, ſcilicet Deum.

ALIQVI Doctores opinionem negatiuam ſuſtinent: ſed Seraphicus Doctor affirmatiuam ſuſtinet *in Serm. 1. Hexaëm.*

nempè

nempè non ſolùm conſiderat ens vt ſic in communi, ſed & conſiderat rationes ſpeciales entium, quatenùs tamen præſcindunt ab omni ſenſibilitate, & important puram quidditatem, per quorum conſiderationem aſſurgit ad cognitionem primi, & ſupremi entis in ratione cauſantis exemplantis, ſeu Idealis, & finis: vnde licèt aliqualiter conueniat cum cæteris ſcientiis inferioribus, diſconuenit tamen per hanc rationem formalem ab ipſis, quatenùs omnia conſiderat per abſtractionem à materia, & à ſenſibilitate, quæ ratio tamen infert tanquam à poſteriori diſcrimen obiectiuum huius ſcientiæ à cæteris: Vide, quæ dicta ſunt à nobis in Phyſica *num.* 10. quia, vt ait Seraphicus Doctor *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *citat.* conſiderat id, in quo aſſimilantur indiuidua, & ſpecies, & hinc ſe reducit in primam cauſam.

ET hinc patet, quale diſcrimen ſit inter Metaphyſicam, ſeu Theologiam naturalem, & ſupernaturalem, nam illa non exit limites cognitionis naturalis, iſta cognoſcit Deum vt ens ſupernaturale.

QVI plura de hac materia deſiderat, adeat Maſtrium in quæſtionibus Procemialibus Metaphyſicæ: adeat pariter Suarez, Alioſque, qui hanc materiam de Metaphyſica fusè pertractant, nam Nos tendentes ad finem huius longæ nauigationis ea omnia breuiter expediemus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De quidditate Entis: in quonam consistat eius ratio quidditatiua: Vbi de multiplici diuisione Entis.

731. QVIA Metaphysica tota versatur circa Ens: hinc iuremerito hîc primo loco disquiritur, in quonam sità sit ratio formalis entis.

PRIMA Opinio est Auic. Aliquorumque Aliorum apud Suarez *disput.* 2. *sect.* 4. asserentium ens, quia est participium verbi Sum, es, est, significare accidens quoddam commune rebus omnibus existentibus, nempè existentiam aduenientem ipsis quidditatibus secundùm essentiam, esseque accidens, quod adest, & aufertur à rebus, quæ Opinio tamen communiter reiicitur: falsum enim est existentiam esse accidens rebus aduenicns, & ens solùm significare existentiam.

SECVNDA Opinio est communis, quæ distinguit de ente vel substantialiter, nominaliterque sumpto, & de ente adiectiuè, & verbaliter, siue participaliter sumpto: quam diuisionem etiam tradit Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 23. *artic.* 2. *quæst.* 2. *ad vltim.* Si sumitur hoc secundo modo, idest vt participium verbi sum, es, est, sic significat id, quod est, & existit: quia, vt ait *lib.* 1. *dist.* 7. *quæst.* 1. *in corp.* est dicit actum absolutum entis, qui est existentia: Si sumitur primo modo, sic significat rem secundùm se, provt præscindit ab omni existentia: quo pacto dicitur de quacunque natura esse ens, etiam si non actu existat: & in hoc sensu præcipuè consideratur à Metaphysico: Hinc

PRIMA CONCLVSIO: Ens substantiuè, & Metaphysicè sumptum significat id, cui conuenit essentia realis, idest non ficta, nec chymerica, sed vera, & apta ad realiter existendum: Est communis cum Seraph. Doct. *cit.*

PROBATVR: Quia ens in suo formali conceptu dicit propriam entitatem: ergo & essentiam.

DICES: Etiam ens rationis, & fictum dicetur habere suam propriam entitatem: Sed

CONTRA: Quia propriè ens vt sic, seu essentia dicitur tantùm in abstracto per ordinem tamen ad existere: ergo dicitur tantùm propriè de ente, cui non repugnat existere, & quod habet possibilitatem logicam.

ET hinc Seraph. Doctor distinguit *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* inter ens vt sic, & esse: ens enim vt sic dicit ipsam entitatem in abstracto, & esse dicit ipsum actum entis, seu existentiam: Sic & *lib.* 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

Ex quibus sequitur, quod ens substantialiter, & ens adiectiuè sumptum differunt per conceptum magis, vel minus abstractum, vel per simplicitatem, & compositionem conceptus.

732. SECVNDA CONCLVSIO: Ens vt sic rectè diuiditur in ens potentia, & ens actu.

PROBATVR: Quia ens potest sumi vel in esse abstracto, & substantialiter, & sic dicit entitatem in potentia, vel potest sumi verbaliter,

ter, & sic est in actu, vel actu existens: ergo.

DEINDE alias admittit subdiuisiones, quas retulimus in tract. formalitatum.

QVÆSTIO II.

An Ens dicat vnum conceptum simplicem communem omnibus entibus in particulari, præcipuè Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti.

DIXIMVS Metaphysicum considerare primò ens vt sic, & deinde entia in particulari sub ratione tamen quidditatis, & essentiæ, & ob id agere de Deo, & creatis: hinc necessariò supponendum est adesse aliquam rationem communem istis particularibus entibus: Hinc quæritur: an hæc communitas sit tantùm nominis, & æquiuoca: an sit analogica: an vniuoca: an scilicet ens sit vniuocum Deo, & creaturis: Attulimus quidem aliqua ad hanc quæstionem spectantia in Logica agentes de analogia: tamen solutionem huius quæstionis remisimus huc: Hinc

PRIMA Opinio tenet ens esse merè æquiuocum tam respectu Dei, & creaturæ, quàm substantiæ, & accidentis, & nihil habere commune nisi nomen: Sic Aliqui apud Meldulam *disputat.* 2. *num.* 105. & respectu Dei, & creaturæ Pasqualig. *t.* 1. *disp.*28. *&* 29.

SECVNDA Opinio tenet esse purum analogum: sic Thomistæ ferè omnes.

TERTIA Opinio esse vniuocum reale absque vlla analogia permixta: Sic Arriaga *disputat.* 11. *Log. sect.* 4. *num.* 40. Ouied. Mair. & ex parte consentiunt Scotistæ plures admittentes veram vniuocationem cum præcisione reali, sed tamen admixtam analogiæ.

QVARTA Opinio admittit vniuocationem per conceptum factum ab intellectu admixtam cum vera analogia; sic Meldul. cum pluribus Aliis: Et hæc est germana Opinio Seraph. Doct. vt mox patebit: Pro solutione

733. PRIMÒ Aduertendum, quod cùm nobis incumbat explicare sensum germanum Seraph. Doct. oportet priùs explicare, in quo sensu admittat analogiam, & vniuocationem: item quisnam conceptus insit in ente vt sic: Hinc Supponendum, quod conceptus alius dicitur formalis: alius obiectiuus: primus est ipsa conceptio, seu proles, seu species expressa intellectus, per quam repræsentatur intellectui ipsum obiectum: vnde primariò importat cognitionem, secundariò ipsam rem conceptam, & dicitur conceptus per denominationem intrinsecam, quia est forma existens, & inhærens in ipso intellectu: Obiectiuus verò est ipsum obiectum vt mente conceptum, & ob id significat primariò rem ipsam, & secundariò conceptum per denominationem extrinsecam: Vterque autem conceptus vel est adæquatus, vel inadæquatus: Adæquatus est, quando perfectè præscindit absque vlla inclusione inferiorum, vt est in Sententia Seraphica conceptus substantiæ respectu inferiotum graduum prædicamentalium: est enim quid priùs ipsis, & cum formali distinctione inter ipsos gradus: Inadæ-

quatus verò est, quando non potest concipi superius absque inclusione saltem confusa inferiorum: idque potest esse vel ratione conuenientiæ inferiorum in aliqua realitate communi, vt Petri, & Pauli in humanitate, & hæc coincidit cum superiori conceptu adæquato, cùm perfectè à parte rei humanitas præscindat ab ipsis: vel per aliquam similitudinem, & proportionem saltem inchoatam, secundùm quam inferiora conueniunt: de qua duplici conuenientia agit S. Bonauent. *lib.* 1. *dist.* 25. *art.* 2. *quæst.* 1. *& aliis locis infrà citat.* Sed vt hæc vltima conceptio inadæquata rectè intelligatur, quomodò conueniat enti.

734. Secundò Aduertendum, quod, vt à nobis traditum est in Log. in Anteprædicam. Analogia est duplex (provt facit ad rem nostram) alia dicitur proportionis, alia attributionis: sic communiter DD. A Seraph. Doct. analogia proportionis appellatur conuenientia secundùm similitudinem tantùm, & hæc vel est realis *ex lib.* 1. *distinct.* 25. *artic.* 2. *quæst.* 1. vel est rationis *ex lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 5. Conuenientia autem *ex lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. alia est per vnius naturæ participationem: alia per comparationem; Prima facit vniuocationem: secunda analogiam: Hæc vel est per comparationem duorum ad duo, vt sicut se habet homo ad animal, ita albedo ad colorem, idest species ad genus; & dicitur propriè analogia proportionis, quæ analogia proportionis est vel metaphorica, vel propria, vt infrà dicemus: vel est per dissimilem comparationem duorum ad vnum, verbi gratià, animalis, & cibi ad sanitatem: nam in vno est verè forma sanitatis intrinsecè ipsum denominans, scilicet animal, in alio effectiuè tantùm, & per denominationem extrinsecam, & dicitur communiter analogia attributionis: & ab Aristot. 4. *Metaph. cap.* 2. dicitur ab vno, vel ad vnum: tertiò vel est secundùm comparationem duorum ad inuicem, scilicet cùm vnum est similitudo seipso alterius: sic imago in speculo est similitudo faciei tuæ: similitudo enim non conuenit consimili in tertio, sed seipsa: sic anima est similitudo Dei: anima est quodammodò omnia, scilicet per intellectum est similitudo eorum, quæ exprimuntur in ipso, & dicitur analogia imitationis: & hæc (ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *distinct.* 6. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2.) non importat identitatem, vel communitatem vnius naturæ in analogatis, sed tantùm conuenientiam, & proportionem ordinis: Addimus, quod, vt innuimus, analogia proportionis est duplex: alia extrinseca, & metaphorica, vt dicitur pes de animali, de scamnò, lectulo, &c. explicaturque per quandam metaphoram tali pacto; sicut se habet pes ad animal, ità pes ad scamnum: Alia propria, & intrinseca, in qua adest vera entitas in analogatis, quæ fundat proportionem intrinsecam, sicut est liberum arbitrium in Deo, & creatura: id enim, ait Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 25. *dub.* 3. importat conformitatem secundùm eandem naturam in Deo, & creatura non vnitate vniuocationis, sed analogiæ, & consimilis habitudinis, quæ inter Deum, & creaturam potest esse in Deo: addit *lib.* 1. *dist.* 7. *quæst. vltim.* quod eadem analogia est in ente respectu Dei, & creaturæ per reductionem ad vnitatem similitudinis proportionis, non naturæ, & quod

Digitized by Google

quod sic analogatur, non est inter alia: vnde distributio propriè pro illo non distribuit, nisi sit extensa, idest expressa, seu determinata, vel ampliata: sic est Deus in ente respectu creaturæ: hinc patet ens in Sententia Seraphica non esse vniuocum verum in ordine ad Deum, & creaturam, sed tantùm analogum analogia proportionis vera, & intrinseca, &c. vt diximus in Logica: Hic autem pro intelligentia sensus Seraphici duo moneo: primum est, quod *in loc. cit. lib.* 1. *dist.* 7. & clariùs *lib.* 2. *dist.* 25. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.* admittit analogiam cum vniuocatione admixtam, quando scilicet adest in omnibus analogatis eadem natura, sed cum ordine, & inæqualitate secundùm prius, & posterius: secundum est, quod in analogia proportionis per comparationem Dei, & creaturæ, licèt non detur vera communitas realis, vt est in Petro, & Paulo in humanitate, datur tamen communitas rationis: Sic *lib.* 1. *distinct.* 1. *dub.* 5. *& lib.* 1. *distinct.* 25. *artic.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. Ex quibus sequitur, quod non solùm analogata intrinseca, idest habentia vnam communem formam, sed etiam illa analogata proportionis, in quibus non adest quidem eadem forma, sed in quolibet diuersa, sed cum aliqua similitudine, vel mutua habitudine ad inuicem datur vnus conceptus communis præcisus vniuocus, licèt non cum perfecta vniuocatione, sed cum vniuocatione rationis, quod & in Log. in Anteprædic. *q.* 2. *&* 3. probatum est fusè à nobis contra Scotistas, & Thomistas.

735. Tertiò Aduertendum, quod præcisio conceptus ab inferioribus est duplex ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 27. *artic.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 1. *dist.* 34. *art.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 1. *dist.* 25. *art.* 2. *quæst.* 2. Alia est realitatis habentis à parte rei esse formaliter distinctum ab inferioribus, sic sunt gradus prædicamentales: Alia est realitatis habentis esse tantùm per intellectum: Et hæc etiam potest esse duplici modo, primo, vel est per imperfectam præcisionem, quatenùs conceptus non dicit aliquem gradum vel formaliter, vel virtualiter distinctum, sed est conceptus inferiora includens implicitè, & confusè secundùm proprias eorum rationes, solúmque præscindens ab explicatione, & expressione eorundem inferiorum: sic est Deitas à Deo, humanitas ab homine, sic rector nauis, & rector scholæ dicunt aliquam vnitatem analogam, & hæc potiùs stat cum æquiuocatione, & de hac hîc non est Sermo: secundo vel est conceptus præcisi cum fundamento in re, obidque distincti virtualiter tantùm importantis gradum superiorem ab intellectu efformatum, sicque dicit perfectam vnitatem conceptus obiectiui, & formalis virtualiter distincti: quo pacto dicimus ens esse abstractum per intellectum à Deo, & creaturis, & hoc pacto in Sententia Seraphica abstrahimus sapientiam, iustitiam, &c. à Dei Essentia.

736. Qvartò Aduertendum, quod hoc discrimen est inter vtramque abstractionem primam, & realem, & hanc vltimam, in qua interuenit distinctio virtualis: quod in prima reali abstractum est priùs suis inferioribus, priùs, inquam, prioritate naturæ, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, scilicet quod potest esse sine aliis, sed alia

non sine ipso : Non enim valet , est animal : ergo homo : bene autem est homo : ergo animal : & obid verè contrahitur per aliquam realitatem superadditam ; sic est genus in ordine ad species , & indiuidua , & facit compositionem : At abstractum vltimo modo est quid posterius ipsis inferioribus inadæquatè conceptis , quia abstrahitur ab ipsis iam in suo esse constitutis, & deinde per actum reflexum intellectus refertur ad eadem inferiora, simulque contrahitur per particulares conceptus , verbi gratiâ , ens per finitum , & infinitum , quæ prioritas est tantùm logica , seu secundùm consequentiam , non secundùm causalitatem , & hæc est communitas rationis , quam admittit Seraph. Doct. in analogia proportionis , per quam potest stare cum vniuocatione imperfecta , vt diximus loco citato in Logica : His positis

737. PRIMA CONCLVSIO : Ens vt sic habet in intellectu nostro vnum conceptum formalem, qui non repræsentat aliquid sub se contentum secundùm propriam eiusdem rationem : item & habet conceptum obiectiuum consimilem,qui est vnus, & præcisus importans gradum superiorem communicabilem inferioribus, si non ex natura rei, saltem secundùm rationem cum fundamento in re : Conclusio habet tres partes, nempè quod ens habeat conceptum vnicum superiorem formalem, & obiectiuum , & sit præcisus cum fundamento in re : & tota est contra ferè omnes Thomistas apud Meldulam *disp. 2. quæst. 1. per totam :* est tamen Seraph. Doct. Scoti, & Plurimorum Aliorum , & ferè communis. Quod sit Seraph. Doct.

PROBATVR ex eodem Seraph. Doct. qui *lib. 1. distinct. 1. dub. 5.* admittit communitatem rationis in ente respectu Dei , & creaturæ : ergo vnitatem conceptus formalis : & *lib. 1. dist. 8. part. 1. dub. 4. & lib. 2. dist. 3. part. 1. dub. 1.* notat, quod ens vt sic non dicit magis , & minus : in comparatione verò ad diuersas substantias , & naturas , vt ad Deum , & ad creaturas , recipit magis , & minus : igitur de se importat conceptum vnicum obiectiuum ; & idem repetit *ibid. lib. 1. dist. 8. dub. 6.* dicens, quod creatura comparata ad Deum vt tribuentem esse creaturæ est magis ens, quàm si non comparetur : comparata verò secundùm habitudinem æquiparantiæ , & proportionis, dicitur quasi nihil non in se , sed à proportione , sic ens vt sic dicit communitatem , & vnitatem conceptus tum formalis , tum obiectiui.

PROBATVR autem prima pars de conceptu formali , & simul obiectiuo : Vnitas conceptus formalis sumitur ex duplici capite , primò ex vnitate conceptus obiectiui : secundò ex experientia , quando experimur in tali conceptione intellectum non distrahi ad diuersa , sed magis vniri , sed dicendo ens vnitur intellectus in se , sicut cùm profert hominem , animal , &c. non sicut in prolatione vocis canis : ergo. Tum quia ens ex vi suæ impositionis non significat immediatè aliqua plura vt plura, sed ipsam generalissimam rationem , in qua plura conueniunt : ergo audito hoc nomine non distrahitur intellectus ad plura, sed magis vnitur.

738. PROBATVR secundò ex regula Scoti : Quotiescunque intellectus est certus de vno , & dubius

de

de duobus, tunc intellectus habet conceptum differentem d eo, de quo est dubius à conceptu de duobus, vt verbi gratiâ, si cogitando de vno fit certus, & cogitando de duobus fit dubius, alioquin esset simul certus, & incertus de eodem, quod est impossibile: sed intellectus potest certificari de aliquo, quod sit ens, & simul esse dubius, an sit Deus, an creatura, an substantia, an accidens: Sic Philosophi de primo Motore erant certi, quod erat ens; incerti, an esset Deus, an aliqua intelligentia creata, & tunc intellectus conceptus certus non cadit immediatè super Deum, & creaturam, sed tantùm super ens, & conceptus disiunctus dubius cadit super inferiora: ergo ens habet vnum conceptum formalem ab inferioribus.

PROBATVR tertiò ex virtute præcisiua intellectus: Quia intellectus noster potest res in plures resoluere conceptus vsque ad supremum determinabilem, & vltimum determinatiuum: hæc enim est vis abstrahentis intellectus ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 27. *artic.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim.* potest enim intellectus attingere res, provt conueniunt inter se, & provt differunt: sed vltimus conceptus, in quo omnia conueniunt, est ens: ergo & habet conceptum vnum formalem.

739. PROBATVR quartò: Quia conceptus formalis consistit in esse repræsentatiuo obiecti: est enim ipsius naturalis imago, sed non repræsentat conceptus entis rationes peculiares Dei, & creaturæ: ergo est diuersus: nam, vt rectè docet S. Bonau. *lib.* 1. *distinct.* 35. *quæst.* 1. omne cognoscens vt tale est simile obiecto cognoscibili: ergo habet in se eius similitudinem, vel ipse est similitudo.

ADDIMVS pro secunda parte Conclusionis: sed vnitati conceptus formalis necessariò debet correspondere obiectiuus, intellectio enim est alicuius rei intellectio: ergo vnitati intellectionis respondere debet vnitas termini.

CONFIRMATVR: Quia intellectus noster non potest simul attingere plura, vt plura sunt, sed tantùm provt in vnum conueniunt. Tum quia si conceptus formalis est vnus, & simul indifferens ad omnia inferiora, oportet & ipsum habere vnam, & eandem rationem in singulis inferioribus, alioquin non esset vnus in repræsentando, sed debet esse vnus non solùm in essendo, sed & in repræsentando: immò quia est vnus in repræsentando, est vnus etiam in essendo, quia specificatur ab obiecto: ergo. Et ad probationem maioris faciunt ea, quæ fusè tradidimus in Logica in tractatu formalitatum contra præcisiones formales.

DICES hæc argumenta probare vnitatem conceptus entis respectu creaturarum, in quo potest admitti sine vlla contradictione etiam ex Seraph. Doct. non verò per ordinem ad Deum, & creaturas: nam, vt dicit Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 8. *quæst. vltim.* Deus non est ens inter creaturas, idest nihil habens commune.

CONTRA ex eodem Seraph. Doct. *ibid. part.* 1. *dub.* 6. creatura comparata ad Deum vt creatorem habet esse: Deus comparatus ad creaturas habet

habet esse, licèt diuersum, scilicet infinitum: ergo conueniunt in esse, licèt per comparationem æquiparantiæ, & secundùm peculiares rationes sint entia diuersa: ergo nulla responsio.

Confirmatur ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. *&* *lib.* 2. *distinct.* 3. *citat.* Ens increatum comparatum enti creato dicitur magis ens, quàm creatum: ergo in aliquo conueniunt: quæ enim comparantur in tertio, comparantur in eo, vt in attributo vtrisque communi: non enim dicimus albedinem esse magis coloratam sono, quia color non habet aliquam communitatem ad albedinem, & sonum: ergo conueniunt in vnico conceptu tum formali, tum obiectiuo, & per hæc remanent solutæ rationes Pasqualigi admittentis hanc vnitatem in ente respectu substantiæ, & accidentis, non verò Dei, & creaturæ: eædem enim rationes idem probant.

740. Tertia verò pars superest probanda, scilicet quod talis conceptus sit perfectè vnus, & perfectè præscindens ab inferioribus modo explicato *in* 3. *Notab.*

Probatur igitur primò tum ex rationibus suprà allatis de conceptu formali, & obiectiuo, tum quia cùm cogito, an aliquid sit, vel non, tunc non inquiro, quomodò sit, scilicet an finitum, an infinitum, quia ad primum sufficit primus actus intellectus: ad secundum actus etiam reflexus, & comparatiuus: ergo perfectè præscindit ratio entis ab inferioribus.

Respondent Aduersarij includi in tali conceptu inferiora implicitè, & confusè.

Contra: Ergo explicitè est diuersus conceptus, vt patet in conceptu generis, sed per talem expressam conceptionem habet aliam vnitatem ab inferioribus: ergo.

Probatur Minor: Quia talis expressio fit per actum intellectus præscindentis perfectè ab inferioribus, vt diximus id patere in genere, quod formaliter in opinione Aduersariorum includit inferiora, & tamen perfectè præscindit ab ipsis ratione talis expressionis factæ ab intellectu cum fundamento in re: faciunt etiam pro probatione huius Conclusionis ea, quæ à nobis tradita fuere in Logica de analogia proportionis.

741. Secunda Conclusio: Ens vt sic, & vt perfectè præscindens non est vniuocum reale ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens: Est S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 1. *&* 8. *loc. cit. & lib.* 1. *dist.* 3. *citat. & lib.* 1. *dist.* 35. *quæst.* 1. *ad* 2. *& in corp. & lib.* 2. *distinct.* 16. *quæst.* 1. *& lib.* 3. *distinct.* 14. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. *& distinct.* 6. *quæst.* 3. *fund.* 4. vbi negat vniuocationem inter substantiam, & accidens: est & communiter Thomistar. & Scotist. contra Fabrum *Theor.* 94. Pontium *part.* 3. *disput.* 16. *n.* 11. Ant. Andr. 1. *Metaph. quæst.* 1. *art.* 3. Cannon. Bonet. Aliosque Scotistas asserentes conceptum entis fundari in realitate aliqua communi ex natura rei distincta ab inferioribus, non quidem subiectiua, vt est in naturis prædicabilibus contrahibilibus per varias differentias, sed subiectiua, quatenùs est nata ex natura rei terminare vnicum conceptum mentis, & nata contrahi non per varias differentias, sed per modos intrinsecos, & tales dicuntur esse realitates transcendentes.

Contra

Contra quos probatur nostra Conclusio primò: In Deo non datur vlla compositio: ergo non datur vlla realitas communis Deo, & creaturis distincta ex natura rei.

Probatur Consequentia: quia si datur talis ratio formaliter distincta, necessariò erit potentialis, & ob id contrahibilis per aliquid superadditum, sicque efficiet compositionem Metaphysicam.

Respondent negando Consequentiam ex eo, quod talis non est contractio vera, sed tantùm dici contrahi per modos intrinsecos, qui non sunt differentiæ contrahentes, sed quid idem realiter, & formaliter cum ipso ente: vnde cùm illa ratio entis non habeat potentialitatem subiectiuam, sed tantùm obiectiuam, hinc nec sequitur compositio.

Contra: Quia illa realitas præcisè secundùm eos est quid distinctum ex natura rei à Deo, & creatura, & ambobus communis, & obid nec de se est hæc: ergo est potentialis, ergo necessariò admittit compositionem Metaphysicam. Tum quia per potentialitatem obiectiuam vel intelligunt conceptum incompletum non habentem perfectam vnitatem nisi per opus intellectus, & sic idem Nos dicimus, vel intelligunt vnam realitatem habentem vnitatem perfectam ex natura rei communem ambobus, sicque non possunt euitare potentialitatem, & componibilitatem. Et ad id de contractione per modos

Respondetur ex Meldul. *cit. num.* 71. non tollere vim argumenti: nam contractio per modos est à posteriori, quia modi intrinseci sunt extra essentiam rei, ipsamque supponunt in esse: ergo antequam intelligatur infinitas in Deo, & finitas in creatura, præsupponitur illa ratio communis iam in ipsis contracta.

742. Probatur secundò à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 5. Diuisum est diuidentibus simplicius, idest ipsis partibus subiectiuis: sed Deo nihil est simplicius: ergo supra Deum non datur aliud superius commune.

Probatur tertiò: Quia nihil potest esse verè commune Deo, & creaturæ: opponuntur enim adinuicem per finitum, & infinitum, per esse à se, & ab alio, &c. ergo.

Probatur quartò: Non potest dari aliquid priùs ipso Deo: sed talis esset hæc realitas contrahibilis, nempè prior ipso constituto, scilicet Deo: ergo.

Probatur Minor: quia sic est priùs natura eo modo, quo est animal priùs homine, Leone, &c. habet enim in illo esse indifferentiam ad vtrumque, obidque & prioritatem non solùm Logicam, idest solius prædicationis, vt dicunt Aliqui Scotistæ, sed Metaphysicam: consequens est falsum: ergo.

Confirmatur, & magis vrgetur hæc ratio Seraphica: Si ens contrahitur per infinitatem ad Deum, & per finitatem ad creaturam, sequitur, quod cùm priùs contrahatur ad Deum totaliter, absorbeatur tota ratio entis ad Deum: infinitas enim est modus totalitatis.

Probatur quintò: Quia talis realitas nec esset creata, nec increata, participata, vel imparticipata de se, & in suo esse, sed id implicat: ergo.

Respondent concedendo sequelam, & negando minorem ex hoc, quod prædicata communia vt

sic

Digitized by Google

ſic præſcindunt à differentiis : ſic animal de ſe nec eſt rationale, nec irrationale : pari modo illa realitas nec eſt creata, nec increata.

CONTRA : Quia nihil poteſt concipi in Deo à parte rei exiſtens, quin participet eſſe increatum, & infinitum eſſentialiter, & intrinſecè ; ſic nec in creatura, quin participet eſſe creatum, & participatum non ſolùm identicè, ſed & formaliter, & non ſolùm cathegorematicè, ſed etiam ſyncathegorematicè, ideſt ſecundùm omnem ſuam formalitatem etiam quoad ſupremam, & infimam : ergo.

PROBATVR aſſumptum, & ſumo hanc realitatem communem, & peto, an in homine ſit creata, & participata : an non ? Reſpondent, quod non.

CONTRA, & peto, ſecundùm quam rationem in homine eſt participata, finita, & creata per ſe primo, & adæquatè ? Si dicas, quatenùs eſt in homine, vel cum humanitate, vel animalitate : ergo (infero) accidentia in homine non habebunt eſſe participatum, quia non haberent hanc rationem ſecum per ſe primo trahentem participationem : ſed conſequens eſt falſum : ergo prima ratio fundans dependentiam, & participationem eſt ipſiſſima ratio entis, quæ vt ſic conuenit creaturæ. Sed videatur Meldul. *cit.* qui has, & alias rationes fusè proſequitur, & probat hanc Concluſionem, & de more impugnat reſponſiones Scotiſt. doctiſſimè.

743. TERTIA CONCLVSIO: Ens vt ſic reſpectu Dei, & creaturæ eſt verè analogum analogia proportionis, & ſimilitudinis, ſimulque vniuocum ſecundùm noſtrum modum concipiendi cum fundamento in re : Eſt plurium Scotiſt. cum Meldul. *in Metaphyſ. diſput.* 2. *num.* 66. Et hæc eſt opinio germana Seraph. Doctoris.

NE autem fiat aliqua deceptio in Sententia Seraphica hîc, & vt pateſiat, quomodò diuersè ſentiat à Scotiſtis, & à Thomiſtis plutibus, de quibus videre eſt apud Complut. *diſput.* 11. *Log. quæſt.* 3. & Meldul. *in Metaph. diſp.* 2. *num.* 114. aduertendum, quod Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. explicat analogiam proportionis ſecundùm comparationem duorum ad duo, verbi gratiâ, ſicut ſe haber homo ad animal, ita albedo ad colorem : & ad rem noſtram ſicut ſe habet entitas ad Deum, ita entitas ad creaturam, id tamen non debet intelligi de analogia, ſeu ſimilitudine metaphorica, vt dicitur pes de animali, & de ſcamno, & de baſe lectuli : hæc enim eſt ſimilitudo potiùs metaphorica, quàm vera : at in hac analogia adeſt vera ſimilitudo, quæ fundatur quidem in vera entitate in ipſis inferioribus exiſtente, licèt poſteà ſint diſſimiles ſecundùm ipſorum proprias rationes, & in hoc ſenſu dicitur Deus ens non inter omnia : quia, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 25. *dub.* 3. liberum arbitrium, liberum, inquam, à coactione reperitur in creatura, & Deo conformiter (Nota ſequentia) & ſecundùm eandem rationem non conformitate vniuocationis (per quod nota excludere realitatem communem veram) ſed potiùs analogiæ, & conſimilis habitudinis, quæ inter Deum, & creaturam poteſt eſſe : & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. quod eſſe in comparatione ad idem ſubiectum non dicit magis, & minus, ideſt intenſionem, & remiſſionem :

Digitized by Google

nem: in comparatione ad diuersas substantias, & naturas magis, & minus dicunt gradum, & excessum, & sic est magis, & minus in ente respectu creaturæ, & creaturæ, in quibus excessus quilibet est finitus, & proportionabilis (verbi gratiâ inter substantiam, & accidens) respectu creaturæ, & creatoris est excessus improportionabilis, & infinitus: ex quibus patentissimum fit dari magis, & minus in entitate, seu in ente, & si comparatio fit inter Deum, & creaturam, est excessus infinitus, qui non tamen tollit, quod creatura non habeat proprium esse, & propriam entitatem: vnde ratione proportionis, & similitudinis adest conceptus communis in ente: quicquid dicant Meld. *cit. n.* 114. & Nos satis diximus in Log. & è contra, quicquid dicant Comp. *cit.* nitentes probare ex aduerso esse hanc communitatem entis secundùm metaphoricam proportionalitatem eo modo, quo dicitur pes de animali, & scamno: Ex quibus patet Seraph. Doct. non admittere solùm analogiam proportionalitatis, seu Metaphoricam, quam Seraph. Doct. appellat attributionis, vt dicitur de pede, nec item attributionis, vt admittunt Scotus apud Meldul. *cit. n.* 117. Aliique, sed tantùm proportionis, & similitudinis intrinsecæ.

744. Et hinc nostræ Conclusionis sic explicatæ prima pars probatur: Communitas entis vt sic non importat æquiuocationem, nec vniuocationem realem: ergo analogiam: Consequentia est clara, quia analogum est medium inter vniuocum, & æquiuocum. Probatur antecedens, & primò, quod non sit æquiuocum: quia si ens vt sic esset quid æquiuocum, non caderet sub vna scientia, scilicet Metaphysica, sed est obiectum Metaphysicæ, & ab ipsa consideratur: ergo. Tum quia si esset æquiuocum, nihil posset de Deo cognosci ex creaturis, quod est contra Philosophum, & rectam fidem dictantem inuisibilia Dei per visibilia conspici. Probatur consequentia: quia si ens est æquiuocum: ergo & alia prædicata communia entis: sicque arguendo ab his, quæ sunt in creatis ad Deum, interueniret semper fallacia: & hinc Seraph. Doct. in Itiner. Ment. *cap. 3.* acutissimè docet, quod ens considerari potest vt diminutum, & completum, vt in potentia, & in actu, vt secundùm quid, & vt ens simpliciter, vt ens in parte, & totale, vt ens transiens, & manens, vt ens per se, & per aliud, vt ens permixtum non enti, & vt ens purum: vt absolutum, & vt dependens: vt ens mutabile, & immutabile, vt ens simplex, & vt compositum, sed ens deficiens cognoscitur per ordinem ad ens perfectissimum, & viceuersa: Sic & *lib. 1. distinct. 3. part. 1. art. 1. quæst. 3. & lib. 1. distinct. 22. artic. 1. quæst. 3.* & pluribus aliis locis docet Deum cognosci in via per creaturas, quia in ipsis adest vestigium, vel similitudo Dei: ergo adest aliqualis similitudo imperfecta: ergo analogica. Tum quia si esset æquiuocum, non haberet passiones: passio enim naturam determinatam, & vnam sequitur, nec posset esse medium demonstrationis, quod est falsum: dicimus enim omne ens est bonum, Deus est ens: ergo bonum. Tum quia ex dictis ens habet vnum conceptum formalem, & obiectiuum: ergo. Quod verò non habeat vniuocationem realem,

Probatur ex Seraph. Doctore *lib. 3.*

lib. 3. distinct. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. quia inter Deum, & creaturam adest distantia infinita, sed hæc distantia est per recessum ab æqualitate, & participatione naturæ æternæ, & infinitæ, non verò per oppositionem ad conuenientiam secundùm rationem ordinis, & imitationis: ergo non habet vniuocationem, & *lib. 1. dist. 8. dub. 6. & 8.* creatura comparata ad Deum dicitur quasi nihil, non quidem in se, sed in comparatione: ergo non habet vniuocationem. Tum quia creatura imitatur quoad esse ipsum Deum.

PROBATVR secundò: Quia creatura habet esse à Deo participatum, ergo habet esse non quidem æquale: sed inæquale: ergo habet esse analogicum per ordinem ad esse Dei: ergo est similitudo analoga ex traditis *in 2. Notab.* quæ rationes probant proportionaliter eandem analogiam inter substantiam, & accidens.

745. PROBATVR secunda pars: Quia vniuocatio est compossibilis cum analogia, vt dictum est in Logica, & suprà in fundamento secundo: vel enim se tenet analogia ex parte æquiuocorum, vel ex parte vniuocorum ex traditis in Logica in Anteprædicamentis, sed ratio entis vt sic non est æquiuoca, vt probatum est, ergo se tenet ex parte vniuocationis.

PROBATVR consequentia: quia ad rationem vniuocationis sufficit vnitas, & identitas rationis correspondens nomini communi: sed hæc inest in ratione entis vt sic, & vt concepti ab intellectu in statu abstractionis factæ ab intellectu: id enim etiam potest conuenire alicui rationi in Diuinis existenti, & in creatis, vt in ratione personæ liberi arbitrij, & consimilibus, vt probat Seraph. Doct. *cit.* Tum quia si ens vt abstractum ab intellectu non potest recipere vniuocationem rationis, id maximè quia includitur in iisdem inferioribus secundùm peculiares rationes, sed id non impedit: ergo.

PROBATVR Minor, nam Maior admittitur: quia etiam si nulla adsit distinctio realis inter rationem entis, & rationes peculiares, adest tamen aliqua distinctio rationis, seu virtualis: ergo intellectus habet fundamentum ipsum concipiendi, & communem, & contrahibilem per modos peculiares: ergo: & eò maximè quia vniuocatio non consistit in indiuisibili, & ens recipit magis, & minus, vt dictum est ex Seraph. Doctore, & ex communi, nec qualibet similitudo est summa: ergo.

HINC superest soluere argumenta Aduersariorum contra primam Conclusionem.

OBIICIES primò: Ens est æquiuocum ad inferiora: ergo non habet vnitatem conceptus siue formalis, siue obiectiui.

PROBATVR antecedens: Conceptus entis omninò coincidit in omnimodam identitatem cum omni ratione particulari nullo pœnitus sibi addito; quicquid enim potest concipi additum, est ens: sed inferiora sunt omninò diuersa specie, immò & genere: ergo.

746. RESPONDETVR negãdo antecedens: Ad probationem respondetur ex Scoto, quod duplex est in determinatũ descendens ad inferiora, vnum quod descendit per aliquid additum, vt est genus: aliud est indeterminatum dicens totum, quod dicunt inferiora per modum totius, nec expectat terminari per aliud, vt species respectu

indiui

individuorum, quæ se totis conueniunt in specie, & in numero differunt: & hoc commune non descendit in inferiora per aliquid additum, taleque est ens respectu Dei, & creaturarum: At negatur hoc non habere vnitatem conceptus: nam licèt rationes particulares non differant à parte rei ab ipsa ratione communi, tamen differunt virtualiter: aliud enim est dicere ens, aliud esse à se, vel ab alio, per quas rationes intelligitur illud commune contrahi: nam, vt rectè docet Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 27. art. 1. quæst. 3. in corp.* si intellectus noster intelligit aliquid vt quod, necessariò exigit aliquam rationem, per quam intelligibile intelligitur, sicque exigit & quod, & quo; si igitur intelligit ens substantiuè, necessariò intelligit entitatem, & ipsum, quod eam habet, sicque ratio, qua est ens, scilicet entitas, est resolubilis: hinc patet fundamentum nostræ assertionis, in quo casu compositio, seu contractio non est penes obiectum, sed penes intellectum nostrum: & hoc pacto satisfit pluribus consimilibus obiectionibus factis contra nostram Conclusionem.

Obiicivnt secundò Thomistæ: Deus est ens per essentiam, creatura per participationem: ergo creatura intantùm est ens, inquantùm illud participat à Deo: ergo tota ratio entis in Deo reperitur: ergo non habet vnicum conceptum siue formalem, siue obiectiuum, vt est commune Deo, & creaturis. Probatur consequentia: quia ens prius totum immediatè descendit ad Deum, & mediatè ad creaturas: ergo in illo priori non habet conceptum communem.

Respondetvr Nos quidem admittere conceptum vnicum entis tum formalem, tum obiectiuum, sed non fundatum in aliqua realitate præcisa ex natura rei à particularibus entium rationibus Dei, & creaturæ: sed dicimus conceptum esse abstractum immediatè à realitatibus Dei, & creaturæ inadæquatè conceptis: vnde ex Seraphica doctrina *lib. 1. dist. 8. dub. 6.*

Respondetvr, quod creatura potest comparari ad Deum secundùm rationem influentiæ, & receptionis, scilicet quatenùs à Deo recipit entitatem: vel secundùm habitudinem æquiparantiæ, & proportionis: primo modo creatura est ens magis, quàm si non comparetur, quia verè habet entitatem: secundo modo potest dici quasi non ens, nempè comparatiuè.

Hinc licèt tota ratio entis sit in Deo, non tamen ita totaliter, & adæquatè, vt etiam non reperiatur in creatura per participationem, quæ participatio, & dependentia non tollit vnitatem conceptus entis vt sic, licèt cum aliqua inæqualitate inferiorum.

Dices: Intrinsecè ratio entitatis in Deo est imparticipata: In creatura participata: ergo non potest ab ipsis abstrahi conceptus, cùm sint differentiæ oppositæ.

Respondetvr concedendo antecedens, & negando consequentiam: licèt enim sint cum talibus modis à parte rei oppositis, tamen intellectus potest abstrahere rationem communem ab ipsis, vt probatum est.

Obiectiones contra secundam Conclusionem soluuntur.

747. Obiicies primò pro Scotistis contra secundam Conclusionem:

Ens vt sic supponitur omni actui intellectus, cùm sit eius adæquatum obiectum, & primum: ergo habet suam realitatem præcisam ex natura rei.

Respondetvr ens reale præsupponi actui intellectus: non autem ens abstractum: illud quidem est primum primitate originis, quia intelligitur vt verum, sed istud dicitur primum primitate adæquationis, idest ens siue reale verum, siue vt abstractum per opus intellectus potest concipi, & id non necessariò præsupponitur, sed est quid consequens ad opus intellectus.

Dices: Ergo erit ens rationis, si ipsi non correspondet realitas à parte rei.

Respondetvr iuxta tradita in tractatu de ente rationis *quæst.* 3. *in fine* quod solùm dicitur ens rationis id, quod aduenit per opus intellectus rei extra suum ordinem realem, & vt concipitur in aliquo attributo rationis, non sic tamen fit iste conceptus entis, quia abstrahitur ab intellectu agente à realitatibus Dei, & creaturæ, inadæquatè tamen, & confusè, non sub aliquo attributo rationis extra suum ordinem, per quem conceptum exprimuntur res, sicuti sunt à parte rei, licèt inadæquatè, & confusè: hinc non rectè infertur istam realitatem esse communem antecedenter ad opus intellectus: Sic Scotus *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. Trombet. *in formalit. & in Metaphys.* Lichet. *lib.* 1. *disputat.* 2. *quæst.* 2. & Meldul. *disput.* 4. *num.* 6. quare dicitur talis conceptus realis, quia exprimit realitatem verè existentem in rebus, importatque rationem obiectiuam formalem, per quam res omnes dicuntur reales: dicitur etiam conceptus rationis, quatenùs illa realitas est abstracta per intellectum: Sic & Thomistæ admittunt hanc doctrinam in conceptu generis respectu inferiorum.

Dices secundò: A parte rei non correspondet aliqua communitas in realitate illa abstracta: ergo est fictitius talis conceptus.

Respondetvr correspondere similitudinem fundamentalem, & virtualem, quatenùs scilicet realitas entitatis necessariò inuoluitur in conceptu quidditatiuo, quem habemus de Deo, & de creaturis.

Contra instant Faber, & Ant. Andr. *citat.* Impossibile est aliqua plura secundùm vnam, & eandem rationem omninò simul conuenire, & differre: similitudo enim, & conuenientia fundatur super vnitatem, & diuersitas super multitudinem, ait Aristot. sed Deus, & creatura realiter conueniunt in entitate, & realiter differunt: ergo si ratio entis à parte rei nullo modo differt à Deo, & creatura, sequitur Deum, & creaturam secundùm eandem rationem, & entitatem simul conuenire, & differre.

Nec satisfacit responsio Suarez dicentis posse aliqua realiter conuenire, & secundùm rationem conuenire: non satisfacit hæc responsio, inquam, quia Nos dicimus dari quidem conceptum communem abstractum per rationem, sed verè conuenire in realitate, obidque non esse ens rationis.

Respondet igitur Meldul. *disputat.* 2. *num.* 87. ex Trombeta 4. *Metaphys. quæst.* 2. *ad* 2. *princip.* posse primò diuersa in realitate conuenire in conceptu, & nos in tractatu formalitatum etiam idem diximus de differentiis: & Seraph. Doct. *lib.* 1.

lib. 1. *dist.* 25. *art.* 2. *quæst.* 1. admittit in personis Diuinis, quæ primò inter se differunt, aliquam communitatem vniuocam rationis: & *ibid. quæst.* 2. inter personas Diuinas, & creatas admittit analogiam cum aliqua vniuocatione, quatenùs important similitudinem non quidem æqualitatis, sed cum inæqualitate, & analogia: Vnde licèt ante operationem intellectus abstractiuam inter Deum, & creaturam non detur similitudo actualis, quæ dicat relationem realem, adest tamen fundamentum aptitudinalis conuenientiæ, quatenùs quodlibet illorum extremorum natum est causare conceptum communem ambobus quoad rationem essendi apud intellectum inadæquatè concipientem: Et hinc

RESPONDETVR ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 25. *citat.* quod aliqua plura secundùm vnam, & eandem rationem possunt simul conuenire, & differre, non tamen eodem modo: differunt enim Deus, & creatura actualiter, & conueniunt virtualiter, & aptitudinaliter: sic etiam persona, & persona differunt à seipsis primò per incommunicabilitatem, & conueniunt in hac eadem ratione: sic & differentiæ, &c.

ET si instas: Ergo idem omninò fundat conuenientiam, & disconuenientiam.

RESPONDETVR negando Consequentiam: nam conuenientia fundatur in similitudine fundamentali, & disconuenientia in propriis rationibus formalibus ipsorum.

OBIICIES secundò principaliter: Deus non est eo Deus, quo est ens: ergo ratio entis, & Deitas distinguuntur ex natura rei: habent enim istæ rationes diuersos effectus formales: Antecedens patet, quia cùm Deus, & creatura in ratione entis conueniant, sequeretur Deum esse Deum per id, quo conuenit cum creatura: Sed hoc est falsum, quia ratio entis inueniri potest in eo, quo non est Deus: ergo ex natura rei distinguuntur.

748. RESPONDETVR negando antecedens absolutè: Deus enim est eo Deus, quo est ens, & viceuersa, nec à parte rei distinguuntur istæ realitates vllo modo: Et ad id: ergo Deus erit Deus per id, quo conuenit cum creatura, negatur consequentia: non enim conuenit actualiter, sed virtualiter, & fundamētaliter tantùm, nam à parte rei sunt plures realitates, scilicet illa Dei, & illa creaturæ, licèt à parte rei intellectus inadæquatè concipientis sint vna, idest prout inadæquatè concipitur ratio entis, tunc non est eo Deus, quo ens: sed hinc non sequitur distinctio formalis: non enim habent Deitas, & entitas diuersos effectus formales, prout sunt adæquatè conceptibiles, scilicet per conceptus adæquatè exprimentes realitates à parte rei, sed tantùm prout sunt inadæquatè conceptibiles, quæ inadæquatio tollit distinctionem formalem, & ponit virtualem.

INSTANT denuò contra: Si eo Deus est, quo est ens: ergo à parte rei, quod ei conuenit, vel repugnat sub vna ratione, conueniet, vel repugnabit sub alia: Sed hoc est falsum: nam ratione Deitatis non conuenit finitas, & ratione entitatis conuenit, quia si non conueniret, nulli enti conueniret, quod est falsum: ergo sunt duæ realitates diuersæ ex natura rei.

RESPONDET Meldula negando conse

Digitized by Google

conſequentiam: Ratio eſt, quia cùm reduplicationis vis cadat tantùm ſuper illam rationem, quæ à parte rei, vel per opus intellectus eſt diſtincta ab alia, ſolùm iuuat inferre vnitatem, non verò diſtinctionem, niſi aliundè ei conueniat, & hoc maximè eſt verum in tranſcendentibus, in quibus ſtatim ac adhibetur reduplicatio, deuenimus ad rationes obiectiuè præciſas, non provt ſunt à parte rei, cùm talis reduplicatio in tranſcendentibus fiat tantùm in ordine ad noſtros conceptus inadæquatos, licèt in ſerie prædicamentali fiat in ordine ad conceptus adæquatos, quibus reſpondent diuerſæ realitates, ex quibus poteſt inferri diſtinctio ex natura rei: & hinc patet argumentum petere principium, eo enim quod aſſumit prædicata quædam repugnare Deo à parte rei ſub ratione Deitatis, quæ non repugnant ſub ratione entis, iam ſupponit rationem entis à parte rei præciſam à ratione Deitatis, de qua controuertitur.

749. Obiicies tertiò: Conceptus entis vt ſic pauciora dicit, quàm conceptus inferiorum: ille enim ſolùm gradum eſſendi dicit, iſta addunt determinatum modum eſſendi, ſcilicet vel à ſe, vel ab alio: ergo datur diſtinctio ex natura rei inter ipſos.

Respondetvr verum eſſe antecedens, provt ens concipitur inadæquatè: falſum, provt eſt à parte rei.

Obiicies quartò: Intellectus certus de vno, & dubius de duobus habet conceptus diuerſos diſtinctos ex natura rei, ſed intellectus poteſt eſſe certus, quod aliquid ſit ens, & incertus, an ſit finitum: ergo.

Respondetvr negando Maiorem, ſcilicet quod habeat conceptus obiectiuos diuerſos: nam dubietas hîc euenit ex parte intellectus inadæquatè concipientis.

Obiicies quintò: Conceptus entis eſt prior Deo, & creatura: ergo diſtinctus ex natura rei.

Probatvr antecedens: quia ab ipſo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia: non enim infertur rectè, non eſt Deus: ergo non eſt ens.

Respondetvr conceptum entis eſſe priorem conceptu Dei, non verò ipſo Deo, immò eſt abſolutè poſterior: & illa non conuerſio non infert prioritatem niſi logicalem.

Dices: Si ens eſt tantùm vniuocum per opus intellectus inadæquatè concipientis, & ob id illa realitas communis conſiſtit in conceptu confuſo, ſequitur, quod Deus non habeat talem vniuocationem, cùm careat tali conceptu confuſo.

Respondetvr concedendo totum, ſed tamen ipſum Deum cognoſcere noſtram vniuocationem eo modo, quo diximus de cognitione entis rationis.

Obiectiones contra tertiam Concluſionem ſoluuntur.

750. Obiicies primò: Nullum vniuocum ſaluatur in vno ſimpliciter, & in alio ſecundùm quid, & per habitudinem ſolam ad illud: vniuocum enim debet æquè participari ab omnibus vniuocatis: ſed ens dicitur ſimpliciter de Deo, & ſecundùm quid de aliis; ergo non poteſt eſſe vniuocum. Tum quia vniuocum perfectè præſcindit à ſuis inferioribus, ens autem ſolùm imperfectè, immò propriè nullo modo, cùm ſit quid poſterius vniuocatis: ergo.

Respondetvr ex doctrina S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 8. dub. 6.* alibi data: quod creatura abſolutè conſiderata, provt recipit eſſe à Deo, non

Digitized by Google

non poteſt dici ens ſecundùm quid, ſed abſolutè ens, nec illa particula ſecundùm quid eſt diſtractiua, ſed tantùm diminuens de perfectione entis: vnde argumentum probat tantùm non eſſe vniuocationem perfectam, ſed cum inæqualitate, & obid cùm importet perfectam præciſionem factam ab intellectu, vnitatemque conceptus, licèt ſit quid poſterius ipſis inferioribus: hinc negatur conſequentia.

Ratio eſt, quia ens poteſt conſiderari, prout contradiſtinguitur à nihilo, & in hoc omnia entia habent proportionem: vel prout eſt tale, & in hoc differunt: ſumitur autem primo modo, non ſecundo: hoc enim ſecundo modo dicit analogiam.

Obicies ſecundò: Vniuocum debet admittere id, in quo vniuocata conueniunt, & id in quo differunt, ſed ens vt ſic non poteſt hæc habere: non enim poteſt aſſignari aliquid, quod non includat rationem entis: ergo. Tum quia ſi haberet hanc præciſionem ab inferioribus, eſſet genus, quod eſt contra naturam tranſcendentium.

Respondent communiter, quod ad vniuocationem non eſt neceſſe, vt illud commune contrahi debeat per differentias oppoſitas, obidque poſſe dari vniuocum, quod non ſit genus, quod eſt veriſſimum: nam, vt diximus in Logica *cap. de gen. & differentia*, ad genus proprium requiritur, quod ſit realitas formalis formaliter diſtincta à differentiis contrahentibus, per quas fit compoſitio Metaphyſica, non verò id euenit in quocunque vniuoco: poteſt enim dari vniuocum præciſum, & adæquatè conceptum, quod in inferioribus diuerſificatur non per differentias formales, ſed per alias rationes in ipſo contentas, vt euenit in ente, quod abſtractum intelligitur contrahi ad Deum per eſſe à ſe, & ad creaturas per eſſe ab alio.

751. Et ſi quæras: quare genus verè contrahitur ad inferiora per realitates ſuperadditas facientes compoſitionem, & non ens, cùm etiam ipſum in ſtatu illo præciſionis importet communitatem, indifferentiam, & indeterminationem, & deſcendendo ad particularia ſuperadditur determinatio, & contractio?

Respondetur ex traditis euenire hoc diſcrimen, quia ens vt ſic non importat realitatem veram ex natura rei diſtinctam ab inferioribus, ſicut genus, ideò nec habet contrahi ad inferiora per realitatem diuerſam, quæ ſit differentia contrahens, ſed contrahitur, deſcenditque ad inferiora, vel per modum expreſſioris conceptionis alicuius inferioris ad ens: nam primò concipitur vt quid commune conceptu confuſo, & inadæquato: deinde fit applicatio eiuſdem ad Deum per eſſe ens à ſe, & ad creaturam, & per eſſe ens ab alio: Sic Suarez *diſp. 2. ſect. 6. num. 7.* & poteſt ſufficere hæc reſponſio: nam certum eſt, prout dicit conceptum implicitum, ens non importare modos, vel differentias, quia præſcindit ab eis, explicitè autem eas etiam importat: vel poteſt dici cum Scotiſtis, quod intelligitur contrahi per veros modos intrinſecos, qui ſunt eſſe à ſe, vel ab alio, vt volunt Scotiſtæ; negant enim modos formaliter includere rationem entis, ſed tantùm identicè, ſunt enim aliquid entis, tantùm: vel poteſt dici contrahi per diuerſos modos eſſendi, ſcilicet à ſe,

& ab alio, vt vult Seraph. Doct. & coincidit cum Scotistis, de quibus satis nos diximus in tractatu formalitatum, & abundè tractat Meldul. ad mentem Scoti, & quidem doctissimè in sua Metaphysica.

QVÆSTIO III.

Quænam sint principia Entis.

751. CVM scientiarum obiecta exigant principia tum incomplexa, seu in essendo, tum complexa, siue in cognoscendo: hinc de Ente, prout est obiectum Metaphysicæ, quæritur, quænam sint ipsius principia. Et licèt propriè loquendo ens vt sic, cùm sit quid simplicissimum, non habeat principia essendi, cùm abstrahat à principio, & principiato, & habeat conceptum simpliciter simplicem, obidque & irresolubilem in alios inferiores conceptus, tamen in latiori significatione etiam principia & complexa, & incomplexa adaptari possunt, quibus potest definiri, & cognosci: Hinc

PRIMA CONCLVSIO: Principia incomplexa entis (modo suprà notato) sunt essentia, & existentia, quæ duo à Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *quæst.* 2. appellantur nomine entis, & esse, additque *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* quod vnum dicit indiuisionem principiorum entis, scilicet esse, & existere: ergo secundùm Seraph. Doctorem habet principia: & *lib.* 1. *distinct.* 7. *quæst.* 1. notat, quod existentia est actus absolutus entis, siue essentiæ, quo ponitur in esse.

PROBATVR: Quia essentia, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 31. *part.* 2. *dub.* 4. dicitur ipsum ens, seu esse in abstracto, & in ordine ad se, scilicet quatenùs tale ens potest habere existentiam: vnde, ait *lib.* 1. *dist.* 5. *dub.* 3. essentia signatur quodammodò in ratione causæ, seu principij respectu entis: sed hæc est ordinata ad existentiam, quia hæc est id, ratione cuius res constituitur actu extra nihil: ergo habent ambæ rationem principij respectu entis: & hinc, ait Seraph. Doct. quælibet res dicitur constans ex essentia, & existentia. Tum quia essentia exprimit rei non repugnantiam ad existendum: ergo ambæ habent rationem principij, quodque suo modo etiam competit Deo.

753. SECVNDA CONCLVSIO: Ens etiam habet suo modo principia complexa, seu cognoscendi saltem à posteriori, habet enim proprietates, & principia, à quibus tales proprietates ortum trahunt: ergo & per hæc potest demonstrari ratio entis: & hæc sunt principia, quæ directè ad scientiam de ente spectant, quia per hæc proceditur à causis ad effectus, vel ab essentia rei ad passiones demonstrandas, quod & magis patebit infrà, vbi agemus de proprietatibus entis.

ADDIMVS, adsunt & alia principia incomplexa ducentia ad impossibile, suntque sequentia.

PRIMÒ impossibile est simul idem esse, & non esse: secundò quodlibet vel est, vel non est, vel de nullo simul potest vera esse negatio, & affirmatio: tertiò quicquid quandiu est, necesse est, vt sit: quartò quicquid habet esse, est verum, vnum, & bonum, & hæc sunt generalissima

principia

principia, quæ desumuntur ex totali obiecto Metaphysicæ: Alia sunt minùs communia, quæ de ente tantùm creato efferuntur, vt Totum est maius sua parte, si ab æquali æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia, quæ & consimilia etiam ab aliis Scientiis mutuantur à Metaphysica.

QVÆSTIO IV.

An prima principia sint naturaliter nota, ita vt sit impossibile ipsa negari ab intellectu aliquo.

754. SENSVS tituli est iste: an talium principiorum notitia sit nobis innata: an verò requiratur concursus experimentalis sensuum, ita quod vel sufficiat confusa perceptio terminorum ad habendam notitiam complexam, verbi gratiâ, totius, & partis in hac propositione, Totum est maius sua parte: vel etiam requiratur alia cognitio complexa experimentalis via sensuum habita, per quam apprehendantur extrema esse coniuncta in re, & in effectu.

PRIMA Opinio dicit nihil requiri denuò in intellectu, cùm talis notitia sit congenita cum anima: Sic Plato, & Platonici apud S. Bonau. *lib. 2. distinct. 39. artic. 1. quæst. 2. in corp.*

SECVNDA est D. Thomæ, Suessani, Iauelli 1. *Metaph.* Pluriumque Aliorum sustinentium intellectum esse tabulam ita rasam, vt requiratur perceptio terminorum, & notitia complexa connexionis ipsorum habita per viam experimentalem sensuum.

TERTIA Opinio est Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 39. art. 1. quæst. 1. & aliis locis infrà citat.* quam sequitur Scotus *in Metaphys. lib. 1. quæst. 4. & lib. 2. quæst. 1. & lib. 1. distinct. 3. quæst. 4. art. 2.* cum Scotistis, sufficere cognitionem confusam terminorum: Pro solutione

PRIMÒ Notandum, quod alia sunt principia omninò prima: alia secundaria: illa sunt propositiones per se notæ, propositiones maximæ, & dignitates, de quibus suprà dictum est: Secundaria verò sunt Conclusiones respectu primorum principiorum, verbi gratiâ, quodlibet corpus naturale est mobile, & ista sunt principia in scientiis particularibus, & ista necessariò cognoscuntur per experimentum sensuum, vt aduertit Seraph. Doct. *lib. 3. distinct. 14. art. 3. quæst. 2. ad 3. & 5.* dicens, quod ex multis sensibilibus fit vna memoria, ex multis memoriis vna experientia, & ex multis experimentis vnum vniuersale, quod est principium scientiæ, & artis: vnde quæstio procedit de principiis omninò primis.

SECVNDÒ Notandum, quod Arist. docet 3. *de an. t.* 14. animam nostram esse veluti tabulam rasam, in qua nihil est depictum: quam authoritatem explicat Seraph. Doct. *lib. 2. distinct. 39. art. 1. quæst. 2. in fine*, quod Arist. notanter dixit nihil esse depictum in anima, idest nulla est in ea species abstracta à rebus, vt dicitur esse in mente Angelorum, nec ipse docet in intellectu non esse aliquam speciem innatam, seu lumen congenitum ipsum inducens ad cognitionem primorum principiorum: Hinc

755. Prima Conclvsio: Prima principia generalissima non indigent experimento sensuum, seu experimentali cognitione complexa, per quam extrema videantur coniuncta in re, & in effectu, sed sufficit simplex terminorum apprehensio, vt intellectus eis assentiat: Est S.Bonauent. *loc. citat.* & aliis locis aliàs *cit.* in tractatu de Intellectu *num.*498. *&* 536.

Probatvr prima pars ex Aristot. 1.*post. t.*6. vbi ait, quod principia intantùm cognoscimus, in quantùm terminos cognoscimus: ergo sola terminorum cognitio sufficit. Tum quia termini primorum principiorum per se notorum talem habent identitatem, vt alter notus euidenter necessariò alterum includat, & ideò intellectus componens illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus componendi ipsos terminos, quorum est compositio, & etiam causam euidentem illius conformitatis: ergo non potest esse in intellectu apprehensio terminorum, & compositio eorum, quin stet conformitas compositionis ad illos terminos: si enim habet intellectus in se causam necessariam, & euidentem talis conformitatis, apprehendit necessariò simul & ipsam conformitatem: Sic arguit Scotus *lib.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 4. Tum quia non potest stare talis compositio terminorum absque veritate: ergo & absque conformitate respondente in intellectu: ergo non est necesse, vt cognoscatur in re talis compositio terminorum. Tum quia sequeretur posse esse simul in intellectu de eadem re opiniones repugnantes, nempè si cognitio primorum principiorum dependeret à cognitione sensuum experimentali.

Probatvr sequela: quia si quis faciat compositionem horum terminorum, totum est maius sua parte, ex ratione formali ipsorum intellectus cognoscit hanc propositionem esse veram: Sed quia non adest cognitio sensitiua, & experimentalis, potest intellectus dubitare, num vera sit illa complexio, sicque essent opiniones simul repugnantes in intellectu de eadem re, quod est impossibile, aliàs simul posset idem esse, & non esse. Tum quia in cognitione primorum principiorum sensus non concurrit vt causa, sed tantùm pro occasione, quatenùs scilicèt cognoscit terminos simplices per sensus: ergo ad assensum aliud non requiritur. Tum quia causa necessaria, & totalis respectu veritatis principiorum est sola complexio terminorum: ergo aliud non requiritur, alioquin id, quod est minùs certum, nempè cognitio experimentalis esset causa maioris certitudinis: Sit ergo Conclusio, quod prima principia sunt quidem nobis lumine naturæ nota, sed quia intellectus noster pro hoc statu dependet à sensibus in operari: hinc prærequiritur perceptio terminorum simplicium, & hoc pacto hæc cognitio dicitur ex præexistenti cognitione incomplexa, non complexa, solùm enim in cognitione Conclusionum prærequiritur cognitio complexa propositionum: Vide, quæ diximus in Logica *tract.* 9. *quæst.* 1.

Obiicies primò: Quia datur habitus primorum principiorum superadditus in intellectu, quo facilitatur ad assentiendum primis principiis: ergo non sunt naturaliter nobis nota, alioquin omnes homines essent

essent æquales in tali assensu: sed hoc est falsum: quia videmus aliquem faciliùs apprehendere, quàm alterum. Tum quia in omnibus principiis vltima resolutio stat ad experientiam ipsam, obidque & cognitionem sensitiuam.

756. Hæc Obiectio petit aliam quæstionem de habitu principiorum, an sint nobis innati, an acquisiti: In qua Aliqui docent esse nobis innatos: Alij esse acquisitos, quos omnes citat Meldul. *disp.*3. *num.* 25. sed pro prima Opin. citat S. Bonauent. absolutè, qui tamen distinguit de primis principiis vniuersalissimis, de Conclusionibus ex ipsis principiis deductis, quæ Conclusiones sunt principia secundaria, principia, inquam, in variis scientiis, & de primis docet dari habitus innatos tum in cognoscendis, tum in operabilibus: & de secundis docet dari habitus acquisitos, hinc conceditur totum argumentum de secundis, negatur de primis. Et ad id de resolutione ad experientiam sensibilem

Respondetur eodem modo: nam in primis principiis resolutio non potest fieri nisi ad terminos simplices: licèt valdè etiam possit adiuuare experientia, sed hæc non est necessaria.

Instat Pasqualigus: Prima principia sunt vniuersalia: ergo intellectus debet cognoscere ipsa esse vera vniuersaliter: sed non potest, nisi cognoscat, quod verificentur in particulari: ergo per experientiam: intantùm enim aliquid est verum in vniuersali, inquantùm est in singulari. Tum quia perceptio terminorum est perceptio singularis, ergo & à perceptione singularium dependet illa vniuersalis.

Respondetur admissa Maiori cum sua consequentia, & negando minorem de propositionibus vniuersalissimis: Ad probationem Respondetur, quod dupliciter potest nobis innotescere veritas vniuersalis, vel ex veritate agnita plurium singularium, vel ex ipsis terminis, non in singulari, & pro singularibus, sed vniuersaliter acceptis: de hoc secundo modo negatur Minor: de primo conceditur.

Addimus, vt dictum est, experientiam valdè iuuare ad talem cognitionem.

Obicies secundò: Habitum superadditum esse necessarium ad perceptionem omnium vniuersalium, tum ex Arist. qui loquens de habitu hoc superaddito non distinguit inter vniuersalia, & particularia, sed absolutè docet talem habitum versari circa prima principia: tum quia ratio, quare habitus principiorum distinguitur à scientia, est, quia versatur circa propositiones medio vacantes, & per se notas, quod æquè conuenit omnibus principiis: tum ex eo quia ex omnibus æquè deriuatur cognitio scientifica, & ad omnia requiruntur species intelligibiles: ergo pro omnibus requiritur habitus superadditus, vt per illum adiuuetur intellectus ad firmiter ipsis adhærendum, & determinetur ad cognitionem veri. Tum quia potest intellectus esse indeterminatus ad assentiendum illis, vt si termini non cognoscantur distinctè.

Ad has instantias omnes vnica distinctione Respondent, nempè verificantur omnia supra obiecta de habitu principiorum scientiarum particularium, sed non de primariis, quorum

rum euidentia habetur ex lumine innato, & ex ipsis terminis : Vnde, vt ait S. Bonauent. *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *fund.* 3. illa cognoſcuntur per medium, iſta abſque medio : & ad id de cognitione confuſa Reſpondetur etiam in tali caſu non impediri aſſenſum firmum intellectus : non enim, vt ait S. Doct. *lib.* 3. *dist.* 33. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim.* contingit vnquam intellectum errare circa principia notiſſima : licèt circa ſpecialia poſſit errare.

757. QVÆRES : an iſti habitus innati multiplices ſpecie ſint, an vnus pro omnibus cognoſcendis, & agendis ſufficiat?

COMPLVTENSES dicunt vnicum ſufficere : Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 39. *artic.* 1. *quæst.* 2. diſtinguit docens habitus cognoſcendorum, & operabilium valdè inter ſe differre : habent enim diuerſa obiecta formalia : Immò & ipſi habitus cognoſcitiui inter ſe ſpecie diſtinguuntur ob eandem rationem : licèt vnico nomine luminis iudicatorij explicentur.

QVÆRES ſecundò : quodnam ſit primum omnium principium inter complexa?

RESPONDETVR probabilius eſſe hoc : Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe : hoc enim eſt ita certum, vt non contingat circa illud errare, eſt & notiſſimum abſolutè independenter ab aliqua conditione, & impoſſibile eſt oppoſitum poſſe venire in mentem alicui, quæ ſunt conditiones, quas exigit Ariſt. *lib.* 4. *Met.* in principio omnium primo : Ex hoc autem principio oriuntur omnes propoſitiones veræ, de quo fusè tractat Meldula *diſp.* 3.

QVÆSTIO V.

De Proprietatibus entis in communi : An Ens habeat veras proprietates, & quænam ſint.

758. PRIMÒ Supponendum, quod ad hoc, vt aliquid ſit verè proprium, iſtæ ſequentes conditiones requiruntur, vt docent Suarez *diſp.* 3. *Metaph. ſect.* 1. Meldul. *diſp.* 4. *n.* 1. & communiter Alij cum Seraph. Doct. Prima, quod ſit aliquid verum, & reale, nam nihil non poteſt eſſe proprietas niſi defectiua, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 7. & 8. Secunda, quod aliquo modo diſtinguatur ex natura rei ab illo, cuius eſt proprietas : Tertia, vt adæquatè illi conueniat, & cum illo conuertatur : Quarta, quod non ſit de intrinſeca ratione, ſeu prima ratione formali eius, licèt promanet ab intrinſecis ſubiecti principiis : Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *quæſt.* 1. quatuor dictis proprietatibus addit quintam, quod ſit ratio innoteſcendi ſubiectum, quia per ipſas explicatur perfectio eiuſdem ſubiecti : Hinc diſquirunt, an habeat verè proprietates cum dictis conditionibus.

PRIMA Opinio negat Ens habere aliquas proprietates veras : Sic Aureolus *lib.* 1. *diſp.* 2. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 12. Niger. Aliique negantes Metaphyſicam eſſe veram ſcientiam eo, quod ſi eſſet ſcientia, etiam de ente demonſtraret paſſiones.

SECVNDA Opinio admittit aliquas proprietates in ente, ſed eas vult eſſe diſtinctas tantùm ſecundùm

dùm rationem, non ex natura rei: Ita Iauellus, & plures Thomistæ, quorum tamen Alij dicunt esse quædam attributa (non proprietates) quæ vel per negationem solam, vel per extrinsecam relationem explicentur, quia sunt omninò idem cum ente: Sic Hurtad. Arriaga, Pasqualigus, Aliique cum Suar. *cit.*

Tertia Opinio asserit esse veras, & rigorosas proprietates suprà positis conditionibus affectas; Ita Scotus, & Sequac. quibus præiuit Seraph. Doct. vt mox patebit: Pro solutione quæstionis

759. Primò Notandum, quod tota difficultas in hac quæstione est intelligere, quomodò ab ente possint promanare passiones, & proprietates, cùm ipsum non habeat esse de se distinctum à rebus particularibus, sed imbibatur in ipsis intrinsecè: aduertendum tamen est, quod passiones alio modo intelliguntur emanare à naturis prædicamentalibus, alio modo ab ente; nam naturæ prædicamentales habent suum proprium esse physicum, vt corpus, viuens, &c. hinc ad positionem Physicam ipsarum & pullulare intelliguntur suæ proprietates: ens verò cùm non habeat esse diuersum ab entibus particularibus, nec importet vnam realitatem præcisam à rebus: attamen cùm importet vnum conceptum realem, vt suprà dictum est, hinc & ratione talis realitatis existentis in rebus ab ipsa emanare proprietates dicuntur.

Secundò Notandum ex traditis in formalitatibus, quod aliquid potest includi in aliquo essentialiter, & tamen ab ipso distingui formaliter, ita quod licèt sint idem realiter, & essentialiter, tamen inter se important aliquam distinctionem realem, idque potest esse pluribus modis, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.*1. *distinct.* 3. *part.*2. *art.*1. *quæst.* 3. *ad* 1. *& lib.*2. *dist.*24. *part.*2. *q.*1. *ad* 1. sic proprietates includuntur essentialiter in subiecto, & tamen distinguuntur formaliter: sic & potentiæ in anima: His positis

760. Prima Conclusio: Ens habet veras proprietates, easque distinctas formaliter: Est S. Bonau. pluribus locis, præcipuè *lib.* 2. *dist.*1. *part.*1. *art.* 3. *quæst.* 2. *in corp. in fine*, *& part.*2. *dub.* 2. *& lib.*1. *dist.* 3. *citat. & ibid. part.* 1. *dub.* 6. est & communis Scotistarum.

Probatvr Prima pars tum ex Aristot. qui in Metaphysica considerat ens, & eius proprietates: ergo supponit ens ipsas habere: alioquin ens non posset statui obiectum adæquatum Metaphysicæ: non enim possent formari demonstrationes de ipso: ergo.

Probatvr secundò: Quia si verum est vnum quodque ens esse verum, vnum, bonum: ergo sunt proprietates reales. Tum quia vnitas, veritas, & bonitas reperiuntur in qualibet re, sed ista sunt prædicata transcendentalia: ergo ipsis insunt ratione entis transcendentalis. Tum quia si essent quid merè effictum ab intellectu, vt docent Aliqui, deberent effingi ad similitudinem alicuius veræ vnitatis, quod est falsum. Tum quia sunt de perfectione entis: ergo. Tum quia in his relucet ratio vestigij in creatura respectu Dei, cui assimilantur res, & referuntur: ergo sunt veræ, & positiuæ: Sic arguit Seraph. Doct. *cit.*

761. Probatvr Secunda pars, quod sint diuersæ plus quam per intelle

intellectum ex S. Bonauent. *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *in fine corp.* vbi docet vnitatem, bonitatem, & veritatem respectu entis differre plusquam secundùm nostrum modum concipiendi, sed ratione, & habitudine, quæ ratio cum habitudine est ad aures Seraphici Doct. idem ac formaliter, vt aliàs à nobis traditum est: dicunt enim habitudinem essentialẽ ad ens vt ad subiectum originale. Tum quia *ex lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *dub.* 2. vbi ait, quod esse, seu ens non potest intelligi absque bonitate ab intellectu perfectè intelligente, & comprehendente, sed benè imperfectè apprehendente, & semiplenè resoluente: de quo vide *lib.* 1. *dist.* 28. *dub.* 1. sed potest intelligi aliquid absque eo, quod intelligatur aliud, quod non est ei ratio intelligendi: sic subiectum sine passione, & causa sine effectu, taleque est ens respectu proprietatum, ergo. Tum quia id, quod præcedit natura, potest intelligi, & habet conceptum obiectiuum distinctum ab inferiori, & consequente: sed tale est ens respectu proprietatum: ergo.

PROBATVR antecedens: quia antequam concipiantur, potest intellectus abstrahere ens vt sic ab ipsis absque eo, quod ipsæ in ipso includantur: ergo habent conceptus obiectiuos adæquatos, similiter & ens vt sic. Tum quia dicunt diuersas formalitates: ergo & formaliter distinguuntur. Tum etiam quia, vt rectè arguit Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 1. *quæst.* 1. si nulla esset distinctio inter essentiam, & veritatem (idem dic de cæteris) essetque tantùm per intellectum, æquè posset dici, essentia est proprietas veritatis: & hinc ait Seraph. Doct. dicimus in Diuinis veritatem esse proprietatem essentiæ Diuinæ, licèt non distinguantur inter se à parte rei ratione imperfectionis, sicut in creaturis, quia ex hac diuersitate transferimus remotis imperfectionibus ad Deum similes loquutiones.

OBIICIES primò ex S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 38. *cit.* Non potest intelligi vllo modo aliquid non intellecto eo, quod est ei ratio intelligendi sed verum est ratio intelligendi ens: ergo ens non habet conceptum obiectiuum distinctum à vero: sed non est maior ratio de vero, ac de cæteris proprietatibus: ergo.

762. RESPONDETVR ex traditis *de an. tract. de intellectus obiecto quæst.* 3. quod veritas in ente potest sumi absolutè, & potest sumi respectiuè, scilicet per ordinem ad intellectum, quem habet mouere, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 4. *distinct.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* hoc secundo modo est ratio conformatiua ipsius intellectus ad ens, sed tamen non sequitur, quod antecedenter ad talem conformitatem non habeat in se, & secundùm se suam intelligibilitatem aptitudinalem, & in hoc sensu præscindir à quocunque vero: vnde in hoc primo signo haber suum conceptum proprium obiectiuum, cui si consequitur actualis conceptio, tunc resultat veritas in intellectu: sed hoc pacto hîc non sumitur veritas proprietas eiusdem entis, nisi secundariò: nam veritas vt proprietas primaria entis dicit præcisè indiuisionem entis ab actu absoluto, seu ipsius principiorum, scilicet entis, & esse cum relatione aptitudinali ad intellectum: & hoc pacto verum est quidem ratio conformitatis actualis intellectus cum ente, cui

cui tamen præcedit aptitudinalis, quæ est passio entis: sic & risibilitas aptitudinaliter sumpta est passio entis, radicaliter est idem formaliter cum ente, actualiter verò est quid diuersum realiter, & illa aptitudinalis est ratio, quate homo ridet.

OBIICIES secundò: Si istæ proprietates sunt reales: ergo in suo conceptu formali includunt ens, ergo non distinguuntur ex natura rei.

RESPONDETVR esse reales, quatenùs non sunt quid efformatum ab intellectu: & negatur consequentia: non enim sequitur, quod in suo formali conceptu includant ens, cùm sint reales tantùm per identitatem realem, ob quam dicuntur extra nihil: vnde formalitet sunt tantùm aliquid entis, non ipsum ens, & sic deficiunt à ratione entis: Sic Meldula *disp.* 2. *num.* 211. Et hinc Seraph. Doctor *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. *&* 4. dicit, quod veritas, & bonitas distinguuntur secundùm rationem, idest, conceptum obiectiuum iuxta dicta *lib.* 1. *distinct.* 26. *quæst.* 1. *ad* 2.

DICES: In sua ratione formali vel sunt nihil, vel sunt ens: non primum: ergo secundum: ergo falsa responsio. Tum quia ens est quid transcendens imbibitum essentialiter in omnibus inferioribus: ergo essentialiter includunt eas.

RESPONDETVR in sua ratione formali esse ens, sed identicè tantùm, quia sunt aliquid entis, sic negatur Consequentia: & ideò conuertuntur cum ente identicè tantùm, non formaliter: Ad aliam rationem Respondetur transcendentiam entis non sumendam esse ex eo, quod per propriam rationem formalem in omnia imbibatur, ita quod formaliter sint entia, sed ex eo quod omnia à nihilo distinguuntur, quatenùs intrat in omnia vel per identitatem formalem, vel realem: primo modo penetrat omnia singularia: secundo modo intrat in modis, & differentiis vltimis, qua ratione huius identitatis realis distinguuntur à nihilo: Sic Meldula *cit. disp.* 3. *num.* 19.

OBIICIES tertiò: Ens, vt præscindit à Deo, & creaturis, habet esse tantùm per opus intellectus; ergo & proprietates.

RESPONDETVR, quod in sensu argumenti, si sumitur ens vt quid conceptum ab intellectu tantùm, sic conceditur totum: non enim vt sic habet proprietates reales, sed dicimus ens de se dicere ipsam essentiàm absolutam, & importare aliquid superadditum, provt dicitur vnum, bonum, & verum, nempè comparationem, & habitudinem, vt dicit Seraph. Doct. sic dicimus habere diuersum conceptum ab ipsis, quæ distinctio tamen est omnium minima, & aptiori vocabulo appellanda esset distinctio virtualis cum fundamento in re: pro quo vide quæstionem de distinctione virtuali.

763. SECVNDA CONCLVSIO: Proprietates incomplexæ entis sunt tantùm tres, scilicet vnum, verum, & bonum: Sic cum communi ex Arist. S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *dub.* 6. *&* *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. *&* *lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. *&* *lib.* 4. *distinct.* 14. *cit.* & Itiner. Ment. *cap.* 3.

PROBATVR ex Seraph. Doct. *cit. lib.* 4. Quia quicquid est ens, dicit rationem absolutam essentiæ, sed ad hanc consequitur indiuisio principiorum; ergo importat vnitatem:

Item sequitur conformabilitas in intellectu ipsum ens apprehendente, & discernente ab aliis: ergo verum: Item consequitur relatio ad finem proprium secundùm conuenientiam, & ordinem: ergo importat bonitatem. Tum etiam quia per hæc tria exprimitur vnitas, veritas, & bonitas entis Diuini, in quibus est conformitas vestigij in qualibet creatura.

ADDIMVS tamen has rationes esse potiùs à posteriori: nam à priori non potest assignari ratio conuincens, cur tres solùm sint passiones simplices.

DICES cum Auuic. debere etiam addi aliquid, & res, & cum Guarino etiam perfectionem entis: ergo non sunt tantùm tres proprietates.

PROBATVR antecedens Auuicennæ: Quia res præscindit ab essentia, & existentia, & Aliquid significat aliud quid: ergo importat aliquid distinctum ab ente: Et cum Guarino Perfectio entis superaddit enti, quicquid exigitur in ente, sed ens vt sic dicit quid imperfectum: ergo perfectio addit aliquid: nam perfectum dicit aggregationem omnium partium in vnum exigitam.

RESPONDETVR primò ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 25. *dub.* 3. quod si res sumitur à reor, reris, significat actum animæ, à ratus, ta, tum, significat ipsam essentiam rei in recto: sic & *lib.* 1. *dist.* 41. *art.* 2. *quæst.* 1. *fund.* 2. Vnde dicit formaliter id, quod contradistinguitur à nihilo, & ab ente rationis: Idem & dicitur de aliquid, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 7. *dub.* 3. nam inter aliquid propriè sumptum, & nihil non cadit medium: Ad id de perfectione Respondetur ex Seraph. Doctore *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. quod perfectum abstrahit à totalitate, & integritate, & ideò competit rei à sua forma dante esse, & competit enti secundùm suum proprium esse primum: & si aliquid superaddit, coincidit cum bonitate: Sic S. Bonauent.

DICES: Quod sex sunt transcendentia, Ens, res, aliquid, vnum, bonum, & verum: ergo ens habet plures proprietates, quàm tres.

RESPONDETVR sex esse transcendentia, idest varios modos explicandi ipsa transcendentia, quæ tamen coincidunt vel cum ente, vel cum dictis tribus proprietatibus.

764. TERTIA CONCLVSIO: Vltra proprietates in complexas dantur etiam aliæ complexæ: Est communis cum Seraph. Doct. *Serm.* 4. *Hexaëm.* qui præcipuè sex diuisiones entis assignat, nempè in ens substantiam, & accidens, in ens vniuersale, & particulare, in ens potentia, & actu, in ens vnum, & multa, in ens simplex, & compositum, in ens causatum, & causam, & in Itiner. Ment. *cap.* 3. aliam diuisionem assignat, scilicet entis in actum, & potentiam, in idem & diuersum, in necessarium, & contingens, in caducum, & æternum, in finitum, & infinitum, in vnum, & multiplex, in mobile, & immobile, in verum, & falsum, in bonum, & malum: aliaque membra commemorat, quæ ad ista dicta reducuntur, & per se patent: quia quicquid potest euenire enti, necessariò ad aliquod ex membris assignatis debet reduci.

VNVM tamen hîc moneo, quod licèt communiter assignentur ista membra enti cum disiunctione, significant tamen aliquam vnam passionem

Digitized by Google

fionem innominatam communem omni enti, quam tamen duplici vocabulo ob vocabulorum penuriam numeramus.

Dices cum Suarez istas non esse proprietates, sed solùm membra diuidentia: quia vel essentialiter contrahunt ens vt totum ipsum constituendo: vel non conueniunt enti nisi vt contracto, obidque secundùm speciales rationes, non vt ens est.

Respondet Meldula *num.* 30. istas proprietates posse sumi vel separatim, vel simul sub disiunctione: si primo modo, certum est competere enti determinato, sic enim sumuntur pro substrato, & materiali: vel sub disiunctione simul, idest totum disiunctum simul, & formaliter: sic negatur non esse passiones entis: Ratio est, quia sic sumptæ nullum aliud subiectum commune, cui primò insint, potest assignari præter ens vt sic.

QVÆSTIO VI.

Quid sit Vnitas, Veritas, & Bonitas Entis.

765. Plvra diximus de vnitate in tractatu formalitatum: item & de veritate, & bonitate in tractatu de Intellectu, & Voluntate: Vnde hîc pauca supersunt dicenda: Hinc

Prima Conclvsio: Vnitas importat realitatem distinctam ab ente positiuam: Est S. Bonau. *lib.* 1. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 1. & Scoti, & Sequac.

Probatvr: Quia vnum dicitur, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: sed id habetur ab eodem principio, à quo habetur ens, & hoc est quid positiuum. Tum quia vnum dicit perfectionem: ergo & positionem. Tum quia nulla priuatio præcedit habitum: ergo si vnum explicatur per priuationem multitudinis, præsupponit rationem positiuam. Hæc Seraph. Doct. *cit.* quæ fusè explicauimus in tractatu formalitatum, ibique remitto benignum Lectorem: Vnumque hîc moneo, hîc esse sermonem de vno vt sic, non de vno in particulari: sic enim abstrahit à composito, & à simplici: à capaci diuisionis, & indiuisionis, vt diximus de Ente.

766. Secvnda Conclvsio: Veritas est proprietas entis absoluta cum relatione aptitudinali ad intellectum, cui est sui manifestatiua, quantum est de se siue motiuè, siue solùm terminatiuè: Est Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & Serm.* 5. *Hexaëm.* vbi distinguit de triplici veritate, scilicet rerum, vocum, & morum: De prima autem est hîc sermo: Et *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *& part.* 2. *q.* 1. *ad* 1. docet veritatem esse priuationem diuisionis principiorum entis, scilicet entis siue essentiæ, & existentiæ: existentia enim est actus essentiæ *lib.* 1. *dist.* 7. *quæst.* 1. importat & positionem imitationis, & expressionis: vnde cum essentia dicat quid absolutum, veritas dicit conditionem entis, idest quatenùs est eiusdem entis manifestatiua: Addit *ibid. quæst.* 1. quod veritas potest considerari in ordine ad subiectum, quod informat, ad principium, quod repræsentat, & ad intellectum, quem mouet: primo modo veritas est in-

re vt in subiecto, est enim indiuisio entis, actus, & potentiæ, idest essentiæ, & existentiæ: secundo modo verum est in rebus ipsis, quæ si sunt creatæ, repræsentant Diuinum esse: si in ente increato, exprimit ipsum esse Dei: tertio modo est in rebus causaliter, quatenùs potest causare veritatem in intellectu, & hoc modo est obiectum intellectus: sic enim est ratio cognoscendi rem, & eam ab alia distinguendi: Hinc patet veritas Conclusionis, nempè consistere in indiuisione principiorum entis per ordinem ad intellectum: Vide S. Bonauent. *in Eccles. in Proœm. §. Ad intelligentiam prædictorum*, &c.

PROBATVR Conclusio: Quia sicuti veritas in repræsentando explicatur per conformitatem actualem ad rem cognitam, ita veritas in essendo ex opposito per conformitatem aptitudinalem ad intellectũ: tum quia veritas est ratio manifestatiua rei: ergo per ordinem ad intellectum: Et hinc sequitur, quod veritas est in re, vt in causa, & fundamento, in intellectu vt in subiecto modo infrà explicando, & in voce vt in signo: sed quia non datur veritas creata, quæ non sit permixta cum falsitate, scilicet cum potentia ad non esse: hinc propriè desumitur hæc per ordinem ad intellectum Diuinum, à quo oritur omnis veritas: per quam positionem Seraphicam conciliantur diuersæ opiniones inter se pugnantes: nam Aliqui dicunt desumi veritatem per ordinem ad Ideas Diuinas, quod & Seraph. Doctor admittit, sed tamen veritas vt sic non est passio entis, cùm solùm conueniat enti creato: Alij per conformitatem eiusdem rei ad sua principia, quod & Seraph. Doct. admittit: sed nec hoc pacto est proprietas entis, sed potiùs ipsa entitas, quæ intantùm dicitur talis, inquantùm verè est talis ex suis principiis: quare superest dicere consistere in conformitate rei ad sua principia, quatenùs superaddit conditionem, scilicet manifestabilitatem in ordine ad intellectum, sicque competit cuicunque enti, & soli. Patet etiam falsitatem esse priuationem indiuisionis principiorum imitationis, & manifestationis: Sic Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 8. cit.*

767. TERTIA CONCLVSIO: Bonitas est proprietas positiua entis distincta, quæ consistit in perfectione entis cum conuenientia vnius rei ad aliam cum ordine ad appetitum, quem habet mouere, & terminare: Sic Seraph. Doct. *lib. 4. distinct. 14. citat.*

PROBATVR; Quia per indiuisionem principiorum entis, & eorum, quæ ad ipsum sunt necessaria, consequitur perfectio bonitatis entis in se, & hinc resultat conuenientia vnius rei ad aliud, verbi gratiâ, sapor ad cibum, dulcedo ad mel, & quia intrinsecè includit relationem ad appetitum, hinc in his tribus consistit perfecta bonitas, & hoc pacto superaddit ad ens aliquid: Hincque Seraph. Doctor dixit *lib. 1. dist. 1. dub. 14.* quod bonitas est dispositio causæ, in quantùm causa est, & disponens ad actum, quia cùm bonum sit sui communicatiuum, de sui ratione importat communicabilitatem, importat etiam voluntatem, quæ duo ponunt effectum in actu, habet & esse dispositionem generalem entis importantem respectum ad finem, & per consequens ad appetitum. Et hinc etiam cõciliantur diuer-

sæ

ſæ opiniones, quæ ſecundùm Ipſorum varia principia collocant rationem bonitatis modò in vna, modò in altera ratione: hæ enim omnes includuntur in ratione bonitatis: ſed tamen ratio diſtinguens eſt illa relatio, quam importat ad appetitum, vt docet S. Bonauent. *lib.* 4. *diſt.* 14. *cit.* quia bonum eſſentialiter eſt appetibile, cùm eſſentialiter importat conuenientiam, & communicabilitatem, & hoc pacto conuertitur cum ente.

Dices: Dantur actus, qui ſunt eſſentialiter mali: ergo carent bonitate, & tamen ſunt entia.

Respondet Seraph. Doctor eſſe malos in genere moris, non verò naturæ: ſic *lib.* 2. *diſt.* 41. *quæſt.* 1. *& ſeq.*

Quæres: an bonitas moralis ſit ſpecies bonitatis naturæ, ſeu entis, ſeu tranſcendentalis?

Respondetur ex S. Bonau. *cit.* negatiuè: Bonitas enim moralis non definitur ex entitate actus, ſeu entis, ſed per ordinem tantùm ad obiectum à ratione propoſitum vt conforme ipſi rectæ rationi.

Hic autem ordo doctrinæ exigeret, vt de proprietatibus complexis, & præcipuè de Identitate, & diſtinctione, de actu, & potentia fieret inquiſitio: Sed quia de his abundè egimus in tractatu formalitatum, hinc ab hac conſideratione ſuperſedemus: Solùm ſupereſt explicare, quid ſit eſſentia, & exiſtentia entis, & qualiter differant: Hinc ſit

QVÆSTIO VII.

De Eſſentia, & Exiſtentia quid ſint, & quomodò differant.

768. Svpra diximus eſſentiam, & exiſtentiam eſſe principia entis: Hìc autem quærendum eſt, an ſint duo principia diſtincta ita, quod poſſit ineſſe rebus eſſentia abſque exiſtentia, nempè an ab æterno res habeant aliquam eſſentiam in Deo: an verò ſint propriè nihil: & quomodo diſtinguantur inter ſe: Pro quorum intelligentia

Primò Notandum, quod licèt Aliqui impingant Scoto ipſum aſſeruiſſe creaturas habere aliquod eſſe diminutum medium inter ens reale, & rationis, in Deo attamen id falsò imponitur Scoto, vt fusè probat Meldula *in Metaph. diſp.* 8. *num.* 1. *& ſeq.* ſed circa hoc punctum difficultas tota reducitur ad hoc, quodnam eſſe habeat creatura in ſtatu puræ poſſibilitatis: & deinde poſtquam exiit ſuas cauſas, qualiter differant eſſentia, & exiſtentia.

Et circa poſſibilitatem: Henric. Gabr. Hurtad. Aliique explicant rerum poſſibilitatem per denominationem poſſibilis ſumptam à Diuina Omnipotentia; eo ipſo enim, quod poteſt aliquid producere, illud dicitur poſſibile: vnde aliquid dicitur poſſibile per ordinem ad ſuam cauſam, ſcilicet Omnipotentiam Diuinam, & dependenter ab ipſa: in quo ſtatu tamen res poſſibilis non poteſt dici ens reale, ſed potiùs non ens: Sic apud Meldulam *diſp.* 8. *n.* 27. 35. *&* 45.

Secvnda Opinio est Scoti admittentis possibilitatem Logicam in creatura, etiam præcisâ quacunque potentia Dei: vnde earum possibilitas intrinseca desumitur ex naturis rerum, extrinsecè verò, & principiatiuè ab intellectu Diuino, in quo statu dicitur ens verum, & reale: Quid sentiat Seraph. Doct. infrà aperiemus.

Et quoad essentiam, & existentiam rei existentis in actu.

Prima Opinio docet existentiam esse accidens reale superadditum essentiæ: Sic Thomistæ apud *cit.* Meldulam.

Secvnda negat distingui nisi per intellectum: Sic Nominales, Aliique.

Tertia admittit distinctionem formalem: Sic Scotistæ: Pro solutione

769. Notandvm est, quod, vt notat S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 42. *art.* 2. *quæst.* 4. omnis potentia diuiditur in actiuam, & passiuam: prima dicit ordinem ad actum, in quem potest exire; secunda in ordine ad id, quod potest recipere: Potentia verò passiua diuiditur in subiectiuam, obiectiuam, & Logicam: Sic Scotistæ communiter apud Meldulam *disp.* 6. *num.* 64. *& seq.* Subiectiua est, qua aliquid est capax recipere aliquam formam siue substantialem, siue accidentalem: Obiectiua verò est, quatenùs aliquid potest esse terminus potentiæ productiuæ, & produci potest: primæ potentiæ subiectiuæ correspondet actus formalis, secundæ actus entitatiuus, seu existentialis, quatenùs potest poni extra suas causas: & hoc modo possibile aliquid dicitur vel simpliciter, scilicet per ordinem ad potentiam actiuam naturalem: vel possibile secundùm quid, scilicet secundùm potentiam supernaturalem, & appellatur communiter potentia obedientialis: Sic S. Bonauent. *citat.* Datur & alia potentia, quam Scotistæ appellant Logicam, & est modus compositionis ab intellectu formatæ illius quidem, cuius termini non includunt contradictionem, & est sola non repugnantia in propositione inter subiectum, & prædicatum in ordine ad intellectum, hancque eandem potentiam recognouit priùs S. Bonauent. *loc. citat.* qui ad finem corporis quæstionis postquam exposuit potentiam obiectiuam, scilicet per respectum ad causas superiores, vel naturales, addidit aliud membrum. dicens, potest etiam tertiò hoc, quod est possibile, dicere ordinem, vel comparationem, seu compositionem entis ad esse, vt cùm dicitur, hoc potest esse quocunque demonsttaro: & sic nec potentiam actiuam, nec passiuam dicit determinatè, nec secundùm causas superiores, nec inferiores: vnde simpliciter dicitur: & *ibid. ad* 4. dicit, quod omne verum potest esse verum, antequam sit, quia nulla est repugnantia ad esse: & in Itiner. Ment. *cap.* 3. docet, quod veritas, & connexio vnius prædicati cum alio venit non ab existentia rei in anima, sed ab exemplaritate Diuina cognoscente talem veritatem, secundùm quam res habent aptitudinem: Hæc S. Bonauent. estque ipsissima doctrina, quam posteà tradidit Scotus: Differunt autem potentia obiectiua, & Logica: quod illa dicit ordinem ad potentiam actiuam, & hac remotâ nihil est, vt ait S. Bonauent. *ibid. ad* 2. at Logica nullum dicit ordinem ad potentiam actiuam: nam dato etiam, quod nulla

Digitized by Google

nulla esset potentia actiua, adhuc daretur potentia Logica.

770. PRIMA CONCLVSIO: Essentiæ rerum in statu possibilitatis puræ nullum esse reale actuale habent: Est Seraph. Doct. *cit. & lib.* 1. *dist.* 36. *per totam*, & præcipuè *dub.* 1. *& quæst.* 1. vbi docet, quod res in Deo, antequam producantur, sunt tantùm secundùm causatiuam, vel cognitiuam potentiam per Ideas, non secundùm aliquam existentiam.

PROBATVR ex eo, quod omnes res habent esse per creationem, quæ est ex nihilo sui: ergo nullam actualitatem entitatiuam habent: quæ quæstio fusiùs examinabitur in Theologia.

SECVNDA CONCLVSIO: Res dicuntur possibiles potentia obiectiua per ordinem ad Diuinam Omnipotentiam tanquam à causa extrinseca valente denominare ipsas possibiles: Est Seraph. Doct. etiam Scoti, & communior: Et patet, quia creatura in sua causa nihil est: ergo si denominabitur possibilis, id est per denominationem extrinsecam.

771. TERTIA CONCLVSIO: Potentia Logica rerum desumi debet ex ratione earum intrinseca: & ratio est, quia quicquid non repugnat alicui, non repugnat ex intrinseca ipsius ratione: ergo & potentia Logica est ex intrinseca ratione rerum: & hinc hæc possibilitas antecedit obiectiuam.

OBIICIES: Non possunt concipi creaturæ possibiles, antequam concipiatur Deus potens illas producere: ergo illa potentia Logica est simul, vel consequitur ad obiectiuam.

RESPONDETVR negando antecedens, quod est verum de potentia obiectiua, & extrinseca.

CONTRA: Ergo independenter à Deo ex seipsis res habent possibilitatem, quod est contra naturam creaturæ.

RESPONDETVR negando Consequentiam: nam dependenter à Deo habent possibilitatem ex seipsis, non à seipsis: à Deo extrinsecè, ex seipsis intrinsecè, quatenùs in seipsis nullam inuoluunt repugnantiam: vnde loquendo de potentia obiectiua dicunt ordinem ad Omnipotentiam Diuinam: loquendo verò de Logica dicunt etiam ordinem ad intellectum Diuinum originaliter cognoscentem illam connexionem intrinsecam, sed tamen tanquam à causis extrinsecis.

Ex quibus sequitur, quod res in statu meræ possibilitatis possunt dici ens reale, quatenùs contradistinguitur à nihilo: nam, vt rectè notat S. Bonauent. *lib.* 1. *distinct.* 7. *dub.* 3. *& distinct.* 28. *quæst.* 1. inter ens, & nihil non cadit medium: ergo nec inter possibile, & impossibile, seu nihil.

DICES: Si est ens reale: ergo existit, cùm existentia ex infrà tradendis non distinguatur ab essentia.

RESPONDETVR esse ens reale substantiuum, non verbale: sic negatur Conseqnentia: essentia enim præscindit ab existentia.

DICES secundò: Creatura, antequam existat, est terminus cognitionis Diuinæ: ergo habet aliquod esse actuale.

RESPONDETVR attingere ipsas in suis Ideis: sic negatur Consequentia.

772. QVARTA CONCLVSIO: Essentia, & existentia non distin-

gauntur realiter, sed tantùm formaliter, seu modaliter, vt loquitur S. Bonauent. loquendo tamen non de distinctione per modos extrinsecos, sed intrinsecos: Est Seraph. Doct. & Scoti: Seraphicus autem Doct. *lib.* 4. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* docet existentiam esse modum non accidentalem, sed substantialem, & intrinsecum essentiæ: Sic & *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1.

PROBATVR: Quia existentia est id, quo essentia ponitur extra suas causas, & ob id extra nihil: ergo non distinguitur realiter ab essentia. Tum quia essentia vt distincta ab existentia est quid à Deo productum: ergo & existens. Tum quia si existentia realiter distinguitur ab essentia, sequitur, quod posset dari essentia producta absque existentia secundùm regulas Thomistarum, qui ex separabilitate inferunt distinctionem realem, & viceuersa: sed consequens est impossibile: ergo. Tum quia ex hoc dicunt essentiam realiter distingui ab existentia, quia essentia in statu possibilitatis antecedenter est indifferens ad existendum, & non existendum: sed idem habet existentia, vt patet de existentia Anti-Christi, quæ modò non existit, & potest existere: ergo & existentia in esse possibili differet realiter ab existentia in statu actuali: & si habeat existere, exigit aliquid superadditum, quod est absurdum: sic enim daretur processus in infinitum.

VARIAS responsiones afferunt Thomistæ his argumentis, quas expendit, & doctissimè de more confutat Meldula, quas quisque poterit videre: Nobis sat hæc sint pro opinione Seraphica.

773. OBIICIES primò: Differt essentia, & existentia Dei ab essentia, & existentia creaturæ: Sed in Deo non differunt, in creatura differunt: nam in Deo essentia est ens existens imparticipatum, in creatura est ens participatum: ergo participat existentiam vt quid ab essentia distinctum realiter. Tum quia in Deo nullam faciunt compositionem, in creatis verò faciunt compositionem; vt rectè etiam aduertit S. Bonau. *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.*

RESPONDETVR posse retorqueri contra Thomistas has rationes contra ipsam existentiam, quæ est ens participatum, obidque & ipsius existentia erit quid realiter distinctum: Deinde

RESPONDETVR ad hæc omnia sufficere distinctionem formalem ex natura rei, per quam potest discerni discrimen inter existentiam Diuinam, & creatam: Et ad id, quod essentia participat existentiam.

RESPONDETVR dici participare existentiam ex eo, quod non habet ipsam à se, sed à causa efficiente extrinseca, & non quia illam sibi non identificet, ex cuius participatione sequitur discrimen ipsius ab ente imparticipato, scilicet à Deo, non verò inter essentiam, & existentiam creatam.

INSTANT: Creatura habet esse receptum, Deus esse irreceptum: at si existentia in creatura non est realiter distincta ab essentia, habebit esse irreceptum, sic & illimitatum, quod est falsum: ergo.

RESPONDETVR distinguendo de esse recepto: Si intelligatur de esse recepto ab alio, concedo, de esse recepto subiectiuè, nego: hinc non sequitur illimitatio, cùm non habeant

beant necessariò existentiam, sed contingenter, & ab alio, quod non euenit in Diuinis, vbi Filius necessariò habet esse à Patre, non contingenter.

INSTANT iterum: Essentia dicitur esse in potentia ad existentiam: sed nihil ad seipsum dicitur in potentia: ergo aliquid à se realiter distinctum.

RESPONDETVR esse in potentia obiectiua, non subiectiua, & respectu alicuius realitatis à se ipsa realiter distinctæ, & in ipsa recipiendo, obidque eadem transit de actu potentiali ad esse actuali diuerso modo se habens.

INSTANT iterum: Quia res in potentia est ens reale: ergo ei aduenit existentia per accidens: ergo cum distinctione reali.

RESPONDETVR dici ens reale impropriè, prout contradistinguitur à nihilo, & prout habet potentiam Logicam, sed in illo statu nullum esse actuale habet, nisi adueniat existentia, quæ dicitur aduenire per accidens, non quod sit accidens superadditum, sed quia non includitur in conceptu essentiæ quidditatiuo, cùm sit modus ipsius intrinsecus.

DICITVR etiam aduenire per accidens, quia contingenter à causa extrinseca, & voluntaria: sed id non facit, quin ipsa sit identificata cum essentia actuali.

INSTANT: Quia humanitas Christi est sine existentia: ergo cùm sint duæ entitates separabiles essentia, & existentia, distinguuntur realiter.

RESPONDETVR ex tradendis de Incarnatione negando antecedens: Thomistæ enim negant existentiam humanitati Christi, confundentes in vnum existentiam cum subsistentia.

QVÆRES: an Essentiæ existenti in statu possibilitatis adueniente existentia superaddatur aliquid: an nihil? Si primum, ergo differunt realiter: Si secundum dicatur: ergo etiam antecedenter existebat?

RESPONDETVR hoc superaddi, scilicet transitus de potentia obiectiua ad actum existentialem, & secundùm hunc transitum verificantur contradictoria, scilicet de non existente fit existens.

CONTRA: Ergo nullam facient compositionem: quod est falsum.

RESPONDETVR facere aliqualem compositionem minimam, scilicet essentiæ, & modi formaliter distincti.

774. QVÆRES: quibusnam rebus competat existentia?

RESPONDETVR ex traditis in formalitatibus competere tantùm iis, quæ possunt esse per se terminus physicæ causalitatis: hæc enim terminatur ad existentiam rei.

HIC autem Metaphysici superaddunt quæstiones varias de natura communi, de substantia, de accidentibus, Prædicamentis, subsistentia, & inhærentia: Sed quia de his satis dictum est in tractatu formalitatum, & in toto decursu Logicæ, & Philosophiæ: hinc, ne actum agamus, ab his supersedemus: Item tractant de Deo, de Intelligentiis; sed quia hæc lumine certiori, & supernaturali tractantur in Theologia: hinc ad hanc Diuinam scientiam tandem inuitamur.

SICQVE demum post enauigatos quatuor fluuios ducentes ad Paradisum, post odoratos flores Logicales, post degustatos fructus Philosophicos

losophicos huius viridarij Seraphici ad lignum vitæ percipiendum in medio Paradisi plantatum, nempè ad doctrinam supernaturalem ad salutem necessariam capescendam inuitamur: vt ibi læto, hilarique vultu degustantes fructus Sapientiæ supernæ tandem amoto gladio Seraphico difficultatum ad visionem claram, & fruitionem æternam Dei benedicti, qui est primus, & vltimus omnium finis, peruenire mereamur.

TVNCQVE non purè per hæc visibilia, vel per fidem, & ænigmata, vt in hac miserrima vita corruptibili contingit, erit nobis conspicuus, sed (verba sunt Seraphici Doctoris in fine quarti libri Sententiarum) clarè videbitur à singulis in singulis nobis, videbitur ab altero in altero, videbitur in semetipso, videbitur in creaturis omnibus, videbitur etiam per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritualis corporis oculi acie perueniente directi: Oh vtinam id consequamur, tunc videbimus, tunc amabimus, tunc laudabimus, tunc apparebit Christus vita nostra, & nos apparebimus cum ipso in gloria, ad quam suffragantibus meritis Beatæ Virginis Mariæ, Seraphici Patris Nostri Francisci, S. Bonauenturæ Doctoris, & Ductoris nostri perducat nos Pontifex, & Præcursor noster Iesus Christus filius Dei, & eiusdem Beatæ Virginis Dominæ, & Adiutricis nostræ sua pia misericordia, Cui est benedictio, & claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo per infinita sæcula sæculorum. Amen.



APPEN

APPENDIX

Ad tradita in hoc curſu Philoſophico.



QVIA in diſputationibus ſcholaſticis non raro afferuntur in medium ab arguentibns maximæ, ſeu dignitates, ſeu propoſitiones vniuerſales, quæ prima facie videntur per ſe notæ, quæ tamen admittunt varias limitationes, obid vt plurimum non modicum negocium faceſſunt maximè Tyronibus: hinc vt in promptu habeantur diuerſi ſenſus ipſarum, ſequentes vnà cum variis rerum definitionibus tibi, humaniſſime Lector, offero deſumptas cum ſuis expoſitionibus ex ſcriptis Seraphici Doctoris S.Bonauenturæ, & eodem ferè ordine, quo ab ipſo traduntur ordinatim in quatuor Libris Sententiarum, tùm & in aliis ſuis operibus, ſimulque habebis veluti compendium omnium ferè materierum doctrinalium in dictis propoſitionibus contentarum, quæ in euoluendis libris paſſim occurrunt, vt faciliùs ad amorem doctrinæ Seraphicæ excitari poſſis: De nomine autem aptiori harum propoſitionum, & maximarum vide S.Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 6. *& lib.* 3. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2. & nos in ſequen. eas explicabimus ad Mentem eiuſdem S. Bonauenturæ.

1. SCIENTIÆ ſecantur vt res: *lib.* 1. *quæſt.* 1. *procem. in arg.* ideſt ſecantur, & diſtinguuntur ad diſtinctionem ſubiectorum, de quibus ſunt ſcientiæ.

2. Excellens ſenſibile corrumpit ſenſum: *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. *& quæſt.* 1. *ad* 2. Id verùm eſt de potentia ſenſitiua, non de intellectiua: illa enim dependet ab organo, quod eſt corruptibile, & à propria medietate, & harmonia alterabili ab

extra, ad quod tendendo dispergitur, & ob id debilitatur; ista verò est independens ab organo, & ab obiecto iuuatur, confortatur, & colligitur.

3. Anima est quodammodò omnia: *lib.* 1. *dist.* 3. *part* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *dub.* 8. & *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. & 5. & *ibid. dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5. & *ibid. dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. Intellige esse omnia, scilicet assimilabilem ad omnia intelligibilia per receptionem similitudinis rerum: Intellige etiam rerum, quæ habent esse determinatum, & quæ sunt sub posse ipsius, sic ad futura contingentia habet potentiam, non tamen actu de se potest in ea, nisi adiunctâ reuelatione.

4. Intellectus noster est veluti tabula rasa, in qua de se nihil est depictum: *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *in fine*, & *lib.* 1. *dist.* 17. *part* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* & *lib.* 4. *dist.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. & *lib.* 1. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 6. & *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. & *ibid. dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. & *ibid. dist.* 23. *dub.* 4. & *distinct.* 37. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.*

Hvic propositioni est similis hæc: Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *lib.* 3. *dist.* 37. *dub.* 1. & *lib.* 4. *dist.* 10. *part* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in arg.* Istæ propositiones non sunt vniuersaliter veræ, sed tantùm intelligi debent de intellectu in ordine ad res, quarum non habet species innatas: Vnde notanter dicitur in intellectu nihil esse depictum, scilicet nulla species abstracta à rebus (quam appellant impressam) sed ab obiecto debet abstrahi: attamen intellectus de se habet multiplicem speciem innatam, quam S. Augustinus appellat lucem mentium, estque de rebus spiritualibus non per species à sensibus, vel per sensus perceptas, vt est cognitio Dei, virtutum, & quam de se habet anima: Vide *lib.* 2. *dist.* 39. *cit.* & ea, quæ à nobis traduntur de anima in quæst. de speciebus.

Illa autem propositio sic debet intelligi: Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, idest vel in se, vel in suo simili, vel per suum oppositum: Vide *lib.* 1. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. & *Serm.* 3. *H x em.*

5. Cvivs bonus vsus, & ipsum est bonum, & cuius vsus malus, & ipsum est malum: *lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* & *quæst.* 3. *ad* 3 & *lib.* 1. *dist.* 46. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *dist.* 44. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *dist.* 34. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *in arg.* Id intelligendum de vsu, ad quem vnaquæque res directè, & secundùm se ordinatur: ad quod requiritur etiam ordinatio vtentis voluntaria, secundùm quod res est capax: hinc quia voluntas secundùm se non ordinatur ad malum, sed ex malitia tantùm volentis, non sequitur, quod ipsa sit mala: Sic ex opposito, si vsus rei ordinatur ad bonum finem, quando ipsa materia non est capax talis ordinationis, vt furari ad largiendam eleemosynam, talis vsus non potest esse bonus: Vide infrà *n.* 13. & 504.

6. Svperivs non diuiditur contra suum inferius: *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 2. Intellige de superiori in sua generalitate, non verò vt contracto, v. g. animal rationale, aliud est Petrus, aliud Paulus.

7. Signvm est, quod ducit in cognitio

cognitionem alterius rei : *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 3. Id verum est propriè de signo ex institutione, quod est purè signum : licèt etiam sit verum in aliquo casu de signo naturali, quod non est idem cum re significata : non verò de signo, quod est idem cum ipsa re.

ITEM signum vt tale est priùs cognitum, quàm res : *ibid. dub.* 4.

8. DIVISVM est simplicius diuidentibus partibus, & ipsis commune : *lib.* 1. *distinct.* 1. *dub.* 5. Intellige, quod est simplicius, & commune vel secundùm nomen tantùm, vt est diuisio æquiuoci : vel secundùm rem, & nomen, estque vniuoci : vel medio modo, estque analogi.

9. OMNIS res aut est finis (sicque ipsa est fruendum) aut ducens in finem (sicque ipsa vt medio vtendum) aut ad finem perueniens, vt est res, quæ fruitur, & vtitur, vt homo : sic homo fruitur Deo, vtiturque rebus creatis in ordine ad Deum : *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 6.

10. VTI de sui ratione importat libertatem cum relatione ad finem : frui verò importat libertatem cum delectatione : *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 8. Intellige de fruitione rationali : Sic & *dub.* 12.

11. VBI est vnio ad alterum, ibi est dependentia, inhærentia, & indigentia : *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 13. Intellige de vnione physica : licèt etiam de gratuita verificetur in creatura, non in Deo.

12. IDEM est finis, & propter quod : *lib.* 1. *dist.* 1. *dub.* 15. Intellige de fine vltimo, in quo est status, non de fine sub fine.

13. CVIVS finis bonus, & ipsum bonum, & ex opposito, Cuius finis malus, ipsum quoque malum : *lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *distinct.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. & *dist.* 40. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & *lib.* 4. *dist.* 6. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. & *ibid. dist.* 30. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. Secunda propositio semper est vera, cùm malum attendatur ex cuiuscunque circumstantiæ debitæ priuatione : at prima non est semper vera : requiritur enim, quod finis sit bonus de se, & in ratione finis, ex cuius conditionis defectu aliquid, quod de se est bonum, non potest præfigi vt finis principalis, vt si quis sibi præfigeret charitatem non propter Deum, sed supra Deum : requiritur etiam, quod medium sit de se ordinabile in finem, vt dictum est suprà *ad num.* 5. Vide infra *n.* 402. & 504.

ITEM finis est, in quo est quies, & vltimata resolutio : *lib.* 2. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 2. Intellige de fine vltimo, qui est Deus : est enim finis quod ; charitas verò, seu aliud creatum est finis quo : Vide *lib.* 1. *dist.* 1. *quæst. vlt. ad* 4.

14. INTELLECTVS abstrahendo purgatur, & perficitur : Intellige purgari tripliciter, scilicet vel à sensibilibus speciebus : vel à phantasticis imaginibus : vel à physicis rationibus : *lib.* 1. *dist.* 2. *dub.* 1. primum fit in Physica : secundum in Metaphysica : tertium in Mathematica.

15. NVMERVS causatur ex vnitatum aggregatione, & distinctione : *lib.* 1. *dist.* 2. *dub.* 7. hæc autem distinctio fit vel continui diuisione : vel formarum disparatione, vel gradu, vel ordine : *lib.* 2. *dist.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1 Vide *num* 136. & 343.

16. DEVS plus potest facere, quàm nos intelligere : *lib.* 1. *dist.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1. Intellige de intellectione rationali, non de fictitia, & phantastica.

17. PLVS sunt plura bona paucioribus

cioribus : *lib.* 1. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Id verum est, quando bonum est capax augmenti, quale est omne creatum, non de bono infinito, cui nullum aliud bonum potest addi. Item pluralitas repugnat simplicitati : *ibid. quæst.* 2. Id intellige de pluralitate, quæ est talis per additionem : non verò de illa, quæ est per originem, vt in Deo : hæc enim non repugnat simplicitati summæ, sed tantùm solitudini.

18. In primo, & in vno est status : *lib.* 1. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. & *distinct.* 3. *part.* 1. *dub.* 6. Vide *num.* 63.

19. Intellectvs non intelligit, nisi quod est sibi proportionabile, & aliquo modo vnitum : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst* 1. Intellige de proportione conuenientiæ, scilicet in ratione cognoscitiua, non proportione æqualitatis : item & de vnione per assimilationem, scilicet mediante specie : Vide infrà *num.* 357. & 86.

20. Color est extremitas perspicui in corpore terminato : Item color est motiuum visus secundùm actum lucidi : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 1. *dub.* 7. prima definitio est in ordine ad id, in quo est : secunda in ordine ad visum, quem mouet, fit enim virtute lucis : *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & *lib.* 4. *dist.* 49. *art.* 2. *quæst.* 1. Vide *num.* 328. & 546.

21. Veritas est id, quod est : Item veritas est finis intelligentiæ speculatiuæ : *lib.* 1. *distinct.* 3. *part.* 1. *dub.* 7. prima definitio est in ordine ad id, in quo est veritas : secunda in ordine ad Intellectum, quem mouet : Vide *num.* 56. & 423.

22. Memoria est sensibilium : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Intellige de memoria sensitiua, receptiua, & retentiua sensibilium : non verò præcisè, de intellectiua : prima est communis irrationalibus : Vide *num.* 119. & 291. & 560

23. Idem est principium essendi, & operandi : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. Intellige de principio remoto operandi, quod est substantia, non de proximo, quod est potentia, quæ distinguitur à substantia, vel id, quod est idem realiter, non formaliter ex natura rei : *ibid. in corp.* & *ad.* 1.

24. Qvod vni est accidens, nulli est substantia : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 6. Intellige de accidente de se tali : quia quod est de se substantia, vel accidens, semper est tale.

25. Idem, & diuersum sufficienter diuidunt ens : *lib.* 1. *dist.* 4. *dub.* 2. & *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vlt.* Hoc est verum secundùm idem, & in ente, quod natum est numerari, idest quod est res existens, non verò in cæteris, scilicet quæ habent entitatem veram, sed non propriam existentiam, vt sunt realitates, & formalitates, quales sunt potentiæ in anima, quæ cum anima non sunt omninò idem, nisi realiter, nec sunt diuersa realiter, sed differunt medio modo : *lib.* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Ex quibus patet Seraph. Doct. admittere distinctionem mediam inter realem, & rationis.

26. Inter substantiuum, & adiectiuum cadit, vel subintelligitur copula, est, vel quod est ens : *lib.* 1. *dist.* 4. *dub.* 3.

27. Qvæcvnqve prædicantur de vno, & eodem, prædicantur de se inuicem : *lib.* 1. *dist.* 4. *dub.* 4. Verum est, quando prædicantur de vno singulari, non de vno communi,

&

Digitized by Google

& prædicatione per identitatem, vt Petrus est animal, & homo: excipe tamen in diuinis,nam Deus habet rationem termini communis, scilicet tribus personis, & simul termini discreti: vndè dicitur Pater est Deus, filius est Deus,non verò sequitur Pater est Filius: Hæc propositio est similis alteri: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: Vide num. 50.

28. ALIVS stat pro supposito: aliud pro essentia: alter verò dicit differentiam accidentalem (*lib.* 1. *dist.*4. *dub.*9. id est verum, si alius stat substantiuè) *ibid. & dist.* 4. *art.*1. *quæst.*2.*ad* 4. Vt alius Pater, alius Filius, &c.

29. Nomen abstractum imponitur formæ, & à forma: Concretum imponitur à forma, non formæ, sed supposito: *lib.*1. *dist.*4. *art.*1. *q.* 1. *in corp.* verbi gratiâ albedo dicit puram formam: albedum dicit duo, scilicet formam albedinis applicatã subiecto.

30. TERMINVS habens multitudinem suppositorum sine distributione acceptus stat pro illo tantùm,pro quo reddit locutionem veram: vt homo currit, vera est pro currente, non pro aliis: *lib.*1. *dist* 4. *ib d.*

31. Termino habenti formam non multiplicabilem non differt præponere, vel postponere negationem: vt Petrus non currit, non Petrus currit, est idem: Ratio est, quia vtroque modo negatio totaliter remouet prædicatum à subiecto: *ibid.ad.*3.

32. RELATIVVM refert antecedens sub eodem modo supponendi, sub quo anteced ns præcessit ipsum relatiuum: *lib.* 1 *dist* 4 *art.*1. *quæst.*1. *in corp. & ad* 4. id verum est, quando relatiuum facit suppositionem personalem non verò simplicem: *ibid.dub.* 3.vt si dicas, Deus genuit Deum:ergo Deum, qui est Pater, aut qui non est Pater, sed Deum, qui non est Pater: ergo Deus non est Pater: non valet, quia mutatur suppositio personalis in simplicem.

33. CONTRADICTORIE opposita sunt vera de quolibet sub disiunctione, quia de quolibet vera est affirmatio, vel negatio: *lib.*1. *dist.* 4. *art.*1. *quæst.* 1. *ad* 4. *& dub.* 7. Id verum est, quando non variatur suppositio, & sumuntur de eodem secundùm idem.

34. DE nullo eodem secundùm idem vera est affirmatio, & negatio, sed semper vna est vera, altera falsa: *lib.*1.*dist* 5.*art.*1. *quæst.*1. *ad* 1.*& lib.*1. *distinct.*34. *art.*1.*quæst.*1.*ad* 5. *& lib.*3. *dist.*22. *dub.*3. *& lib.*1. *dist.*12. *dub.*1. *& lib.*4. *dist.* 11. *part.*1. *art.* . *quæst.*5. *ad* 4. *& ibid. dist.* 1? *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1.Id est verum,dummodò omnimodè secundùm idem sumantur & re, & ratione, & quando negatio fertur super compositionem principalem: Hincque infert Seraph.Doctor ad verificanda contradictoria sufficere differentiam rationis, scilicet cum fundamento in re: requiritur enim, vt negatio sit omnimoda, vt inter ens, & nihil, sed si cum negatione aliquid ponit,sufficit ad verificandam vtramque, vt Pater intellectu generat, voluntate non generat, vtraque est vera.

35. CONTRARIA non possunt secundùm idem eidem inesse: *lib.*3. *dist* 16.*art.*2.*quæst.*2.*ad* 2.

36. NON habet locum omnimoda distinctio, vbi non est ex diuersis causis vnio, & è conuerso non habet locum omnimoda vnio, vbi est simul cum vnione distinctio: *lib.* 1 *dist.* 4. *art* 1.*quæst.*2.*in corp.* verbi gratiâ,Deus genuit alium Deum, est falsa, quia Deitas est vnica in personis: Petrus,

& Paulus vniuntur in homine,sed ratione diuersarum humanitarum : & è conuerso, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vniuntur in Deitate, sed cum hac vnione , seu identitate stat distinctio personarum.

37. Intellectvs sunt idem apud omnes, licèt voces sint diuersæ:*lib.*1. *d.*4. *art.*1.*q.*3. *ad* 1. vult dicere, quod modi significandi, seu res significatæ sunt idem apud omnes nationes,licèt modi exprimendi sint diuersi : In qua doctrina fundatur veritas assertionis Theologorum , quod formæ Sacramentorum diuersimodè prolatæ, verbi gratiâ à Græcis, & à Latinis sunt veræ. Sic *lib.* 4. *dist.* 3. *part.*1. *art.* 1. *quæst.*2. *ad* 4. Vide *num. seq.*

38. Vervm præsupponit congruum, idest ad exprimendam veritatem requiritur congruus modus exprimendi : Vndè incongruitas nullam veritatem, vel falsitatem importat, vt Catonis est : *lib.*1.*dist.*4. *art.* 1. *quæst.*3. *ad* 2. Intellige de incongruitate, vel discohærentia terminorum adiacentium secundùm artem Grammaticalem,& apud Grammaticos,non verò intellectuum, & apud Theologos, vt olli pro illi : Vide *suprà num. anteced.* Vndè sequitur , quod licèt Grammaticaliter mutatio formæ Sacramentorum accidentalis non possit sustineri , Theologicè tamen sustinetur.

39. Qvæcvnqve sic se habent, quod vnum est idem alij,& non habet diuersas proprietates,quod dicitur de vno, dicitur & de alio : non verò si habent diuersas proprietates : *lib.* 1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. Id intelligendum est,quod quando ambo habent diuersas proprietates, tunc non est vera dicta propositio, vt Pater, & Filius ob diuersas personalitates non prædicantur inter se, nec verificantur de vtroque : si verò vnum habet proprietates, aliud non, tunc non inducitur differentia, vt Petrus est indiuiduum, homo non : & tamen Petrus dicitur homo : *ibid.* & *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. Vide *num.* 27. & 404.

40. De quocunque prædicatur definitio, prædicatur & definitum : Item de quocunque prædicatur subiectum, & prædicatum , prædicatur & propria passio : *lib.* 1. *distinct.* 5. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in arg.* Id verum est, quando proprietas non est extranea ei, de quo prædicatur subiectum, vt species, quæ est proprietas hominis, non prædicatur tamen de Petro : Vide *num.* 404.

41. Prædicatvm supponit pro subiecto, obidque & prædicatur de subiecto : *lib.* 1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Id est verum in prædicatione per identitatem : quando verò est prædicatio per inhærentiam, scilicet formalis, prædicatum vnum significat, & aliud supponit : significat formam communem, & supponit pro inferiori : tuncque est vera, vt homo est animal : Si verò idem significat, & idem supponit, est falsa, vt humanitas est animalitas:non enim in creatis est prædicatio formalis per omnimodam identitatem.

42. Propositio (De) potest tenerimaterialiter, vt cultellusde ferro : Item ordinaliter, vt de mane fit meridies : Item originaliter, vt radius de Sole : Item consubstantialiter, vt de Patre Filius : *lib.*1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 2. Item (De) potest importare partis habitudinem ad totum, vel principiati ad principium : *lib.*3.*dist.*13.*dub.* 3. Item propositio (A) aliquando dicit meram concomitantiam, vt dicitur

defectus

Digitized by Google

defectus fuisse in Christo à sua naturali origine: aliquando causalitatem principij actiui: *lib.* 1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 3. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3.

43. MOTIS nobis mouentur ea, quæ sunt in nobis: *lib.* 1. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. *& distinct.* 18. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. *& dist.* 37. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Id verum est de iis, quæ sunt in re mota cum dependentia ab ipsa: vnde ad motum aëris non mouetur radius in ipso existens, quia dependet à Sole in esse, in fieri, & conseruari: sic gratia non mouetur ad motum hominis, nec anima mouetur ad motum manus, quia non est in ea definitiuè, vel circumscriptiuè.

44. GENERATIO est motus ad substantiam, importatque principium à quo, & principiatum quod, obidque distinctionem: *lib.* 1. *distinct.* 5. *art.* 2 *quæst.* 1. Verum est, quod est motus in creatis, non in Diuinis, vbi est tantùm productiua generatio absque mutatione: Vide *num.* 66.

45. CAUSA est, qua positâ ponitur effectus, & qua remotâ remouetur effectus: *lib.* 1. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 2. *in fund. & ibid. dist.* 45. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. *& lib.* 3. *dist.* 31. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *&* 3. Item causa est, ad cuius esse sequitur aliud: *lib.* 1. *dist.* 20. *art.* 2. *quæst.* 2. Prima propositio intelligitur de causa posita in actu secundo, sic enim ponitur effectus, id etiam verum est de causa necessaria, non de libera: illa enim posita in esse cum conditionibus necessariis, statim ponit effectum: ista nequaquam: *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 4. Similis etiam huic est ista: omne id antecedens aliud, quo posito ponitur aliud, ipsam est causa illius: verum est de eo, quando aliud ponitur per productionem, non verò secundùm consecutionem, vel concomitantiam: *lib.* 1. *distinct.* 38. *q.* 1. *ad* 2. Similis est etiam secunda propositio remotâ causa, &c. est enim vera de causa efficiente, & simul conseruante: vel de causa efficiente cum proxima dispositione, qua remotâ non ponitur effectus: *lib.* 2. *dist.* 32. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. *& lib.* 4. *distinct.* 4. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 4. *& lib.* 4. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& lib.* 4. *distinct.* 27. *articul.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3.

46. GENERATIO est principium communicandi, & distinguendi: *lib.* 1. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 2. primum est ratione naturæ, quæ de se est pluribus communicabilis: secundum est ratione suppositorum, quibus communicatur.

47. IN æternis potentia coniuncta est actui: *lib.* 1. *distinct.* 6. *art.* 1. *quæst.* 1. *fund.* 3. Hinc ab æterno Deus generat, & spirat, id verum est de actibus necessariis, non de liberis, & contingentibus.

48. POTENTIÆ distinguuntur per actus, actus verò per obiecta: *lib.* 1. *distinct.* 7. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. *& lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltim. & ibid. distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. *& ibid. dist.* 27. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. *& lib.* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& quæst.* 3. *ad* 1. *& distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vlt. & distinct.* 36. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5. *& lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim. & Serm.* 4. *in Dom.* 18. *post Pentec.* Hæc propositio Aristotelica admittit varias expositiones, & limitationes: & primò intelligenda est de distinctione à posteriori, & quatenùs distinctio potentiarum nobis inno-

Digitized by Google

innotescit per ordinem ad actus, & obiecta: potentiæ enim per prius seipsis distinguuntur: Sic *lib.* 2. *dist.* 24. *cit.* secundò debet intelligi de obiecto per se: tertiò quod potentiæ primò per actus, & mediatè per obiecta: quartò quod distinguantur per actus, qui habent completionem ab obiectis, vnde non verificatur in actibus Diuinis, qui non complentur ab obiecto: quintò non verificatur hæc propositio in potentiis eminentialiter perfectis, quales sunt spirituales, quæ ob sui perfectionem possunt exire in actus specie diuersos, vel subordinatos.

49. OMNE distribuit pro suppositis, pro quibus terminus subiicitur, non pro quibus prædicatur, scilicet pro omnibus tantùm, quæ vniuocantur, vel analogantur in illo: v. g. omnis homo est animal, ly, *homo*, stat pro quolibet inferiori subiecti, non verò prædicati: *lib.* 1. *distinct.* 7. *art.* 1. *quæst.* 4. *in argument.* & *lib.* 1. *distinct.* 21. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1.

50. QVÆ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: vel quæ prædicantur de vno, & eodem, prædicantur de se inuicem: *lib.* 1. *dist.* 4. *dub.* 4. & *q.* 2. *in corp.* & *ibid. dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & *dist.* 31. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in argum.* & *ibidem dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. & *ibid. dist.* 34. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 6. & *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. & *lib* 1. *distinct.* 4. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* ibi secunda regula, &c. Hæc propositio exigit varias limitationes: prima est *in lib.* 1. *dist.* 33. *cit.* quod sunt idem inter se, sicut conueniunt in tertio, quod clariùs exponit Scotus, scilicet eadem identitate, qua sunt idem illi tertio, sunt etiam inter se: secunda quod non verificatur, vbi est conuenientia plurium in aliquo communi tantùm absque conuenientia, vel cum differentia ipsarum inter se, v. g. differentiæ conueniunt in genere vt in communi, sed secundùm rationem diuersam inuolutam virtualiter in eodem communi: vel fallit etiam, vbi aliqua plura distinguuntur per suas origines, vt radij diuersarum stellarum vniuntur in eodem puncto aëris non per identitatem, ideò distinguuntur inter se: sic & personæ Diuinæ conueniunt in natura, & differunt per origines: aduertit tamen Seraph. Doct. *lib.* 1. *distinct.* 34. *citat.* quod hæc propositio est vera semper, si sanè intelligatur, nempè si intelligatur quantum ad ea, quæ absolutè conueniunt pluribus ratione tertij communis absolutè sumpti: non verò per ordinem ad respectiua, quia relationes distinguuntur non solùm penes subiectum, sed etiam penes terminum ad quem, vnde hæc est falsa, Pater est Paternitas: Pater est innascibilitas: ergo paternitas est innascibilitas: est Conclusio, inquam, falsa, quia licèt vtraque relatio sit in eadem persona, non tamen ad eundem terminum: tertiò fallit hæc regula, quando duo extrema comparantur ad vnum tertium indeterminatum, vt homo, & asinus conueniunt in animali indeterminatè, in quo est maior capacitas, & communitas, quàm sit inferioribus: *lib.* 2. *distinct.* 3. *citat.* & Vide *suprà num.* 27.

51. QVÆCVNQVE ita se habent, quod vnum potest intelligi altero non intellecto, & è conuerso, illa non sunt vnum, & idem: *lib.* 1. *dist.* 7. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. In Diuinis verificatur quantum ad connotatum

Digitized by Google

tatum, non quantum ad principale significatum, vt posse creare, & posse generare.

52. MAGIS, & minus respectu entis non dicunt intensionem, & remissionem; in comparatione ad diuersas substantias, & naturas, scilicet provt sunt talia entia, sic dicunt gradum, & excessum, sic Deus est ens magis, & improportionabiliter excedens, quàm creatura: *lib.* 1. *dist.*8. *part.* 1. *dub.*4. & *lib.*1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.*1. *ad* 1.

ITEM etiam de illa propositione, formæ consistunt in indiuisibili, scilicet secundùm esse vniuersale, & specificum, non verò vt in hoc, vel illo indiuiduo: habent enim aliqualem latitudinem gradualem intra sphæram speciei: sic etiam substantia non respicit magis, & minus logicè, sed benè physicè: *lib.*2. *dist.*3. *dub.*2. Vide *num.*365.

53. ACCIDENS est natum in alio esse, ab alio exire, & ab alio recedere: inest enim subiecto, ab illo trahit originem, ab illoque potest adesse, & abesse: *lib.* 1. *dist.*8. *part.*1. *dub.* 8.

ITEM propriè dicitur accidens posse adesse, & abesse à subiecto, idest quia potuit aduenire rei iam existenti, vel recedere ab ea iam existente, vel saltem intendi, vel remitti, siue variari: *lib.* 1. *dist.* 26. Vel id est verum respectu subiecti remoti, quod est materia, licèt aliquando non respectu subiecti proximi, vt albedo in cigno: *ibid.* & *lib.* 1. *dist.* 30. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 3. *in argum.* & *lib.* 3. *dist.*6. *art.*1. *quæst.* 2. *ad* 3. Vide *num.* 331. & *seq.*

54. VITA est actus continuus, & internus procedens à forma spirituali, competitque vt actus completus potentiæ operatiuæ secundùm eius naturam: *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 9.

55. PROPRIETAS est, quæ conuenit omni, & soli, & semper, quæ est ratio innotescendi, & differt ab eo, cuius est proprietas: *lib.* 1. *distinct.* 8. *part.* 1. *articul.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. duæ primæ conditiones dicunt perfectionem, ob id competunt Deo: tertia dicit imperfectionem, competitque creaturæ.

56. VERITAS est actus, seu rei indiuisio, qua res est in se indiuisa: *lib.* 1. *distinct.*8. *part.* 1. *art.*1. *quæst.*1. *in corp.*

ITEM est adæquatio rei, & intellectus: *lib.* 1. *distinct.* 46. *art.* 1. *quæst.* 4. *in fund.* Vide *n.*21. & 423.

57. OMNIS sermo enuntiatiuus, vel enuntiat affirmatiuè, vel negatiuè prædicatum de subiecto: *lib.* 1. *distinct.*8. *part.*1. *articul.* 1. *quæst.* 2. *in fund.*

58. PROPOSITIO per se nota est, in qua causa prædicati clauditur in subiecto: sic principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus: ideò seipsis sunt euidentia: *lib.* 1. *dist.* 8. *part.*1. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *distinct.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. & *Serm.*3. *Hexaëm.*

59. PROPOSITIO affirmatiua ponit, & infert aliquid positiuum, & veritatem: negatiua verò totum destruit, si est absoluta, vt nihil est, ideò non infert aliquid verum positiuum: *lib.* 1. *dist.* 8. *p.* 1. *art.*1. *q.*2. *in corp.*

60. QVICVNQVE de non agente fit agens, mutationi subiacet: *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. Id verum est de agente, quod non est sua actio: agens enim creatum habet

Digitized by Google

habet actionem mediam disponentem ad effectum : non sic Deus.

61. VNIVERSALE est, quod est semper, & vbique, obidque immutabile; *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3. *& lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* Intellige de vniuersali secundùm se, non provt est in indiuiduo : non enim est vbique, & secundùm totalitatem quoad identitatem, cùm sit in singularibus secundùm aliud, & aliud suppositum, & ita numeratum : *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* Deus autem est vbique secundùm identitatem, & totalitatem.

62. OMNE id, ante quod non est aliud ipsum componens, est simplex: *lib.* 1. *dist.* 8. *ibid. ad* 5. *& part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3, *&* 4. Intellige de simplicitate opposita compositioni ex aliis, non cum aliis.

63. OMNIS motus procedit ab immobili : vel quicquid mouetur, ab alio mouetur, reducique debet ad vnum mouens immobile, idque etiam patet, cùm mouetur manus, stat cubitus, & cùm mouetur cubitus, stat humerus.

HINC infertur omne creatum esse ab vno primo motore immobili : *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corp. & lib.* 1. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. *in argum. & lib.* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *in argument. & lib.* 3. *distinct.* 27. *artic.* 1. *quæst.* 2. *in argum.*

ADVERTIT tamen Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 14. *&* 15. *citat.* quod non semper mouens est aliud à mobili, scilicet hoc aliquid, & sufficiens, sed idem secundùm partem potest esse mouens, & secundùm aliam motum, vt patet in animali ex exemplo allato. Vide *num.* 18. *&* 197. *&* 339. *&* 340. *&* 377.

64. OMNIS compositio vel est ex aliis, vel cum aliis : *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2.

65. QVOD distinguitur ab aliis entibus, est aliqua natura determinata : Item quod habet superius vniuocum, habet esse in genere determinato : *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 4. Intellige de eo, quod est tale per differentiam actuantem, idque non competit Deo.

66. VBI est generatio, ibi est corruptio : *lib.* 1. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 1. Intellige non de ratione generationis vt sic, sed quam comitatur transmutatio : hæc enim est in creaturis : at generatio in Deo de se solùm dicit rationem productiuam : & *lib.* 1. *distinct.* 13. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Vide *num.* 44. *&* 84.

67. IN Creaturis operans naturaliter operatur, quàm citiùs potest, & de perfectione agentis est, quod operetur citissimè: *lib.* 1. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.*

68. SICVT se habet corruptio ad non esse ex parte finis, sic generatio ex parte principij : *lib.* 1. *distinct.* 9. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Id verum est in creaturis, vbi interuenit mutatio ex parte generationis, & corruptionis : generatio verò in Diuinis non admittit incœptionem.

69. QVI semper nascitur, nunquam natus est : *lib.* 1. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Id verum est in generatione, in qua differt nasci, & natum esse : non in Diuinis.

70. AMICITIA aut est beatitudo, aut non sine beatitudine : *lib.* 1. *dist.* 10. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* Id dicitur, quia affectio amoris est radix omnium

Digitized by Google

omnium aliarum affectionum : obid vbi est amor mutuus, nihil delitiosius potest inueniri, & sine amore nullæ sunt delitiæ.

71. FRVSTRA fit per plura, quod potest fieri per pauciora : *lib.* 1. *dist.* 10. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & *lib.* 3. *distinct.* 14. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. & *lib.* 4. *dist.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim.* & *dist.* 1. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. & *lib.* 3. *dist.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in arg.* Id verum est, quando per pauciora potest fieri æquè benè, & sufficienter : Vide infrà *n* 436.

72. AB vnitate subiecti est vnitas actus : *lib.* 1. *dist* 11. *art* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Intellige de subiecto per se primo, non de non per se primo : Item de actu, qui est verè actus, & accidens : non enim potest accidens esse simul in duobus subiectis : non verò de actu, qui est origo, vt in Patre, & filio est actus spiratiuus vnicus, quia est vnicum principium.

73. PROPTER quod vnumquodque tale, & illud magis : *lib.* 1. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. & *ibid. dist.* 46. *art.* 1. *quæst.* 3. *in argum.* & *dist.* 48. *articul.* 2. *quæst.* 1. *in argum.* & *lib.* 3. *dist.* 32. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 3. Id verum est, vbi est pluralitas causarum, & principiorum, & cùm habetur respectus ad causam principalem, non verò inducentem, vel disponentem : sic Redemptio Christi facta ad salutem hominis, cùm hæc salus fuerit causa solùm inducens, non sequitur, quod sit melior redemptione ipsa.

74. CAVSA prima plus influit in effectum, quàm secunda : *lib.* 1. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 2. & *lib.* 1. *dist.* 45. *art.* 2. *quæst.* 2. & *distinct.* 20. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. & *distinct.* 37. *artic.* 1. *quæst.* 1. *fund.* 2. Id intellige quantum ad intimitatem, & vniuersalitatem, non quantum ad propria, & indiuidualia rei productæ : Excipe tamen causam primam increatam, quæ habet de ratione causæ vniuersalis, & etiam particularis, cùm de se possit in quemlibet effectum particularem : *lib.* 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.

75. ACTIONES, & mutationes denominantur à termino : *lib.* 1. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.

76. GENERARE est similem substantiam producere : *lib.* 1. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2.

77. DIFFERENTIÆ seipsis, & non per alias differentias differunt : vnde in ipsis est status : innotescunt tamen per alias consequentes : *lib.* 1. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 3.

78. QVÆ sunt in diuersis principiis, realiter differunt : *lib.* 1. *dist.* 13. *ibid.*

79. NEGATIO priuatiua cum constantia subiecti æquipollet termino purè priuatiuo, vt non par est idem, quod impar : *lib.* 1. *distinct.* 13. *art.* 1. *quæst.* 4. *in argum.*

80. NEGATIO præposita signo vniuersali est æquipollens negatiuæ propositioni particulari, vt non omnis homo currit, idest aliquis homo non currit : negatio postposita facit æquipollere vniuersali negatiuæ, vt omnis homo non currit : *lib.* 3. *distinct.* 39. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corp.*

81. NVMERATA productione, numeratur productum : vnum enim, & idem bis non producitur : *lib.* 1. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Id verum est, si vtraque tendat in productum vt in obiectum proprium, non verò si secundùm aliquem respectum accidentalem, vt processio æterna, &

& temporalis Spiritus Sancti non est duplex. Vide *num.456*.

82. Denominatio fit à nobiliori : *lib.* 1. *dist.* 14. *q.* 1. *ad* 6. Id verum est in eo,in quo illud,quod minus dignum est, conformatur digniori:non verò quando duo copulantur in vnicum actum , ita quod adest vnum perfectum , aliud imperfectum , tunc enim totum copulatum denominatur à parte imperfectiori : ratio est, quia totum copulatum destruitur à destructione cuiuslibet partis : ob id si vna pars est falsa , totum falsum , si contingens , vel temporalis, totum dicitur contingens , &c. v. g. in processione temporali Spiritus Sancti concurrit Spiritus Sanctus,& donum creatum , & temporale, quod est gratia , talis processio dicitur temporalis , non æterna ratione connotati. Vide *n.*316.

83. Modus dicendi est triplex , æquiuocus , vniuocus , & analogus : in primo est geminatio circa dici , siue nomen , non circa rem : in secundo est geminatio circa rem , non circa nomen : in tertio est geminatio vtroque modo : *lib.*1. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.*2. *in corp.*

84. Generatio in creaturis est ob duo , scilicet ob corruptibilitatem , ob quam indigent conseruari in alio, & ob perfectionem naturæ, quæ potest producere sibi simile : *lib.* 1. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 2. *argument.* 3. Vide *n.* 66.

85. Quod potest perfectè expellere contrarium , potest perfectè generare habitum contrarium : *lib.* 1. *dist.* 14. *ibid. argum.* 4. Id verum est de expellente effectiuè , non formaliter.

86. Certitudo cognitionis est secundùm præsentiam , scilicet vel quantum ad rationem cognoscibilis, nempè per speciem : vel quantum ad substantiam cognoscibilis : *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 1. *dub.* 2. Vide *n.* 19.

87. Nullum accidens est meliùs substantia : *lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. Id verum est , si sumantur absolutè secundùm propriam entitatem : si verò quoad benè esse , vel quatenùs accidens est ratio ordinandi substantiam ad benè esse, est falsa : sic charitas dicitur melior anima non in ratione ordinabilis , sed in ratione ordinandi. Vide *n.*373.

88. Quando causa est virtuosior, eò paucioribus mediis indiget : *lib.*1. *dist.* 17. *ibid. ad* 4. Id verum est ex parte operantis , non verò ex parte suscipientis , & indigentis debita dispositione : & *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *artic.* 1. *q.*1. & *lib.* 4. *dist.* 10. *part.*2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *n.* 497. & 181.

89. Solus ille perfectè scit , qui nouit se scire : *lib.* 1. *distinct.* 17. *ibid. in fund.*

90. Cognitio à posteriori exigit, vt cognoscatur , quod ille effectus est ab illa causa : *lib.* 1. *dist.*17. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *in fund.* scire à priori est, circa an sit , & quid sit , & sicut est : *lib.* 1. *d.* 13. *dub.* 5. Vide *n.*715.

91. Vbi est augmentum,ibi est maius , & minus : *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.*1. *q.* 1. *ad* 2. Intellige vel secundùm quantitatem molis, vel virtutis.

92. Quantitatis augmentum terminatur ad accidens : *lib.* 1. *dist.* 17. *ibid. ad* 3. Intellige primariò , nam secundariò potest terminare ad substantiam.

93. Augmentum in corporalibus, & in quanto molis ponit compositionem , obidque simplicissimum est minimum : è contra : In quanto virtutis

Digitized by Google

tutis simplicissimum est maximum, accessusque ad summum est per depurationem : *lib.* 1. *dist.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.

94. Ex iisdem quisque constat, nutritur, & augetur : *lib.* 1. *dist.* 17. *ibid. in fund.* verum est in viuentibus. Vide *n.* 349.

95. Ad motum non est motus, nec ad relationem est relatio : *lib.* 1. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim.* Id verum non est, quando motus, & relatio non se habent in ratione motus, & relationis præcisè, sed in ratione principij : sic relatio potest esse fundamentum alterius relationis, & motus principium alterius: *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. Vide *n.*520.

96. Mobilis, & moti est eadem ratio : *lib.* 1. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. verum est quantum ad agere, & recipere, tamen motus addit actum ad mobile.

97. In quolibet genere perfectior est actus, quàm potentia : *lib.* 1. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. verum est de potentia passiua : Item intelligitur de eo, quod est in potentia ob sui imperfectionem complebilem per actum, non verò de eo, quod est in potentia solùm actiua absque eo, quod agat ob defectum suscipientis : sic enim sol actu potest lucere domum, nec aliquid imperfectionis importat, si actu non illustret ipsam. Vide *n.*393.

98. Omne nomen in Diuinis dicens respectum, vel effectum ad creaturas est commune tribus : *lib.* 1. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 4. Id verum est, si importat solùm respectum ad creaturas, non verò personæ ad personam, vt est hoc nomen Doni, quod dicitur de Spiritu Sancto, quatenùs producitur liberaliter, & datur etiam creaturis.

99. Annus dicit completam temporis reuolutionem secundùm decursum Solis in Zodiaco, & regressum ad idem punctum : *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 1. *dub.* 4.

100. Præpositio, In, in Diuinis vel dicit distinctionem essentialem, sicque creatura dicitur esse in Deo : vel personalem, sic Pater dicitur esse in filio : vel nullam distinctionem, vt bonitas est in Deo, sic dicit omnimodam identitatem : *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *dub.* 6. Item vel causalitatem, vt res sunt in Deo : in creatis inhærentiam, vt accidens est in subiecto : *lib.* 1. *dist.* 36. *dub.* 1.

101. Degenerare est exire extra genus generantis, idque vel quantum ad formam communem, sic Sol generat hominem : vel quantum ad proprietates retenta natura generantis, vt filius dissimilis Patri in moribus : vel solùm per diuersitatem entitatiuam, sic generatus, & genitum differunt realiter : *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *dub.* 11.

102. Quicquid est perfectionis, reponendum est in Deo : *lib.* 1. *distinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in argum.* Vndè perfectiones, quæ sunt in creaturis cum aliqua imperfectione, reperiuntur in Deo sine vlla imperfectione.

103. Omnis multitudo reducitur ad vnitatem : *lib.* 1. *dist.* 19. *ibid.*

104. Vnum in substantia facit identitatem : in quantitate æqualitatem ; in qualitate similitudinem : *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *in fund.*

105. Vbi æqualitas, ibi quantitas, & diuisibilitas, & finitas, & diuersitas : *lib.* 1. *distinct.* 19. *ibid.* Id verum est in creaturis, & de quantitate mo-

lis, quæ dicit conterminationem. Id etiam est verum de quantitate virtutis creata in ordine ad finitatem, & diuersitatem, excessusque priuationem.

106. Omne relatiuum æquiparantiæ denominat extremum secundùm modum consimilem: *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3.

107. Omne quantum comparatum quanto aut maius est, aut minus, aut æquale: *lib.* 1. *distinct.* 19. *ibid.*

108. Esse in alio in creaturis est, vel vt pars in toto, vel vt totum in partibus, vel vt species in genere, & è conuerso, vel vt forma in materia, vel sicut rectum, seu motum in regente, vel sicut contentum in continente, vel sicut accidens in subiecto: Esse verò in alio per circumincessionem est solùm in Diuinis, vel secundùm indistantiam præsentialitatis, vel secundùm virtutis influentiam, vel secundùm intimitatis existentiam: sic Deus est in rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam: *lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *& lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. Vide *num.* 190.

109. Duo simplicia eiusdem generis, si simul sunt, & vnum est in altero, non distinguuntur ab inuicem: *lib.* 1. *dist.* 19. *ibid. ad* 2. Id verum est, quando simplicia distinguuntur penes illud, in quo sunt, sicut punctus, & vnitas distinguuntur ratione subiecti, in quo sunt: non verò quando seipsis distinguuntur, & in seipsis substantificantur: tunc enim licèt sint simul, tamen non confunduntur, vt sunt personæ Diuinæ per circumincessionem: & in creaturis lumina in eodem aëre.

110. Præpositio (contra) importat habitudinem repugnantiæ: (ad & propè) habitudinem distantiæ: (In, & cum) habitudinem conuenientiæ: primæ, scilicet contra, ad, & propè, non recipiuntur in Diuinis: tertia scilicet, In, vt Pater est in Filio, item quarta scilicet (cum) recipitur, & cum conuersione: importet enim conuenientiam, & relationem æquiparantiæ, Pater est in, & cum Filio, & è conuerso: *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 6.

111. Vbi pluralitas, ibi integritas, & aggregatio plurium vnitatum: *lib.* 1. *dist.* 19. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. Id verum est, vbi pluralitas est per additionem constituentem tertium, vnde non est vera in Diuinis.

112. Vniuersale est, quod prædicatur de pluribus ratione formæ vel multiplicatæ, vel multiplicabilis: Particulare de vno solo: *lib.* 1. *dist.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. Id intelligitur, quod vniuersale prædicatur de pluribus ratione communicabilitatis: quod tamen adhuc propriè non est vniuersale, nisi intelligatur multiplicatum in inferioribus: vnde natura Diuina est communis tribus vna, & non vniuersalis: Vide *n.* 354.

113. Quantò quid est simplicius, tantò vniuersalius: *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim.* Id verum est de simplici capaci additionis vt in creaturis, non in Diuinis: Item est verum de simplici carente compositione partium in esse definito, vt est genus, nec de carente partium in esse naturæ: *lib.* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3.

114. Materia est principium patiendi, obid inter omnia entia imperfectissimum: *lib.* 1. *distinct.* 19. *part.* 2.

Digitized by Google

part. 2. articul. 1. quæst. 3. in fund.

115. Causæ quatuor sic se habent, quod efficiens ad finem refertur, & forma ad materiam: *lib. 1. dist. 19. part. 2. art. 1. quæst. 5. ad 2.* primæ duæ possunt coincidere in idem: non verò materia, & forma: forma verò constitutiua potest coincidere cum efficiente, & fine in idem specie, non numero: forma exemplaris in idem numero. Vide *n. 364.*

116. Materia in his inferioribus dat existentiam, & permanentiam propter sui incorruptionem: est enim fundamentum receptiuum formæ: *lib. 1. dist. 19. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 3. & ibid. dist. 43. art. 1. quæst. 1. ad 2. & lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2.*

117. Infinitas venit ex materia: *lib. 1. distinct. 19. ibid. ad 4.* Verum est de infinitate ex defectu perfectionis: non verò ex defectu limitationis, hæc enim solùm est in Deo.

118. Omnis distinctio est à forma: *lib. 1. distinct. 19. ibid. ad vltim.* Intellige de distinctione perfecta, non de imperfecta: sic enim materia se ipsa differt à forma.

119. Omnia, quæ differunt re, differunt vel genere, vel specie, vel numero: *lib. 1. dist. 19. part. 2. art. 1. quæst. 4. & lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. in arg.* Id verum est propriè in creatis: nam in Diuinis differunt personæ realiter, non numero, sed personaliter. Vide *num. 15.*

120. Omnis diuersitas secundùm numerum solùm venit ex parte materiæ: *lib. 1. dist. 19. ibidem in fund.* Vide *num. 15.*

121. Quæcunque differunt numero, numerant omnia, quæ in ipsis sunt, saltem ex parte principij formalis: sic Petrus, & Paulus sunt duo homines, duo animalia, duo alba, &c. *lib. 1. distinct. 19. ibid.* Vide *num. 15.*

122. Vnum numero est, quod non est multiplicatum, nec multiplicabile: *ibid.*

123. Vnitas numero venit ex ratione, quod est secundùm speciem ex parte, quo res est: *lib. 1. dist. 19. ibid. in corp. & ad 4.*

124. Ordo est partium disparium sua vnicuique loca tribuens dispositio: hinc contrariatur simultati, ponit dependentiam, & præsupponit numerum: *lib. 1. distinct. 20. art. 2.* Id verum est de ordine secundùm positionem vel respectu loci, vel dignitatis: Item ordo, qui dicit antecessionem vel duratione, vel natura, siue naturali intelligentia, tollit simultatem, ponitque dependentiam: non verò ordo secundùm originem tantùm: Item ordo secundùm positionem supponit numerum, non alij ordines.

125. Vbi est causa, & effectus, ibi est prius, & posterius, & consequenter est ibi ordo naturæ: *lib. 1. dist. 20. art. 2. quæst. 2.* Intellige de ordine sicut rationis ordinandi secundùm emanationem, & antecessionem, idque est tantùm in creaturis: nam in Diuinis solùm est ordo, sicut ordinati, scilicet in ordine ad personas, non naturam: Vide *n. 412. & 602.*

126. Terminus accidentalis implicat rem suam circa suum subiectum: *lib. 1. dist. 21. art. 1. quæst. 1. ad 1.*

127. Nemo: hoc nomen componitur ex non, & homo, idest nullus homo, distribuitque communiter, secundùm quod illi superadditur, vt nemo

nemo nouit, scilicet pro omni cognoscente: *lib.* 1. *dist.* 21. *dub.* 3.

128. Solus est dictio exclusiua, potestque sumi cathegorematicè, & tunc est adiectiuum absolutum ponens rem suam circa suum substantiuum, resque sua est solitudo, idest idem quod non cum alio, vel quod solitarius, vt solus homo est rationalis: vel potest sumi syncathegorematicè, sic priuat associationem, & ponit aliquam negationem, seu præcisionem, vt solus Deus creat: *lib.* 1. *distinct.* 21. *art.* 1. *quæst.* 1.

129. Nomen significat substantiam cum qualitate, idest quo, & quod: *lib.* 1. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim.*

130. Nominibus synonimis non plus dicitur pluribus, quàm vno: *lib.* 1. *distinct.* 22. *artic.* 1. *quæst.* 2. *in argum.*

131. Nomina substantiua in Grammatica non dicuntur talia, prout significant veram substantiam realem, vel ens per se, sed prout significant aliquid ad se, adiectiua verò ad aliud: *lib.* 1. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 2. & 4.

132. Vnum est, quod est indiuisum: *lib.* 1. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 1. Vide 56.

133. Nulla priuatio constituit suum habitum, nec in illo saluatur, vnum verò saluatur in multis, & illa constituit, sicque non consistit formaliter in priuatione, sed est aliquid positiuum: *lib.* 1. *distinct.* 24. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

134. Ens, & vnum, & bonum conuertuntur, idem enim est esse vnum, & esse distinctum: *lib.* 1. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 2. *arg.* 1. *ad oppos.* & *fund.* 3. & *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 1. *q.* 1. *in arg.* & *lib.* 3. *dist.* 4. *art.* 3. *quæst.* 3. *in fund.* & *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vltim.* Id est verum, si ens sumitur substantiuè, & vt metrum: Vide *n.* 56. & 410.

135. A quocunque remouetur genus, remouetur & species, & è contra, in quocunque ponitur species positiuè, ponitur & genus: *lib.* 1. *distinct.* 24. *art.* 2. *quæst.* 1. *in argum.*

136. Numerus est multitudo mensurata per vnum: *lib.* 1. *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad arg.* Intellige de numero propriè sumpto, in quo est separatio antecedens, aggregatio, & mensuratio consequens: *ibidem in corp.* Vide *n.* 15.

137. Accidentium definitiones sunt ex additamento: *lib.* 1. *dist.* 25. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Intellige per additionem rei alterius generis, scilicet subiecti, obidque definiuntur per obliquum.

138. Omnis definitio dicit aggregationem, cùm constet ex pluribus terminis: alioquin esset ibi nugatio: *lib.* 1. *dist.* 25. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* & *ad* 1. Id intellige de aggregatione, cui à parte rei respondet aggregatio plurium entitatum, seu formarum, seu formalitatum, vel ex parte modi intelligendi, & notificandi, quales sunt definitiones traditæ in Diuinis: *ibid.* & *ad* 3.

139. Rationale est differentia animalis, obid cui non competit ratio animalis, nec rationalitas: *lib.* 1. *distinct.* 25. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. Intellige de rationali importante potentiam discernendi per inquisitionem, collationem, & discursum: non de rationali, prout dicit præcisè potentiam discernendi verum à falso præscindendo à dictis modis: sic enim est etiam in Deo.

Persona

140. Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, seu incommunicabilis existentia: *lib.1. dist. 25. art. 1. quæst. 2. ad vlt. & distinct. 23. art. 1. quæst. 1. in fund. & lib.3. dist. 5. art. 2. quæst. 2.*

141. Omne, quod substat, habet aliquid inhærens: *lib. 1. dist. 23. art. 1. quæst. 2. ad* 3. Intellige de eo, quod substat alij inhærenti, non verò alij vt distinguenti, & constituenti: sic Deitas substat personalitati in Diuinis.

142. Nomen, quod supra se recipit nomen distributiuum & secundùm nomen, & secundùm rem, est verè commune ad illa, & vt vniuersale prædicatur de illis: *lib. 4. dist. 25. art. 2. quæst.* 1. Intellige de eo, quod plurificatur, vel prædicatur de inferioribus per aliquam differentiam contrahentem: sic enim est propriè vniuersale: alioquin erit tantùm commune, non vniuersale, vt est personæ nomen in ordine ad tres personas.

143. In summè simplici non cadit differentia: *lib. 1. distinct. 26. art. 1. quæst. 1. ad* 3. Intellige de differentia, quæ fundatur super absolutum, non de ea, quæ fundatur super respectum, seu modum se habendi, vt in Diuinis: *ibid. & ad* 4.

144. Deus non ordinatur ad res, sed res ad ipsum: *lib. 1. dist. 26. art. 1. quæst. 1. ad 5. & ibid. dist. 30. art. 1. quæst. 3. ad* 1. Intellige de relatione reali: hæc enim ponit mutationem.

145. Materia hoc ipsum, quod est, ad alterum est, scilicet ad formam: *lib. 1. distinct. 26. artic. 1. quæst. 1. ad 6.* Intellige de relatione annexa, quam vocant transcendentalem: materia enim est in se quid absolutum, sicut forma: *& lib. 1. dist. 30. art. 1. quæst. 3. in corp.*

146. Inter omnia entium genera relatio habet minus de entitate: *lib. 1. dist. 26. art. 1. quæst. 2. ad 4.*

147. Omne relatiuum reducitur ad absolutum, illudque supponit: *lib. 1. dist. 26. art. 1. quæst. 3. ad 1. & ad* 4. Intellige de relatiuo, quod est terminus, non de eo, quod est principium, vt in Diuinis.

148. Omnis abstractio aut est vniuersalis à particulari, aut formæ à materia: *lib. 1. dist. 27. part. 1. art. 1. quæst. 3. in fund.* Intellige de abstractione reali, non de pura rationis: *ibid. in corp.*

149. Vbicunque est abstractio, abstractum est simplicius, & minus concreto: *lib. 1. distinct. 27. ibidem* semperque adest aliqua differentia vel rei, vel rationis: *lib. 1. dist. 33. art. 1. quæst. 1. ad 2.*

150. Verbum est, quod emanat à mente per modum conceptionis, & expressionis, dicitque respectum ad dicentem: *lib. 1. distinct. 27. part. 2. art. 1. quæst.* 1. Hæc competunt Verbo increato, & creato, sed cum hoc discrimine, quod in Deo Pater loquitur ad se, menteque se concipit simile sibi, scilicet verbum conceptum: in creatis verò est mente exprimere conceptum mentis, cui respondet loqui per verbum externum.

151. Negatio alia est extra genus, & omnimoda: alia in genere: alia partim in genere, & partim extra genus: *lib. 1. distinct. 28. articul. 1. quæst. 1.*

152. Relationes diuersificantur penes terminos: relatio enim vt talis est ad alterum: *lib. 1. distinct. 28, art. 1. q. 2. in fund.*

153. Principium, & causa idem sunt: *lib.* 1. *distinct.* 29. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Id verum est in creatis, quia producens, & productum differunt secundùm substantiam: non enim in Diuinis cadit ratio causæ.

154. Vnitas non multiplicata facit identitatem omnimodam: *lib.* 1. *dist.* 29. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. Id verum est, quando est talis vnitas, quod non multiplicetur, nec admittat secum pluralitatem suppositorum, quam excludit identitas, vnde Petrus, & Paulus, licèt conueniant in vnitate humanitatis, tamen non sunt idem.

155. Quod prædicatur de alio solùm per causam, non est idem subiecto: *lib.* 1. *dist.* 30. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

156. Omne, quod per se prædicatur de aliquo, semper inest illi, & è contra, quod prædicatur non per se, illi conuenit per accidens: *lib.* 1. *dist.* 30. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Id verum est in creaturis, in quibus ad per se sequitur necessarium, non verò in Deo, de quo aliquid prædicatur non per se, vt creatio, sed prout opponitur ad necessarium, dicitque quid liberum.

157. Relatiua alia sunt secundùm esse, scilicet ex parte vtriusque termini: alia secundùm dici, scilicet ex parte vnius extremi vt scientia ad scibile: *lib.* 1. *dist.* 30. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4.

158. Æquale est, quod alteri suppositum non excedit, nec exceditur: *lib.* 1. *dist.* 31. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *in arg.*

159. Simile, & æquale sunt relatiua æquiparantiæ denominantia vtrumque extremum: *lib.* 1. *dist.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.*

160. Omne plurale geminat suum singulare: *lib.* 1. *distinct.* 31. *ibid.*

161. Vbicunque est absolutum, & respectiuum, absolutum non est ipse respectus, quantumcunque se ipso referatur: *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Id verum est in creaturis ob dependentiam, quam importat respectus: verificatur etiam aliqualiter in Diuinis ob aliam rationem: *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 4. *in fund.*

162. Quod prædicatur de aliquo in abstractione, non facit numerum cum eo: *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.*

163. Adiectiua essentialia seipsa denominant, vt magnitudo est bona, quia in primis est status, ideò seipsis denominantur: *lib.* 1. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. *&* 2. Id verum est de absolutis, non de respectiuis: Ratio differentiæ est, quia respectus reflexus supra absolutum ibi quietatur: vnde absolutum dat fundamentum, respectus verò complementum: at respectus reflexus supra se, quia vterque dicit ordinem ad alterum, vnus non potest dare fundamentum, nec alter complementum, vt generatio generat, persona distinguit, sed distinguitur.

164. Genitiuus importat habitudinem principiati ad principium, vel è conuerso, vel possidentis ad possessum, vel formæ ad formatum, vel specificantis ad specificatum: *lib.* 1. *dist.* 34. *dub.* 5.

165. Quæcunque duo sic se habent, quod quicquid est in vno, est alterum per essentiam, vnum nihil addit super aliud, vt homo, & animal rationale: *lib.* 1. *dist.* 34. *artic.* 1. *quæst.* 1.

166. Verbum (*est*) est nota identitatis

titatis, inuoluiturque in omni prædicatione: *lib.* 1. *distinct.* 34. *artic.* 1. *quæst.* 2. *in fund.* Intellige tamen non semper de identitate omnimoda, sed aliquando secundùm connexionem, vel copulam vtriusque extremi secundùm prædicationem: Excipe tamen formam Consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi, in qua ly (*est*) non importat identitatem, sed cùm sit propositio practica, & effectiua, seu conuersiua, significat, & efficit conuersionem panis in corpus, &c. *lib.* 4. *distinct.* 8. *part.* 2. *articul.* 1. *quæst.* 1. & 2. quæ enuntiatio tamen est singularis inter omnes, cùm in natura alia similis non adsit.

167. Prædicatio eiusdem de eodem tunc non est nugatoria, quando idem prædicatur de alio secundùm substantiam, & diuersum secundùm modum se habendi, vel significandi, vt Deitas est Deus, persona est substantia in Diuinis.

168. Aliquid dicitur relatiuè, vel quia significat relationem, estque relatio, vt paternitas: vel quia habet relationem annexam, vt Pater: *lib.* 1. *dist.* 35. *dub.* 4.

169. Omne agens rationabiliter non à casu, vel ex necessitate præcognoscit rem, antequam sit, obidque habet in se rem cognitam vel secundùm veritatem, vel secundùm similitudinem: *lib.* 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

170. Omne, quod determinatè ducit in cognitionem alterius, habet penes se similitudinem cogniti, vel ipsum est similitudo, vt est speculum: *lib.* 1. *distinct.* 35. *artic.* 1. *quæst.* 1.

171. Similitudo vel dicit conuenientiam duorum in tertio, vt est Petri, & Pauli in humanitate, hæcque importat vniuocationem, vel vnum est similitudo alterius, & hæc non importat conuenientiam in tertio, quia similitudo seipsa est similis vt imago Petri: *lib.* 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.*

172. Idea est similitudo exprimens ideatum secundùm totum: *lib.* 1. *distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 2. & 3. Id intelligendum est diuersimodè de ideis creatis, & increatis: nam in creatis diuersificantur ad diuersitatem essentiarum: at in Deo ob sui eminentiam vna est ad omnia: & licèt dicantur plures, id est secundùm connotata, non à parte rei.

173. Res dicuntur esse à Deo hoc pacto, ex ipso, per ipsum, & in ipso: *lib.* 1. *distinct.* 36. *dub.* 1. & 2. Vbi ly (*ex*) dicit exitum rei in fieri, & per modum actus, & motus à principio primo non aliundè moto: hinc id propriè dicitur de rebus factis in tempore, non verò ab æterno, sic enim dicuntur esse in Deo æternaliter, prout ly (*in*) importat causalitatem quoad aptitudinem: ly (*per ipsum*) notat principium sufficientissimum, quia omnia agit per seipsum: ly (*in ipso*) notat infinitam virtutem huius principij omnia ambientem: primum appropriatur Patri, qui est prima persona in Trinitate: secundum filio, qui est persona media, per Verbum enim omnia facta sunt: & tertium Spiritui Sancto, qui est tertia persona.

174. In aliquo aliquid dicitur esse tripliciter, vel secundùm rei existentiam, sic res sunt in mundo: vel secundùm similitudinis præsentiam, sic res sunt in cognitiua potentia: vel secundùm causatiuam potentiam, sic

Digitized by Google

res sunt in sua causa: *lib.* 1. *dist.* 36. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.*

175. In Deo res dicuntur esse tripliciter: primò vt in principio producente ratione potentiæ: secundò vt in exemplari exprimente ratione notitiæ: tertiò vt in fine conseruante ratione voluntatis: *lib.* 1. *dist.* 36. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.*

176. Rectum est Iudex obliqui: *lib.* 1. *distinct.* 36. *artic.* 3. *quæst.* 1. *in corp.* Hinc malum cognoscitur per ideam boni.

177. Vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognosci: *lib.* 1. *dist.* 36. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. Intellige quoad eadem principia essendi, sicut etiam cognoscendi, idque per suas similitudines. Id verum est quoad cognosci, non quoad produci: *lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *Serm.* 1. *Hexaëm.*

178. Præpositio (*cum*) dicit associationem, obidque mutuum auxilium, & conformitatem voluntatis: hinc malè non dicuntur esse cum Deo ob difformitatem: *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *dub.* 1.

179. Præpositio (*apud*) de se dicit transitionem: est enim nomen transitiuum, vt Deus apud se erat, antequam crearet mundum: aliquando verò dicit etiam distinctionem, vt Verbum erat apud Deum: *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *dub.* 2.

180. Quantò motor magis distat à mobili, tantò sufficientiùs mouet: vnde mouet sufficientiùs anima, quàm forma materialis, vel naturalis, & Deus plus omnibus: *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Intelligi debet de motore, & distantia per independentiam, & non per absentiam: hæc enim potiùs impedit. Vide *num.* 63. & 377.

181. Virtus magis vnita est fortior: *lib.* 1. *dist.* 37. *ibid. ad* 3. Id est verum, quatenùs magis vnitur in subiecto, magisque consequenter est indistans ab ipso: Vide *Serm.* 3. *Hexaëm.* Vide *num.* 88. & 497.

182. Locus ad locatum magis comparatur in ratione formæ, quàm alterius generis causæ: *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 2. Id verum est de locato ob indigentiam, & limitationem: *ibid. in corp.*

183. Omnis creatura per se existens, & in se, est hoc aliquid, idest singulare, & indiuiduum: *lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.*

184. Numerus est in omnibus rebus: *lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Intellige non secundùm totalitatem, sed secundùm aliam, & aliam partem.

185. Vox est simul in auribus diuersorum tota, & simul in toto aëre: *lib.* 1. *dist.* 37. *ibid. ad* 2. Nota, ex hoc non potest argui, quod sit vbique, etiam si daretur vox, quæ audiretur per totum mundum: nam vox in medio est multiplicabilis, non multiplicata, sicut lux dum diffunditur, sed tantùm numeratur ad numerationem susceptibilis, vndè in pluribus non est eadem.

186. Dici de omni importat distributionem alicuius vniuersalis ad inferiora inseparabiliter: *lib.* 1. *dist.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2.

187. Vbique præsupponit vbi, & vbi locum, & locus non datur nisi in tempore: *lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. Locus autem est quantitas diuisibilis: *ibid. part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

188. Prima causa vno modo se habet ad omnia: *lib.* 1. *distinct.* 37. *part.* 1.

Digitized by Google

part.1. *art*.3. *quæst*. 1. *in fund*. & *ad* 1. Intellige ex parte causæ, non verò effectuum.

189. Quicquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur, non per modum recepti: *lib*. 1. *distinct*. 37. *part*. 1. *art*. 3. *quæst*. 1. *ad vlt*. & *lib*. 1. *distinct*. 2. *part*. 2. *art*. 2. *quæst*. 3. *ad* 4. & *ibid*. *dist*. 7. *part*. 2. *artic*. 1. *quæst*. 2. *fund*. 2. & *dist*. 8. *part*. 2. *articul*. 1. *quæst*. 3. *in corp*. & *lib*. 2. *dist*. 14. *part*. 2. *art*. 2. *quæst*. 2. *ad* 5. & *lib*. 4. *dist*. 1. *part*. 1. *art*. 1. *quæst*. 4. *in quæst*. 2. *Laterali*: Id verum est de recepto, quod dependet à recipiente: sic species recipitur à potentia cognoscente spirituali modo. Vide *num*. 346.

190. Deus est in rebus per essentiam, idest intimitatis existentiam: per præsentiam, idest indistantiam præsentialitatis: & per potentiam, idest per virtutis influentiam, in iustis per gratiam, & in Christo per vnionem: *lib*. 1. *distinct*. 37. *part*. 1. *art*. 3. *quæst*. 2. Vide *num*. 108.

191. Omnis motus est vel ad situm, scilicet locum; vel ad formam: aliquid enim semper acquiritur per motum: *lib*. 1. *dist*. 37. *part*. 2. *dub*. 2. & *art*. 1. *quæst*. 2.

192. Tempus est mensura motus primi mobilis secundùm prius, & posterius: *lib*. 1. *distinct*. 37. *part*. 2. *dub*. 3. Intellige de mensura rei mutabilis in quantum mutabilis, sed sub ratione continui: & quia motus primi mobilis est motus maximè euidens, & continuus inter omnes, ideò tempus dicitur esse in primo mobili, vt in subiecto, in quo primò est, & primò apparet: ideò est tempus extrinsecum rerum: Non tamen est verum de tempore intrinseco cuiuslibet rei variabilis siue successiuè, siue instantaneè, siue continuè, siue non, talisque etiam est in Angelis quoad ipsorum motus, & actiones. Vide *num*. 626.

193. Esse hîc potest stare demonstratiuè, & discretiuè: sic dicitur quis est hîc, quod non alibi: potest stare & demonstratiuè tantùm, sic quis dicitur esse hîc, ita quod etiam alibi: *lib*. 1. *dist*. 37. *part*. 2. *art*. 1. *quæst*. 1. *ad* 3. Vide *n*. 518.

194. Motus est actus imperfectus, idest entis in potentia prout in potentia: *lib*. 1. *dist*. 37. *part*. 2. *art*. 1. *quæst*. 2. *in fund*.

195. Quicquid mouetur, aut mouetur per se, aut per accidens: primus motus fit à motore seipso: secundus fit ad motum alterius: *lib*. 1. *dist*. 37. *p*. 2. *art*. 2. *quæst*. 1. *ad* 2. Vide *n*. 197. & 339. & 340.

196. Quicquid mouetur, est ob carentiam, & indigentiam: *lib*. 1. *distinct*. 37. *ibid*. *ad* 3. & *lib*. 4. *dist*. 49. *part*. 2. *art*. 4. *princ*. *quæst*. 1. Id verum est de motu naturali, vel propter indigentiam propriam, vel alienam, non de motu voluntario. Vide *num*. 341.

197. Quicquid mouetur, differt à motore: *lib*. 1. *dist*. 37. *part*. 2. *art*. 1. *quæst*. 1. *ad* 3. Id verum est de motu naturali, sed non de voluntario: voluntas enim, cùm sit super se reflexiua, seipsam mouet, sed non secundùm idem: Vide suprà *num*. 63. & 339. & 340. & 377.

198. Impossibile est impartibile moueri super partibile: *lib*. 1. *dist*. 37. *part*. 2. *art*. 2. *quæst*. 2. *ad* 2. & *vltim*. Id verum est de indiuisibili, quod habet situm in magnitudine, vt est punctus: non de eo, quod non habet situm, vt est Angelus. Vide infrà *num*. 202.

199. Si tanta virtus mouet in tanto tempore, & maior in minori, & maxima in minimo: ergo infinita in instanti: *lib. 1. dist. 37. part. 2. art. 1. quæst. 3. in fund. & lib. 2. distinct. 14. part. 1. art. 3. q. 1. in arg.* Hæc ratio tamen non valet in potentia valente cognoscere infinita, vt est anima Christi: id enim infert tantùm potentiam passiuam infinitam valentem recipere cognitionem infinitorum: *lib. 3. dist. 14. quæst. vltim. ad 4.* Vide *num. 238. & 337.*

200. Impossibile est, quod quis per transeat spacium maius se, quin pertranseat priùs minus, vel æquale: *lib. 1. distinct. 37. ibid.*

201. Omnis motus vel est successiuus, & dicitur propriè motus: vel est instantaneus, & dicitur mutatio, vt est generatio: *lib. 1. dist. 37. part. 2. art 1. quæst. 3. & lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1.*

202. Omne, quod successiuè mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem: *lib. 1. dist. 37. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 3. & 4.* Id verum est in successiuo completo scilicet respectu spatij substrati, respectu rei motæ, & modi acquirendi terminum ad quem: Indiuisibile autem, vt est Angelus, dicitur successiuè acquirere terminum solùm ratione accessus, & recessus, & diuisibilitatis spatij: Vide *num. 198.*

203. Radius in instanti totum illustrat: *lib. 1. dist. 37. ibid. ad 1.* Id verum est de instanti improprio, scilicet subito tempore, in quo est prius, & posterius, licèt imperceptibiliter: vel dic, quod lucis diffusio est non propriè motus localis, sed generationis, sicut generatur species ab obiecto, ideò lux simul est, & lucet.

204. In vacuo non potest fieri motus: *lib. 1. dist. 37. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 2.* Intellige de vacuo propriè dicto importante omnimodam priuationem: ibi enim nihil est, obidque nec vlla distantia, nec propè, vel longè nec vlla resistentia.

205. Motus successio prouenit primò ex medij distantia: secundò ex medij resistentia: tertiò ex partibilitate mobilis: quartò ex finitate virtutis: quintò ex limitatione mobilis: *lib. 1. distinct. 37. ibidem in corp.*

206. In simplici non potest esse aliquod compositum: *lib. 1. dist. 37. ibid. ad vlt.* Id verum est de composito, quod habet partes actu permanentes, non de eo, quod est in successione: sic motus, & duratio successiua est in Angelo.

207. Omne, quod scitur, aut scitur per causam, aut per speciem, aut per effectum: *lib. 1. dist. 38. quæst. 1. ad 5.* Vide infrà *n. 295.*

208. Aduerbium (Quia) importat vel causam essendi, vel illationem: *lib. 1. distinct. 38. art. 1. quæst. 2. ad 1.*

209. Ex maiori de necessario, & minori de inesse, semper concluditur necessariò: *lib. 1. distinct. 38. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Id verum est, quando minor est de inesse simpliciter æquiualens necessario.

210. Omne, quod est, quando est, necesse est esse: *lib. 1. dist. 38. art. 3. q. 1. ad 3.* Id verum est necessitate consequente supponente existentiam rei: & *lib. 1. dist. 47. art. 1. quæst. 2.*

211. Dictum de præterito verum est necessarium: si enim fuit, non potest non fuisse: *lib. 1. dist. 38. art. 2. q. 3. ad 2.*

Digitized by Google

ad 2. Id verum eſt, quantum eſt de ratione præteritionis: ſed tamen non ſequitur, quod abſolutè ſit neceſſarium: ſi enim eſt de contingente præterito, id non tollit, quin id fuerit contingens, & ſi eſt de futuro contingente, verbi gratià, Abraham præſciuit incarnationem futuram, id eſt contingens, licèt illa præteritio ſit neceſſaria. Vide *num.* 484.

212. Omne immutabile eſt neceſſarium, ſicut & omne æternum: *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *artic.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 6. & 7. Verum eſt, ſi immutabile actu eſt, & non poteſt aliter ſe habere, ſic & æternum, quod purè eſt æternum: non verò ſi connotat aliquid temporale, & contingens.

213. Si antecedens rectæ conſequentiæ eſt neceſſarium, etiam erit conſequens: & ſi conſequens non eſt neceſſarium, nec erit antecedens: Item & oppoſitum contingentis eſt contingens, & oppoſitum neceſſarij eſt impoſſibile: ex quo ſequitur, quod ad antecedens ſequitur conſequens: & ad oppoſitum conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis: *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quaſt.* 2. *in fund.* & *diſt.* 40. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 4.

214. Gerundia exponuntur vel per ſi, vel per dum, vel per quia: primo modo dicunt conuenientiam: ſecundo concomitantiam: & tertio cauſam, verbi gratiâ Petrus eſt bonus diligendo Deum: *lib.* 1. *diſt.* 39. *dub.* 1.

215. Scire eſt duplex: primò eſt habere cognitionem de aliquo, ideſt circa quid eſt: ſecundò noſce, quod illud eſt, ideſt exiſtit: *lib.* 1. *diſt.* 39. *dub.* 4. Item ſcire perfectè, eſt ſcire ſe ſcire, per quod agens reflectitur ſuper ſeipſum: *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 6. Vide *num.* 90. Item ſcibile eſt æternum, & immutabile: *Serm.* 1. *Hexaëm.* & Itiner. mentis *cap.* 3.

216. In entibus eſt ſtatus in vno primo ente, à quo ſunt omnia, ſic & in cognoſcibilibus in vno primo cognoſcente, à quo ſit omnis cognitio, talis eſt Deus, ſine quo eſt nihil factum, & cognitum: *lib.* 1. *diſtinct.* 39. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in fund.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 12. *art.* 1. *quaſt.* 4. & *diſtinct.* 28. *art.* 1. *quaſt.* 2. *ad* 4. & *diſt.* 29. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 1.

217. Intelligibile eſt perfectio intellectus: *lib.* 1. *diſtinct.* 39. *ibid. ad* 1. & *ſeq.* & *in corp.* Id verum eſt in creaturis, quæ cognoſcunt aliud, & per aliud à ſe, ad quod eſt in potentia: Deus autem cognoſcit à ſe, & per ſe, & per intrinſecam ideam: ſic enim non eſt in potentia, ſed eſt actus reſpectu cognoſcibilis, cùm actu prima veritas exprimat omnia.

218. Scire, & facere in Deo differunt per hoc, quod ſcire eſt actus vt habitus, qui ſignificatur vt perfectio potentiæ, ſicque ſcit, nec poteſt nō ſcire omnia: facere autem eſt actus vt actus, & vt egrediens, qui non facit perfectionem, ſed conſequitur, & ei atteſtatur tantùm: hinc non facit omnia, quæ poteſt: *lib.* 1. *diſt.* 39. *ibid. ad* 5. & *lib.* 3. *diſt.* 14. *quaſt. vltim. ad* 3.

219. Intellectus eſt vniuerſalium, ſenſus eſt ſingularium: *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quaſt.* 2. *ad* 2. Id verum eſt de intellectu coniuncto corpori pro hoc ſtatu: cognoſcendo enim per ſenſus procedit depurando, & abſtrahendo: & *lib.* 4. *diſt.* 50 *part.* 2. *quaſt.* 1. Vide *num.* 21. & 225. & 291. & 560.

220. Vt ſcientia ſit vera, requiritur proportio inter ſcibile, & ſcientiam; *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 2.

ad 2. Verum est de proportione in veritate, non in conditionibus specialibus.

221. Prædestinatio est præordinatio, ad quam tria concurrunt, scilicet quid ordinetur, & per quid, & ad quid: primum est homo: secundum est gratia: tertium est gloria: *lib.* 1. *dist.* 40. *dub.* 1. *&* *art.* 3. *quæst.* 2. *in fine.*

222. Nullus laudatur, vel vituperatur in eo, quod est necessitatis: *lib.* 1. *distinct.* 40. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in argum.* Id verum est secundùm naturam, & per modum elicientis, vel imperantis, non verò per modum acceptantis: *lib.* 3. *dist.* 18. *art.* 1. *q.* 3.

223. Si aliquid est causa alicuius, & oppositum est causa oppositi, vt si habere pulmonem est causa respirandi, ipsum non habere est causa non respirandi: *lib.* 1. *dist.* 40. *infrà & cit. lib.* 4. *dist.* 22. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3. Item si aliquid est causa alicuius per sui præsentiam, & per sui absentiam est causa oppositi: *lib.* 1. *distinct.* 40. *art.* 4. *quæst.* 2. *ad* 6. *&* 7. Id verum est de causa proxima, immediata, & totali non exigente aliam causam: si enim exigit aliam causam, hac deficiente, potest impediri effectus absque eo, quod alteri causæ imputetur: sic Deus est causa nostræ salutis, sed cum concursu nostræ libertatis: vnde quolibet istorum deficiente deficit salus: *lib.* 2. *dist.* 37. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Vide *num.* 288. *&* 298. *&* 495.

224. Quicunque habet curam alterius, si permittit eum malefacere, vel perire potens id prohibere, vel adiuuare, dicitur causa talis ruinæ: *lib.* 1. *distinct.* 40. *articul.* 4. *quæst.* 2. *ad* 5. Verum est, si tenetur id facere: sic Deus non tenetur impedire vsum malum libertatis nostræ.

225. Eandem rem cognoscit sensus, & intellectus, sed diuersimodè: sensus enim per incomplexionem, & intellectum per modum complexionis: *lib.* 1. *distinct.* 41. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *num.* 219.

226. Per terminum incomplexum significatur res quantum ad esse: per orationem verò quantum ad esse tale, vel tale: *lib.* 1. *distinct.* 41. *ibid.* Id verum est quantum ad intellectum nostrum vt subiectum, in quo causatur complexio: *ibid. ad* 2.

227. Eadem oratio modò potest esse vera, modò falsa: *lib.* 1. *dist.* 41. *art.* 2. *quæst.* 2. *&* *dist.* 44. *quæst. vlt. in corp.*

228. Bonum est sui diffusiuum: *lib.* 1. *distinct.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

229. Creaturæ perfectio est, quod possit aliud à se producere: *lib.* 1. *dist.* 42. *ibid.*

230. Omnis potentia, cuius opus est in aliud, habet dependentiam ab illo: *lib.* 1. *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Verum est de opere, quod indiget sustentante: sic omnis creatura indiget subiecto sustentante actionem, obidque non habet vim creatiuam, cùm non possit subiectari in nihilo: Vide *num.* 248. *& seq.*

231. Impossibile aliquid dicitur, primò propter naturæ ordinationem, vt de cœco fieri videntem: secundò propter præteritionem, vt te non fuisse, ex quo fuisti: tertiò propter oppositionem, vt idem esse nigrum, & album: primum est impossibile secundùm naturam: secundum secundùm tempus, siue per accidens: tertium secundùm disciplinam: est enim certum, quod opposita non sunt simul vera de eodem: *lib.* 1. *dist.* 42. *art.* 1.

art. 1. *quæst.* 3. *in argum.* Hæc omnia tamen patiuntur exceptionem aliquam respectu potentiæ Dei: *ibid. in corp. & quæst.* 4.

232. Omne verum est possibile: ergo omne, quod potest esse verum, est possibile: *lib.* 1. *distinct.* 42. *ibid. quæst.* 4. *ad* 4. Id verum est secundùm causas inferiores, vel superiores, scilicet secundùm potentiam vel passiuam, vel actiuam Diuinam.

233. Contradictoria non dicuntur infinitè distantia, cùm habeant aliquid commune in subiecto, vt quiescere, & moueri respectu eiusdem subiecti: illa autem dicuntur infinitè distantia, quæ non habent aliquid commune: *lib.* 1. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. sic ens, & nihil sunt infinitè distantia.

234. Infinitas venit à materia, finitas à forma: Intellige de infinitate per priuationem complētionis, & de potentia passiua, non de infinitate, quæ dicit actum purum: *lib.* 1. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2.

235. Infinitum est, cui nihil potest addi: *lib.* 1. *distinct.* 43. *ibidem quæst.* 2.

236. Finitum, & infinitum sunt passiones quantitatis: *lib.* 1. *dist.* 43. *ibid. quæst.* 2. Intellige de quantitate vel virtutis, vel molis.

237. Potentia, quæ operatur ex se tota, producit, si est infinita, infinitum terminum: *lib.* 1. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. Id verum est, si operatur secundùm naturam, non verò semper, si est voluntaria: *lib.* 1. *dist.* 44. *art.* 1. *quæst.* 3.

238. Potentia se habet ad opus proportionaliter, vnde tanta potentia potest in tantum opus: ergo infinita in infinitum actu: *lib.* 1. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. Id verum est, si intelligatur de opere operante, siue actione, non verò de termino actionis, nisi cùm causa, & effectus se habeant per vniuocationem, & sint eiusdem generis: sic Deus non potest facere infinitū actu creatum. Vide *num.* 199. & 337.

239. Omne continuum est diuisibile in infinitas partes: sed Deus est infinitus, ergo videtur posse eas diuidere actu: *lib.* 1. *dist* 43. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad vltim.* Id verum est de diuisione successiua in infinitum, cùm implicet continuum esse, & esse totaliter diuisum: Vide *num.* 532. Item verum est de diuisione mathematica, & de partibus secundùm materiam, non de physica, & de partibus secundùm formam, v. g. corporis determinatiua panis, ligni, &c. exigunt enim partem determinatam, ad hoc vt habeant esse: *lib.* 4. *distinct.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 2. & *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quæst.* 2. *ad vltim.* Vide *n.* 532.

240. Voluntas est rationalis motus sensui præsidens, & appetitui, scilicet ad aliquid prosequendum, vel fugiendum: *lib.* 1. *dist.* 45. *art.* 1. *quæst.* 1.

241. Verum amplectitur totum actū cognitiuæ: nihil enim scitur nisi verum; quia falsum scire, non est scire: non sic voluntas in ordine ad opus bonum: *lib.* 1. *dist.* 45. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

242. Veritas, & falsitas circa compositionem consistunt: *lib.* 1. *dist.* 46. *art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.*

243. Ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: *ibid. ad* 1. & 4. Vbi nota, quod Aristoteles non dicit solùm ab eo, quod res est tantùm, oratio dicitur vera, sed addit ab eo, quod res est, vel non est,

est, idest ab eo, quod res est, est oratio vera, quæ significat ipsam esse: & ab eo, quod non est, est vera, quæ significat ipsam non esse: & ab eo, quod res est, est falsa, quæ significat ipsam non esse: *lib. 2. dist. 37. art. 1. q. 3. in corp.*

244. Omnis causa, cuius virtus se extendit ad contrarium, voluntariè potest velle aliud, quam velit: *lib. 1. distinct. 47. art. 1. quæst. 1. ad 3. & lib. 2. dist. 7. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 3.*

245. Præceptum affirmatiuum obligat semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore: negatiuum verò semper ad semper: *lib. 1. distinct. 48. art. 2. quæst. 1. in corp. & lib. 4. distinct. 17. part. 2. articul. 2. quæst. 2. in argum.*

246. Tria sunt principia rerum naturalium intrinseca, scilicet materia, forma, & priuatio: quartum est extrinsecum, scilicet efficiens: *lib. 2. dist. 1. part. 1. dub. 3.*

247. Multitudo ortum habet ab vnitate, motus ab immutabili, ordo reducitur ad primum, & imperfectum ad perfectum: *lib. 2. dist 1. part. 1. art. 1. quæst. 1. in fund.*

248. Ex nihilo nihil fit: quia omnis actio exigit, in quod agat: *lib. 2. dist. 1. ibid. ad vltim.* Id verum est, si *ly*, *ex*, sumitur materialiter, vel causaliter: non verò ordinaliter: actio enim creata exigit in quid, non increata. Vide *num.* 230.

249. Agere, & facere differunt: illud enim exigit, in quid agat, scilicet subiectum: facere autem nequaquam: vnde factio est creatio ex nihilo: *lib. 2. dist. 1. ibid. ad 4.*

250. Agens secundùm naturam producit per formas, quæ verè sunt naturæ: sic homo hominem: agens per intellectum producit per formas, quæ non sunt aliquid rei, sed ideæ in mente: *lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 3.*

251. Infinito nihil potest addi, cùm infinito nihil sit maius: Item impossibile est infinita ordinari: ordo enim exigit primum medium, & vltimum: Item impossibile est infinita pertransiri: Item & infinita à virtute finita comprehendi: Item & infinita simul esse: *lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 1. quæst. 2. in fund.*

252. Ante omnem motum, & mutationem est motus primi mobilis: quod enim incipit, incipit per motum, vel mutationem: *lib. 2. dist. 1. ibid. ad 1. & 2.* Id verum est de motibus naturalibus, non de supernaturali mutatione, per quam ipsum mobile processit in esse, scilicet per creationem, per quam motum mobili concreauit.

253. In tempore, & motu non est assignare primum, cùm ante tempus, & motum sit tempus, & motus: *lib. 2. dist. 1. ibid. ad 3.* Verum est, postquam factum est, sed, dum fit, est assignare primum.

254. Oppositorum opposite sunt causæ: *lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 4.* Id verum est de causis intrinsecis, non de extrinsecis, & præcipuè de æquiuocis. Vide *num.* 401.

355. Idem similiter se habens, semper est natum facere idem: *lib. 2. dist. 1. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 6.* Id verum est de agente non se ipso, sed per actionem diuersam à seipso: Deus enim agit se ipso, & actione, quæ est ipse Deus: *lib. 2. dist. 1. part. 2. artic. 1. quæst. 1. ad 1. & ibid. dist. 26. art. 1. quæst. 6. ad 5. & lib. 3. dist. 29. art. 1. quæst. 1. ad 5. & serm. 3. Hexaëm.* Vide *num.* 378.

256. Id

Digitized by Google

256. In quo eſt ratio finis, ibi eſt ratio boni: *lib.2. diſt.1. part.1. art.2. quæſt.2. in fundam.*

257. In creaturis reſiſtentia, licèt aliquid impediat, confert tamen, & iuuat ad operationem ob appetitum materiæ: *lib. 2. diſt.1. part.1. artic. 2. quæſt. 2. ad 2.*

258. Idem manet ſignificatum in actiuo, & paſſiuo, ſicut recti, & obliqui: *lib. 2. diſt.. 1. part.1. artic.3. quæſt. 1. ad 1.* Id verum eſt grammaticaliter, non philoſophicè, quia importat diuerſa genera.

259. Omnis actio eſt in motu, & omnis motus eſt in actione: *lib. 2. diſt.1. part. 1. art.3. quæſt.1.* Id verum eſt de productione, in qua res producta ſubjicitur mutationi, non de æterna, & increata perſonarum: *ibid. in corp.*

260. In omni ente creato differt, quod eſt ab ipſo, quo eſt: *lib. 2. diſt.1. part.1. artic.3. quæſt. 2. ad 2.* Id verum eſt non ſecundùm differentiam eſſentialem, ſed formalem: aduertendum tamen, quod aliquando eſt differentia realis.

261. Relatio alia fundatur ſuper proprietatem accidentalem, vt ſimilitudo: alia ſuper dependentiam eſſentialem, vt relatio materiæ ad formam, creaturæ ad creatorem: & alia ſuper originem naturalem, vt producentis ad productum: *lib. 2. diſt.1. part.1. art.3. quæſt. 2. corp.*

262. Bonitas in creatura alia eſt ex forma dante eſſe: alia ex dante benè eſſe: *lib. 2. diſt.1. part.2. dub.2.*

263. Mundus ſenſibilis aſſimilatur mundo archetypo: *lib. 2. diſtinct. 1. part.2. art. 1. quæſt. 1. ad 3.* Intellige non de omnimoda aſſimilatione, ſed proportionata.

264. Quantò ſubſtantia producens eſt melior, tantò magis diffuſiua: & quantò ſpiritualior, tantò plurium cognoſcitiua, & quantò ſimplicior, tantò virtuoſior, & quantò prior, eò vniuerſalior: *lib.2. diſt.1. part. 2. art.1. quæſt. 1. in fund. & ſerm.2. & 3. Hexaëm.*

265. Nobilior eſt finis, quàm medium: *lib.2. diſt.1. part.2. art.1. quæſt.1. in fund. & quæſt.2.*

266. Quæ differunt ſpecie, habent diuerſas perfectiones ſpecie: *lib.2. diſt. 1. art.3. quæſt.1.* & quæ habent eandem perfectionem ſpecie ſecundùm eſſentiam, ſunt vnum ſpecie: *ibid. ad 1.*

267. Quæ ſunt ſimilia ſpecie, vel ſimul producuntur, vel vnum producitur ex altero: Verum eſt de iis, quæ habent eſſe per propagationem: *lib.2. diſt.1. part.2. ibid.* Vide *n.502.*

268. Omnis differentia prior eſt per naturam, quàm id, cuius eſt differentia, propriaque ipſi: & debet accipi penes optimum in re: *lib. 2. diſt.1. part. 2. art. 3. quæſt.2.*

269. Differentiæ vt plurimùm nobis innoteſcunt à poſteriori, & per proprietates: *lib. 2. diſtinct. 1. ibid. ad vlt.*

270. Præpoſitio (ex) importat ordinem, (in) continentiam, & (cum) ſimultatem, in his propoſitionibus aliquid factum eſt ex tempore, in tempore, & cum tempore: *lib. 2. diſt.2. part.1. dub. 2.*

271. Omne, quod habet eſſe limitatum actu, habet menſuram, per quam poteſt cognoſci eius limitatio, taleque eſt omne creatum: *lib. 2. diſt.2. part.1. art.1. quæſt.1. in fund.*

272. Menſura durationis reſpicit modum durandi: *lib. 2. diſt.2. ibid.*

273. Quatuor ſunt coæua, & primò creata, ſcilicet natura Angelica, materia prima, cœlum empyreum, & tempus

tempus: *lib. 2. dist. 2. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2.* Intellige de tempore largè sumpto pro omni durationis mensura.

274. Vnitas accidentalis venit ab vnitate subiecti: *lib. 2. dist. 2. part. 1. art. 1. q. 2. in fund.* Id verum est de subiecto, quod est causa simul, & subiectum, non verò de deferente tantùm, vt duo lumina in eodem aëre, & duæ species in eodem oculo: *lib. 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1. in corp. & lib. 2. dist. 13. quæst. vlt. in fine.*

275. Æuum est mensura rei perfectè, obidque Angelorum: *lib. 2. dist. 2. part. 1. art. 1. quæst. 2.* est successiuum secundùm prius, & posterius: *ibid. quæst. 3.*

276. In eo, quod habet totum esse simul, idem est fuisse, esse, & factum esse: *lib. 2. distinct. 2. ibid. quæst. 3. in fund.* Id est impossibile in creaturis.

277. Prius aliud dicitur æternitate: aliud tẽpore & aliud electione: aliud origine: *lib. 2. dist. 2. p. 1. art. 2. q. 3. ad 1.*

278. Loci ad locatum est mutua indigentia, & inclinatio: *lib. 2. dist. 2. part. 2. art. 2. quæst. 1. ad 3.* Id verum est, vbi locatum locatur propter defectum sui: non verò de locato solùm propter ordinem vniuersi, vt est Angelus.

279. Locus ad locatum habet ordinem: Primò in ratione continentis: Secundò in ratione mensurantis: Tertiò in ratione conseruantis, continet enim locus vt vas, mensurat vt quantitas, conseruat vt natura: secundùm has tres conditiones sunt in loco res corporales corruptibiles: secundùm duas primas sunt corpora incorruptibilia: secundùm primam sunt substantiæ spirituales: *lib. 2. dist. 2. part. 2. art. 2. quæst. 1. in corp.*

280. Cuicumque inest mutatio, inest principium mutabilitatis, scilicet materia: Item omnis distinctio secundùm numerum venit à principio intrinseco, & substantiali, scilicet à materia: *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 1. in fund.* Item, quod verè definitur, habet multiplicitatem naturarum.

281. In quolibet genere est reperire vnum primum, quo mensurantur omnia illius generis: *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. q. 2. in fund. & lib. 2. distinct. 34. art. 2. quæst. 1. ad vlt.* Id verum est, quando mensurantur res secundùm eius participationem.

282. Quando aliqua communis passio inest aliquibus subiectis, inest eis secundùm aliquid commune: *lib. 2. distinct. 3. ibid. & lib. 4. distinct. 49. part. 1. art. 1. quæst. 3. in arg.*

283. Corporalium, & spiritualium non est materia vna: *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. q. 2. in corp.* Id verum est de materia, prout subest contrariis.

284. Quæcumque communicant in materia, sunt ad inuicem transmutabilia: *lib. 2. distinct. 3. ibid. ad 2.* Id verum est de communicatione in materia subiecta contrariis qualitatibus, non de materia secundùm se: Vide *num. 321. & 382.*

285. Omne vnum est vel genere, vel specie, vel numero: *lib. 2. dist. 3. part. 1. art. 1. quæst. 3.*

286. Vnum numero respicit indiuiduum, seu indiuiduatum: *l. 2. d. 3. ib. q. 3. & 5.* Id verum est de numero accidẽtali, quod consequitur esse actuale, & completum, non de eo, quod respicit essentiam incompletam: Sic materia in omnibus materiatis secundùm se est vna numero vnitate tamen imperfecta ita, quod compatitur secum etiam multitudinem.

287. Fru

Digitized by Google

287. Frustrà est illa potentia, quæ non reducitur ad actum: *lib.1.dist.43. art.1. quæst.1. ad 3. & lib.4.distinct.19. art.2.quæst.2.ad 4.* Id verum ex de illa potentia, quæ per actum completur: Item de potentia, cui est debitus actus pro loco, & tempore: Item sufficit, vt exeat in aliquem actum, licèt non in omnes, vel quod possit exire: *lib.3.distinct.1.art.2. quæst.2. ad 2.*

288. Si vnum oppositorum dicitur multipliciter, & reliquum, & è contra si vnum oppositorum non dicitur multipliciter, nec reliquum: *lib.1.distinct.45.art.3. quæst.2.in arg. & lib.2. dist. 27. art. 1. quæst. 1. ad 3. & lib.2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. ad 4. & lib.3.dist.34.part.2.art.2.quæst.1. ad 1.* Verum est in æquiuocis, non verò in vniuocis: irrationale enim diuiditur in multas species, non rationale: verificatur etiam secundùm rationem formalem oppositionis, non secundùm alias. Vide *num.* 298. & 495. & 222.

289. Nihil idem secundùm idem agit, & patitur: *lib.2.dist.3.part.1. art.1.quæst.1. in fund. & lib.4.dist.50. part.2.art.1.quæst.1. in corp. & lib.2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst.2. ad 4.* Id verificatur de actione, & passione physica, non de spirituali voluntaria, qua voluntas se mouet liberè. Vide *num.* 297. & 366. & 567. & 317.

290. Indiuiduum est, cuius proprietates in vnum collectæ non possunt in alio reperiri: *lib.2.dist.3.part.1. art.2. quæst.2. ad 3. & lib.3.dist.6. art.1.quæst.1.in fund.* Id verum est de qualitatibus substantialibus, non accidentalibus puris.

291. Sensus est singularium, intellectus vniuersalium: *lib.2.dist.3. part.1.art.2. quæst.1. ad 5.* Intellige de differentia sine præcisione, scilicet intellectus est vniuersalium, & etiam singularium, sensus est singularium. Vide *num.* 22. & 219. & 56.

292. Vnitas consequens ad coniunctionem principiorum substantialium est principium indiuiduationis, ad quam consequitur vnitas accidentalis numerica, quæ est principium diuersitatis: *lib.2.dist.3.part.1.art.2. quæst.2.ad 6.*

293. Species est totum esse indiuiduorum: *lib.2.distinct.3.part.1. art.2.quæst.3.fund.* Intellige quoad esse substantiale: nam indiuiduatio ad ipsum consequitur: *lib.3.dist.2. artic.2.quæst.2.ad 3.*

294. Quæ sunt essentialiter, & præsentialiter in potentia cognoscente, cognoscuntur per sui præsentiam, & essentiam: sic anima cognoscit se ipsam, & habitus suos innatos: *lib.2. dist.3.part.2. articul.2.quæst.2.ad 3.* Id verum est de rebus, quæ sunt præsentes vt obiectum immutans, & mouens. Vide *num.*4.

295. Quicquid cognoscitur, id est vel per sui essentiam, vel per speciem, vel per effectus: *lib.2.dist.3.part.2. art.2.quæst.2.ad 4.* Vide *num.*207.

296. Cognitio rerum in proprio genere est vespertina: rerum in verbo dicitur matutina in Beatis: *lib.2.dist.4. artic.3.quæst.1.& 2.*

297. Nihil idem secundùm idem potest oppositas differentias participare: *lib.2.dist.7.part.1.art.2.quæst.1. ad 3.* Verum est, si sunt differentiæ essentialiter diuersificantes supposita: & *lib.2.dist.24.art.2.quæst.2.ad vlt. & lib.2.dist.39.art.2.q.3.ad.5.* Item id verum est secundùm eandem rationem formalem: Vide *num.* 289. & 366.

Digitized by Google

298. Opposita nata sunt fieri circa idem: Item multiplicato vno opposito multiplicatur & alterum: *lib.* 2. *distinct.* 7. *part.* 2. *artic.* 1. *quaest.* 2. *ad* 5. *& lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quaest.* 5. *in arg. & lib.* 2. *dist.* 42. *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 1. *& art.* 2. *quaest.* 3. *in fund. & lib.* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *artic.* 1. *quaest.* 3. *ad* 5. Id verum est, nisi alterum extremorum insit per naturam: sic chatitas per naturam potest augeri, non verò minui: Item id verum est respectu subiecti, quod est substantia, sumpti secundùm idem numero, non verò respectu actionis, seu accidentis, nisi secundùm identitatem specificam: eadem enim actio non potest esse bona, & mala. Item si oppositum est causa oppositi, & propositum propositi: *lib.* 2. *dist.* 11. *art.* 2. *quaest.* 3. *ad* 4. *& lib.* 3. *distinct.* 37. *art.* 1. *quaest.* 2. *ad* 5. *& lib.* 3. *dist.* 28. *art.* 1. *quaest.* 3. *ad* 4. *& dist.* 30. *articul.* 1. *quaest.* 5. *ad* 4. *lib.* 2. *dist.* 33. *quaest.* 2. *ad* 3. *lib.* 4. *distinct.* 4. *part.* 1. *quaest.* 2. *ad* 5. *& lib.* 4. *distinct.* 27. *art.* 2. *quaest.* 1. *ad* 2. Vide *num.* 288. *&* 495. *&* 222.

299. In priuatiuè oppositis tenet consequentia: *lib.* 4. *dist.* 22. *art.* 3. *part.* 1. *ad* 3. Id verum est non secundùm idem, sed è contrario, verbi gratiâ hoc est primum in componendo: ergo vltimum in resoluendo.

300. Omne, quod corrumpitur, id est, vel quia habet contrarium, vel quia est in aliquo habente contrarium, vel quia est ex contrariis: *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quaest.* 2. *in fund.*

301. Virtus sensitiua de se non senescit, sed solùm ratione organi: vndè si senex reciperet oculum pueri, videret sicut puer: *lib.* 2. *dist.* 7. *ibid. in arg.*

302. Principia rerum sunt incorruptibilia: *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Id verum est in vniuersali & secundùm essentiam, non in particulari secundùm existentiam.

303. Omnis actio scilicet substantialis terminatur ad hoc aliquid: *lib.* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quaest.* 1. *ad* 4. *& lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *quaest.* 2. *ad* 2. Idest terminatur ad compositum, non praecisè ad formam.

304. Corruptio vnius est generatio alterius: *lib.* 2. *distinct.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quaest.* 1. *in arg.*

305. Ordo vniuersi est, quod superiora influant in inferiora: *lib.* 2. *dist.* 7. *ibid. q.* 2. *ad* 3. Id verum est sumendo influentiam secundùm proportionem vnius ad alterum, & naturae suscipientis: subiectum enim incapax non suscipit influentiam.

306. Quod subiacet potentiae inferiori, subiacet potentiae superiori: *lib.* 2. *dist.* 7 *part.* 2. *art.* 2. *quaest.* 1. *ad* 1. Id verum est, si inferior habet subordinationem secundùm naturam ad vtrumque; vnde homo est potentior asino, & tamen non potest generare asinum, vt asinus. Vide *n.* 309.

307. Omne visibile sensu corporeo est mutabile: *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. Id verum est, quia nihil potest videri, nisi sit quantitate extensum, obidque compositum, & resolubile, & mutabile: solum enim omninò simplex est immutabile: Vide *n.* 527.

308. Quantò substantia est nobilior, tantò est in potentiis multiplicior: *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1 *ad* 4. Id verum est de illis potentiis, quae simpliciter attestantur perfectioni, non de illis, quae sunt coniunctae cum imperfectione, vnde Angelus est nobilior homine, & tamen non potest generare.

309. Quod

Digitized by Google

309. Quod poteſt in maius, poteſt etiam in minus: *lib.* 2. *diſt.* 8. *ibid. ad* 5. *& lib.* 2. *diſtinct.* 21. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 5. Id verum eſt, ſi ſunt ſimul ſubordinata: & *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. Vel ſi maius includat minus, vt ferre duos modios includit vnum: *lib.* 4. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. Vide *num.* 306.

310. Idem eſt principium ſenſus, & motus: *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 1. Verum eſt in animalibus, in quibus cor eſt vtriuſque principium, non de agente extrinſeco, quod alicui vnitur tantùm vt motor, non vt forma.

311. Anima vnitur corpori vt motor, & vt perfectio, ſeu forma: *lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3.

312. Impartibile applicatum impartibili ſecundùm totum ei applicatur: *lib.* 2. *diſt.* 8 *ibid. q.* 1. *ad* 2. Verum eſt de indiuiſibili ſecundùm ſitum, ſeu corporeo, non de ſpirituali ſecundùm virtutem, hoc enim habet extenſionem: vnde Angelus indiuiſibilis ſecundùm magis, & minus ſe applicat pro libito rebus.

313. Senſus non errat circa proprium obiectum: *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Id verum eſt de ſenſu particulari, & ſalua diſpoſitione organi, medij, & obiecti: non verò de impedito, & de ſenſu communi.

314. Notior eſt operatio, quàm potentia, & potentia, quàm ſubſtantia: *lib.* 2. *diſtinct.* 6. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 6. *ad* 4. Id verum eſt de operatione extrinſeca, & de naturali, non de voluntaria.

315. Magis, & minus non variat ſpeciem: *lib.* 2. *diſtinct.* 9. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 30. *articul.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 3. *diſt.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 4. Id verum eſt in genere naturæ, non moris: ſic amor ſupra Deum eſt peccatum mortale: infra Deum eſt veniale. Vide *in cit. Loc.* alias limitationes.

316. Denominatio fit à nobiliori: *lib.* 2. *diſtinct.* 9. *artic.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 2. Intellige, quod denominatio fiat à nobiliori, & tribuatur etiam digniori: vel ſi ad oppoſitum non adſit alia congruentior cauſa: *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1. *& lib.* 4. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 1. *ad arg.* Vide *num.* 82.

317. Si oppoſitum eſt cauſa oppoſiti, & propoſitum propoſiti: *lib.* 2. *diſt.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. Vide *num.* 288. *&* 298.

318. Prius poteſt eſſe ſine poſteriori: *lib.* 2. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. Id verum eſt, ſi prius non dependet à poſteriori, vel ad illud non habeat neceſſariam ordinationem: vel quando id, quod eſt prius ſecundùm vnam formalitatem, non eſt poſterius ſecundùm alteram.

319. Nihil eſt in genere, quod non ſit in aliqua ſpecie: *lib.* 2. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 5. Intellige de eo, quod eſt in genere ens completum: Item id intelligendum eſt de habentibus aliquid commune: *lib.* 4. *diſt.* 11. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1.

320. Extenſio conſequitur materiam: *lib.* 2. *diſtinct.* 1. 2 *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fund.* Ideſt materiam vt exiſtentem, non ſecundùm ſuam eſſentiam puram.

321. Corruptibilium, & incorruptibilium non eſt materia vna: *lib.* 2. *diſt.* 12.

Digitized by Google

dist. 12. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. Id intellige de materia subiecta formæ. Vide *n.* 382. *&* 284.

322. Quæ habent eandem materiam, sunt adinuicem transmutabilia: *lib.* 2. *dist.* 12. *ibid. ad* 2. Intellige de materia subiecta qualitatibus contrariis: Vnde Angelus, & homo, vel corpus non sunt adinuicem transmutabilia. Vide *n.* 284.

323. Grauitas, & leuitas sunt proprietates formarum elementarium: *lib.* 2. *dist.* 12. *art* 2. *quæst.* 3. *ad* 4.

324. Forma est principium agendi: *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *num.* 567.

325. Prior est generatio substantiæ, quàm accidentis: *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *in fund.* Et illa est nobilior accidente, idest prior prioritate naturæ.

326. Nullum accidens est causa substantiæ: Item nec per seipsum actiuum, cùm non sit per se existens: Item accidens non confert ad differentias specificas substantiæ: *lib.* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *in fund.*

327. Nihil est de constitutione accidentis, nisi accidens, & nihil, nisi accidens est per se obiectum visus: omne enim obiectum sensus est de tertia specie qualitatis: *ibid. q.* 2. *ad arg.* Vide *n.* 527.

328. Lux est de compositione coloris: *lib.* 2. *distinct.* 13. *ibid. quæst.* 2. *ad* 1. Intellige id in genere effectiuo, non vt principium intrinsecum. Vide *num.* 20.

329. Omne, quod habet trinam dimensionem, est corpus: *lib.* 2. *distinct.* 13. *artic.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4. Intellige de eo, quod ipsam habet de se, non ratione eius, in quo est, vt est lumen.

330. Impossibile est duo corpora esse impermixta, & non sese augmentantia simul: *lib.* 2. *dist.* 13. *ibid. fund.* 6. Verum est naturaliter; nam potest dari penetratio supernaturalis sine tali augmento.

331. Accidens est, quod aduenit enti iam completo, & quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, & recipit magis, & minus: *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 3. *quæst.* 2. *&* *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 3. Vide *num.* 53.

332. Impossibile est duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto, quia accidens numeratur ex subiecto: Item nullum accidens transit de subiecto in subiectum: *lib.* 2. *distinct.* 13. *art.* 3. *quæst.* 2. Id est verum de accidente, quod aliud pro causa, & aliud pro subiecto tantùm deferente, vt lux in aëre, & species intentionalis. Vide *num.* 375. *&* 428. *&* 509.

333. Ordo partium in microcosmo idest mundo maiori correspondet ordini partium in microcosmo idest mũdo minori: Vnde in homine est cor respondens soli, quod est calidæ, & igneæ naturæ: & suprà est cerebrum respondens cælo aqueo, quod est frigidæ naturæ: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

334. Natura semper, quod est melius, desiderat: *lib.* 2. *distinct.* 14. *ibid. quæst.* 2. *ad* 5. *& lib.* 2. *dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 6. *ad* 2. *& lib.* 2. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.* Intellige, quod est melius non simpliciter, sed secundùm ordinem.

335. Simplicissimo, perfectissimo, & maximè contentiuo corpori debetur figura perfectissima, quæ est circularis: *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. tale est Empyreum.

336. Dextrum, & sinistrum sunt termini

termini latitudinis: sursum, & deorsum longitudinis: ante,& retro profunditatis: *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *in fund.*

337. Si tanta virtus mouet in tanto tempore, & maior in minori, & maxima in minimo, & infinita in nunc: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *n.* 199. & 238.

338. Natura est principium motus, & quietis in eo, in quo est: *lib.* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. Intellige, quod si est sermo de principio actiuo, non semper motum esse à natura vt à tota causa: sufficit enim, vt virtus intrinseca cooperetur motori extrinseco. Item intellige de principio actiuo,& passiuo, scilicet materia,& forma: *ibid.* & *quæst.* 2. *in fund.* 1.

339. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 1. 3. & 4. & *quæst.* 2. *in arg.* Hinc fundamentum, quod omnis motus resoluitur in vnum principium mouens immobile: *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & *lib.* 3. *dist.* 27. *articul.* 1. *quæst.* 2. *in arg.* Vide *num.* 18.& 63.& 197.& 340.

340. Omnis motor sufficiens distat à mobili: hinc nulla forma extensa,& corporea est talis: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *in fund.*

341. Omne, quod mouetur à propria forma ad locum aliquem, mouetur ob indigentiam propriam, nec quiescit existente ipsa in tali dispositione, nisi violenter: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. *in fund.* Vide *num.* 196.

343 Grauia, & leuia mouentur tum virtute propriæ qualitatis,& formæ, tum virtute extrinseca loci attrahentis, & expellentis, & influentiæ cælestis: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. & *lib.* 2. *dist.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *arg.* 4. *ad oppos.*

343. Numerus est ex diuisione continui: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. Id verum est de corporibus in genere entium, non verò in genere mobilium: sic cæli sunt continui, & tamen habent motus diuersos. Vide *n.* 15. & 136.

344. Sol, & Luna sunt nomina non solùm indiuidui, sed & speciei: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1.

345. Nihil dat, quod non habet: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. & *lib.* 1 *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. Id verum est de eo,quod non habet vel formaliter, vel causaliter, vel exemplariter.

346. Actus actiuorum sunt in patiente prædisposito: *lib.* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 5 quia quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Vide *n.* 189.

347. Solus intellectus intrat ab extrinseco, idest creatur: aliæ formæ ab intrinseco, idest educuntur de potentia subiecti: *lib.* 2. *distinct.* 15. *art.* 1. *q.* 1. *in fund.* & *lib.* 2. *dist.* 31. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. Per intellectum intelligitur substantia, scilicet anima rationalis cum suis potentiis.

348. Sensus est operatio animæ in corpore secundùm conformitatem organi ad obiectum: *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *in arg.*

349. Ex iisdem constamus, ex quibus nutrimur: *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* quia autem magis nutrimur ex terra, & aqua, ideò ista duo elementa quoad molem prædominantur in animatis: & *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. Vide *num.* 94.

350. Vita est maximè per calidum, &

& humidum : *lib.* 2. *dist.* 15. *ibid.* & 17. *art.* 2. *quæst.* 3.

351. Homo est quodammodò finis, & omnium rerum complementum : *lib.* 2. *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.*

352. Somnus, & sopor est quies animalium virtutum cum intensione naturalium: *lib.* 2. *d.* 18. *art.* 1. *q.* 1. *in arg.* Id verum est, quia anima, cùm circa actum vnius virtutis intendit, dum ab vna operatione cessat, in altera vigoratur. Vide *n.* 391.

353. Semen habet rationem totius in se, & partis eius rei, quæ ex ipso producitur : *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.*

354. Vniuersale aut est nihil, aut quid posterius : *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* Id verum est de vniuersali Logico, quod est posterius operatione intellectus. Vide *n.* 112.

355. Cum dico cælum, dico formam, cùm dico hoc cælum, dico materiam : *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2.

356. Ab eodem est esse, & esse vnum, & distinctum : *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.*

357. In intellectione requiritur, vt ex intelligente, & intellecto fiat vnum : *lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad.* 5. Id verum est mediante specie. Vide suprà *n.* 19.

358. Contrarietas est causa pugnæ, & pugna in composito est causa dissolutionis : *lib.* 2. *dist.* 19. *artic.* 2. *quæst.* 1. Id verum est, quando tamen contraria non sunt redacta in concordiam, vt esset in statu innocentiæ, eritque in Patria.

359. Semen est superfluitas nutrimenti tertiæ digestionis : *lib.* 2. *dist.* 20. *artic.* 1. *quæst.* 2. *in arg.* & *lib.* 2. *distinct.* 30. *artic.* 3. *quæst.* 1 *in arg.*

360. Fœmina est mas occasionatus : *lib.* 2. *distinct.* 20. *art.* 1. *quæst.* 6. *ad* 1. & *lib.* 3. *dist.* 12. *art.* 3. *quæst.* 1. *in fund.* 1. Natura enim non intentione vniuersali, sed particulari intendit semper id, quod est perfectum : *lib.* 2. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.* id est melius in ordine : *ibid. distinct.* 20. *ad* 2. attamen & ipsa spectat ad perfectionem speciei : & *lib.* 4. *distinct.* 44. *part.* 1. *dub.* 2.

351. Intellectus speculatiuus extensione fit practicus : *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. & *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* idest extendendo se ad actus voluntatis.

362. Relatiuè opposita non possunt esse circa idem, & secundùm idem : *lib.* 2. *distinct.* 24. *ibid. quæst.* 2. *ad* 3.

363. Potentiæ, quæ habent idem obiectum, sub eadem ratione non sunt diuersæ : *ibid. quæst.* 3.

364. Causa materialis numquam incidit in idem cum aliis causis : *ibid. quæst.* 4. *in fund.* Vide *n.* 115.

365. Potentiæ prima diuisio est per actiuam, & passiuam : *lib.* 2. *dist.* 24. *ibid.* & *lib.* 4. *distinct.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1.

366. Impossibile est idem secundùm idem esse simul in actu, & in potentia : *ibid.* Vide *num.* 289. & 297. & 317. & 566.

367. In perpetuis non differt esse, & posse esse : *lib.* 2. *dist.* 24. *ibid. ad* 1. Id verum est de esse substantiali, & de differentia non secundùm naturam, sed secundùm tempus, quia in eis materia tempore non præcedit actum.

368. Intellectus aliquando dicitur potentia : aliquando habitus : aliquando

quando actus : *lib.* 2. *dist.* 25. *part.*1. *artic.*1. *quæst.* 4. *in corp.*

359. Potentia illa est libera, cuius est eligere bonum, & fugere malum, scilicet bonum, vel vtile, & delectabile, vel honestum : Item est libera illa potentia, quæ potest in opposita, & potest se reprimere ob dominium sui actus : *lib.*2.*dist.*25.*part.*1. *art.* 1. *quæst.* 1.

370. Arbitrium liberum est facultas rationis, & voluntatis : *lib.* 2. *dist.*25.*ibid.quæst.*1.2.3.*&* 4.*&* *part.*2. *per tot.*

371. Potentiæ animæ rationalis æquè diuiduntur per cognitiuas, & affectiuas : *ibid. quæst.* 2. *in fund.*1.

372. Nomen imponitur rei à proprietate essentiali, & inseparabili : *lib.* 2. *dist.*25. *part.*2. *dub.*3.

373. Nullum accidens est nobilius substantia : *lib.*2.*dist.*26.*art.* 1. *quæst.*3. *ad* 1. Id verum est quantum ad esse essentiale, & substantiale, non quantum ad esse superadditum : sic gratia superaddit aliquod nobile esse. Vide *num.* 87.

374. Vbi vnum est propter alterum, ibi vnum tantùm : *lib.*2.*dist.*26. *art.*1. *quæst.* 3. *ad* 2. *&* *dist.*40. *art.*2. *quæst.* 1. *ad* 3.*&* *dist.*42.*art.*1.*quæst.*1. *in fund.* 1. *&* *lib.*3. *dist.*9. *dub.*3. *&* *dist.*21. *art.*1. *quæst.* 3. *ad* 3. *&* *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.*2. *ad* 4. *&* *lib.*4. *distinct.* 9. *art.*1. *quæst.* 1. *ad* 1. *&* *lib.*4. *dist.*28. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 3. Id verum est, quando id, propter quod alterum participat aliquam proprietatem, est tota ratio talis participationis sic gratia est propter gratificationem animæ, hinc ambæ constituunt vnicam rationem: ratio est, quia ambo habent vnicam rationem formalem : Aduerte tamen, quod non est idem vnum propter alterum, & vnum per alterum : Ly enim (*propter*) dicit causam formalem : Ly (*per*) dicit causam instrumentalem, quæ addit aliam causalitatem causæ principali : *ibid.& lib.*4. *dist.*28.*art.*1. *quæst.*4.*ad* 3. Vide *n.* 432.

375. Accidens numeratur per suum proprium subiectum : *lib.* 2. *dist.* 26. *art.*1. *q.*5. *ad* 3.*&* *lib.* 4. *dist.*6. *part.*1. *articul.* 1. *quæst.*3. *ad* 4. Id verum est, quando subiecta vt talia sunt diuersa, non verò quando subiiciuntur vt vnum, vt ternarius in tribus subiectis est in ratione vnius : Vide aliam limitationem. *num.* 332.

376. Quod est principium vitæ perfectæ, est etiam in eo principium motus, quod viuificat : *lib.*2. *dist.*26. *art.*1. *quæst.*6. *in fund.*

377. Omnis motor sufficiens est hoc aliquid, idest substantia completa distans à mobili : *lib.* 2. *distinct.*26. *art.* 1. *quæst.* 6. *ad* 2. Verum est de eo motu, in quo moueri est verè pati, & de eo motore, qui est tota causa efficiens, & sufficiens motus. Vide *n.*63. *&* 180. *&* 197.

378. Idem manens idem semper est natum facere idem : *lib.* 2. *dist.*26. *art.* 1. *quæst.* 6. *ad* 5. Id verum est in creaturis, non in Deo : Verum est etiam de eo, quod naturaliter inclinat tum ratione sui, tum ratione adiecti, & obiecti : nam secundùm diuersitatem obiectorum fit diuersificatio actuum, sic sol alio modo illuminat crystallum, alio lapidem : *lib.* 3. *distinct.* 29. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. *&* *Serm.* 3. *Hexaëm.* Vide *n.*255.

379. Diuisio adæquata est per opposita : *lib.* 2. *dist.* 27. *art.*1. *quæst.* 1. *in fund.*

380. Quorum definitiones sunt eædem, ipsa sunt eadem : *lib.*2.*dist.*27. *art.*1. *q.*2. *ad* 2. Verum est, si competunt ipsis eodem modo.

381. Quotiescunque aliqua habent diuersas differentias diuidentes: vel vnum remanet, reliquo recedente, vel vnum remanet indiuisum, aliud diuiditur, & multiplicatur, illa non sunt omninò idem: *lib.2. distinct. 27. art. 1. quæst. 2. in arg.*

382. Corruptibile, & incorruptibile differunt per essentiam: *lib. 2. dist. 27. art. 1. quæst. 3. ad* 4. Id verum est, quando vtrumque venit ex natura principiorum componentium: non verò quando ab extrinseco prouenit: Sic gratia est corruptibilis: gloria nequaquam ratione status. Vide *n.* 321.

383. Omnis potentia naturalis naturaliter appetit suam perfectionem, qua indiget, & potest compleri: *lib. 2. distinct. 27. artic. 2. quæst. 1. ad* 3. Id verum est de perfectione, quæ naturaliter potest haberi, non de illa, quæ supernaturaliter tantùm, nisi in generali.

384. Perfectum est id, quod peruenit ad proprium finem: *lib 2. dist. 29. art. 1. quæst. 2. ad* 2.

385. Natura non deficit in necessariis, nec nihil facit frustrà: *lib. 2. dist.. 27. art. 1. quæst. 2. ad* 5. Id verum est quoad naturalia, & quoad esse substantiale, quod causatur ex principiis naturæ, non quoad supernaturalia.

386. Ars, & virtus est circa difficilia: *lib. 2. dist. 29. artic. 3. quæst. 2. in fund.*

387. Omne augmentum vel fit per additionem, vel per rarefactionem: *lib. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1.*

388. Caro corporis alia est secundùm speciem: alia secundùm materiam: prima est, quæ habet vim in se conuertendi alimentum in propriam carnem: secunda est, quæ non habet hanc vim: *lib. 2. d. 30. art. 3. q. 2.* Sic etiam vinum secundùm speciem habet vim conuertendi in se aquam, quod tamen superadditum dicitur vinum secundùm materiam: *lib. 4. dist. 44. part. 1. art. 2. q. 1.*

389. Sensitiuum est in intellectiuo, sicut tetragonus in pentagono: *lib. 2. dist. 31. art. 1. quæst. 1. in fund.*

390. Embrio priùs est animal, quàm homo, quia priùs nutritur, & sentitur, quàm perficiatur anima rationali: *lib. 2. dist. 31. art. 1. q. 1. ad* 4. Id absolutè non est verum: sed embrio dicitur priùs sensibilis, quàm rationalis sensibilitate proueniente à virtute immissa à generante, & existente in semine, non ab anima nati.

391. Cum intenditur operatio sensus, minuitur operatio intellectus, & è conuerso, quod est signum identitatis potentiarum cum anima: *lib. 2. dist. 31. ibid. in fund.* Vide *n.* 352.

392. Potentia generatiua est animæ vegetabilis: *lib. 2. dist. 31. art. 1. quæst. 2. ad* 2.

393. Omne agens præstantius est patiente: *lib. 2. dist. 31. art. 2. quæst. 1. ad* 2. Id verum est in ratione agentis per influentiam: Item quando agens differt essentialiter à patiente: *lib. 3. distinct. 33. art. 1. quæst. 5. ad* 3. *& lib. 4. distinct. 44. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad arg. & lib. 3. distinct. 16. art. 1. quæst. 1. ad* 4. Vide *n.* 97.

394. Necesse est agens, & patiens in materia communicare: *lib. 2. dist. 31. ibid. ad* 3. Id verum est de actione, qua contrarium agit in contrarium.

395. In habentibus symbolum facilior est transitus: *lib. 2. dist. 33. artic. 1. quæst. 1. ad* 3. Verum est, quando vtrobique æqualiter saluatur ratio principij agentis: Item verum est de habentibus dispositionem debitam, non verò in ipsa carentibus, vt os similius

ſimilius eſt oſſi, & tamen facilius in ipſum conuertitur humor : *lib.* 4. *diſt.* 20. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 4. *ad* 1.

396. Proprietas quò magis appropinquat ſuæ cauſæ, eo intenſior, & fortior eſt, & quò magis elongatur, eò eſt debilior : *lib.* 2. *diſt.* 33. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 5. Id verum eſt de proprietate, quæ dicit naturam, & quæ habet identitatem, & continuationem cum ſua origine, vt eſt in virtute mouente, & in luminis effuſione à Sole : non verò de diſcontinuata, vt eſt candela ab alia accenſa, ita enim illuminat approximata, vel alongata, &c.

397. Mulier menſtruata per viſum maculat ſpeculum nouum, non vetus : *lib.* 2. *diſt.* 33. *art.* 2. *quaſt.* 1. *in corp.*

398. Illa, quorum potentia eſt in termino, non habent recipere magis, vel minus : *lib.* 2. *diſt.* 33. *art.* 2. *quaſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 35. *dub.* 1. & *diſt.* 34. *artic.* 2. *quaſt.* 3. *ad* 4. & *lib.* 2. *diſtinct.* 42. *art.* 3. *quaſt.* 1. *ad vltim.* & *lib.* 3. *diſtinct.* 34. *part.* 2. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 2. Id verum eſt in poſitione, ſed magis in pura priuatione, vt cæcus, & nudus : *lib.* 4. *diſt* 18. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 4. *ad vlt.*

399. Quando aliquid deſideratur, & illo quis priuatur, neceſſe eſt illum triſtari, & dolere : *lib.* 2. *diſt.* 33. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 3. & 5. Id verum eſt, ſi non fiat aliqua compenſatio ſecundùm æſtimationem deſiderantis, vel quando ignoratur cauſa, vt in puerorum animabus Lymbi.

400. Summum bonum dicitur per impermixtionem cum contrario : *lib.* 2. *diſt.* 34. *dub.* 3. Id verum eſt de contrariis poſitiuis, non verò priuatiuis, &c.

401. Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ : *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 4. Id verum eſt de cauſa vniuoca, non æquiuoca. Vide *n.* 254.

402. Cuius cauſa bona, & ipſum eſt bonum : *lib.* 2. *diſtinct.* 34. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. Id verum eſt, ſi cauſa ſumitur per ſe, & ſecundùm ſe, ideſt ſi cauſat vt bona, & eſt bona, ſecundùm quod cauſat : Vide ſuprà *n.* 13.

403. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati : *lib.* 2. *diſt.* 34. *ibid. ad* 4. Id verum eſt de effectu, quod ita conuenit vni, quod non eſt extraneum alteri : ſic Deus eſt cauſa creaturæ operantis malum, & non ipſius mali : quia facere malum competit creaturę, non vt eſt à Deo, cui eſt extraneum, ſed vt defectibilis, & ex nihilo.

404. Quando alterum de altero prædicatur, de quocunque prædicatur ſubiectum, prædicatur & prædicatum : *lib.* 2. *diſt.* 34. *ibid.* Verum eſt de prædicato per ſe, ſecundùm ſe, & non de extraneo. Vide *n.* 39. & 40.

405. Bonum, & finis idem ſunt : *lib.* 2. *diſt.* 34. *articul.* 1. *quaſt.* 1. *in fund.* Vide *num.* 13.

406. Nemo aſpiciens ad malum, malum operatur : *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 1. *quaſt.* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 38. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2. Id verum eſt de malo ſecundùm ſe, vel de malo ſibi, non verò de malo ſub alia ratione, ſcilicet boni vtilis, vel delectabilis, vel ſecundùm æſtimationem : Id etiam eſt verum in agente naturali ; ſemper enim natura intendit, quod melius eſt, non de voluntario : Vide *ſerm.* 1. *Hexaëm.*

407. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſic & magis ad magis, & maximè ad maximè : *lib.* 2. *diſtinct.* 34. *art.* 2. *quaſt.* 1. *in fund.* Id verum eſt de iis, quæ per ſe dicuntur, non per accidens, & etiam quando terminus accipi

accipitur eodem modo, & non variatur prædicatio: Vnde non valet, bonum opponitur malo: ergo summum bonum summo malo: non enim datur summum malum, nihil enim est ita malum, quod non possit esse peius: *lib.* 4. *dist.* 28. *articul.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

408. Magis, & minus dicitur per accessum ad terminum: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Verum est in entibus positiuis, non in priuatiuis, quæ sumuntur per recessum à bono.

409. Omne per accidens reducitur ad per se: Et dictum per participationem reducitur ad dictum per se: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. 5. & 6. & *lib* 3. *dist.* 10. *artic.* 2. *quæst.* 2. *in fund.* & *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. Item in quolibet genere est reperire vnum primum: *ibid.* Hæc vera sunt in entibus positiuis causatis ex principiis subiecti, & quæ possunt essentialiter dici, & quæ possunt alia mensurari secundùm eius participationem maiorem, vel minorem: non in entibus priuatiuis, vel negatiuis: Item ens per se, & per accidens dicitur in ordine ad subiectum: causa verò per se, & causa per accidens per ordinem ad intentionem: *lib.* 2. *distinct.* 37. *cit.*

410. Ens, & bonum conuertuntur: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3. *in arg.* & *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vlt.* Intellige de ente, & bono naturæ, sic & ens, verumque conuertuntur: *lib.* 2. *dist.* 37. *ibid.* Sunt enim proprietates essentialiter identificatæ cum ente: *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *quæst. vltim. in corp.* Et omne, quod est, ideò est, quia vnum: *lib.* 3. *dist.* 6. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *n.* 134. & 56.

411. Quædam sunt entia in recto, quædam sunt entium in obliquo, quales sunt priuationes: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3.

412. Causa, & effectus realiter differunt: *lib.* 2. *distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 2. *arg.* 5. Vide *n.* 125.

413. Omnium contrariorum aliqua est proportio: *lib.* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* Vnde contraria propriè, scilicet positiua sunt in eodem genere: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3. Priuatiua tamen etiam ad idem genus reducuntur.

414. Omnes actiones animæ, passiones sunt: *lib.* 2. *d.* 35. *ar.* 1. *q.* 1. *in fund.* recipiuntur enim in anima: Vnde eadem actio aliquando etiam est passio secundùm alium respectum: *lib.* 2. *dist.* 35. *ibid. in corp. ad* 1. & 2.

415. Natura aliquando stat pro re naturali, vel eius proprietate, aliquando pro re conseruante naturam, aliquando generaliter pro quacunque re: *lib.* 2. *dist.* 37. *dub.* 2.

416. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

417. Esse est actus entis, viuere viuentis: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.*

418. Idem est principium essendi, & conseruandi: *lib.* 2. *dist.* 37. *ibid. ad* 3. Id verum est in genere causæ formalis, & efficientis: requiritur enim ad conseruationem virtus formæ complentis, & adiutorium primæ causæ efficientis.

419. Vbi est compositio, ibi est aliqua vnio, & vnitas: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* & *lib.* 3. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. Non est tamen verum ex opposito: Vbi est vnio, ibi compositio, quia plus est vnio: *lib.* 3. *dist.* 1. *art.* 1. *q.* 1 *ad* 2

410. Compositio dicitur vel componentis actio, vel compossibilis passio,

ſio, vel rei compoſitæ diſpoſitio: *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

421. Caſus eſt inopinatus rei euentus, ideſt abſque intentione: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 2. fortuitum ortum habet à cauſa per accidens: *lib.* 2. *diſt.* 37. *ibid.*

422. Æqualitas, & inæqualitas dicunt poſitionem, inæqualitas tamen dicit cum poſitione etiam priuationem: *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2.

423. Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus: falſitas verò eſt inadæquatio rei, & intellectus: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2. Vide *num.* 21. & 56.

424. Veritas enuntiationis alia eſt eſſentialis: alia accidentalis: prima eſt id, ad quod eſt inſtituta ſiue vera, ſiue falſa: ſecunda eſt per ordinem ad rem: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.*

425. Cognitio propoſitionis non poteſt haberi, niſi præcognoſcantur termini: *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 2.

426. Quæ naturaliter inſunt, ſunt inſeparabilia: *lib.* 2. *diſtinct.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in argum.* Id verum eſt de iis, quæ inſunt ſecundùm principia intrinſeca.

427. Malum vel eſt prohibitum, quia malum, vel eſt malum, quia prohibitum: *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in fund.* 2. & *diſtinct.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fund.* 2.

428. Accidentia ſunt tranſmutabilia circa ſubiectum, & ſeparabilia à ſubiecto ſaltem per intellectum: *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & 2. prima pars eſt vera de ſubiecto permanente, non de ſucceſſiuo, vt eſt malitia in actione: Vide *num.* 332. & 375.

429. Differentiæ eſſentiales ſunt conſtitutiuæ ſpeciei: nec alternantur circa indiuiduum ſpeciei, & ſemper addunt aliquid generi: *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2.

430. Multiplicato inferiori multiplicatur ſuperius: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. Verum eſt de ſuperiori eſſentiali. Vide *num.* 599. & 461.

431. Multiplicato ſubiecto multiplicatur accidens, quod conſiſtit per illud ſubiectum: *lib.* 2. *diſt.* 42. *ibid. ad* 3. Verum eſt, ſi ſubiectum per ſe multiplicetur, & hoc ſubiectum ſit, in quo eſt primò accidens, nempè quatenùs eſt ſubiectum.

432. Per ſe, & per accidens non ponunt in numerum: ſi enim diligo vinum, quia dulce, non diligo duo: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fund.* 1. Vide *num.* 374.

433. Simplex, ad quod conuertit, totaliter ſe conuertit: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. Verum eſt quantum ad actum conuertendi: ſic enim anima vnum ſimul poteſt intelligere: non quantum ad habitum, in quo datur intenſio maior, & minor.

434. Motus ſeparat à termino à quo: *lib* 2. *diſtinct.* 42. *ibid. ad* 5. Verum eſt de motu propriè dicto.

435. Omne vnibile non vnitum dicit ordinem ad complementum: *lib.* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. Id verum eſt de vnibili, quod redactum ad actum in ſe aliquid de nouo acquirit: non verò quando acquiritur aliquid de nouo in altero: ſic Diuina natura eſt vnibilis humanæ.

436. Natura non facit per plura, quæ poteſt facere per pauciora: id enim importat perfectionem: *lib.* 3. *diſt.* 1.

accipitur eodem modo, & non variatur prædicatio: Vnde non valet, bonum opponitur malo: ergo summum bonum summo malo: non enim datur summum malum, nihil enim est ita malum, quod non possit esse peius: *lib.* 4. *dist.* 28. *articul.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

408. Magis, & minus dicitur per accessum ad terminum: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Verum est in entibus positiuis, non in priuatiuis, quæ sumuntur per recessum à bono.

409. Omne per accidens reducitur ad per se: Et dictum per participationem reducitur ad dictum per se: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. 5. & 6. & *lib.* 3. *dist.* 10. *artic.* 2. *quæst.* 2. *in fund.* & *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 2 *quæst.* 2. *ad* 2. Item in quolibet genere est reperire vnum primum: *ibid.* Hæc vera sunt in entibus positiuis causatis ex principiis subiecti, & quæ possunt essentialiter dici, & quæ possunt alia mensurari secundùm eius participationem maiorem, vel minorem: non in entibus priuatiuis, vel negatiuis: Item ens per se, & per accidens dicitur in ordine ad subiectum: causa verò per se, & causa per accidens per ordinem ad intentionem: *lib.* 2. *distinct.* 37. *cit.*

410. Ens, & bonum conuertuntur: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3. *in arg.* & *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad vlt.* Intellige de ente, & bono naturæ, sic & ens, verumque conuertuntur: *lib.* 2. *dist.* 37. *ibid.* Sunt enim proprietates essentialiter identificatæ cum ente: *lib.* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *quæst. vltim. in corp.* Et omne, quod est, ideò est, quia vnum: *lib.* 3. *dist.* 6. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* Vide *n.* 134. & 56.

411. Quædam sunt entia in recto, quædam sunt entium in obliquo, quales sunt priuationes: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3.

412. Causa, & effectus realiter differunt: *lib.* 2. *distinct.* 35. *art.* 1. *quæst.* 2. *arg.* 5. Vide *n.* 125.

413. Omnium contrariorum aliqua est proportio: *lib.* 2. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* Vnde contraria propriè, scilicet positiua sunt in eodem genere: *lib.* 2. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3. Priuatiua tamen etiam ad idem genus reducuntur.

414. Omnes actiones animæ, passiones sunt: *lib.* 2. *d.* 35. *ar.* 1. *q.* 1. *in fund.* recipiuntur enim in anima: Vnde eadem actio aliquando etiam est passio secundùm alium respectum: *lib.* 2. *dist.* 35. *ibid. in corp. ad* 1. & 2.

415. Natura aliquando stat pro re naturali, vel eius proprietate, aliquando pro re conseruante naturam, aliquando generaliter pro quacunque re: *lib.* 2. *dist.* 37. *dub.* 2.

416. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

417. Esse est actus entis, viuere viuentis: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.*

418. Idem est principium essendi, & conseruandi: *lib.* 2. *dist.* 37. *ibid. ad* 3. Id verum est in genere causæ formalis, & efficientis: requiritur enim ad conseruationem virtus formæ complentis, & adiutorium primæ causæ efficientis.

419. Vbi est compositio, ibi est aliqua vnio, & vnitas: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* & *lib.* 3. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. Non est tamen verum ex opposito: Vbi est vnio, ibi compositio, quia plus est vnio: *lib.* 3. *dist.* 1. *art.* 1. *q.* 1 *ad* 2

420. Compositio dicitur vel componentis actio, vel compossibilis passio,

ſio, vel rei compoſitæ diſpoſitio: *lib. 2. diſt. 37. art. 1. quæſt. 3. in corp.*

421. Caſus eſt inopinatus rei euentus, ideſt abſque intentione: *lib. 2. diſtinct. 37. art. 2. quæſt. 2.* fortuitum ortum habet à cauſa per accidens: *lib. 2. diſt. 37. ibid.*

422. Æqualitas, & inæqualitas dicunt poſitionem, inæqualitas tamen dicit cum poſitione etiam priuationem: *lib. 2. diſt. 37. art. 2. quæſt. 3. ad 2.*

423. Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus: falſitas verò eſt inadæquatio rei, & intellectus: *lib. 2. diſtinct. 37. art. 2. quæſt. 3. ad 2.* Vide *num. 21. & 56.*

424. Veritas enuntiationis alia eſt eſſentialis: alia accidentalis: prima eſt id, ad quod eſt inſtituta ſiue vera, ſiue falſa: ſecunda eſt per ordinem ad rem: *lib. 2. diſtinct. 37. art. 2. quæſt. 3. in corp.*

425. Cognitio propoſitionis non poteſt haberi, niſi præcognoſcantur termini: *lib. 2. diſt. 39. art. 1. q. 2.*

426. Quæ naturaliter inſunt, ſunt inſeparabilia: *lib. 2. diſtinct. 39. art. 1. quæſt. 2. & lib. 4. diſt. 12. part. 1. art. 2. quæſt. 3. in argum.* Id verum eſt de iis, quæ inſunt ſecundùm principia intrinſeca.

427. Malum vel eſt prohibitum, quia malum, vel eſt malum, quia prohibitum: *lib. 2. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3. in fund. 2. & diſtinct. 40. art. 1. quæſt. 1. in fund. 2.*

428. Accidentia ſunt tranſmutabilia circa ſubiectum, & ſeparabilia à ſubiecto ſaltem per intellectum: *lib. 2. diſt. 41. art. 1. quæſt. 2. ad 1. & 2.* prima pars eſt vera de ſubiecto permanente, non de ſucceſſiuo, vt eſt malitia in actione: Vide *num. 332. & 375.*

429. Differentiæ eſſentiales ſunt conſtitutiuæ ſpeciei: nec alternantur circa indiuiduum ſpeciei, & ſemper addunt aliquid generi: *lib. 2. diſt. 41. art. 1. quæſt. 2.*

430. Multiplicato inferiori multiplicatur ſuperius: *lib. 2. diſt. 42. art. 1. quæſt. 1. ad 2.* Verum eſt de ſuperiori eſſentiali. Vide *num. 599. & 461.*

431. Multiplicato ſubiecto multiplicatur accidens, quod conſiſtit per illud ſubiectum: *lib. 2. diſt. 42. ibid. ad 3.* Verum eſt, ſi ſubiectum per ſe multiplicetur, & hoc ſubiectum ſit, in quo eſt primò accidens, nempè quatenùs eſt ſubiectum.

432. Per ſe, & per accidens non ponunt in numerum: ſi enim diligo vinum, quia dulce, non diligo duo: *lib. 2. diſt. 42. art. 1. quæſt. 1. in fund. 1.* Vide *num. 374.*

433. Simplex, ad quod conuertit, totaliter ſe conuertit: *lib. 2. diſt. 42. art. 2. q. 1. ad 4.* Verum eſt quantum ad actum conuertendi: ſic enim anima vnum ſimul poteſt intelligere: non quantum ad habitum, in quo datur intenſio maior, & minor.

434. Motus ſeparat à termino à quo: *lib 2. diſtinct. 42. ibid. ad 5.* Verum eſt de motu propriè dicto.

435. Omne vnibile non vnitum dicit ordinem ad complementum: *lib. 3. diſtinct. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 3.* Id verum eſt de vnibili, quod redactum ad actum in ſe aliquid de nouo acquirit: non verò quando acquiritur aliquid de nouo in altero: ſic Diuina natura eſt vnibilis humanæ.

436. Natura non facit per plura, quæ poteſt facere per pauciora: id enim importat perfectionem: *lib. 3. diſt. 1.*

accipitur eodem modo, & non variatur prædicatio: Vnde non valet, bonum opponitur malo: ergo summum bonum summo malo: non enim datur summum malum, nihil enim est ita malum, quod non possit esse peius: *lib. 4. dist. 28. articul. 1. quæst. 2. ad 2.*

408. Magis, & minus dicitur per accessum ad terminum: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Verum est in entibus positiuis, non in priuatiuis, quæ sumuntur per recessum à bono.

409. Omne per accidens reducitur ad per se: Et dictum per participationem reducitur ad dictum per se: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 4. 5. & 6. & lib 3. dist. 10. artic. 2. quæst. 2. in fund. & lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 2. ad 2.* Item in quolibet genere est reperire vnum primum: *ibid.* Hæc vera sunt in entibus positiuis causatis ex principiis subiecti, & quæ possunt essentialiter dici, & quæ possunt alia mensurari secundùm eius participationem maiorem, vel minorem: non in entibus priuatiuis, vel negatiuis: Item ens per se, & per accidens dicitur in ordine ad subiectum: causa verò per se, & causa per accidens per ordinem ad intentionem: *lib. 2. distinct. 37. cit.*

410. Ens, & bonum conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 3. in arg. & lib. 2. dist. 41. art. 1. quæst. 1. ad vlt.* Intellige de ente, & bono naturæ, sic & ens, verumque conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. ibid.* Sunt enim proprietates essentialiter identificatæ cum ente: *lib. 2. distinct. 1. part. 1. quæst. vltim. in corp.* Et omne, quod est, ideò est, quia vnum: *lib. 3. dist. 6. artic. 1. quæst. 1. in fund.* Vide *n. 134. & 56.*

411. Quædam sunt entia in recto, quædam sunt entium in obliquo, quales sunt priuationes: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.*

412. Causa, & effectus realiter differunt: *lib. 2. distinct. 35. art. 1. quæst. 2. arg. 5.* Vide *n. 125.*

413. Omnium contrariorum aliqua est proportio: *lib. 2. dist. 35. art. 1. quæst. 3. in fund.* Vnde contraria propriè, scilicet positiua sunt in eodem genere: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.* Priuatiua tamen etiam ad idem genus reducuntur.

414. Omnes actiones animæ, passiones sunt: *lib. 2. d. 35. ar. 1. q. 1. in fund.* recipiuntur enim in anima: Vnde eadem actio aliquando etiam est passio secundùm alium respectum: *lib. 2. dist. 35. ibid. in corp. ad 1. & 2.*

415. Natura aliquando stat pro re naturali, vel eius proprietate, aliquando pro re conseruante naturam, aliquando generaliter pro quacunque re: *lib. 2. dist. 37. dub. 2.*

416. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 1. in fund.*

417. Esse est actus entis, viuere viuentis: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 2. in fund.*

418. Idem est principium essendi, & conseruandi: *lib. 2. dist. 37. ibid. ad 3.* Id verum est in genere causæ formalis, & efficientis: requiritur enim ad conseruationem virtus formæ complentis, & adiutorium primæ causæ efficientis.

419. Vbi est compositio, ibi est aliqua vnio, & vnitas: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 3. in fund. & lib. 3. dist. 1. art. 1. quæst. 1.* Non est tamen verum ex opposito: Vbi est vnio, ibi compositio, quia plus est vnio: *lib. 3. dist. 1. art. 1. q. 1 ad 2*

410. Compositio dicitur vel componentis actio, vel compossibilis passio,

sio, vel rei compositæ dispositio: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.*

421. Casus est inopinatus rei euentus, idest absque intentione: *lib.* 2. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. fortuitum ortum habet à causa per accidens: *lib.* 2. *dist.* 37. *ibid.*

422. Æqualitas, & inæqualitas dicunt positionem, inæqualitas tamen dicit cum positione etiam priuationem: *lib.* 2. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2.

423. Veritas est adæquatio rei, & intellectus: falsitas verò est inadæquatio rei, & intellectus: *lib.* 2. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. Vide *num.* 21. & 56.

424. Veritas enuntiationis alia est essentialis: alia accidentalis: prima est id, ad quod est instituta siue vera, siue falsa: secunda est per ordinem ad rem: *lib.* 2. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.*

425. Cognitio propositionis non potest haberi, nisi præcognoscantur termini: *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *q.* 2.

426. Quæ naturaliter insunt, sunt inseparabilia: *lib.* 2. *distinct.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *in argum.* Id verum est de iis, quæ insunt secundùm principia intrinseca.

427. Malum vel est prohibitum, quia malum, vel est malum, quia prohibitum: *lib.* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* 2. & *distinct.* 40. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* 2.

428. Accidentia sunt transmutabilia circa subiectum, & separabilia à subiecto saltem per intellectum: *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. & 2. prima pars est vera de subiecto permanente, non de successiuo, vt est malitia in actione: Vide *num.* 332. & 375.

429. Differentiæ essentiales sunt constitutiuæ speciei: nec alternantur circa indiuiduum speciei, & semper addunt aliquid generi: *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 2.

430. Multiplicato inferiori multiplicatur superius: *lib.* 2. *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Verum est de superiori essentiali. Vide *num.* 599. & 461.

431. Multiplicato subiecto multiplicatur accidens, quod consistit per illud subiectum: *lib.* 2. *dist.* 42. *ibid. ad* 3. Verum est, si subiectum per se multiplicetur, & hoc subiectum sit, in quo est primò accidens, nempè quatenùs est subiectum.

432. Per se, & per accidens non ponunt in numerum: si enim diligo vinum, quia dulce, non diligo duo: *lib.* 2. *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* 1. Vide *num.* 374.

433. Simplex, ad quod conuertit, totaliter se conuertit: *lib.* 2. *dist.* 42. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. Verum est quantum ad actum conuertendi: sic enim anima vnum simul potest intelligere: non quantum ad habitum, in quo datur intensio maior, & minor.

434. Motus separat à termino à quo: *lib* 2. *distinct.* 42. *ibid. ad* 5. Verum est de motu propriè dicto.

435. Omne vnibile non vnitum dicit ordinem ad complementum: *lib.* 3. *distinct.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Id verum est de vnibili, quod redactum ad actum in se aliquid de nouo acquirit: non verò quando acquiritur aliquid de nouo in altero: sic Diuina natura est vnibilis humanæ.

436. Natura non facit per plura, quæ potest facere per pauciora: id enim importat perfectionem: *lib.* 3.

dist. 1.

accipitur eodem modo, & non variatur prædicatio: Vnde non valet, bonum opponitur malo: ergo summum bonum summo malo: non enim datur summum malum, nihil enim est ita malum, quod non possit esse peius: *lib. 4. dist. 28. articul. 1. quæst. 2. ad 2.*

408. Magis, & minus dicitur per accessum ad terminum: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Verum est in entibus positiuis, non in priuatiuis, quæ sumuntur per recessum à bono.

409. Omne per accidens reducitur ad per se: Et dictum per participationem reducitur ad dictum per se: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 4. 5. & 6. & lib 3. dist. 10. artic. 1. quæst. 2. in fund. & lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 2. ad 2.* Item in quolibet genere est reperire vnum primum: *ibid.* Hæc vera sunt in entibus positiuis causatis ex principiis subiecti, & quæ possunt essentialiter dici, & quæ possunt alia mensurari secundùm eius participationem maiorem, vel minorem: non in entibus priuatiuis, vel negatiuis: Item ens per se, & per accidens dicitur in ordine ad subiectum: causa verò per se, & causa per accidens per ordinem ad intentionem: *lib. 2. distinct. 37. cit.*

410. Ens, & bonum conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 3. in arg. & lib. 2. dist. 41. art. 1. quæst. 1. ad vlt.* Intellige de ente, & bono naturæ, sic & ens, verumque conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. ibid.* Sunt enim proprietates essentialiter identificatæ cum ente: *lib. 2. distinct. 1. part. 1. quæst. vltim. in corp.* Et omne, quod est, ideò est, quia vnum: *lib. 3. dist. 6. artic. 1. quæst. 1. in fund.* Vide *n. 134. & 56.*

411. Quædam sunt entia in recto, quædam sunt entium in obliquo, quales sunt priuationes: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.*

412. Causa, & effectus realiter differunt: *lib. 2. distinct. 35. art. 1. quæst. 2. arg. 5.* Vide *n. 125.*

413. Omnium contrariorum aliqua est proportio: *lib. 2. dist. 35. art. 1. quæst. 3. in fund.* Vnde contraria propriè, scilicet positiua sunt in eodem genere: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.* Priuatiua tamen etiam ad idem genus reducuntur.

414. Omnes actiones animæ, passiones sunt: *lib. 2. d. 35. ar. 1. q. 1. in fund.* recipiuntur enim in anima: Vnde eadem actio aliquando etiam est passio secundùm alium respectum: *lib. 2. dist. 35. ibid. in corp. ad 1. & 2.*

415. Natura aliquando stat pro re naturali, vel eius proprietate, aliquando pro re conseruante naturam, aliquando generaliter pro quacunque re: *lib. 2. dist. 37. dub. 2.*

416. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 1. in fund.*

417. Esse est actus entis, viuere viuentis: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 2. in fund.*

418. Idem est principium essendi, & conseruandi: *lib. 2. dist. 37. ibid. ad 3.* Id verum est in genere causæ formalis, & efficientis: requiritur enim ad conseruationem virtus formæ complentis, & adiutorium primæ causæ efficientis.

419. Vbi est compositio, ibi est aliqua vnio, & vnitas: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 3. in fund. & lib. 3. dist. 1. art. 1. quæst. 1.* Non est tamen verum ex opposito: Vbi est vnio, ibi compositio, quia plus est vnio: *lib. 3. dist. 1. art. 1. q. 1 ad 2*

420. Compositio dicitur vel componentis actio, vel compossibilis passio,

Digitized by Google

ſio,vel rei compoſitæ diſpoſitio: *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

421. Caſus eſt inopinatus rei euentus, ideſt abſque intentione: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 2. fortuitum ortum habet à cauſa per accidens: *lib.* 2. *diſt.* 37. *ibid.*

422. Æqualitas, & inæqualitas dicunt poſitionem, inæqualitas tamen dicit cum poſitione etiam priuationem: *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2.

423. Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus: falſitas verò eſt inadæquatio rei, & intellectus: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2. Vide *num.* 21. & 56.

424. Veritas enuntiationis alia eſt eſſentialis: alia accidentalis: prima eſt id, ad quod eſt inſtituta ſiue vera, ſiue falſa: ſecunda eſt per ordinem ad rem: *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.*

425. Cognitio propoſitionis non poteſt haberi, niſi præcognoſcantur termini: *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 2.

426. Quæ naturaliter inſunt, ſunt inſeparabilia: *lib.* 2. *diſtinct.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *p rt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in argum.* Id verum eſt de iis, quæ inſunt ſecundùm principia intrinſeca.

427. Malum vel eſt prohibitum, quia malum, vel eſt malum, quia prohibitum: *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in fund.* 2. & *diſtinct.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fund.* 2.

428. Accidentia ſunt tranſmutabilia circa ſubiectum, & ſeparabilia à ſubiecto ſaltem per intellectum: *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & 2. prima pars eſt vera de ſubiecto permanente, non de ſucceſſiuo, vt eſt malitia in actione: Vide *num.* 332. & 375.

429. Differentiæ eſſentiales ſunt conſtitutiuæ ſpeciei: nec alternantur circa indiuiduum ſpeciei, & ſemper addunt aliquid generi: *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2.

430. Multiplicato inferiori multiplicatur ſuperius: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. Verum eſt de ſuperiori eſſentiali. Vide *num.* 599. & 461.

431. Multiplicato ſubiecto multiplicatur accidens, quod conſiſtit per illud ſubiectum: *lib.* 2. *diſt.* 42. *ibid. ad* 3. Verum eſt, ſi ſubiectum per ſe multiplicetur, & hoc ſubiectum ſit, in quo eſt primò accidens, nempè quatenùs eſt ſubiectum.

432. Per ſe, & per accidens non ponunt in numerum: ſi enim diligo vinum, quia dulce, non diligo duo: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fund.* 1. Vide *num.* 374.

433. Simplex, ad quod conuertit, totaliter ſe conuertit: *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. Verum eſt quantum ad actum conuertendi: ſic enim anima vnum ſimul poteſt intelligere: non quantum ad habitum, in quo datur intenſio maior, & minor.

434. Motus ſeparat à termino à quo: *lib* 2. *diſtinct.* 42. *ibid. ad* 5. Verum eſt de motu propriè dicto.

435. Omne vnibile non vnitum dicit ordinem ad complementum: *lib.* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. Id verum eſt de vnibili, quod redactum ad actum in ſe aliquid de nouo acquirit: non verò quando acquiritur aliquid de nouo in altero: ſic Diuina natura eſt vnibilis humanæ.

436. Natura non facit per plura, quæ poteſt facere per pauciora: id enim importat perfectionem: *lib.* 3. *diſt.* 1.

381. Quotiescunque aliqua habent diuersas differentias diuidentes: vel vnum remanet, reliquo recedente, vel vnum remanet indiuisum, aliud diuiditur, & multiplicatur, illa non sunt omninò idem: *lib.2. distinct.* 27. *art.* 1. *quæst.*2. *in arg.*

382. Corruptibile, & incorruptibile differunt per essentiam: *lib.* 2. *dist.*27.*art.*1. *quæst.* 3. *ad* 4. Id verum est, quando vtrumque venit ex natura principiorum componentium: non verò quando ab extrinseco prouenit: Sic gratia est corruptibilis: gloria nequaquam ratione status. Vide *n.*321.

383. Omnis potentia naturalis naturaliter appetit suam perfectionem, qua indiget, & potest compleri: *lib.* 2. *distinct.* 27. *artic.*2. *quæst.*1. *ad* 3. Id verum est de perfectione, quæ naturaliter potest haberi, non de illa, quæ supernaturaliter tantùm, nisi in generali.

384. Perfectum est id, quod peruenit ad proprium finem: *lib* 2.*dist.*29. *art.*1. *quæst.*2. *ad* 2.

385. Natura non deficit in necessariis, nec nihil facit frustrà: *lib.*2. *dist..*27. *art.*1. *quæst.*2.*ad* 5. Id verum est quoad naturalia, & quoad esse substantiale, quod causatur ex principiis naturæ, non quoad supernaturalia.

386. Ars, & virtus est circa difficilia: *lib.*2. *dist.* 29. *artic.* 3. *quæst.*2. *in fund.*

387. Omne augmentum vel fit per additionem, vel per rarefactionem: *lib.*2. *dist.*30. *art.*3. *quæst.*1.

388. Caro corporis alia est secundùm speciem: alia secundùm materiam: prima est, quæ habet vim in se conuertendi alimentum in propriam carnem: secunda est, quæ non habet hanc vim: *lib.*2.*d.*30. *art.*3.*q.*2. Sic etiam vinum secundùm speciem habet vim conuertendi in se aquam, quod tamen superadditum dicitur vinum secundùm materiam: *lib.* 4. *dist.*44.*part.*1.*art.*2.*q.*1.

389. Sensitiuum est in intellectiuo, sicut tetragonus in pentagono: *lib.*2. *dist.*31. *art.*1.*quæst.* 1. *in fund.*

390. Embrio priùs est animal, quàm homo, quia priùs nutritur, & sentitur, quàm perficiatur anima rationali: *lib.*2.*dist.*31.*art.*1.*q.* 1.*ad* 4. Id absolutè non est verum: sed embrio dicitur priùs sensibilis, quàm rationalis sensibilitate proueniente à virtute immissa à generante, & existente in semine, non ab anima nati.

391. Cum intenditur operatio sensus, minuitur operatio intellectus, & è conuerso, quod est signum identitatis potentiarum cum anima: *lib.* 2. *dist.*31. *ibid. in fund.* Vide *n.*352.

392. Potentia generatiua est animæ vegetabilis: *lib.*2. *dist.* 31. *art.*1. *quæst.*2. *ad* 2.

393. Omne agens præstantius est patiente: *lib.*2. *dist.* 31. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 1. Id verum est in ratione agentis per influentiam: Item quando agens differt essentialiter à patiente: *lib.* 3. *distinct.*33. *art.*1.*quæst.*5.*ad* 3. & *lib.*4. *distinct.* 44. *part.*1. *art.*3. *quæst.* 2. *ad arg.* & *lib.*3. *distinct.*16.*art.* 1.*quæst.*1. *ad* 4. Vide *n.*97.

394. Necesse est agens, & patiens in materia communicare: *lib.*2.*dist.*31. *ibid. ad* 3. Id verum est de actione, qua contrarium agit in contrarium.

395. In habentibus symbolum facilior est transitus: *lib.* 2. *dist.*33. *artic.*1. *quæst.*1.*ad* 3. Verum est, quando vtrobique æqualiter saluatur ratio principij agentis: Item verum est de habentibus dispositionem debitam, non verò in ipsa carentibus, vt os similius

similius est ossi, & tamen facilius in ipsum conuertitur humor: *lib. 4. dist. 20. part. 1. art. 1. quaest. 4. ad 1.*

396. Proprietas quò magis appropinquat suae causae, eo intensior, & fortior est, & quò magis elongatur, eò est debilior: *lib. 2. dist. 33. art. 2. quaest. 1. ad 5.* Id verum est de proprietate, quae dicit naturam, & quae habet identitatem, & continuationem cum sua origine, vt est in virtute mouente, & in luminis effusione à Sole: non verò de discontinuata, vt est candela ab alia accensa, ita enim illuminat approximata, vel alongata, &c.

397. Mulier menstruata per visum maculat speculum nouum, non vetus: *lib. 2. dist. 33. art. 2. quaest. 1. in corp.*

398. Illa, quorum potentia est in termino, non habent recipere magis, vel minus: *lib. 2. dist. 33. art. 2. quaest. 1. in corp. & lib. 2. dist. 35. dub. 1. & dist. 34. artic. 2. quaest. 3. ad 4. & lib. 2. distinct. 42. art. 3. quaest. 1. ad vltim. & lib. 3. distinct. 34. part. 2. art. 2. quaest. 1. ad 2.* Id verum est in positione, sed magis in pura priuatione, vt caecus, & nudus: *lib. 4. dist 18. part. 2. art. 1. quaest. 4. ad vlt.*

399. Quando aliquid desideratur, & illo quis priuatur, necesse est illum tristari, & dolere: *lib. 2. dist. 33. art. 2. quaest. 2. ad 3. & 5.* Id verum est, si non fiat aliqua compensatio secundùm aestimationem desiderantis, vel quando ignoratur causa, vt in puerorum animabus Lymbi.

400. Summum bonum dicitur per impermixtionem cum contrario: *lib. 2. dist. 34. dub. 3.* Id verum est de contrariis positiuis, non verò priuatiuis, &c.

401. Contrariorum contrariae sunt causae: *lib. 2. dist. 34. art. 1. quaest. 1. ad 3. & lib. 2. distinct. 1. part. 1. art. 2. quaest. 1. ad 4.* Id verum est de causa vniuoca, non aequiuoca. Vide *n. 254.*

402. Cuius causa bona, & ipsum est bonum: *lib. 2. distinct. 34. art. 1. q. 1. ad 2.* Id verum est, si causa sumitur per se, & secundùm se, idest si causat vt bona, & est bona, secundùm quod causat: Vide suprà *n. 13.*

403. Quod est causa causae, est causa causati: *lib. 2. dist. 34. ibid. ad 4.* Id verum est de effectu, quod ita conuenit vni, quod non est extraneum alteri: sic Deus est causa creaturae operantis malum, & non ipsius mali: quia facere malum competit creaturę, non vt est à Deo, cui est extraneum, sed vt defectibilis, & ex nihilo.

404. Quando alterum de altero praedicatur, de quocunque praedicatur subiectum, praedicatur & praedicatum: *lib. 2. dist. 34. ibid.* Verum est de praedicato per se, secundùm se, & non de extraneo. Vide *n. 39. & 40.*

405. Bonum, & finis idem sunt: *lib. 2. dist. 34. articul. 1. quaest. 1. in fund.* Vide *num. 13.*

406. Nemo aspiciens ad malum, malum operatur: *lib. 2. dist. 34. art. 1. quaest. 3. & lib. 2. dist. 38. art. 1. quaest. 1. ad 2.* Id verum est de malo secundùm se, vel de malo sibi, non verò de malo sub alia ratione, scilicet boni vtilis, vel delectabilis, vel secundùm aestimationem: Id etiam est verum in agente naturali: semper enim natura intendit, quod melius est, non de voluntario: Vide *serm. 1. Hexaëm.*

407. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic & magis ad magis, & maximè ad maximè: *lib. 2. distinct. 34. art. 2. quaest. 1. in fund.* Id verum est de iis, quae per se dicuntur, non per accidens, & etiam quando terminus accipi

accipitur eodem modo, & non variatur prædicatio: Vnde non valet, summum bonum opponitur malo: ergo summum bonum summo malo: non enim datur summum malum, nihil enim est ita malum, quod non possit esse peius: *lib. 4. dist. 28. articul. 1. quæst. 2. ad 2.*

408. Magis, & minus dicitur per accessum ad terminum: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Verum est in entibus positiuis, non in priuatiuis, quæ sumuntur per recessum à bono.

409. Omne per accidens reducitur ad per se: Et dictum per participationem reducitur ad dictum per se: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 1. ad 4. 5. & 6. & lib. 3. dist. 10. artic. 1. quæst. 2. in fund. & lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 2. ad 2.* Item in quolibet genere est reperire vnum primum: *ibid.* Hæc vera sunt in entibus positiuis causatis ex principiis subiecti, & quæ possunt essentialiter dici, & quæ possunt alia mensurari secundùm eius participationem maiorem, vel minorem: non in entibus priuatiuis, vel negatiuis: Item ens per se, & per accidens dicitur in ordine ad subiectum: causa verò per se, & causa per accidens per ordinem ad intentionem: *lib. 2. distinct. 37. cit.*

410. Ens, & bonum conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 3. in arg. & lib. 2. dist. 41. art. 1. quæst. 1. ad vlt.* Intellige de ente, & bono naturæ, sic & ens, verumque conuertuntur: *lib. 2. dist. 37. ibid.* Sunt enim proprietates essentialiter identificatæ cum ente: *lib. 2. distinct. 1. part. 1. quæst. vltim. in corp.* Et omne, quod est, ideò est, quia vnum: *lib. 3. dist. 6. artic. 1. quæst. 1. in fund.* Vide *n. 134. & 56.*

411. Quædam sunt entia in recto, quædam sunt entium in obliquo, quales sunt priuationes: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.*

412. Causa, & effectus realiter differunt: *lib. 2. distinct. 35. art. 1. quæst. 2. arg. 5.* Vide *n. 125.*

413. Omnium contrariorum aliqua est proportio: *lib. 2. dist. 35. art. 1. quæst. 3. in fund.* Vnde contraria propriè, scilicet positiua sunt in eodem genere: *lib. 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3. ad 3.* Priuariua tamen etiam ad idem genus reducuntur.

414. Omnes actiones animæ, passiones sunt: *lib. 2. d. 35. ar. 1. q. 1. in fund.* recipiuntur enim in anima: Vnde eadem actio aliquando etiam est passio secundùm alium respectum: *lib. 2. dist. 35. ibid. in corp. ad 1. & 2.*

415. Natura aliquando stat pro re naturali, vel eius proprietate, aliquando pro re conseruante naturam, aliquando generaliter pro quacunque re: *lib. 2. dist. 37. dub. 2.*

416. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 1. in fund.*

417. Esse est actus entis, viuere viuentis: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 2. in fund.*

418. Idem est principium essendi, & conseruandi: *lib. 2. dist. 37. ibid. ad 3.* Id verum est in genere causæ formalis, & efficientis: requiritur enim ad conseruationem virtus formæ complentis, & adiutorium primæ causæ efficientis.

419. Vbi est compositio, ibi est aliqua vnio, & vnitas: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 3. in fund. & lib. 3. dist. 1. art. 1. quæst. 1.* Non est tamen verum ex opposito: Vbi est vnio, ibi compositio, quia plus est vnio: *lib. 3. dist. 1. art. 1. q. 1 ad 2.*

420. Compositio dicitur vel componentis actio, vel compossibilis passio,

Digitized by Google

sio, vel rei compositæ dispositio: *lib. 2. dist. 37. art. 1. quæst. 3. in corp.*

421. Casus est inopinatus rei euentus, idest absque intentione: *lib. 2. distinct. 37. art. 2. quæst. 2.* fortuitum ortum habet à causa per accidens; *lib. 2. dist. 37. ibid.*

422. Æqualitas, & inæqualitas dicunt positionem, inæqualitas tamen dicit cum positione etiam priuationem: *lib. 2. dist. 37. art. 2. quæst. 3. ad 2.*

423. Veritas est adæquatio rei, & intellectus: falsitas verò est inadæquatio rei, & intellectus: *lib. 2. distinct. 37. art. 2. quæst. 3. ad 2.* Vide *num. 21. & 56.*

424. Veritas enuntiationis alia est essentialis: alia accidentalis: prima est id, ad quod est instituta siue vera, siue falsa: secunda est per ordinem ad rem: *lib. 2. distinct. 37. art. 2. quæst. 3. in corp.*

425. Cognitio propositionis non potest haberi, nisi præcognoscantur termini: *lib. 2. dist. 39. art. 1. q. 2.*

426. Quæ naturaliter insunt, sunt inseparabilia: *lib. 2. distinct. 39. art. 1. quæst. 2. & lib. 4. dist. 12. part. 1. art. 2. quæst. 3. in argum.* Id verum est de iis, quæ insunt secundùm principia intrinseca.

427. Malum vel est prohibitum, quia malum, vel est malum, quia prohibitum: *lib. 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. in fund. 2. & distinct. 40. art. 1. quæst. 1. in fund. 2.*

428. Accidentia sunt transmutabilia circa subiectum, & separabilia à subiecto saltem per intellectum: *lib. 2. dist. 41. art. 1. quæst. 2. ad 1. & 2.* prima pars est vera de subiecto permanente, non de successiuo, vt est malitia in actione: Vide *num. 332. & 375.*

429. Differentiæ essentiales sunt constitutiuæ speciei: nec alternantur circa indiuiduum speciei, & semper addunt aliquid generi: *lib. 2. dist. 41. art. 1. quæst. 2.*

430. Multiplicato inferiori multiplicatur superius: *lib. 2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. ad 2.* Verum est de superiori essentiali. Vide *num. 599. & 461.*

431. Multiplicato subiecto multiplicatur accidens, quod consistit per illud subiectum: *lib. 2. dist. 42. ibid. ad 3.* Verum est, si subiectum per se multiplicetur, & hoc subiectum sit, in quo est primò accidens, nempè quatenùs est subiectum.

432. Per se, & per accidens non ponunt in numerum: si enim diligo vinum, quia dulce, non diligo duo: *lib. 2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. in fund. 1.* Vide *num. 374.*

433. Simplex, ad quod conuertit, totaliter se conuertit: *lib. 2. dist. 42. art. 2. q. 1. ad 4.* Verum est quantum ad actum conuertendi: sic enim anima vnum simul potest intelligere: non quantum ad habitum, in quo datur intensio maior, & minor.

434. Motus separat à termino à quo: *lib. 2. distinct. 42. ibid. ad 5.* Verum est de motu propriè dicto.

435. Omne vnibile non vnitum dicit ordinem ad complementum: *lib. 3. distinct. 1. art. 1. quæst. 1. ad 3.* Id verum est de vnibili, quod reductum ad actum in se aliquid de nouo acquirit: non verò quando acquiritur aliquid de nouo in altero: sic Diuina natura est vnibilis humanæ.

436. Natura non facit per plura, quæ potest facere per pauciora: id enim importat perfectionem: *lib. 3. dist. 1.*

dist. 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* Vide supra *num.* 71.

437. Species specialissima accipitur penes id, quod est in re nobilissimum, & perfectissimum: *lib.* 3. *dist.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4.

438. Extrema multùm distantia non vniuntur, nisi per medium aliquod: *lib.* 3. *dist.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *in fund.* sic anima, & corpus, Christi humanitas cum verbo mediante vnione.

439. Distinctio secundùm oppositas qualitates præsupponit distinctionem secundùm substantiam, quia oppositæ qualitates non possunt esse in eodem secundùm idem: *lib.* 3. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *in fund.* Id verum est, si sumatur subiectum secundùm diuersas rationes in eodem existentes, vt agere, & pati: non verò requiritur distinctio substantialis subiecti in duas substantias; sic subiectum secundùm materiam patitur, secundùm formam agit. Vide supra *num.* 289. & 297. Vel id intelligendum est de diuersis differentiis essentialibus.

440. Quod inest rei à sua origine, & principiis intrinsecis, inest naturaliter: *lib.* 3. *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fund.*

441. Eiusdem est factum esse, cuius est fieri: *lib.* 3. *distinct.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corp.*

442. Inducens vltimam formam est nobilius, quàm præparans: *lib.* 3. *distinct.* 4. *ibid.*

443. Persona dicit quid completissimum, & per se vnum in genere substantiæ, & obid non est ordinabilis ad vlteriorem perfectionem, constitutionemque tertij: *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fund.*

444. Humanitas est forma hominis: *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *q.* 5. idest forma totius: *lib.* 3. *dist.* 8. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corp.* & *dist.* 10. *art.* 1. *quæst.* 2.

445. Diuisio dicit ordinem ad multitudinem, & vnio ad vnitatem: *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 1. *quæst.* 1.

446. Si duo differunt in suppositis, impossibile est vnum prædicari de altero: *lib.* 3. *distinct.* 6. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

447. Diuersæ differentiæ essentiales dant diuersa esse: *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. Id verum est, quando id, ad quod applicantur, non habet præcedenter esse actuale: sic enim de verbo prædicantur diuersæ naturæ, & differentiæ.

448. Vbi est compositio de nouo, ibi est mutatio ratione potentialitatis, & imperfectionis: nec vnum extremorum prædicatur de altero, nec compositum prædicatur de aliquo extremorum: *lib.* 3. *distinct.* 6. *art.* 1. *quæst.* 2.

449. Terminus subiicitur ratione suppositi, prædicaturque ratione formæ: *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltimum.*

450. Quod aduenit enti iam completo, est illi accidens: *lib.* 3. *distinct.* 6. *artic.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. Intellige de eo, quod aduenit merè extrinsecum, & secundùm modum inhærendi: non sic humana natura aduenit personæ verbi.

451. Quod prædicatur denominatiuè, est accidens, & prædicatur per modum accidentis: *lib.* 3. *dist.* 6. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. Id verum est, quando sit prædicatio per modum inhærentis, non autem semper, quando prædicatio denominatiua fit per modum trãsmutationis, vel possessionis, vel vnionis, vt Verbum est homo.

452. Modus prædicandi est triplex,

plex, scilicet, per identitatem, vel per inhærentiam, scilicet formalis, vel per causam: *lib.3. dist.7. art.1. quæst.1. ad vltim.* Additur in Verbo alius modus per vnionem.

453. Actus numeratur subiecto, tempore, & termino: *lib.3. distinct.* 8. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.*

454. Bis dicit consimilis actus geminationem: Item actus interruptionem, & actus completionem: *lib.* 3. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 1. *in argum.*

455. Multiplicato vno relatiuorum, multiplicatur & reliquum: *lib.* 3. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 2. Id verum est de multiplicatione formali, & de eo correlatiuo, à quo dependet essentialiter correlatiuum, non de materiali: sic ad productionem plurium filiorum non multiplicatur paternitas.

456. Diuersarum productionum diuersi sunt termini: *lib.* 3. *dist.* 8. *ibid. ad* 3. Verum est, si productiones sint disparatæ, non subordinatæ: Vide *num.* 81.

457. Actiones sunt suppositorum: *lib.* 3. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* idest sunt formæ in supposito.

458. Præpositio (secundùm) potest importare vel causam, vel concomitantiam: si sumitur secundùm concomitantiam, dicere potest vel inhærentiam, vel vnionem, vel adiacentiam, assistentiamque: si secundùm causalitatem, tunc importat rationem formalem, quare prædicatum inest subiecto: *lib.* 3. *dist.* 10. *dub.* 1. & *quæst.* 1. v. g. Christus secundùm quod homo est Deus; ly (*secundum*) dicit concomitantiam: Christus secundum quod homo est rationalis: ly (*secundum*) dicit rationem causalem, & formalem.

459. Quæ sunt disparata, non prædicantur de eodem, & secundùm idem: *lib.* 3. *dist.* 10. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.* 2. & *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Id verum est de prædicatione per causam formalem, non verò per concomitantiam, vel de iis, quæ possunt in se reflecti: vt musicus est albus, & fortitudo est prudens, prudentia fortis: Vide *num.* 4.

460. Indiuiduum est, quod in se est indiuisum, idest indiuiduatum, & diuisum à quolibet alio, idest incommunicabile, quia in se, & per se est subsistens: humanitas in Christo habet primam conditionem, non secundam, quia de se non est persona, & incommunicabilis: *lib.* 3. *dist.* 10. *art.* 1. *quæst.* 3.

461. De quocunque prædicatur inferius, prædicatur & superius: *lib.* 3. *dist.* 11. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 5. Id verum est virtute illationis: non tamen sequitur, quod si aliqua peculiari locutione vtendum sit cum inferiori, quod sit vtendum cum superiori ob diuersos modos significandi importantes repugnantiam: sic creatura est quid superius ad hominem, & tamen homo prædicatur de Christo, non creatura: Vide *n.* 599.

462. Nobiliori materiæ debetur nobilior forma: *lib.* 3. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Id verum est de materia disposita, non remota: Vide *num.* 650.

463. Improperium Parentum redundat in prolem: *lib.* 3. *distinct.* 12. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. verum est, quando filius est imitator Parentum.

464. Sensus nominat potentiam, & vsum rerum potentiæ viuentis: *lib.* 3. *dist.* 13. *dub.* 1.

465. Finitum non excedit aliud finitum in infinitum: *lib.* 3. *dist.* 13. *art.* 1.

art. 1. *quaest.* 2. *ad* 3. verum est in eodem genere, non in diuerso, sic enim superficies in infinitum excedit lineam.

466. In conclusione non est quies, sed in principiis: *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quaest.* 3.

467. Scimus plura, vnum intelligimus: *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 2. *quaest.* 1. *in fund.* primum spectat ad habitum, secundum ad actum.

468. Ex multis sensibilibus fit vna memoria: ex multis memoriis vna experientia: & ex multis experientiis vnum vniuersale, quod est principium artis, & scientiae: *lib.* 3. *distinct.* 14. *artic.* 3. *quaest.* 2. *ad* 3. & *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 3. *quaest.* 3. *in arg.* Id verum est duobus modis: vel procedendo ab incognito ad cognitum, acquirendo scientiam, vel à cognito vno modo per exercitium scientiae ad cognoscendum idem alio modo.

469. Intellectus agentis est abstrahere à conditionibus materialibus: *lib.* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quaest.* 2. *ad* 4. & *lib.* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 4. Haec abstractio vel ordinatur ad generandum habitum, vel ad iudicandum de eo, quod per sensus percipitur, cuius species iam praeexistit in intellectu.

470. Amplioris extensionis est scientia, quàm potentia: *lib.* 3. *dist.* 14. *ibid. quaest.* 3. *ad* 3. Verum est quoad obiectum, non in ordine ad subiectum.

471. Propassio est passio diminuta sistens intra rationem, obidque est partis sensualis, & virtutis naturalis: *lib.* 3. *dist.* 15. *dub.* 4.

472. Proprietas inhaerens necessariò alicui comparatur ad illud, sicut ad subiectum, & causam: *lib.* 3. *distinct.* 16. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 5. & *lib.* 4. *distinct.* 49. *part.* 1. *artic.* 1. *quaest.* 1. *ad* 4.

473. Causa naturalis doloris est compositio ex contrariis: *lib.* 3. *dist.* 16. *ibid. in corp.* & *ad* 4.

474. Anima secundùm partem rationis nullum organum corporis sibi determinat: *lib.* 3. *dist.* 16. *art.* 2. *quaest.* 1. *ad* 1.

475. Vbi est ordo, ibi numeratio, & distinctio: *lib.* 3. *dist.* 21. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 3. Verum est, quando ordo simpliciter ponit distinctionem, non quando solùm ponit gradum.

476. Nobilior est substantia viuens non viuente: *lib.* 3. *dist.* 21. *art.* 2. *quaest.* 2. *ad* 3.

477. Anima omnia videt vel per sui essentiam, vel per speciem propriam rei, vel per alienam: *lib.* 3. *distinct.* 23. *dub.* 4.

478. Scientia est in verum visum, fides in verum non visum, sed salutiferum: *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 2. & *distinct.* 21. *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 2.

479. Virtus certior est omni scientia: *lib.* 3. *distinct.* 23. *art.* 1. *quaest.* 4. *ad* 2. Verum est quoad idem obiectum virtutis, non verò absolutè.

480. Sicut se habet oculus noctuae ad lucem, ita intellectus noster ad manifestissima naturae: *lib.* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quaest.* 4. *ad vlt.* & *opuscul. Princip. Sacrae Scripturae.*

481. Habitus debet conformari obiecto proprio: *lib.* 3. *dist.* 24 *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 2. Verum est de habitu dependente ab obiecto.

482. Quodcunque contingens potest subesse falso: *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 1. *quaest.* 1. *ad* 1. Verum est in creatis, non in praescientia Diuina.

483. Possibile potest stare cum neccessario: *lib.* 3. *dist.* 24. *ibid. ad* 3.

484. Con

484. Contingens transeundo in præteritum, non exuit rationem contingentis, licèt illi adueniat necessitas consequentiæ: *lib.* 3. *dist.* 24. *ibid. ad* 3. Vide *num.* 211.

485. Circa idem potest esse certitudo, & dubitatio: scientia, & fides, scientia & opinio secundùm diuersas rationes: *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 1. & 2.

486. Opinio est assensus ad vnam partem cum formidine veritatis alterius partis: est etiam assensus absolutus ex rationibus probabilibus generatus: *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 2.

487. Articulus fidei est veritas de Deo arctans nos ad credendum: *lib.* 3. *dist.* 24. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2.

488. Mutato obiecto mutatur habitus: *lib.* 3. *distinct.* 25. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Verum est, si mutatur obiectum secundùm substantiam, non quoad aliquod accidentale.

489. Processus est ab inferioribus, & imperfectioribus ad superiora, & perfectiora: *lib.* 3. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 4. *in fund.*

490. Impossibile est aliquem moueri simul oppositis motibus: *lib.* 3. *dist.* 27. *articul.* 2. *quæst.* 6. *in fund.*

491. Anima in corpore habet motum reflexum ad corpus, quia corpus aggrauat animam: *lib.* 3. *dist.* 27. *ibid.*

492. Virtus, & vitium habent esse circa idem, non tamen eodem modo: *lib.* 3. *dist.* 28. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4.

493. Finis est magis eligendus, quàm media: *lib.* 3. *dist.* 29. *artic.* 1. *q.* 2. *in arg.*

494. Si æqualibus æqualia, & inæqualibus inæqualia addas, remanent sicut priùs æqualia, vel inæqualia: *lib.* 3. *dist.* 29. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. Verum est, si illud additum æqualiter respicit vtrumque.

495. Sicut se habet propositum in proposito, ita oppositum in opposito: *lib.* 3. *dist.* 30. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4. Id verum est secundùm illam rationem, in qua conueniunt, & per se: non enim valet dicere, Album est visibile: ergo nigrum est inuisibile: quia album est visibile ratione communi cum nigro: & *lib.* 3. *dist.* 28. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. Vide *num.* 223. & 298. & 288.

496. Scientia destruitur vel ob corruptionem à parte scibilis, aut ex parte medij, aut per obliuionem: *lib.* 3. *dist.* 31. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fund.*

497. Virtus magis vnita est fortior: *lib.* 3. *art.* 3. *q.* 2. Vide *num.* 88. & 181.

498. Formæ disparatæ ad inuicem, & diuersæ seipsas non possunt denominare: *lib.* 3. *distinct.* 34. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Id verum est de prædicatione per causam formalem, vt musica est alba: sed non per concomitantiam, quando insunt in subiecto simplici, quod potest reflectere se super se, & super actus suos, & ob id etiam formæ in ipso existentes participant de tali reflexione, vt fortitudo prudens: Vide *num.* 459.

499. Vnaquæque res generatur, per quæ in esse saluatur, & promouetur: *lib.* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 5. *in fund.*

500. Habitus fit ex frequentatis actibus, licèt enim primus actus, & reliqui transeunt quoad actualitatem, non tamen quoad effectum disponentem, qui posteà per alios, & alios coadiuuatur: *lib.* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 4.

501. Gutta cauat lapidem eodem modo proximè allato: *lib.* 3. *dist.* 23. *ibid. ad* 4.

502. Quæ habent ortum ab eo-

dem secundùm speciem, sunt eiusdem speciei: *lib.* 3. *dist.* 34. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. Verum est de iis, quæ procedunt ab eadem causa vniuoca, non æquiuoca. Vide *n.* 167.

503. Delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenientia cum sensu eiusdem: *lib.* 3. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp.*

504. Affectus imponit nomen operi: *lib.* 3. *dist.* 36. *artic.* 1. *quæst.* 6. *in fund.* Vnde si intentio est recta, totum est rectum: *lib.* 3. *distinct.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. *in argum.* Vide limitationem huius propositionis *num.* 5. & 13.

505. Priùs sunt vniuersaliora, quàm minùs vniuersalia: *lib.* 3. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. Id verum est quoad prioritatem naturæ, non quoad aliam prioritatem, v. g. electionis, & dignitatis, & existentiæ.

506. Similitudo vel dicit vnius naturæ participationem, & dicitur proportionis: vel vnius formæ comparationem, & dicitur proportionalitatis: Prima est vt duorum albotum similitudo: Secunda est rectoris ad Nauem, & ad Ciuitatem: *lib.* 4. *dist.* 1. *part.* 1. *dub.* 3.

507. Signum aut est demonstratiuum rei præsentis: aut prognosticum rei futuræ: aut rememoratiuum rei præteritæ: Item aliud est naturale, aliud voluntarium: *lib.* 4. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in arg.* & *dist.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

508. Signum, & signatum sunt simul natura, quia correlatiua: *lib.* 4. *dist.* 1. *ibid. ad* 4. Verum est in ratione signi, non rei substractæ.

509. Accidens, quod non habet ortum à principiis subiecti, non determinat sibi materiam: *lib.* 4. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.* sic radius, cùm sit in subiecto deferente, transit de subiecto in subiectum: taleque non habet subiectum proprium: Vide *num.* 332.

510. Dispositio præcedit vel natura, vel tempore id, ad quod disponit: *lib.* 4. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. *quæst.* 2. *lateral.*

511. Omnis operatio egreditur à substantia mediante aliqua virtute, & potentia: *lib.* 4. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *in argum.*

512. Causa, ad hoc vt causet, debet esse coniuncta actui, & effectui: *lib.* 4. *distinct.* 4. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. & *dist.* 5. *art.* 3. *quæst.* 1. *in argum.* Id verum est, quia causa non existens in se, vel in suo virtuali non potest aliquid facere.

513. Sensus, & motus fluunt à capite in membra corporalia, & ab vno membro in aliud: *lib.* 4. *distinct.* 5. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3.

514. Tria sunt in anima, potentiæ, passiones, & habitus: *lib.* 4. *dist.* 6. *part.* 1. *articul.* 1. *quæst.* 1. *in argum.*

515. Habitus omnis vel est innatus, vel acquisitus, vel infusus: *lib.* 4. *dist.* 6. *ibid.*

516. Quatuor sunt species qualitatis: Prima habitus, & dispositio: Secunda potentia, & impotentia naturalis: Tertia passio, & passibilis qualitas: Quarta forma, & figura: *lib.* 4. *distinct.* 6. *part.* 1. *articul.* 1. *quæst.* 1.

517. Signum est, quod sensibus se offert: *lib.* 4. *dist.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1.

518. Assimilatio est vel per vnius qualitatis participationem, vel per imitationem, vel per omnimodam indiuisionem: Prima est creaturæ ad creaturam: Secunda creaturæ ad Deum: Tertia vnius personæ Diuinæ

Digitized by Google

næ ad aliam : *lib.4. distinct. 6. part. 1. art.1. quæst.2. ad 2.*

519. Cuius est dispositio, etiam est habitus : *lib. 4. dist. 6. part. 1. art. 1. quæst. 3. ad. 2.* Verum est de dispositione, quæ fit habitus, non de alia, nam habitus vnius potentiæ disponit ad alium.

520. Mutationis non est mutatio, nec signi signum, & consequenter relationis relatio, ne detur processus in infinitum : *lib. 4. distinct. 8. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 1.* Verum est, si mutatio, signum, & relatio est purè tale, non verò secundùm aliam rationem absolutam : *lib. 4. dist. 19. quæst. vlt. ad 1.* Vide *num 95.*

521. Pronomen hoc est demonstratiuum rei existentis : *lib. 4. dist. 8. part. 2. art. 1. q. 1.*

522. Terminus supponens verbo de præsenti non habenti vim ampliandi supponit pro eo, quod est actu, vt hic est Petrus : *lib. 4. dist. 8. part. 1. art. 1. quæst. 1. in fund.*

523. Subiectum, & prædicatum dicunt formas incompossibiles, si tamen intercedit Verbum est, tunc importatur simultas : *lib. 4. dist. 8. part. 1. ibid.*

524. Substantia separari potest à quantitate : non tamen substantia viua remanente viua, cùm essentialiter sit organica : *lib. 4. dist. 10. part. 1. art. 1. quæst. 2. in corp.*

525. Indiuiduum necessariò est nunc, & hîc, in locoque definitiuè : *lib. 4. dist. 10. part. 1. art. 1. quæst. 4. in argum.* Vide *num. 193.*

526. Quod habet dimensionem, est dimensiuè in loco : *lib. 4. dist. 10. ibid. ad 1.* Verum est, si sit vt locatum in loco, non verò si sit tantùm vt signatum in signo.

527. Proprietates corporis aliæ sunt absolutæ, aliæ relatiuæ in ordine ad locum : primæ sunt inseparabiles : non secundæ : *lib. 4. distinct. 10. ibidem ad 2.*

528. Esse localiter est vel secundùm præsentiam præcisè, vel etiam secundùm commensurationem : *lib. 4. dist. 10. ibid. ad 3. & lib. 1. dist. 37. part. 2. art. 1. per tot.* Vide *num. 193.*

529. Esse conterminatiuè est vel priuatiuè, vt est anima in corpore, vel positiuè, vt res quanta in quantitate : *lib. 4. distinct. 10. part. 1. art. 1. quæst. 4. ad vlt.*

530. Positio partium est vel vt in toto, vel vt in loco : *lib. 4. distinct. 10. ibid. quæst. 4. ad 2 & quæst. 5. ad 1.*

531. Anima est in corpore, & partibus simul, licèt corpus sit diuisibile in partes : *lib. 4. distinct. 10. art. 1. quæst. 5. ad 2.*

532. Continuum non est diuisibile in infinitum secundùm partes secundùm formam, scilicet vt talis continui, verbi gratiâ panis, baculi, &c. licèt secundùm partes secundùm materiam, & mathematicè sit diuisibile in infinitum : *lib. 4. dist. 10. part. 1. art. 1. quæst. 5. ad 2. & dist. 49. part. 2. art. 4. quæst. 2. ad vlt.* Vide *n. 239.*

533. Maius est de impio facere pium, quàm creare Cœlum, & terram : *lib. 4. distinct. 10. part. 2. art. 1. q. 1. ad 1.* Verum est, quia in iustificatione requiritur concursus voluntatis liberæ creatæ : & *lib. 4. dist. 17. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2.*

534. Omne continens vel est maius, vel æquale contento : *lib. 4. dist. 10. part. 2. art. 2. quæst. 1.* Id verum est naturaliter, non supernaturaliter.

535. Si aliquid est in toto, & fiat in minori, necesse habet contrahi :

Digitized by Google

lib. 4. *dist.* 10. *ibid.* Verum est naturaliter, non supernaturaliter: Sic Corpus Christi est in tota hostia, & etiam in minima parte absque confractione.

536. Vbi duæ magnitudines videntur inæquali spatio, maior magnitudo videtur sub angulo maiori: Videre enim est secundùm triangularem directionem radiorum, ita quod basis est res visa, & angulus est circa pupillam oculi: *lib.*4. *dist.*10. *part.*2. *art.*2. *quæst.* 2. *in argum.*

537. Visus non abstrahit à quantitate, quia est de ratione sensatorum: *lib.*4.*dist.*10. *part.*2. *ibid. in corp.* Vide *n.* 327.

538. In naturali mutatione est potentia passiua materiæ: in supernaturali est potentia obedientialis: *lib.*4. *dist.*11. *part.* 1. *art.*1.*quæst.* 2. *in argum.*

539. Vbi est successio, ibi est resistentia ratione præparationis materiæ: *lib.*4.*dist.*11.*part.*1.*a.*1.*q.*5.*in arg.* & *lib.*1. *distinct.*37. *part.*2.*quæst.vlt.*

540. Dantur duo instantia immediata in mutationibus contiguis, non verò in continuo: *lib.*4.*dist.*11.*part.*1. *art.*1. *quæst.* 5. & *lib.*4. *dist.*17.*part.*1. *art.*2. *quæst.* 1.

541. Mixtio est miscibilium alteratorum vnio: *lib.* 4. *dist.* 11. *part.*2. *art.* 1. *quæst.*4.

542. Accidentis esse est inhærere: *lib.*4. *distinct.*12.*part.*1. *art.*1.*quæst.*1. Id verum est de aptitudinali inhærentia.

543. Definitio potest separari à definito quoad actum, non quoad aptitudinem significatam: *lib.*4.*dist.*12. *ibid.* Vnde non currit illa propositio, sicut se habet esse ad ens, ita inhærere ad inhærens.

544. Accidentia ducunt ad intelligendam substantiam: *lib.* 4. *dist.*12. *part.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 2. *in argument.*

545. Albedo est lux incorporata, idest mixta cum corpore, vel cum quantitate: *lib.*4.*dist.*12.*part.*1.*art.*1. *q.* 3. *ad* 3. Vide *n.*20. & 528.

546. Quantitatis ratio est extensio: *lib.*4.*dist.*12.*ibid.ad* 2. quam consequitur diuisio: *lib.*4. *dist.*12. *part.*1. *art.*3. *quæst.* 2.

547. Accidentia naturaliter consequuntur materiam extensam: *lib.* 4. *dist.* 12. *ibid. in arg.* verum est de accidentibus materialibus, non de spiritualibus.

548. Omne accidens denominat suum subiectum aliqualiter: *lib.* 4. *dist.*12. *ibid.* & *lib.* 4. *dist.*12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.*1. *ad* 1.

549. Accidens cum substantia non occupat maiorem locum, nec facit maius: est enim forma simplex: *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. Id verum est naturaliter, non supernaturaliter, vt in Sacramento Eucharistiæ.

550. Sensus est susceptiuus specierum præter materiam, sed tamen sub conditionibus materialibus hîc, & nunc: *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. Vide *n.*22. & 219. & 291. & 560.

551. Forma substantialis nunquam mouet sensum separatum à formis accidentalibus: *lib.* 4. *distinct.* 12. *part.*1. *art.* 2. *quæst.* 3. *in argum.* Vide *n.*527. & 327.

552. Si idolum relinqueretur in speculo, abstracto corpore obiecto moueret sensum: *lib.*4. *dist.* 12. *ibid.*

553. Rectum vt tale tangit sphæram in puncto: *lib.*4. *dist.*12. *ibid.*

554. Species motiua sensus dicit ordinem primò ad subiectum: secundò ad medium: tertiò ad organum: *lib.* 4. *dist.* 12.*part.* 1. *ibid. in arg.*

555. For

555. Forma de sui natura est in simplici, & in inuariabili essentia consistens, & variatio ei accidit ratione materiæ, extensio ratione quantitatis: *lib.* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. *& lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. Vide *num.* 52.

556. Ad transmutationem physicam tria concurrunt principia, subiectum, & duo contraria, scilicet terminus à quo, & ad quem: *lib.* 4. *dist.* 12. *ibidem.*

557. A forma est agere, & à materia pati: *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3 *& lib.* 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. *& lib.* 2. *dist.* 17 *articul.* 1. *quæst.* 2. *& lib.* 4. *dist.* 50. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 1. Vide suprà *num.* 269. *&* 324. Ex quo infertur in Angelis, & in anima compositio ex materia, & forma. Vide *num.* 619.

558. Non est verè contrarietas sine subiecto: *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3.

559. Omnis actio terminatur ad hoc aliquid, idest ad substantiam, sed tamen si accidens posset stare sine subiecto, vt euenit miraculosè in Eucharistia, posset etiam terminari ad accidens: *lib.* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2.

560. Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate: *lib.* 4. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 1. *in argum.*

561. Virtus est, quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit: *lib.* 4. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

562. Naturaliter priùs est intentio ad terminum ad quem, quàm separatio à termino à quo: *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 5. Id verum est, vbi eodem motu receditur, & acceditur, non verò vbi alio motu receditur à termino à quo, & alio fertur in terminum ad quem: tunc enim priùs resilendum est, & posteà accedendum, sic in spiritualibus, & in iustificatione.

563. Viuere in naturalibus aliquando stat pro actu primo, aliquando pro signo vitæ, sic & aliquando pro eo, à quo est vita, aliquando pro eo, quod manifestatur: *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 2. *dub.* 5.

564. Perfectus Medicus perfectum largitur antidotum: *lib.* 4. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2.

565. Causa dicitur vel communiter, estque causa sine qua non: alia propriè pro influente in effectum: *lib.* 4. *dist.* 15. *part.* 1. *dub.* 3.

566. Tanta est offensa, quantus is, qui offenditur: *lib.* 4 *distinct.* 15. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. *& dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. *in fund.*

567. Quod nullo modo viuit, nec est à principio viuente, nec habet potentiam ad vitam, nec potest viuificari: *lib.* 4. *dist.* 15. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 4. Hinc infertur opera mortua non posse vnquam viuificari.

568. Facilius in natura est viuificare, quod non vixit, quàm quod vixit: *lib.* 4. *dist.* 15. *part.* 1. *art.* 1. *qu.* 4. *ad* 3. Id verum est in his, quæ ideò viuunt, quia recipiunt vitam: sed non in iis, quæ ideò possunt viuere, quia procedunt à vita, vt sunt opera.

569. Instrumentum aliud separatum, aliud coniunctum: *lib.* 4. *dist.* 15. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4. coniunctum est vel propter operationem, vel etiam ad vnam formam constituendam, eique competit forma totius: *lib.* 4. *dist.* 48. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

570. Totum non prædicatur de parte integrali; *lib.* 4. *dist.* 16. *part.* 1. *dub.* 1. Id verum est de partibus heterogeneis

Digitized by Google

rogeneis, non homogeneis, quæ habent vnam naturam.

571. Forma habens partem, & partem, vel contrariam dispositionem inducitur successiuè: *lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 3. quæst. 1. ad 4. & 5.* Verum est de forma, quæ educitur de materia, non de ea, quæ ab extrinseco aduenit, vt lux: nec de ea, quæ non habet dispositionem licèt contrariam resistentem, vt cùm Deus de aqua facit vinum.

572. Collatio alia per discursum de vno in aliud, & hæc est successiua: alia est duorum comparatio secundùm aliquam rationem, & hæc potest esse in instanti: *lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3.*

573. Intelligere successiuè fit: *lib. 4. distinct. 16. ibid. ad 1.* Id verum est ratione acquisitionis speciei per sensus, non ratione sui.

574. Medicina alia est sanatiua, alia melioratiua: *lib. 4. dist. 16. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4.*

575. Quod intenditur, id fit vel per accessum ad terminum, vel per depurationem à contrario: *lib. 4. distinct. 16. part. 1. art. 4. quæst. 1. in argum.*

576. Forma, & qualitas expellitur, quando est: *lib. 4. dist. 17. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 4. & quæst. 2. per totam.* Id verum est, quia expulsio præsupponit formam contrariam productam, & ad ipsam consequitur eadem forma informans, & expellens suam contrariam, vnde expulsio mediati.

577. In qualibet mutatione priùs est terminus à quo, quàm terminus ad quem, vel secundùm naturam, vel secundùm tempus: *lib. 4. distinct. 17. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad 1.* Id verum est, quatenùs forma habet rationem informationis, non verò prout habet rationem agentis, hæc enim præcedit expulsionem formæ contrariæ, vt dictum est: sic gratiæ infusio, & creatio est prior, ad quam sequitur expulsio gratiæ, & tandem esse gratum.

578. Priùs natura est id, à quo non conuertitur consequentia necessariò, vt priùs est animal, quàm homo: *lib. 4. dist. 17. ibid. ad 2.*

579. Anima non potest moueri simul diuersis motibus: *lib. 4. dist. 17. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad vlt.* Id verum est secundùm eandem potentiam, non verò secundùm diuersas, & subordinatas.

580. Forum aliud est Dei, aliud Ecclesiæ: *lib. 4. distinct. 17. ibidem quæst. 4.*

581. In ordinatione prædicamentorum in logicis, & causarum in Physicis reductio fit vsque ad supremum per vnum immediatum: *lib. 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. in fund.*

582. In Corporalibus situs sequitur pondus prædominans: *lib. 4. dist. 20. part. 1. articul. 1. quæst. 6. ad 2.*

583. In scientiis practicis certitudo est tantùm in vniuersalibus, non in particularibus: *lib. 4. distinct. 20. part. 2. dub. 3.* Id verum est ob varias circumstantias particulares singularium casuum.

584. Quando duæ formæ se se compatiuntur, vna non expellit aliam, nisi aliquo adiutorio superaddito: *lib. 4. dist. 21. part. 1. art. 1. quæst. 2. ad 3.*

585. Nihil seruandum est, in quo præiudicium fiat veritati: Item fraus, & dolus nemini debet patrocinari: Item nullus pro aliquo debet mentiri: *lib. 4. dist. 21. part. 2. art. 2. q. 3.*

596. Nihil,

Digitized by Google

586. Nihil, quod omninò cædit in non ens, iteratur omninò eodem: nec item contrarium reducit ad esse suum contrarium: *lib.*4. *dist.*22. *art.*1. *quæst.* 1. Vide *n.* 614. & 616.

587. In artificialibus nobilius est in artifice vti instrumento facto, quàm illud facere: *lib.* 4. *distinct.* 23. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Id verum est, quando gradus dignitatis in eis est per ordinem ad finem, obid vtens instrumento est immediatior ad finem, quàm fabricans; non verò in operibus Ecclesiæ, in quibus sumitur nobilitas in ordine ad primum principium, à quo fluit: vnde Episcopus consecrans oleum est gradus nobilioris, quàm Sacerdos inungens.

588. In naturalibus eadem potentia, quæ inducit dispositionem, educit etiam formam: *lib.* 4. *dist.* 23. *ibid. ad* 3. Verum est de forma perficiente illam dispositionem; sic faber fabricando ferrum inducit formam.

589. Multiplicato inferiori, multiplicatur superius: *lib.* 4. *distinct.*24. *part.*1. *art.* 2. *quæst.*4. *ad* 1. Verum est de inferiori, quod habet naturam speciei, vel partis subiectiuæ. Vide *num.* 430. & 461.

590. Numerus est quid per se vnum sub se habens partes, quæ habent rationem partis subiectiuæ, & simul integrantis: *lib.*4. *dist.* 24. *ibid. in corp.* & *part.*2. *art.*1. *quæst.* 2. *ad* 3. & *quæst.* 3. *ad* 2.

591. Materia appetit formam, sicut mulier virum: *lib.*4. *dist.*27. *art.*1. *quæst.* 2. *in argum.*

592. Nihil potest producere se ipsum: *lib.*4. *distinct.*27. *art.*2. *quæst.*1. *in argum.* Vide *n.*125. & 412.

593. Voluntarium est, cuius principium est in ipso cognoscente singula: *lib.* 4. *distinct.*30. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fund.*

594. Plus habet de inuoluntario, quod fit per ignorantiam, quàm per violentiam: *lib.* 4 *dist.*30. *ibid.*

595. Honestum est, quod sua vi nos trahit, & sua bonitate nos alicit: *lib.*4. *distinct.*31. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

596. Vnius rei vnicus est finis: *lib.*4. *distinct.*31. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Id verum est de fine principali, nam idem potest habere plus fines minùs principales, vel subordinatos vni principali: Vide *lib.* 2. *dist* 38. *art.* 1. *quæst.* 3.

597. Virtus exigit non solùm rectitudinem actus, sed & circunstantiarum: *lib.*4. *distinct.*32. *art.*3. *quæst.*2. *in argum.*

598. Ius naturale dictat, quod tibi vis fieri, facies alteri, & quod tibi non vis fieri, non facias alteri, idque est commune omnibus, & continetur in lege, & Euangelio: *lib.* 4. *dist.* 33. *artic.* 1. *quæst.* 1.

599. Nullus in eadem causa potest esse actor, & iudex: *lib.*4. *dist.*35. *art.* 1. *quæst.* 3. *in fund.*

600. Quod semel benè est definitum, nulla debet iteratione retractari: *lib.* 4. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 5. *ad* 1. Id verum est secundùm rigorem legis, non tamen quantum ad fauorem innocentis.

601. Generatio est de superfluo nutrimenti: *lib.* 4. *distinct.* 40. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Intellige de superfluitate non impuritatis, sed residuitatis, quæ non est omnimoda superfluitas, nisi respectu indiuidui, non verò generatiuæ potentiæ.

602. Identitas rei venit ab identitate principiorum substantialium: *lib.* 4.

lib. 4. dist. 43. art. 1. quæst. 4. in fund. & ad vltim. & distinct. 44. part. 1. dub. 3. & 4.

603. Propria forma nata est fieri solùm in propria materia : *lib. 4. dist. 43. ibid.* Intellige de materia vt sic disposita.

604. Omnis forma corrupta, & iterum generata non est eadem numero, sed specie : *lib. 4. dist. 43. ibid. ad* 1. Id verum est secundùm virtutem operantis naturalis, non infiniti : Vide ibidem rationes, & *lib. 4. dist. 44. ibid.* Vide *num. 596.*

605. Anima habet naturalem appetitum ad suam materiam : *lib. 4. dist. 43. quæst. 4. & 5. ad 6.* ideſt ad suum corpus.

606. A priuatione ad habitum non datur regressus : *lib. 4. distinct. 43. art. 1. quæst. 5.* Id est verum naturaliter, non supernaturaliter : & *dist. 44. part. 1. dub 3. & 4.* Vide *n. 596. & 614.*

607. Natura est vis insita rebus ex similibus similia procreans : *lib. 4. dist. 43. art. 1. quæst. 5. in fund.*

608. Anima, quia est talis, ideò differt ab Angelo : *lib. 4. dist. 43. ibidem.*

609. Operatio consequitur formam, & speciem : *lib. 4. dist. 44. part. 2. art. 2. quæst. 1. ad* 4. Verum est de operatione consequente totam speciem. Vide *n. 567.*

610. Lux est proprietas inseparabilis ignis : *lib. 4. distinct. 44. ibid. ad 3.*

611. Omne agens agit in contrarium, & generat suam similitudinem in passo : *lib. 4. distinct. 44. part. 2. art. 2. ad 1. & 2.* Id verum est de actione naturali.

612. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus : *lib. 4. dist. 49. part. 1. art. 1. quæst. 1. ad 3.* Id verum est quoad æquiualentiam.

613. Beatitudo est bonum, quod omnia exoptant : *lib. 4. dist. 49. part. 1. art. 1. quæst. 2.* Intellige de bono in generali secundùm propriam naturam.

614. Corpus, vt sit organum congruum animæ, exigit debitam quantitatem, & qualitatem, organizationemque : *lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 2. quæst. 1. in argum.*

615. Corpus hominis accipit à terra obscuritatem, ab aqua passibilitatem, ab aëre infirmitatem, & ab igne animalitatem : *lib. 4. dist. 49. ibid. in corp.*

616. Mensura temporis alia est intrinseca, alia extrinseca : *lib. 4. dist. 49. part. 2. art. 3. quæst. 1. ad 4.* Vide *n. 192.*

617. Lex debet esse honesta, iusta, possibilis, secundùm naturam, & patriæ consuetudinem, loco, & tempori conueniens, necessaria, vtilisque, & manifesta : *Opusc. Princip. Sacra Scriptura.*

618. Metaphysica est nobilissima inter scientias naturales : *Op. Princ. Sacra Script.*

619. Locus ab authoritate concludens ; infirmus, & inartificialis dicitur : *Opusc. Princ. Sacra Scriptura.* Excipe authoritatem Diuinam ob firmam certitudinem.

620. In Scientia præcognoscendum quid nominis, & rei, & quia est, debetque supponi subiectum : *Opuscul. Princip. ibidem, & Serm. 5. Hexaëm.*

621. Scientia Mathematica est nobilissima per certitudinem modi sciendi : De anima ob nobilitatem subiecti moralis ob vtilitatem finis, qui est beatitudo creata, sed Diuina, scilicet

fcilicet fcientia Theologica omnes excellit : *Opufc. Princip. ibidem.*

621. Quod fcimus, & intelligimus, debetur rationi : quod credimus, debetur authoritati : *Opufc. Princip. ibidem.*

623. Lex humana eft conftitutio populi, qua maiores natu fimul cum plebibus aliquid fanxerunt : *Opufc. Princip. ibidem.*

624. Scientiarum ethnicarum alia eft Logica, alia Phyfica, alia Ethica : Logica alia eft Grammatica, alia Rethorica, alia Dialectica : Phyfica alia eft Mathematica, alia Naturalis, alia Metaphyfica : Ethica alia eft Monaftica, alia Oeconomica, alia Politica : *Opufc. Princip. ibidem.*

625. Ius ciuile fecundùm legem Diuinam regulatur : *Opufc. Princip. ibidem.*

626. Theologia pofitiua, ideft Sacra Scriptura procedit narrando, præcipiendo, prohibendo, comminando, promittendo : Scholaftica verò, feu fecundùm artem procedit per modum quæftionis, refponfionis, oppofitionis ; folutionis, nunc definiens, nunc diuidens, nunc arguens, nunc concludens : *Opufcul. Princip. ibidem.*

627. Motus eft Endelechia, ideft actus entis in potentia, & licèt inuoluat imperfectionem, atteftatur tamen perfectioni motoris : *lib. 4. dift. 49. art. 4. princip. quæft. 1. ad argum.*

628. Omne, quod incipit, incipit vel per motum, vel per mutationem : *Opufc. Princip. Sacra Scriptura.*

629. Metaphyficus confiderat ens, provt trahit originem à prima caufa, & provt terminat in ipfam vt in vltimum finem, & provt exemplantem, & ideantem omnia entia : *Serm. 1. Hexaëm.*

630. Phyficus confiderat res, provt funt originantes ab vnica caufa, obidque confiderat mobile, & generationem, & confequenter duplex medium mundi, fcilicet cor, & folem : *Serm. 1. Hexaëm. & Serm. 3.*

631. Sermo rationalis datus eft ad exprimendum conceptus internos : *Serm. 1. ibid.*

632. Principia cognofcimus, inquantum terminos cognofcimus, & hoc per lumen inditum à Deo in anima : *lib. 2. dift. 39. art. 1. quæft. 2. & Serm. 3. Hexaëm.* Vide. *num.* 58.

633. Veritas triplex, fcilicet, rerum, vocum, & morum : prima eft indiuifio entis, & effe : fecunda adæquatio vocis, & intellectus : tertia rectitudo viuendi cum regula æterna : *Serm. 3. & 4. & 5. & 6. Hexaëm.*

634. Entis diuifio eft in fubftantiam, & accidens : in vniuerfale, & particulare : in potentiam, & actum : in vnum, & multa : in fimplex, & compofitum : in caufam, & caufatum : *Serm. 3. Hexaëm.*

635. Omnis potentia actiua in creatura coniuncta eft paffiuæ, & ambæ fundantur fuper diuerfa principia : *Serm. 3. Hexaëm.*

636. Metaphyfica eft de numeris, & proportionibus, nempè vel circa numeros fimpliciter, fic & Arithmetica : vel circa numeros fonoros, fic eft Mufica, vel circa proportiones dimẽfiuas generaliter, fic eft Geometria : vel circa vifiuas, fic eft Profpectiua : vel fecundùm quantitatem continuam, & difcretam, fic eft Aftrologia : iftaque eft bipartita, quia vel eft de corporibus per motum, fic eft Aftronomia, vel fecundùm influentias, fic eft Aftrologia : *Serm. 4. Hexaëm.*

Digitized by Google

637. Ars est habitus cum recta ratione factiuus : *Serm. 5. Hexaëm.*

638. Quantò agens plus inuenit in passo de sua similitudine, plus etiam agit, sic sol in aqua, & in auro : *Serm. 1. de pluribus Martyribus.*

639. Omnis virtus, quæ in suum susceptibile efficaciter agit, excludit ab eo suum contrarium : *Serm. 1. de pluribus Martyribus.*

640. Quò nobilior est materiæ præparatio, eò nobilior forma inducitur : *Serm. 1. de pluribus Martyribus.* Vide *num.* 462.

641. Omne Contrarium ad præsentiam sui contrarij concitatur, & fortiùs operatur, sic aqua superfusa calce statim inardescit : sed ex superfuso oleo non frænescit, quia oleum igni contrarium non est : sic aqua calida in frigido loco fusa citiùs coagulatur, quàm frigida, quia ad præsentiam caloris frigus fortiùs agit : *Serm. 3. de pluribus Martyribus.*

642. Omne, quod mouetur, à contrario in contrarium mouetur, hinc quod mouetur à sursum, necessariò mouetur deorsum, & è contra : & ob id arbor non multùm ascendere poterit, si radices in terra profunda non fixerit : sic & aqua ascendens, &c. *Serm. 2. de vno Confessore.*

643. Contraria Contrariis curantur, & expelluntur : *Serm. 2. de vno Confess.* summum ius, summa iniuria : *lib. 4. distinct. 46. art. 2. quæst. 1. ad vltim.* Id verum est, quia iustitia ascenditur per accessum ad medietatem, & per elongationem ab extremis.

644. Si optimum in vno genere est melius optimo in alio genere, & hoc simpliciter illo melius : *lib. 4. dist. 20. part. 1. artic. 1. quæst. 2. in corp.* Id intelligendum est secundùm proportionem, nempè comparando non minimum generis Superioris cum optimo alterius, sed optimum cum optimo, & minimum cum minimo : Sic ait Sanctus Bonauentura, quod maxima pœna animarum purgatorij est maior quacunque maxima huius vitæ : non verò minima pœna purgatorij est maior maxima huius vitæ : quod tamen non verificatur de pœna Inferni in ordine ad pœnam mortalis vitæ, quia non currunt eædem circunstantiæ, & proportio eadem inter pœnam purgatorij, & inferni, vt fusè *ibidem* probat Sanctus Doctor, à quibus dignatur nos Dominus noster Iesus Christus sua piissima misericordia liberare, & perducere ad sui fruitionem per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN HAC TERTIA PARTE Cursus Philosophici continentur.

Prior nota Arithmetica numerum marginalem significat: Posterior verò Paginam denotat.

Eductio.

Digitized by Google

quænam

Digitized by Google

Digitized by Google

Quomodò

Digitized by Google

Sol.

Titillatio

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

